DE MATERIIS
TRIBVNALIVM
S. INQVISITIONIS
SEV DE REGVLIS MVLTIPLICIBVS

Pro Formando quouis eorum Ministro, præsertim Consultore,

PRAEMISSIS XIII. PROLEGOMENIS
DE ORIGINE ET PROGRESSV
DICTORVM TRIBVNALIVM.

Opus vti peculiari industria, & non exigua eruditione elaboratum; ita DD. Inquisitoribus, & quibus vis Officialibus S. Inquisitionis, imo, & alijs Iudicibus & Ministris quorumcumque Tribunalium valde vtile.

TOMVS SECVNDVS

Libros Tertium, & Quartum comprehendens.

AVCTORE

R. P. SEBASTIANO SALELLES

De Societate IESV, Hispano ex Regno Valentiæ, S T. P. & Tribunalis Melitensis per Annos quadraginta assiduo Consultore.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.


IACOBO DE TASSIS



ROMÆ, Ex Typographia Io. Petri Collinij. M. DC. LIII.

Sumptibus Ioannis Antonij Bertani, Sub signo Gryphi.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.

IACOBO DE TASSIS

VTRIVSQVE SIGNATVRAE D. N. P. REFERENDARIO

ET S. CONGREGATIONIS

AQVARVM A SECRETIS.





IOANNES ANTONIVS BERTANVS S. P. D.



IAM pridem ad te ibat liber hic Præsul Illustrissime. Quam quidem confidentiam tibi imputes necesse est, qui ita me meaque complecti suetus es, vt iam nihil temere farxim si toties felicissime expertam humanitatem iterum prouocem. Cæterum dignum satis est opus quod magno aliquo inscriptum nomine prodeat. Si enim suos Hercules in Cœlum intulit vetustas, quod orbem teterrimis obsessum beluis liberassent; Quanto æquius huic operi perennitas debebatur, quo atrum illud, horrendum, ingens monstrum hæresis extincta est & profligata. Sub quo autem potius publicæ lucis periculum faceret, quam eo sub patrono, in quo & Nobilitas generis vetustissimis innixa immaginibus, affluentes opes fortunæque singularis prudentia qua dispares etiam deiugesque virtutes inter se sociantur, iuris peritia summa cæterarumque scientiarum comitatus pulcherrimus; aptissime effulgent ac velut in suo lumine collocantur; Nec enim cæterarum laudum iniuria Nobilitatem, quam ipse tot egregie factis illustri tanquam admota face ab interitu vindicas; aut opes in te prædicauerim

uerim, quas adeo munifica liberalitate in omnium animis pectoribusque alte recondis. Si quidem hæc à maioribus non minus accepisti, quam fecisti ipse preclara. Scio hæc quam apud iniquum suarum laudum extimatorem peragam, ut pote qui eorumque recte fecerit nihil præter testes oderit. vtinam olim ex ea quæ se iam nunc ambit purpura maior & plenior huic operi lux affulgeat. Vale, &c.





INDEX CVIVSQVE TITVLI CAPITVM,

Et Regularum Libri Tertij de Materijs Tribunalium Fidei, seu de Regulis multiplicibus pro formando quouis eorum Ministro, præsertim Consultore, quoad intentionem mentis, seu quoad errores in mente suspecti de hæresi, vel apostasia latentes, vbi pro eis facilius inuestigandio tradentur, series ipsorum per sæcula, in quibus emerserant, cum inuentoribus eorundem &c. Vbi item agetur de annexis antecedenter, nempe de recusatione Iudicis, seu Inquisitoris, & de multiplici examine eorum, &c. consequenter vero de repetitione testium, maxime pro inuestiganda identitate personæ delinquentis, de confrontatione eorum cum ipsis; vel secus.

CAPVT V.

De Sectis, & erroribus Hæreticorum, seù Hæresiarcharum contra fidem Catholicam, qui à Christi Domini Natiuitate toto primo seculo emerserunt.

CAPVT VI.

De Sectis, & erroribus contra fidem Catholicam Hæresiarcharum, aut Hæreticorum, qui post Christi Domini Natiuitatem per tempus secundi seculi prodierunt.

CAPVT VII.

De Sectis, & Hæresibus quorumcumque Hæresiarcharum, & Hæreticorum contra fidem Catholicam, qui successiuè tempore tertij seculi extiterunt.

CAPVT VIII.

De sectis Hæresiarcharũ, deque eorum Hæresibus quæ totius quarti seculi decursu contra fidem Catholicam in diuersis Orbis partibus prodierunt.

Qua-

CAPVT IX.
De Hęresiarcharum Sectis, & Hæresibus, quæ toto quinto seculo aduersus fidem Catholicam in diuersis Mundi partibus extiterunt.

CAPVT X.
De Hęresibus, & Hæresiarchis diuersarum sectarum contra fidem Catholicam Institutoribus totius sexti seculi decursu prodeuntibus?

CAPVT. XI.
De Sectis diuersis Hæresum, & Hæresiarcharum fidem Christianam oppugnantibus, quæ per spatium totius septimi centenarij prodierunt.

CAPVT. XII.
De varijs Hæresum, & Hæresiarcharum Sectis Fidei Catholicæ oppositis, quæ per spatium duorum centenariorum, octaui scilicet, & noni seculi, in diuersis locis extiterunt.

CAPVT XIII.
De diuersis Hæresum, & Hæresiarcharum Sectis fidem Catholicam oppugnantibus, quę per duorum seculorum spatia, nempe decimi, & vndecimi varijs in locis prodierunt.

CAPVT XIV.

De varijs Sectis Hæresum, & Hæresiarcharum, quę in pluribus orbis partibus per totum XII. seculum, contra fidem Catholicam institutæ fuerunt.

CAPVT XV.

De Hæreticis, & Hæresiarchis, deque eorum sectis ad expugnandam fidem Catholicam ad spatium totius decimitertij centenarij institutis

CAPVT XVI.

De Sectis Hæreticorum seu Hæresiarcharum, quomodo ad expugnationem Catholicæ fidei per totius decimiquarti centenarij decursum prodierunt.


CAPVT XVII.

De Hæreticis, aut Hæresiarchis, deque eorum Sectis perniciosissimis Ecclesię Catholicę, quę ad impugnandam eius fidem toto centenario decimoquinto institutæ fuerunt.

CAPVT

CAPVT XX.

De repetitione testium in quouis Tribunali, præsertim in nostro Sancti Officij, de publicandis item, vel è contra supprimendis eorum nominibus, ac de non confrontandis ipsis cum reo, aut secùs, maxime ad habendam personæ identitatem.



LIBER TERTIVS DE MATERIIS TRIBVNALIVM FIDEI,

SEV DE REGVLIS MVLTIPLICIBVS PRO FORMANDO

Quouis eorum Ministro, præsertim Consultore, quoad intentionem mentis, seù quoad errores in mente suspecti de hæresi, vel apostasia latentes; vbi pro eis faciliùs ab Inquisitore, & à Consultore eius inuestigandis tradentur series ipsorum per secula, in quibus emerserunt, cum inuentoribus eorundem &c. Vbi item agetur de annexis antecedenter, nempè de recusatione Iudicis, seù Inquisitoris, & de multiplici examine reorum; consequenter verò de repetitione testium maxime prò inuestiganda identitate personæ delinquentis, & de confrontatione eorum cum ipso; vel secùs, &c.

PROOEMIVM.

1 

SI oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit, si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt, Matt. 6. & Luc. 11. Communis est expositio Sanctorum Interpretum, præcipue Diui Augustini lib. 22. qq. Euang. cap. 15. per oculum hoc loco significari intentionem in intellectu residentem, seù ipsum intellectum ex bene, vel male affectum secundumque has affectiones operantem, & facultates internas, ac externas animi ex mente eorundem interpretum maxime nostri Ioannis Maldonati per corpus hic significatas, in quibusuis earum actionibus liberis perpetuò dirigentem; si affectio sit bona, si oculus tuus fuerit simplex, scilicet non infectus prauis humoribus, vt egregie exponit idem Maldonatus, sed mundus, & purus, seù melius, & propius nostro instituto, si radijs fidei Diuinæ fuerit illuminatus, tunc etiam totum corpus lucidum erit, nempe omnes dictæ animæ facultates in suis operationibus eodem fidei Diuinæ luminæ fuerit illuminatus, & coruscabunt, & ad finem diuinæ gloriæ salutisque æternæ abundanter acquirenda tendent. E contra verò, si mala sit affectio intentionis, si oculus tuus fuerit nequam, idest, iuxta interpretationem ipsius Maldonati, si vitiatus, & immundus, totum corpus tenebrosum erit. 2 Verùm de qua nequitia, de qua immunditia intelligendum? de quacunque potest intelligi, nullum dubium, quandoquidem particula, *nequam*, indeffinita, ac vniuersalis est, & absq; vlla restrictione proponitur; magis tamen videtur quadrare Sacro textui, si de maxima nequitia, de præeminenti inter reliquas exponatur, videlicet de opposita dicto lumini supernaturali Fidei, de Infidelitate, de Hæresi, de Apostasia; vt clarè denotant particulæ tenebrosum, & tenebræ immediatè post in ipso textu expressæ; sicut enim per lumen fides Catholica, ita per tenebrosum, seù per tenebras errores quicunque eidem fidei Catholicæ contrarij sæpius in sacro eloquio indicantur. Is. 49. dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & cap. 9. populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Luc. 1. in Cantico Zachariæ. Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent: & similia, docentque S. August. Beda, & alij exponentes illa verba Ioann. 12. Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. 3 Sed quandonam petes oculus simplex, quando verò nequam censetur existere, vnde id percipi potest? Hoc opus, hic labor; adeo equidem difficile, reconditam mentis intentionem inuestigare, vt videatur soli Deo reseruata talis inuestigatio iuxta Illud Hier. 17. Profundum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes; nihilominus valde proprium est, & inter alia singularia multa, istud singularissimum; nostro-

rum

rum tribunalium Sanctæ Inquisitionis, quòd possint, & soleant intentionem cordis perquirere in reis, contra quos procedunt; tametsi in hac perquisitione multum difficultatis reperiatur. Reliqua tribunalia, siue Ecclesiastica, siue Secularia in foro fori tantum cognoscunt de externis delictis, eaque puniunt pro qualitate, & grauitate vniuscuiusque, nec curant Iudices cognoscere, qua intentione homicidæ occisionem hominis, adulteri adulterium, sacrilegi sacrilegium, & similes similia commiserint. At nostrorum tribunalium Sancti Officij præcipuum negotium est circa intentionem: de hac inquisitores reos diligentissime interrogant, ad hoc vnum varia eorum constituta, & examina in primis dirigunt, nimirum ad inuestigandum, & prorsus eruendum, an dicta, vel facta, de quibus denuntiati ex erroribus mentis formalibus contra Fidem dimanarint, vt hos maximè puniant, vt ipsos radicitus extirpent in bonum eorundem reorum, & nè hæreses in perniciem animarum, & totius Ecclesiæ Catholicæ, vt cancer serpant. Prædicta autem difficultas inuestigandi, & eruendi huiusmodi errores ex mentibus delinquentium contra fidem duplici præcipue ex capite prouenire potest, tum quod in eis occultandis Hæretici per Sanctum Officium inquisiti vti vulpes dolosæ diuersimodè inuigilent, vt infra cap. 2. huius libri videbimus, tùm quod circa idem factum hæreticale, vt circa idem sortilegium, cui admiscentur sacramentalia varij errores concurrere possint, vt quòd crediderit Sortilegus res sacras inseruire ad malum finem ac voluntatem hominis sortilegijs cogi posse, & dæmonem esse dignum adoratione, ac cultu, & eum posse scire, ac prædicere futura, quæ pendent à libero arbitrio. En quatuor simul in eodem facto, atque in similibus dicernendis, oportet tam Inquisitor, quam Consultor Sancti Officij non exiguam dexteritatem pro fine dicto inuestigandi, & eruendi intentionem reorum (scias quòd his terminis, & modis loquendi vtamur in Sancto Officio) & interrogandi reos circa ipsam. Vnde ad eundem finem operæ pretium duxi series errorum Fidei Catholicæ oppositorum per secula, in quibus emerserunt, in hoc Tertio libro proponere, collectas ex SS. Patribus, vt ex D. August. & D. Damascen. & ex alijs Auctoribus antiquis, & Recentioribus, vt ex Prateolo, Gualtero, Genebrardo, & in primis ex Annalibus Cardinalis Baronij, notatis circumstantijs personarum, locorum, &c. Initium huius libri à tractatione recusationis iudicum, seu Inquisitorum necessariò sumitur, quia ordo executionis cui perpetuò in hoc Opere de Materijs Tribunalium Fidei, seu de Regulis multiplicibus pro formando quouis eorum Ministro, præsertim Consultore meritò adhæremus, ita postulat, vi ira Proœmiolo Capitis primi explicabitur, deinde consequenter de repetitione testium, maximè pro inuestiganda identitate personæ delinquentis, & ad doctrinam de constitutis, seu examinibus delinquentium ad eliciendam per Inquisitorem notitiam totius facti, seu delicti, aut partis eius, si solùm ex parte negetur à reo, ac huius in delinquendo intentionis, seu reconditæ in mente formalis infidelitatis, pro quo conducent dictæ series errorum contra Fidem immediatè post tradendæ. Sub finem tandem ad eundem effectum eliciendi notitiam facti, & conuincendi reum, materia de confrontatione eorum cũ ipso breui attingetur.

4 5 6

CAPVT PRIMVM.

De recusatione in communi Iudicum, & Inquisitorum in particulari respectu delinquentium contra Fidem, de causis item sufficientibus ad eos recusandos, de circumstantijs personarum, temporis &c. circa idem attendendis, atque de modis impediendi recusationes; ac procedendi, casu quo ipsæ admittuntur, vel secùs; maximè in Sancto Officio.

PROOEMIOLVM.

NOn desunt, qui materiam recusationis Inquisitorum coniungant, vti coniungit Antonius Sousa lib. 2. Aphorismor. cap. 34. cum illa de exceptionibus, quæ vniuersalior est, & ex se magis connexa cum alijs duabus de defensionibus, & appellationibus, quas initio, & fine Quarti libri tamquam in proprio loco explicabimus; nunc de illa opportunè agendum seruato iugiter ordine executionis; quia recusandus est Iudex statim, antequam vllum actum iuridicum exerceat circa reum, cum huic, si sciens, & aduertens causam sufficientem recusationis, illum in aliquo actu iuridico admittat, non sit amplius locus ipsum recusandi, vt paulò post cum Farinaccio lib. 6. fragmen. par. 2. & cum alijs ostendemus; vnde quoad negotium præsens cũ in cap. penultimo libri præcedentis, delinquentem contra Fidem iam captum, carceratumque reliquerimus, quòd spontè comparenti, de quo in vltimo Capite non competat recusatio per se patet, si adest causa recusandi, oportet quamprimum Inquisitorem recuset, & nos consequenter iuxta dictum ordinem executionis, de recusatione eius illicò agamus, paucis Regulis comprehendentibus quæcunque hanc spectant; tametsi nonnulla pro recusatione aliorum Iudicum vti valdè connexa necessariò attingenda, vt per propositum titulum clarè indicatur.

Quid,

Quid, & quotuplex recusatio? & an quicunque Iudices, & Ministri iustitiæ, maximè Inquisitores Fidei recusari possint.

REGVLA CCI.

1 DEfinitur recusatio ob iustam causam suspicionis contra Iudicem propositam, Audientiæ eiusdem Iudicis declinatio canonicè allegata. 2 Multiplex autem assignatur recusatio tùm ex parte recusantium, quia tàm ab actore, quàm à reo Iudex recusari potest: tùm ex parte Materiæ, nam non solùm in ciuilibus, sed etiam in criminalibus locum habeat Iudicis recusatio. 3 Huius tamen magna multiplicatio præcipue prouenit ex parte recusatorum; cùm recusari valeat, exceptis supremis independentibus, quicunque Iudices etiam ordinarij, attento Iure Canonico, item eorũ Ministri, deniq; Inquisitores Fidei.

---

4 VArias definitiones recusationibus ex varijs Auctoribus alijs expressè citatis, alijs suppresso nomine affert Farinac. vbi supra num. 685. quos, si placet apud eum legat. Valde approbat ipse cum Ioanne Andrea super speculũ in tit. de recusat. lit. d. in hoc verbo deffinitionem eius à nobis in regula propositam desumptam ex Hostiensi in tit. de recusat. Iudicis delegat. num. 1.

Quia vt idem Andreas aduertit, aliud est definire recusationem legitimam, prout definit Hostiensis expressis circumstantijs omnibus, ad eius legitimitatem requisitis, præsertim vltima expressa per eam particulam, *canonicè allegata*.

5 Dubitatur autem inter Doctores, an vt recusatio suspecti Iudicis censeatur Canonica, seù Canonicè allegata, debeat apponi in libello eius, & probari causa ipsum recusandi? Secũdùm Ius Canonicum in quibusuis locis, ac Tribunalibus, vbi hoc seruatur, vti seruari regulariter solet in Tribunalibus Sancti Officij; pars affirmans tamquam communis, & certa apud ipsos Doctores est tenenda, quòd sit allegandа in recusatione, & probanda causa suspicionis. Ita Bal. in cap. cum speciali, num. 20. Versu, & hæc est vera differentia, extra de appellatione; Ibi etiam Abbas n. 20. Imol. num. 2. Decis. num. 1. & 2. testificans de communi addensque id seruandum, siue causa suspicionis sit remota, siue proxima, ac alij multi eiusdem cap. cum speciali expositores, quos citat, & sequitur Farinac. ibid. n. 882. adiuncta ampliatione num. 886. idem esse verum de Iure Regni habente hoc commune 6 cum Iure Canonico. Secundum autem neutrum Ius, est obligatio allegandi, & probandi recusationis causam, vbi hoc apparet notoria, & publica, vt constat ex capite cum olim, de causa posses. & proprietat. & cap. accedens, vt lite contestata, traditque Farinac. loco cit. num. 806. & 890.

7 Verùm attento Iure Ciuili, vel Cæsareo, vbicunq; hoc est in vsu, nunquam requiritur; sed tantùm recusans iurare debet, quòd non calumniæ motiuo recuset Iudicem, patet ex allegatis per Ancheran. in cap. suspicionis, n. 2. de off. deleg. & tenet Glos. in lib. apertissimi, C. de Iudicijs, in verb. recusare, ibi etiam Bal. num. 7. & 9. Couar. pract. quæst. cap. 26. nu. 1. vers. eodem Iure Ciuili, & cum alijs ab ipso relatis. Farinac. dicto num. 886. vbi cum eodem Couar. merito reprobat Ruiner. Cons. 60. n. 4 vers. Nec etiam ad validitatem, asserentem tale Iuramentum, vt operetur esse deferendũ à Iudice, cùm contrarium seruetur in praxi, sitq; conforme Textui in l. Cum specialis, de Iudicijs; sufficit ergo, si recusans per se iuret, quod habet Iudicem suspectum non per calũ- 8 niam, sed quia verè suspectus est, etiam sufficit stando in Iure Canonico, & Regni casu, quo Iudex recusatur ex causa, quæ exprimi nequit sine scandalo. Ita bene cum Pacian. lib. 2. de probat. cap. 49. nu. 55. Idem Farinac. num. 891. ex vi Iuris naturalis, & æquitatis.

9 Circa multiplicationẽ recusationis ex parte recusantium nullum est dubium, quòd tàm ab actore, quàm à reo Iudex suspectus haberi, & recusari possit; ni fortè ille Iudicem impetrarit. Tradunt vt certum Glossa in l. apertissime, C. de Iudicijs, in verb. litigantibus, ibi etiam Ioannes Siuandus, num. 2. & cum 10 alijs Farinac. loco cit. num. 886. Qui n. 869. ampliat, vt non solùm à partibus litigantibus, sed etiam à tertio comparẽte pro suo interesse; manifeste constat ex text. in cap. Cum super extra de delegat. & ibi communiter Doctores, & cap. postremò, extra de appellat. Alexand. de Neuo, n. 34. & 35. Præpos. Alexand. num. 11. & alibi alij citati à Farinaccio vbi supra num. 689.

11 De alia multiplicatione recusationis ex parte materiæ, seu negotiorum, est etiam omnino certum, quòd non solùm in Ciuilibus; sed etiam in Criminalibus recusatio Iudicis possit fieri, siue procedatur per accusationem, siue per inquisitionem ex officio. Habetur expresè in cap. Cum speciali, de appel. & ibi expositores Glos. in verbo, cum Iudice, Bald. num. 3. & 4. Alexand. de Neuo num. 29. Clar. in pract. §. final. quæst. 43. & Baiar. in 12 addit. num. 18. Vbi affirmat, quòd in Criminalibus causæ suspicionum ad recusandũ Iudicem, non probantur coram arbitris, sed Princeps, auditis causis pro parte reorum expositis, si ei iustæ videbuntur, remouet Iudices, vel adiunctum suo arbitrio assignat. Ita cum illo totidem verbis Farinac. ibid. n. 687. Quamquam ex mente Iacob. Laur. in tract. de Iudic. susp. cap. 5. num. 12. dictum arbitrium limitat, & ait, non esse dandum tunc adiunctum, sed totaliter Iudicem remouendum, de hoc tamen pluribus infra.

13 Sequitur declaranda magis præcipua, & copiosa multiplicatio recusationis ex parte Iudicum recusabiliũ; vel secùs; Primò quoad hanc partem negatiuam. Certissimũ est apud omnes Auctores, quòd Iudices supremi prorsus independentes, seu non recognoscentes supe-

superiorem, haud sint recusabiles, nec vllo modo respectu ipsorum recusatio locum habeat. Quales sunt Imperatores, Reges, Principes, ac Republicæ habentes merum, & mixtum imperium, absque cognitione Superioris; præcipuè ex Ecclesiasticis, omnes Summi Pontifices, qui cum in alijs quibusuis causis tàm Criminalibus, quàm Ciuilibus, tum in causis hæreticæ prauitatis: cum ipsi sint certa infallibilis, ac viua rerum Fidei regula. Tradunt, & tuentur hanc partem, Glos. cap. Quia cunctis de concessis præben. in 6. Præpos. Mediol. in cap. postremo, num. 8. vers. Ideo Papa, de appell. Iacob. de Sancto Georgio in l. apertissimi, num. 25. C. de Iudic. peculiariter id specificans de Papa, de Imperatore, & de Rege Franciæ, ac cum alijs multis ab ipso relatis, Farinac. ibid. num. 721.

14 Duplicem tamen limitationem cum Iacob Lauf. de Iudic. suspecto, cap. 2. n. 7. & 12. adhibet prædictæ doctrinæ ipse Farinaccius, primam eodem num. 721. Quòd supremi Principes secundum honestatem, & æquitatem soleant ipsorum propriam causam Iudicibus 15 non suspectis committere. Altera limitatio, quæ est maioris considerationis defenditurque etiam à Marant. de Ord. Iudicis par. 6. num. 33. citante pro ea Soccin. Adducitur ab eodem Farinaccio per sequentia verba; declara, inquit quod Princeps non recognoscens superiorem potest esse Iudex in causa propria, quam habet cum suo subdito, hæc ille cui adhæret.

16 Quoad partem verò affirmatiuam extra controuersiam similiter apud omnes, quod præter dictos supremos, quicunq; alij Iudices existente suspicionis causa, recusari possunt, non solùm si sint delegati, de quibus vt magis certum habetur, sed etiam si sint ordinarij, idque semper attẽto iure Canonico, & vbi hoc est in vsu secundum textum in capite cum speciali de appellat, & ibi tradunt. Glos. in verbo, Cum Iudice, & Hostiens. in verbo, monẽtis allegans concordantia iura. Imò idem dicendum quandoque attento iure Ciuili ex causis exprimendis regula sequenti cum Farinac. & alijs ibi citandis.

17 Dubitari autem solet, an sicut Papa, ita & Cardinalis recusari non possit. Nonnulli hoc tuentur, & Præposit. Mediolan. in capite postremo num. 7. vers. Et ideò, cum de Cardinalibus, extra de appellatione, ac ibi Fari-18 naccius num. 15. in 79. Verùm contraria sententia est magis recepta, vti rationi consona. Quodquiuis Cardinalis etiam si sit legatus de latere ex graui causa possit recusari. Docent. Rolan. cons. 19. nu. 27. lib. 3. Paris. consilio 31. num. 98. lib. 2. Mandos. in praxi commis. in formul. 8. Verb. Auditoris, vbi ait quod Cardinali suspecto, & ideo recusato, sit dandus adiunctus, alter tamen Cardinalis, sicque addit se vidisse seruari, atque hanc sententiam sequitur Farinac. loco cit. nu. 726. cum alijs 19 ab eò collegatis. Dein Episcopo iudice ordinario vti suspecto recusato, quod fieri possit in secundum ius Canonicum ab omnibus supponitur, vt certum an possit recusari eius Vicarius, est aliquale dubium, quod insurgit nõ quando ipse Vicarius est Iudex in causa, vti ordinarius, & vt constituit vnum Tribunal cum Episcopo; Nam tunc recusato alterutro, potest certe alter cum cæteris officialibus eius recusari. Patet ex text. in capite Innuente de offic. delegati, & Notant. Glos. in verb. offic. & Ioannes Andreas num. 3. in eodem verbo, & l. vnica C. si quacunq ue prædic. dig. traditque cum alijs Farinaccius dict. 2. pa. fragment. num. 754. ob eam rationem, quia est vnum & idem tribunal.

20 Itaque dubium insurgit, casu quò videtur Vicarius Episcopi procedit non vt ordinarius sed vt delegatus? ac primo si ei diligentia committatur à Papa, vel ab alio superiore, & non ab Episcopo, hoc recusato ob peculiarem causam respectu ipsius consistentem, ex mente omnium doctorum teste ibidem 21 Farinac. num. 761. ille recusari non potest. Si verò constituitur Iudex Vicarius delegatus in aliquo negotio ab ipso Episcopo, tũc probabile est, quod recusato Episcopo, possit etiam recusari Vicarius. Probabile item oppositum, quia pro vtraque parte sunt graues Doctores, quos refert. Farinac. ibidem n. 757. & 758. nec ratio est vlla pro altera earum, quæ conuincat.

22 Quod autem Iudice etiam non recusato, quiuis officialis, vel inseruiens quoquo modo eius tribunali, recusari queat ob causam legitimam, nullus dubitat, specificatur de Consultore, & Assessore à Franc. in cap. cum speciali num. 37. extra de appellatione per textum, quem allegat in capite Statutum §. assessorem de rescriptis, in 6. specificatur item in tabellione, seù Notario secundum Glos. quòd sępè in Verb. artificis, in autent. de triente 23 & semisse. Similiter potest specificari in promotore Fiscali tanquam in præcipuo ministro. Qui sicut & reliqui aduertentes in aliquo casu particulari adesse causam sufficientem recusationis, prudentius, & consultius facient, si in eo, antequam recusatio intimetur, ab executione proprij officij abstineant & petant à Iudice, seù à Superiore, vt alium 24 ipsorum loco substituat; vti in facti contingẽtia apud nostrum Tribunal Melitense Sanctæ Inquisitionis doctrinis Fiscalis paucis ab hinc mensibus in causa peculiaris inquisiti ab executione sui muneris prudenter abstinuit, assignato ad requisitionem ipsius substituto per Illustrissimum Dominum Inquisitorem Gorium.

25 Sed quid, si plures sint simul Iudices, vt Collegium Concilium, Vniuersitas? Si causa suspicionis, seù recusationis concurrat respectu omnium de Collegio, de Vniuersitate, &c. omnes recusari simul possunt. Si verò aliqui tantum ex eis suspecti existant, ac proinde recusabiles, ad istos solos recusatio se extendere valet, sic in concordiam reducit Farinac. vbi supra num. 708. & 709. duas oppositas sententias aliorum, vt Bald. in l. hoc modo. num. 2. ff. de Condit. & demonstr. Vict. opin.

opin.867.nu.1. & Andreas Gail.obser.33. n.2. negantium fieri posse recusationem respectu omnium, qui simul sunt Iudices in aliquo Cõcilio, vel Collegio, aut Vniuersitate: aliorum verò plurium, vt Iason. in l.apertissimi Cap. de Iudic. nu.10. Alberic. ibi nu.6. præposit. Mediol. in cap. cum speciali num.28. de appellat. Lancellot. de attentat. cap.6. nu.36. & Iacob. Laur. in tract. de Iudice suspect. cap.3. nu.15. admittentium talem recusationem.

26 Quamquam ipse Farinac. nu.711. bene adiungit cum Sigismundo in tract. de appellat. quæst.16. limit. 1. num.15 & 16. ac cum alijs posse recusari totum Collegium, Concilium, Vniuersitatem &c. in duplici euentu. Primò quando principaliores eius essent suspecti, quia facile inducuntur reliqui ad iudicandum secundum eam opinionem, quam scirent illos

27 tenere. Secundo quando caput, seù Superior totius Collegij, Vniuersitatis, &c. haberetur suspectus, ac proinde recusatur, vt Episcopus respectũ Capituli, vel Prælatus respectu Cœnobij; vbi hoc sine illo consistere nequit; & non secus, vti declarat idem Farinac. quem videas.

28 Restat discutiendum de recusatione circa DD. Inquisitores: hos recusari non posse tenent haud infimi certe Autores, vt Franciscus Ripa tract. de pest. p 3. nu.140. Iacobus Menochius lib.1. de arbitrarijs Iudicum quæst.37. nu.40. præcæteris Ioannes Rojas singular. in fauorem fidei singul.100. & tract. de hæreticis, tit. de Priuilegijs Inquisitorum, nu. 435. Ber-

29 nardus vero Comẽsis in Lucerna Inquisitorũ, verbo recusatio 81. cum moderatione ait in causis hæresis recusationem inquisitoris raro, aut ferè nunquam contingere. Ducuntur forte ea ratione quia inquisitor eligi solet æquissimus, & prudentissimus; ergo non est locus suspicionis, neque recusationis contra ipsum.

30 Nihilominus, quòd suspecti haberi, & recusari possint Inquisitores, meritò tuentur alij grauissimi Doctores, vt Simanchas Cathol. institu. titul.27. nu.51. & 52. Eymeric. Direct. par.3. tit de recusatione inquisitores nu. 120. & ibi Franciscus Penna, com.30. vers. Ceterum dictus Bernardus Comensis, Tabiens. in Sum. verbo inquisitio §.4. nu.5. Sousa lib.2. Aphorismor. cap.34. n.2. & 5. atque Farinac. de hæresi quæst.185. §. 15. nu.236. citan. Vimbertum Locatum in Iudiciali Inquisitor. Verb. inquisitus, nu.2. & Iacobus Laurentius tractat. de Iudice suspecto, cap.2. nu.9. Ratio est quia occurrere potest causa recusandi, vt videbimus regula sequenti; & hanc sententiam affirmat prædictus Penna esse veriorem, & prorsus tenendam, vti deffinitam per Instructionem Madrilianam de anno Domini 1561. infra à nobis adducendam.

Ex quibus causis Iudex, aut alius maximè Inquisitor fidei recusari potest? & quando recusatio opponenda, vt habeat effectum?

REGVLA CCII.

31 Non quæcunque causæ, & exceptiones friuolæ, ac impertinentes, sed quæ probatæ recusantem quoquomodo releuant, ad recusandum Iudicem, & quemuis officialem legitimę reputantur, maxime si sint graues, &

32 per se notæ. Peculiariter verò ad recusandos Inquisitores sufficiunt solùm capitales, aut magnę inimicitiæ, vel illud ex quo tales ini-

33 micitiæ facile oriuntur. Recusatio item, vt suum effectum sortiatur, est opponenda ante quemuis actum iuridicum, & non post litis contestationem, nisi ex causa de nouo emergente, aut ex antiqua ad notitiam partis po-

34 stea veniente. Imo ex his opponi posse probabilius censetur etiam post conclusum in lite; nunquam tamen post traditam schedulam Notario sentẽtię, ante huius probationẽ.

---

35 Pars prima regulæ negans de causis friuolis, impertinentibus, ac irrationabilibus, magis ad deludendum iudicem quàm ad iuridicam eius recusationem, inseruire posse, manifestè apparet; ideoque admitti non debent ex cap. cum speciali in verb. iustæ suspicionis, & ibi Glos. omnesque Canonistæ de appellat. & ex cap. inter Monasterium, vbi Aleb. nu.15. de sentent. & re iudic. ac ex l. ad probationem, 21. cap. de probat. & ibi Doctores, ex quorum mente, vt certum tradunt Pacian. de probat. lib.2. cap.45. Farinac. vbi infra n.805. & Sousa l.2. aphoris. c.34. n.3.

36 Altera pars affirmans, quòd quæuis causa etiam leuis, & modica, quæ probata aliqualiter releuat recusantem, sit sufficiens, & legitima ad recusandum iudicem, & consequenter quemlibet eius officialẽ defenditur ab Hostiens. post Glos. in cap. postremo, in verbo consanguineus, vers. modica enim causa, de appellat. nu.2. ab Alexandro de Neuo ibi nu.12. Vers. sed ratio est, à Menoch. de arbitr. lib.7. casu 752. nu.9. à Seraphico de priu. iuram. priuil.7. nu.4. affirmante quod sufficiat minima suspicionis causa, & ab alijs, quos refert, & sequitur Farinac. 2. parte Fragmen.

37 n.777. & 778. Vbi bene addit cum Pręposito Mediolan. in dict. cap. postremo, & cum Glos. in cap. Insinuante, de offic. deleg. in verb. familiaritatem. Hic tamen aduertas facilius posse recusari Iudicem, quàm testem, ob eam rationem, quia nimirum facilius inueniuntur plures Iudices, quàm vnus testis; & nullus hoc reijcit.

38 Causæ autem in specie recusandi Iudicem variæ assignantur; duodecim à Ioanne Andrea in cap. legitim. de appellatione cap.6. tredecim verò ab Hostiens. in summa tit. de recusatione §. quæ sunt istæ; nonnullæ ex Iure à

Fari-

Farinaccio colliguntur, & expenduntur, vt quando iudex magis vnam partem diligit, quàm aliam, vt magis se fauorabilem ostendit vni parti, quàm alteri, ex cap. accedens, vbi notant omnes, vt lite non contestata. Similiter quando quis habet similem causam illi, in qua fuit deputatus Iudex ex capite causamque, extra de Iudic. cum Hostiensi citato.

39 Item recusari potest subditus, vbi constituitur iudex in lite, quam quis habet cum Domino eius ex cap. lites il primo, & il secundo, vt lite non contestata, dum recusabilis est Iudex ordinarius in totum ob familiaritatem, quam habet cum parte ex textu in cap. Insinuante de officio delegat. & loquitur in Episcopo ab Orphanis etiam, & Viduis, ex vi Iuris Ciuilis in totum recusari potest Iudex ob speciale priuilegium eis cõcessum in l. vnica cap. quando imperat inter Pupillum, & Viduam, ac alios similes casus, quos apud ipsum Farinac. videas capit. se discussos à num. 784.

40 vsque ad 802. Vbi optimè concludit per sequentia verba; Iudicem inquit, suspectum recusandi causæ legitimæ sunt non solùm illæ, quę in iure expresè reperiuntur, de quibus supra dixi, sed etiam qualibet alia expressis similis, aut maior; ita ille cum Imola in capit. postremo n. 3. de appellatione, & cum alijs.

41 Separatim tamen adhuc ipse Farinac. ex iure assignat, & expendit alias duas causas grauiores recusandi Iudicem etiam ordinarium aliquantulum, nosque cum eo expendamus. Prima sumitur ex eo quod Iudex sit consanguineus partis, ac proinde recusari potest. Textus est expressus in dicto cap. postremo de appellatione, ibi Gloss. quæ declarat intelligi de consauguinitate vsque ad decimum

42 gradum. An verò vltra decimum possit recusari, relinquitur arbitrio Iudicis secundum Menoch. de arb. lib. 2. casu 156. n. 7. imò idem dicendum etiam infra decimum gradum probabiliter docent Bal. in eodem cap. postremo nu. 1. & cum alijs Farinac. vbi supra nu. 833.

43 Qui num. sequentibus ex omnium fere mente rectè addit posse recusari iudicem ob affinitatem cum parte impetrante similiter ob consanguinitatem ortam ex damnato coitu, ac etiam ob spiritualem cognationem. Nam magis deuinctus censetur Cognatus spiritualis, quam affinis; & compater quoad reuerentiam, æquiparatur patri carnali, quod multis ostendit Prępos. Mediol. in d. c. postremo n. 11.

44 Altera causa grauior recusandi Iudicem etiam ordinarium, est inimicitia; patet ex tex. in cap. quia suspecti 2. quæst. 5. quod intelligitur de inimicitia etiam non capitali; Qualis verò, & quanta debeat est, relinqui-

45 tur arbitrio Iudicis. Habet tamen locum, vndecunque inimicitia prouenerit, tametsi ex culpa recusantis; atque sufficit, si sit præsumpta; dummodo talis inimicitiæ causa adsit & hęc in recusatione allegetur, & ostendatur nec erit sufficiens allegatio causę inimicitiæ in genere. Ita Farin. à n. 862. partim cum allegato Pręposi. Mediol. in inquisitis in Materia fidei. Eimericus parte de recusat. Inquisitoris n. 120. duas assignat; aut quia reus non seruato Iuris ord. aggrauatus, aut quia cum eo inimicitiam habet. Et quoad primam in-

46 dicat magis ipse Farinac. vnde prouenire potuerit fuisse ab Inquisitore reum aggrauatum scilicet, vel quod huic defensiones iuris petenti ille non concesserit, vel quod eidem Aduocatum negauerit, vel ex alio simili. Ve-

47 rum Commentator dicti Eimerici Franciscus Penna loco citato, comm. 30. Vers. Postremo videndum optimè, ait, causam hanc inexplicatam potius spectare ad titulum de appellatione, quam ad hunc de recusatione, inter quas reperitur non leue discrimen; vt ex vtriusque deffinitione ostendit Hostiensis in Summ. in titulis etiam vtriusque.

48 Superest itaque altera causa recusationis circa quam concordant Doctores, quòd ex ea sola, nempè inimicitia, & ex nulla alia possit Inquisitor, aut Episcopus in negotijs Fidei recusari. Ita Simancas Cathol. Instit. tit. 11. n. 51. Zabbarella in Clement. 1. de hæret. Angelus in Summa verb. Inquisitio, §. 1. Penna vbi supra vers. Veruntamen in hoc Tribunali, & Sousa

49 lib. 2. Aphorism. cap. 34. num. 5. Qui duo vltimi bene explicant partim limitando, partim addendo, quod nõ quæuis inimicitia sit causa sufficiens recusandi Iudicem in negotio Fidei, seu Inquisitorem, sed sola capitalis, vel saltem grauis, vt si Inquisitor conspirauit in reum, aut si extat inter eos grauis æmulatio, vnde talis inimicitia facilè oritur, aut ex alio simili, quod etiam est secundùm mentem Abbatis in cap. Accedens, l. 2. num. 3. & Feli. ibi extra, vt lite non contest. Ioan. And. in additionibus tit. de Iudice delegato, §. superest, vers. item si est inimicus, & aliorum. Causas

50 plures, seu motiuas capitales inimicitiæ alibi explicabimus cum dicto Penna, qui hãc reddit rationem, cur recusetur Inquisitor ob inimicitiam, quia hoc, inquit, tutius est, ac magis quoque remouet omnem iniquitatis suspicionem ab hoc Sacro Tribunali.

51 Quoad circumstantiam autem temporis in quo recusatio Iudicis, aut Inquisitoris, vt valeat opponenda, vti per residuum nostræ Regulæ exprimitur, diuersa sunt circa eam ex iure certo, & communia inter Scriptores proponenda à nobis vt talia; ac pauca, quæ du-

52 bia, vt dubia. Primo certum est, quòd Iudicis, & Inquisitoris recusatio ex vi vtriusque Iuris debeat apponi ante litem contestatam, seu ante omnem alium actum Iuridicum, siue à Iudice, siue ab ipso recusante elicitum. Nam si hic accedens, & aduertens causam sufficientem recusationis, antequam recuset, faciet aliquem alium actum circa Iudicem, iam in eius Iurisdictionem consentire censetur, nec amplius est locus ipsum recusandi. Patet ex tex. cap. Insinuante, de offic. deleg. & ibi communiter Canonistæ, præsertim Hostiens. nu. 5. & ex tex. claro in l. apertissime, cap. de Indicijs, vbi dicitur post litem contestatam, neque appellari posse ante deffinitiuam sententiam, iam statuerimus, neque recusari posse etiam, ac ibi Glossa, alijq; Iuris Interpretes,

quos

quos copiosè citat, & sequitur Farin. à n.897.

53 Est tamen dubium, si Iudicis recusatio opponatur simul cum alijs exceptionibus, & in ordine Scripturæ præsentatæ, non recusetur Iudex primo loco, an censeatur recusans in Iudicis Iurisdictionem consentire, ex quo recusatio non fuit prima in ordine Scripturæ. Respondet merito neganter idẽ Farin. n.899. cum Ioan. Francisco de Oriano in repet. capitis. Quoniam contra rubr. de recusat. n.105. extra de probatione, cum Sigismundo Seac. de Iud. causis Ciuilibus, Criminalibus, caus. 101. num.9. & cum alijs. Ratio est, quia non apparet vllo modo qualiter ex eo, quòd exceptio recusationis sit simul opposita cũ alijs exceptionibus inducat consensum in iurisdictionem; ergo sortietur illa suum effectum; dummodo opponatur non solùm ante litem contestatam, sed etiam antequam fuerint litteræ præsentatæ de Instituto Iudice secũdùm Præposit. Mediol. in cap. cum speciali, num. 1. de appellat. & secundum Farinaccium n.900. cum alijs.

54 Certum secundò est, posse opponi recusationem Iudicis, aut Inquisitoris post litem contestatam, casu quò causa recusationis de nouo emergit. Textus est expressus in cap. Insinuante, de offic. deleg. & ibi Glos. in verb. postmodum, adductis iuribus cõcordantibus. Hostiens. num.5. Abb. num.8. & præter multos alios, quos citat Farinac. vbi supra n.906.

55 Qui benè num. 914. addit cum Sigismundo Scaccia in tract. de appellat. quæst. 11. nu.52. hoc habere locum etiam quando ex culpa recusantis post litem contestatam causa recusandi de nouo emersit, quidquid in contrarium dicat Marant. in spec. p.6. memb. 9. fal-

56 lent. 1. Exemplificat ipse Farinac. num. 879. in causa inimicitiæ. Vnde Inquisitor secundum hanc doctrinam, quam amplector, poterit recusari ab Inquisito in materia Fidei, etiam si ex culpa huius post litem contestatã grauis inimicitia inter ipsos excitata fuerit.

57 Sed quid de causa antiqua de nouo post litem contestatam ad notitiam partis prouenìente, potest nè ob eam tunc Iudex, seu Inquisitor recusari? Dubitant circa hoc Doctores, & pars affirmans videtur amplectenda, eo quòd non stetit per volentem recusare, quin priùs ipsum recusauerit, atque in hanc inclinant, & meritò perplures ex eis, præcipuè Alberic. in l. apertissimè, num.4 cap. de Iudic. & ibi Paulus de Castro nũ.2. Iaso n.12. Couar. pract. quæst. cap.26. num.2. vers. Quod si causa recusationis, Iacob. Laurent. de Iudice suspect. cap.14 num.17. & Farinac. ibid.

58 num.907. & 908. Vbi cum duabus vltimo loco citatis, & cum alijs limitans, ait ita esse affirmandum; nisi ostendatur, quod negligens in perquirendo ante litis contestationem hãc causam recusandi, quam quis dicit de nouo sibi fuisse notam, & sufficientem.

59 Tertiò certius est, quod recusari possit Iudex ex suspicione de nouo emergente, aut de nouo ad partis notitiam perueniente non solum post litem contestatam, sed etiam post

Conclusionem in causa. Ita deduci videtur ex dicto cap. Insinuante, de officio delegati, loquitur enim textus de opponenda recusatione, ante sententiam deffinitiuam, & docent Marant. de ord. Iudic. par.6. n.74. de appellat. Couarr. practicat. quæst. cap. 76. Pacian. de probat. lib.2. cap.45. Fernolius in cap. cum speciali nu.27. sic & post Conclusum in causa. Duo vltimi maxime id tenent, quando causa suspicionis, ac recusationis est notoria, & cum alijs ab ipso relatis num.910. Farinac. vbi supra, & num.912. cum Gemin in cap. Iud. n.14. de offic. deleg. in 6. affirmat sic esse tuendum,

60 saltem quando sententia quoad pœnam est arbitraria Iudici, quia hic tunc potest lædere arbitrando in plus, & minus, secùs si sententia non sit arbitraria, & pœna sit iure statuta; ergo cùm non sit tunc periculum lædendi, haud debet Iudex post conclusum in causa recusari, atque hæc limitatio rationabilis mi-

61 hi placet valde. Quamquam ex mente eiusdem Farinacij num. 905. cum Couar. citato num.4. & cum alijs respectu minoris Ecclesię, & Reip. semper est locus in integrum restitutionis ad effectum allegãdi Iudicem suspectũ.

62 Tandem nequaquam recusari potest Iudex, vel Inquisitor post traditam sententiæ schedulam Notario ad effectum illam publicandi, aut post terminum ad sententiam pro seruato habitum, secundùm consuetudinem Gallorũ, quam approbat Couarrus pract. quæst. cap.25. num.3. vers. Cęterum illud quæritur, cum Lancell. de attent. cap.46. & num.49. Iacobus Laurentius de Iudic. suspecto cap. 14. nu.55. & cum alijs, tunc iam non esse locum recusationis, bene defendit Farinaccius loco citato num.902.

Qualiter recusatio impediri potest, & quomodo procedendum Iudici, aut Inquisitori, casu quo admittenda? vel secùs?

REGVLA CCIII.

63 PRæter insufficientiam causæ recusandi per se notæ, de qua iam dictum, potest impediri, vt plurimum recusatio per clausulam, remota omnis recusatione, appositam in Scriptura qua quis Iudex, vel Inquisitor à

64 Papa, aut à Principe constituitur. Impeditur etiam recusatio per consensum partium vltro eligentium Iudicem, Atque in criminalibus per notoreitatem delicti commissi &c. Quan-

65 do verò est locus recusandi, arbitri eligendi sunt, vnus à parte, & alter à Iudice recusabili, qui expendant recusationis causã, & hac legitima reperta, vel eligitur nouus Iudex, vel da-

66 tur ad iunctus recusato. In negotijs tamen fidei si Inquisitor recusetur, causa recusationis ad Senatũ supremum remittitur. Interim Iudex, aut Inquisitor à procedendo vlterius abstineat; alioquin processus, & gesta per ipsum regulariter, nullius valoris habentur.

67 NVlla dubitatio, quoad præcipuum caput impediendo recusationem sumatur ex inualiditate, & insufficientia causæ recusandi per se manifesta, & notoria. Sicut enim quando causa suspicionis, & recusationis est de iure sufficiens, & rationabilis, ac in facto notoria, debet Iudex recusatus absque alio, statim ab executione suæ Iurisdictionis abstinere, & in cognitione litis non vltra progredi, nec tunc allegata causam est probanda.

68 Ita è contra vbi causa recusandi notoriè apparet, quòd sit insufficiens, friuola, aut frustratoria, potest ipse Iudex vel Inquisitor, ea non obstante, sine electione arbitrorum, ad vlteriora procedere. Patet manifeste vtrumque ex textibus in cap. cum olim, de Causa possess. & propriet. & in cap. accedens, vt lite non contestata, per quæ iura, ita docent Ioannes Andreas in cap. de special. nu. 3. in cap. de appellat. cum speciali, n. 3. de appellatione, & ibi Imola n. 7. vers. Sed Respondeo Abb. n. 1. Præpos. Mediolan. n. 8. Alexand. de Neuo n. 44. & cum alijs cum ipso adductis. Farinac. 2. parte Fragment. nu. 806. Qui nu. 87.

69 cum dicto Alexandro de Neuo, bene addit, quando Iudex recusationem suam repellit ex causa iusta & notoria, quod hanc debeat ipse exprimere recusanti, si forte ei non innotescit vt à recusatione desistat.

70 Secundum caput impediendi recusationem per clausulam, *remota omni recusatione*, in Scriptura, qua quis à Papa, vel à Principe, aut ab alio Iudex delegatus ad causam vel causas aliquas constituitur; controuersum est aliquantulum inter Doctores, ex quibus aliqui absolutè negant posse sic impediri recusationem, quæ respectu Iudicis est parti defensio, iuxta cap. cum inter de recusatione, & cap. Quia suspecti 3. quæst. 5. estque de iure naturali, ergo à Principe per talem clausulam solum absque causa impediri non potest. Vt volunt Abbas in cap. ad hæc, extra de rescriptione, Geminiam in cap. Iudex de off. delegati in 6. cum Glos. quam allegat in cap. si quis in quacunque 2. quæst. 6. & Barbat. in tractat. de Cardin. à latere legato quæst. 4. affirmans ibi cum nimia ampliatione, nec Cardinali à latere legato, vt de plenitudine potestatis posse à Papa causam committi cum clausula recusatione remota.

71 Nihilominus sententia affirmans est verior, & communiter recepta, quæ ostenditur efficaciter sic à maioritate rationis, quia potest Papa, aut Princeps delegare causam, seu cōstituere aliquem Iudicem cum illa clausula, *appellatione remota*, vt patet ex frequenti vsu sic delegandi, & constituendi; ergo multò magis poterit delegare cum ista, *recusatione remota*. Nam minus grauat partem remouendi recusationem, quam remouendo appellationem; cum per remotionem illius non censeatur sublatum appellationis remedium. Ita Glos. in l. apertissimè, in verbo, recusare C. de iudicijs Hostiensis, & Ioannes Andreas in cap. cum inter, extra de exceptionibus, & ibi Alexander de Neuo. nu. 21. Franc. in cap. Iudex ab Apostolica n. 1. de offic. deleg. Conzad. rub. de exceptione n. 7. in 3. ampliat, & post alios quos allegat Farinac. vbi supra nu. 954. Qui

72 optime ex Iure notat num. 956. cum pluribus Auctoribus, quod è contra per clausulam, *remota appellatione*, non intelligatur recusatio sublata, constat ex clare tex. in cap. postremo, extra de appell. & ex textu in l. fin. C. de senten. & interl. omn. iudic. Neque vllus est qui contradicat, &c.

73 Consulto addidi in regula particulam, *vt plurimum*, ad limitandum. Primo quia nunquam præsumitur Princeps Iudici suspecto ex certa scientia causam committere. tex. est in cap. cum inter, de receptione, atque tametsi in certa scientia, ac etiam motu proprio Princeps Iudici suspecto causam committat, validaque fit talis commissio iuxta cap. Postremo, de appell. non inde tollitur exceptio recusationis, si eam pars opponere voluerit, vt docet bene Glos. in c. ad hęc verb. suspectus, de rescriptione; Innoc. in cap. ex transmissa, de

74 foro competenti, & alij. Imo iudicis suspecto Princeps inferior habens superiorem, nequit committere causam cum clausula, *recusatione remota*, sicut nequit cum alia, *appellatione remota*, ex l. 1. in fine, ff. à quibus appellare ne liceat, quia par est ratio vtriusque ex cap. super eo, in 3. de appell. & tradunt præcipuè Franch. in dict. cap. postremo, nu. 1. & ante eum ibi Ioannes Andreas nu. 1. Princeps ta-

75 men supremus, vt Papa, aut Imperator potest absque dubio taliter iudici suspecto committere, maxime si id faciat de plenitudine potestatis, Ita Franch. citatus, nu. 5. Ias. in l. apertissimi, num. 25. cap. de Iudic. & Iacob. Laurent. in tract. de Iudic. susp. cap. 2. Quo

76 cum Farinac. ibidem num. 966. id competere dicto Principi supremo, siue vtatur plenitudine potestatis, siue non, merito affirmat.

77 Quamquam limitando, ipse Farinac. cum alleg. Iacob. Laur. cum Felin. in cap. cum inter n. 8. de exceptione, & cum alijs optime addit, quod Princeps quoties Iudici suspecto causam committit, cum clausula, *recusatione remota*, vt hæc opponi nequeat, motiuum, seu causam suspicionis in specie exprimere.

78 Quod intelligi debet ex mente eiusdem Farinac. 969. & Franc. in cap. Iudex. nu. 1. de offic. deleg. in 6. de causis suspicionis in iure determinatis, quia quęuis earum in facto, seu in casu particulari potest esse non vera, aut dubia, & ad Principem spectat, iuris dubia declarare, ac proinde per dictam Clausulam recusationis ex ceptionē potest ipse repellere maxime si assignat rationem, cur tali Iudici committat, nempe ob eius peritiam, fidelitatem &c. vel si ad committendum sic ob aliam

79 iustam causam moueatur. Secus si absque iusta causa, vt cum Alex. de Neuo docet idem Farinac. n. 970.

80 Sed quid si Princeps generaliter remoueat assignationem assignando Iudicem suspectum absque expressione causę suspicionis in speciem? Tunc posse recusationem opponi, probabiliter defendunt Franch. in cap. postremo num. 5.

num.5. de appellationibus Iacob. Laurent. in tract. de Iudice suspect. cap.2.n.19. & cum alijs

81 Farinac nu. 967. Atque ijdem Auctores eadem probabilitate volunt, quoties quicunque Princeps sit, generaliter sine vlla specificatione committit Iudici causam aliquã cum clausula, remota reuocatione, debere intelligi de recusatione ob friuolam suspicionem.

82 Imo addit citatus Iacobus Laur. id habere locum, etiamsi Papa vel alius Princeps vtatur verbis vniuersalibus dicendo, omni, & quacunque recusatione, (Idem dicito de appellatione, cum ęquiparentur, vt dictum) remota prorsus, quod non improbat ipse Farinaccius.

83 Tertium caput impediendi recusationem facile est, & ab omnibus admittitur, nimirum si de consensu partium fuerit datus Iudex, tũc hic recusari non potest. Ita docent Pacian. de probatione lib.2.cap.45.nu.84. Ias. in lib.apertissime, num.2. vers.secundo limita cap.de Iudic.Gard.Tusch.practic.Conclus.verb.suspicio, conclus.607.nu.47. Iacobus Laur.de Iudic.suspect.cap.5.nu.23.& cum alijs ab ipso adductis

84 Farinac.2.parte fragment.nu.695. Qui nu. sequenti cum eisdem Tusc.& Iacob.Laurent.merito prædictam doctrinam non admittit, casu quo noua causa recusandi superuenerit, vel nouiter detecta fuerit: quia tunc ob eam recusa-

85 ri iudex dictus potest. Verum si post quam noua causa recusandi emersit, aut nouiter ad notitiam partium peruenit, ipsę partes in iurisdictionẽ iudicis quoquomodo denuo cõsentiunt, per talem consensum omnino recusatio eius impeditur, Textus est clarus in capite insinuante, de offic. deleg.traduntque ibi glos. in verb. consenserit. Hostiens.n.6.& post multos quos citat Farinaccius nu.679.

86 Quartum caput impediendi recusationem ad causas criminales spectat, in quibus non potest recusari iudex, quantumuis suspectus, si crimina sint prorsus notoria, & pœnę pro eis infligendæ in iure determinatę contineantur, inde efficaciter ostenditur, quia vel reus fatetur crimen notorium, & ideò non potest euadere pœnam à iure statutam; vel illud negat, & cum per ipsius notoreitatem, ac euidentiam conuincatur eadem pœna multari debet: ergo tunc nulla vrget ratio, ob quam iu-

87 dex recusetur. Secus autem erit, si pœna infligenda pro delicto notorio non exprimatur in iure, sed sit arbitrium iudici. Nam in hoc casu potest timeri, ne reus quoad pœnam nimis grauetur à iudice suspecto ob aliquam ex causis præcedentibus in Regula explicatis, ergo tunc notoreitas, seu euidentia delicti non impedit recusationem. Vtrumque egregie docet Imol.in cap. cum speciali nu. 16. de appellatione, & ibi Franc. n.14.Tonell.de attent. c.6. n.27. Iacob.Laurent. de Iudic.suspect.c.x1. nu.38 & pręcip.Farinac. ibidem nu. 701. concordans duas multorum sententias; quæ videntur contrarię, & non sunt.

88 Sequitur agendum de modo procedendi, quando est locus recusandi iudicem, maxime si vnus sit solus; vbi enim sunt plures simul delegati ad aliquam causam iudicandam cum clausula, *quod si ambo*, vel *quod si omnes* ex eis vnus tantum suspectus sit, hic potest recusari iuxta cap. causam, quæ de offic. deleg. atque coram istis tunc, & non coram arbitris electis discutienda est causa suspicionis, recusandique illum vt patet ex claro text.in cap.si cõtra vnum, de offic.deleg.in 6. Quod si ea iusta, et sufficiens reperta, ad huc vna cum recusato procedant in causa, processus erit nullus propter admixtionem inhabilis: secus si absque

89 eo, cap.cum super & cap. si contra vnum, de offic.deleg. Traduntque hęc omnia vt certa de iure Franch. in cap. cum speciali nu.2.ac 27. de appellatione, & cum alijs Farinaccius ibidem nu. 772.& 773.

90 Quando vero pluribus iudicibus delegatur causa cum clausula, *& eorum cuilibet in solidũ* tunc vnicuique competit iurisdictio, nec requiritur, vt simul omnes de causa cognoscant, & vno allegato suspecto, & sic impedito a cognitionem causę, alijs, aut alteri, si duo sint tantum, decisio talis causę competit; non tamen discutio, an recusatio alterius socij sit iusta, ac legitima; sed eligendi sunt modo explicando arbitri, qui id discutiant. ita Couar pract.quæst. cap.26.num 5. vers. quęritur tandem,& cum eo,& alijs Farinac.ibidem nu.775.

91 Addens statim ex mente Lancell. de attent. cap.6.num.22.Iacob. Laur in tract. de Iudic. suspect cap 4. num.36. & aliorum casu quo ex duobus iudicibus cum dicta clausula,& eorum cuilibet delegatis, alter non suspectus, nec recusatus, vna cum altero legitime recusato in causa procedat, fore validum processum, quia potest contingere, vt non recusatus alterius recusationem ignoret, & alioquin ex vi dictæ Clausulæ habet iurisdictionem.

92 Verùm si simpliciter absque prędictis Clausulis causa pluribus simul delegetur, vno suspecto, & recusato, reliqui suspecti, & recusati censentur, tam isti, quam illi impediuntur procedere; Nam deficiente vno, cessat omnium iurisdictio, quæ non fuit eis in solidum data cap. vno delegatorum, de offic. delegat. & tradunt Glos. in cap. Prudentiam, Eodem titulo, Abb. in cap. cum inter num.3. de exception. ibi Alexander de Neuo nu.5.& cum

93 alijs Farinaccius num.773. Tunc autem certissimum est ex textu in cap. si contra vnum, de offic. deleg. quod sint eligendi arbitri ad cognoscendum de causa suspicionis, & recusationis illorum, an sit sufficiens, & legitima, & quod non possint ipsi recusati id facere, vt bene notauit idem Farinac. 774.

94 Quando vero vnus est tantum iudex siue ordinarius siue delegatus à Papa, & stante causa suspicionis, & recusationis illorum pars vult ipsum recusare, eligendi sunt arbitri, qui de tali causa cognoscant. Secus si delegatus recusetur ab Ordinario; Nam tunc omissis arbitris, ipse Ordinarius de ea cognoscit. Patet ex text. claro & manifesto in cap.si contra vnũ de offic. deleg. in 6. & ibi Glos. cum omnibus Canonistis, de hac re agentibus, quibus citatis adhæret Farinac. in dict.2.parte frag. numer.494.

96 Electio autem arbitrum, vbi eligendi ſunt fieri de communi conſenſu, debet à quouis recuſante, & ab eius ordinario, ſi hunc habeat, vel à iudice recuſato procedente ex officio contra non habentem aduerſarium; quod ſi de arbitris concordare nequeāt, vnus quiſque ſuum arbitrum eligat, qui de cauſa recuſationis cognoſcant, etſi iſti diſcordes inter ſe ſint; 97 Eligant tertium, vt quidquid ex tribus duo iudicauerint, firmitatem habeat circa articulum recuſationis deciſam, traduntur hęc omnia in capite cum ſpeciali, extra de appellatione & ibi Gloſ. in figuratione caſus. Bald. num. 1. Imol. num. 2. Hoſtienſis in omnem, rubric. de recuſatione iudicis, vbi habetur expreſsè quod iudice recuſato, cogendę ſint partes ad eligendum arbitros, vt cum Gloſ. ibi pluribus citatis affert Farinaccius ibidem num. 915. & 916. Qui numer. ſequenti iuxta textum in dicto capite cum ſpeciali de appellatione benè notat cauſam ſuſpicionis, & recuſationis eſſe proponendam veram coram iudice ſuſpecto recuſabili; probandam vero coram arbitris electis eſtque de mēte omniū cum Gloſ. ibi verb. iuſtæ ſuſpicionis.

[illegible] Arbitri item electi ſolum ſunt iudices circa articulum ſuſpicionis, & recuſationis; non vero circa cauſam principalem ſiue ciuilem, ſiue criminalem; atque ad diſcutionem illius, iudice recuſabili aſſignatur eis terminus competens, infra quem negotium recuſationis finire debent, ſicut etiam ab ipſis præfigitur terminus recuſatori ad probandam cauſam ſuſpicionis. 100 In quo, ſi non probetur, iudex ad vlteriora procedit. Et tamen probata, & admiſſa recuſatione iudicis hic de conſenſu accuſātis negatum principali perſonæ idoneæ delegetur, aut ſubdelegatur, ſi ſit delegatus, & licentiam habeat ſubdelegandi, vel ad ſuperiorem remittat. Patent hæc ex dictis c. cum ſpeciali extra. de appellatione. Conducit etiā ad eadem ex parte oſtendenda textus in cap. ſuſpicionis, de offic. delegat. & vtrobique adnotarunt Gloſ. & multi canoniſtæ, quos ob breuitatem citare omitto. Vide Farin. vbi ſupra num. 290. & 291.

101 Dixi admiſſa recuſatione, quia poteſt iudex eam non admittere, & à ſententia arbitrum ad ſuperiorem appellare. Textus eſt clarus, & manifeſtus in cap. ad arbitris vbi gloſſ. & omnes, de officio delegati nu. 6. oſtenditurque ex capite ſuſpicionis cauſa, in verb. ad quæ omnia, de offic. delegati. Tradunt etiam Albertus in leg. Apertiſſimi num. 3. verſ. etiam & ab ipſis arbitris, cap. de iudice, & Pacia, de probat. lib. 2. cap. 45 n. 25. Pari modo ſe Recuſator per ſententiam arbitrum ſi grauatum ſentiat, ab ea interponere valet appellationem, vt per ſe patet; Ante electionem tamen & ſententiam arbitrum, non poteſt ſimul vtroque remedio vti recuſationis, & appellationis, quia appellatio non datur, niſi à graua- 103 mine. Ac proinde niſi iudex recuſatus recuſationem reijciat, appellari non poteſt ex hoc ſolum, quod ſit ſuſpectus. Ita cum Innoc. in cap. cum ſpeciali num. 1. de appellationibus Hoſtien. in verb. recuſationis. Imol. num. 16. verſ. an autem à iudice, Ioan. Andrea num. 3. & cum alijs ab ipſo relatis. Farinac. loco cit. num. 923.

104 Reſolutionē autem à nobis ex iure traditam circa eligendos arbitros, & expectandam eorum ſententiā in caſu recuſationis &c. Heymericus 3. p. Direct. tit. de recuſatione Inquiſitoris, nu. 120. quando applicat noſtris Inquiſitoribus, quando quiuis eorum recuſatur ab inquiſito ob cauſam legitimam, & idem videtur ſentire Vmber. Locat. in opere iudiciali verb. recuſatio, quod ſint eligendi arbitri in 105 tali caſu. Verum iſtorum reiecta ſententia, merito defendunt Peña ſuper Heymerij commen. 30. verſ. ſi ob ſecundam cauſam, & Souſa lib. 2. Aphor. cap. 34. num. 7. Cauſam ſuſpicionis, & recuſandi inquiſitorem non ab arbitris, ſed à Supremo Senatu Sanctę Inquiſitionis, ſeu à Sacra Congregatione Vrbis eſſe diſcutiendam, ſicque apparet ordinatum per inſtructionem Madrilianam 1561. cap. 52. ibi, vt refert idem Penna verſ. atque hęc ſententia, ſi aliquis, inquit, ex Inquiſitoribus ab aliquo reo fuerit recuſatus, ſi Inquiſitor habuerit collegam, qui fuerit præſens, debet tunc à cognitione illius cauſæ abſtinere, & certiorem facere Senatum, & interim collega 106 ſuus procedat. Quod ſi collegam non habuerit, ſimiliter faciat Senatum certiorem, & interim non procedat in ea cauſa, donec viſis, & examinatis cauſis ſuſpicionis, Senatus decernat, quod fieri debeat; atque hoc ipſum fiet, cum omnes Inquiſitores fuerint recuſati. Hactenus verba illius inſtructionis, quibus nihil clarius ad præſens inſtitutum.

107 Bis diſponatur in propoſita clauſula ex prędicta inſtructione, quod Inquiſitor recuſatus interim debeat non procedere ad vlteriora, quouſque an recuſatio admittenda ſit reſoluatur, atque hoc vt iam ſupradictum, commune eſt omnibus iudicibus recuſatis, & inſurgit ſtrictiſſima obligatio ſub mortali tunc non procedendi. Sed quid ſi nihilominus procedat, erit nè proceſſus validus abſque interpoſita appellatione? Id tantum ſupereſt diſcutiendum in hac regula, & in toto hoc capite circa 108 materiam recuſationis. Primo magis certum habetur ipſo iure fore inualidum proceſſum ob defectum, ſeu ſuſpenſionem iuriſdictionis, ſi procedat iudex poſtquam iam probata eſt, & reperta legitima cauſa recuſationis, vel ſaltem poſt electionem arbitrum, aut poſt remiſſum negotium ad ſuperiorem cap. quoties 2. quæſtion. 6. & intelligitur etiamſi non fuerit appellatum per partem recuſantem. Secus, caſu quo res adhuc eſt integra, & cauſa ſuſpicionis non probata, nec electi ſunt arbitri. ita Bald. in cap. cum ſpeciali, num. 14. de appellatione, & ibi Præpoſt. Mediolan. num. 40. Gemin. in cap. Iudex, poſt numero 12. de offic. delegat. Arg. in leg. apertiſſime, n. x. c. de iudic. & alij quos refert, & ſequitur Farinaccius dict. 2. parte frag. num. 944.

110 Quanquam limitando bene docet ipſe Farinaccius num. 940. quod dependeat à futuro

euentu

euentu, nempe si Iudex declarabitur suspectus, processus erit nullus. Validus vero, si nequaquam fuerit inuenta suspicio contra cum, & hæc doctrina de mente Alexandri de Neuo in cap. cum speciali num. 49. de appellatione. Lap. in capit. Iudex de offic.

111 deleg. in 6. & aliorum. Ad quam supponitur, quod causa suspicionis, aut recusationis sit dubia, vel occulta; si enim sit clara, & per se notorie iusta; statim absque appellatione processus ipso Iure est nullus. Tradunt vt commune, & certum cum Bald. in dicto capite cum speciali, numer. 14. & Franch. ibi num. 47. post Lap. Alexand. de Neuo num. 46. vers. I. est, & Farinaccius ibidem num. 941.

112 Non est processus ipso Iure nullus, sed requiritur appellatio, quando recusans coram Iudice iam prius recusato, comparuit post recusationem. Secus, si non compareat, vel si comparendo coram eo, statim protestatus fuerit, quod non intendat per talem comparitionem recusationi renuntiare, docent vtrumque vt certum Franch. in capit. Iudex num. 7. de offic. deleg. in 6. & capite cum speciali num. 47. de appellatione. Loncell. de attent. cap. 6. num. 28. & 29. Iacobus Laurent. de Iudice suspect. cap. 14. numer. 42. & cum alijs multis ab ipso citatis. Farinacc. vbi supra num. 942. & capit. 3. & 943. efficaciter inde ostenditur, quia sic comparendo coram Iudice recusari censetur recusans eius iurisdictioni renuntiata prius facta recusatione, sed de nouo subijcere, at per protestationem dictam, omnino hanc nouam subiectionem repellit ergo vtrumque est verum.

113 Prædicta circa eundem nullitate[illegible] cessus ipso Iure absque vlla appella[illegible] Iudice recusato facti esse vera de[illegible] nico, non autem de Iure Ciuili[illegible] in capite cum speciali num. 19.[illegible] pellat. Præposit. Mediolan. num.[illegible] & alij præcipue decis. num. 33. qui ta[illegible] dicit

114 esse probabile. Ver[illegible] multo probabilius indicant ita etiam se [illegible]bere Lancellot. in tract. de attenta[illegible] num. . . & cum alijs Farina[illegible] num. 948.

115 Sicut [illegible], quod supra omissum, [illegible]ingo, non desunt, qui probab[illegible] Iudicem delegatum ad Vniue[illegible] Causarum posse de Iure Ciuili in [illegible] recusari, ita videntur sentire Iason [illegible]ertissimi num. 3. vers. 3. limimit[illegible] de Iudicijs. Pacian. de pro[illegible] bro [illegible] 45. num. 2. & alij cita[illegible] Far[illegible]777. & 738. contrari[illegible] tame[illegible] commune & receptum [illegible]cet ip[illegible] ibidem num. 739 [illegible] Maran[illegible] iudiciorum part. 4. [illegible] 5. num. [illegible]lianus Mandos. in [illegible] commissio[illegible]rmul. verb. adiunctu[illegible] Iacob. Lau[illegible] Iudic. suspect. capit. [illegible] num. 24. & cu[illegible]lijs affirmantibus, quod Iudex delegatus ad Vniuersitatem causarum æquiparetur quoad h[illegible] Iudici ordinario, neutrum scilicet posse in tot[illegible] recusari, sed vtrique esse dandum adiunctum: de Iud. ordinario constat ex tex. ad Authen. si vero contigerit, C. de iudicijs, & tradit vt certum idem Farinac. num. 736. de mente omnium. Atque hactenus de materia recusationis tum in communi pro quibuscunque iucibus; tum in particulari pro DD. Inquisitoribus.

CAPVT SECVNDVM.

De constitutis, seu examinibus reorum, maxime contra fidem Catholicam delinquentium; de Modis item, quibus isti errores suos obtegere curant, & de cautelis, & alijs obseruandis ab Inquisitore, dum ipsos examinant, maxime pro inuestigatione illorum.

PROOEMIOLVM.

1 POST declaratam inualidam Iudicis, aut Inquisitoris recusationem, vel stante validitate eius post noui Iudicis, aut alicuius adiuncti electionem; siue nouus, siue vetus Iudex solus, aut cum adiuncto ad reum carceratum constituendum, & examinandum statim procedit. Prop-

2 tera nos etiam post traditam capite præcedenti materiam recusationis; ad expositionem doctrinę, secundum quam Iudex, vel Inquisitor de constitutis, & examinibus cuiusuis delinquentis decernit,

3 attento executionis ordine. Consequenter hoc capite procedere debemus. Pauca ad modum in particulari, quod inuenire potuerim. Tradunt doctores, tametsi perplures euoluerim de examine reorum pro alijs tribunalibus, ne dum pro nostro Sanctæ Inquisitionis, contenti forte ijs, quæ de examine testium ab eis copiose expenduntur, & à nobis iam alibi pro nostro instituto ex mente ip-

4 sorum doctorum sufficienter indicata fuere. Vnde hic perpensis in titulo proposito contentis cum Heymerico tertia parte direct. & num. 74. Penna ibi, & cum alijs breui nos expediemus.

[illegible] Inquisitus in Sancto Officio constituen- [illegible] qualiter, ac de quibus ab Inquisitore [illegible] interrogandus, aut monendus?

[illegible] V L A C C I V.

[illegible] PRo [illegible] gradus, seu dispositionis [illegible] in [illegible] fidei, multiplicandus [illegible] numerus consti[illegible] um eius vel etiam minuendus [illegible] lo vnum sufficiat, nempe si statim [illegible] mnibus circumstantijs tam qu[illegible] od complicis sponte, aut de p[illegible] Præmissis autem in primo Constitu[illegible] ibus interrogatorijs circa patriæ, [illegible] profesionem, aliorumque circumstantijs [illegible] euitandam omnino suggestionem [illegible] interrogatus ab Inquisitore [illegible] ne-[illegible] & gradatim deueniatur [illegible] de [illegible] ibus indiciatus; & integ[illegible] de [illegible] licibus. Quod si pertin[illegible] a, [illegible] s benigne monendus [illegible] itutis [illegible] manifestanda veritate, m[illegible] ad er- [illegible] m mentis.

PRænotandum hic obi[illegible] quod ex dicendis clare parebit, n[illegible] multiplices esse gradus, seu dispo[illegible] reorum Sanctæ Inquisitionis. Nam [illegible] er sponte comparentes, de quibus iam di[illegible] um satis in vltimo capite libri 2, dantur rei sponre confessi, qui licet præuenti legitimis indicijs, accedunt non vocati, ad Inquisitorem, & integre delictum confitentur, indicando etiam mentis errorem

7 Item rei de plano confessi, qui è contra vocati comparent in Sancto Officio, sed statim, sicut illi, crimen externum, & internum complete manifestant.

8 Deinde rei in confitendo renitentes, qui si ex parte tantum admittant delictum, de quo inquiruntur, dicuntur diminuti, si vero nullatenus admittant, vocantur negatiui: sunt etiam rei pertinaces, & relapsi de quibus infra suo loco.

9 Hoc ita prænotato, quod priores siue sponte siue de plano confessos, certum est, quod sufficiat vnum tantum constitutum pro eorum examine, antequam à Fiscali denuncientur. Ratio est quia in rite confessum, non manet aliud iudicis officium quam condemnandi; iuxta illud Luc. 19. ex ore tuo te iudico, & illud, confessus pro iudicato est l. 1. & 3. ff. de confessis traduntque Farinac. quæst. 50. nu. 29. Delrius disquis. Magic. lib. 5. sect. 11. & alij, ergo vnico constituto sufficienter examinatur, & ad condemnationem disponitur.

10 Si vero reus Sancti Officij fuerit renitens in non manifestanda, vel in tacenda veritate in totum, vel ex parte, quoties constituendus, examinandus, & admonendus, ad eam totaliter fatendam, ante promotoris fiscalis accusationem. Non posse assignari verum numerum constitutorum examinum, monitionum, sed esse multiplicandum, vel minuendum pro qualitate cuiusque delinquentis contra fidem, attentis indicijs magis, vel minus grauibus, aut de nouo emergentibus ex praxi diuturna nostri Tribunalis Melitensis, vt certum deduco, cum vix quidquam circa hoc apud Scriptores

11 resolutum inueniam. Apud Ioann. Rojam singul. 94. num. 3. absque determinatione Numeri solum reperit, quòd reus iuxta tenorem, accusationis, & depositionis testium, pluries

12 sit examinandus. Quamquam Simancas de Cathol. Instit. tit. 44. numer. 20. esse faciendas tres monitiones reo indicare veritatem renitenti decidit, antequam à promotore fiscali accusetur, quæ Simancæ decisio vt plurimum

13 admittenda. Nec reprobanda omnino pro aliquibus casibus illa Alphonsi de Castro lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 1. affirmantis sufficere duas monitiones, dummodo de his duabus, sicut de illis tribus intelligatur, quod fiant diuersis temporibus, seu constitutis, nam si in eodem constituto sępius moneatur reus de fatenda veritate, non pro pluribus, sed pro vnica monitione iuridica habetur.

14 De interrogatorijs verò communibus faciẽdis in primo reorum constituto circa parẽtes, & originem, circa exercitia, & officia educationis, circa loca commorationis, & similia tract. idem Simancas dict. tit. 44. n. 14. Et reddit sic rationem, cur de his sint illi interrogandi, vt ex eorum, inquit, confessione, quę scribenda est à tabellione intelligi possit, vtrum

15 vita eorum cum dictis testium congruat. Sed in primis necessarium est, vt de locis in *quibus* versati sunt, diligenter interrogentur primo vt videant Iudices an in locis illis verisimile sit, hęreses fuisse dictas; deinde vt ex confessione reorum constat, eos in locis illis fuisse, in quibus hęreses dictas esse probatur; postremo ne falsis testibus locus relinquatur probandi negationem constatam, loco, & tempore Hactenus Simancas totidem verbis.

16 Transit statim ipse Simanchas nu 15. ad declarandum, qualiter pro euitanda, & pro examinatione Iuridica inchoanda sit ista à generalibus quæsitis in quouis reo, nempe an sciat causam, ob quam fuerit citatus & carceratus, qui si palam, & integre veritatem confiteatur, peracta maneat eius causa, vt paulo ante di-

17 ctum. Si vero dicat nescire, cur captus, cur vinctus fuerit, tum addit Inquisitor, quod nunquam soleat Sanctum Officium quemquam sine causa citare, vel comprehendere, aut in carcerem mittere, proinde conscientiam suam exonerans, & Deum solum pre oculis habens prospiciat an forte dixerit, vel fecerit aliquid

18 contra fidem Catholicam. Quod si neget aut, se non recordari asserat, facienda ei interrogatoria circa locum, & tempus, an tali die, seu hora in tali loco fuerit, vt gradatim absque suggestione circa dictum, vel factum in specie de quo reperitur indiciatus tandem interrogetur. ita Heymer. in 3. parte direct. nu. 74. & ibi Penna, Ioannes Rojas de hæretic. parte secunda num. 293. Dec. in tract. crimin. lib. 5. cap. 36. num. 18. Martin. del Rio Disquis. magic. lib. 5. sect. 9. vers. quoad primum, & cum alijs, quos citat Farinaccius de hæresi q. 185 num. 9.

19 No-

19 Notant autem bene ijdem Penna, com. 21. & Farinacc. quod circa hæc de examinandis, & interrogandis delinquentibus tam in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, quam in quouis alio, certa doctrina certaque regula dari non possit, cum rei inquisiti iuxta factorum, seu dictorum personarum loci, & temporis aliarumque circumstantiarum diuersas qualitates, diuersimode interrogandi sint, & variari interrogatoria debeant, tempusque pro interrogatorijs, ac supradictis tribus monitionibus fa-

20 ciendis, longius, aut breuius constitui. Proinde non deducendum ex eo, quod Cælestinus Papa decem dierum spatium Nestorio assignauit ex Simanca dict. tit. 44. num. 16. cuius alteri reo Sanctę Inquisitionis illas tres monitiones initum decem primos dies post eius capturam esse faciendas, seu eodem tenore reseruandas, vt immerito deducit, & vult ipse Simanchas; sed totum hoc expedit iudicio prudentis iudicis, seu inquisitoris relinquatur, secundum Bonan & Farinaccium citatos.

21 Quod si reus dictum, vel factum externum de quo est indicatus, fateatur, statim circa intentionem, seu circa errores mentis interrogandus, & benigne etiam iteratis constitutis, sæpius monendus de manifestanda integre veritate, si vult cum ipso benignius agatur. Quod preterea debet Inquisitor ei cum maiori cautela, & dexteritate, quo aduerterit reum in obtegendis suis erroribus magis inuigilare vt cum Heymerico Penna, & alijs citatis duplici sequenti regula ostendemus.

22 Denique interrogandus est reus Sancti Officij, de complicibus seu socijs criminum, de illis a quibus hæreses didicit, ac de hæreticis, si quos cognoscit; patet ex quinta Instructione Hispalens. & ex vsu perpetuo cuiusque Tribunalis Sanctę Inquisitionis, tradit cum Bald. cons. 195. lib. 5. & cum alijs Simanchas vbi supra numer. 27. per sequentia verba. Item illud, inquit, quod pene omiseram, diligenter Iudices curabunt, vt reos generaliter interrogent de socijs criminum, ac de omnibus alijs à quibus hæreses didicerunt, & quos hęreticos

23 esse vel fuisse sciunt, Quod si quid eorum retexerint, id à Notario scribendum est in libris Inquisitorum. Neque dubium est, quin liceat in crimine hæresis de conscijs interrogare, quia vergit impietas in maximam Reipublicę perniciem, & quia peior est crimine lęsę maiestatis. Hactenus Simancas præter quem vide Martinum del Rio. disqu. Magicar. lib. 5. sec. 3. vers. sed quædam &c. Farinaccius de Hęresi, quęst. 185. num. 135. Dianam par. 4. tract. 6. resol. 17. & alios quibuscum infra lib. 4. ostendemus reum Sanctæ Inquisitionis pro manifestatione complicum in tortura esse interrogandum, ergo quanto magis extra torturam, seu ante ipsam, &c.

Quibus modis, ac finctionibus delinquen[illegible] fidem, sua crimina, & errores occ[illegible] soleant tempore Examini[illegible]

REGVLA CC[illegible]

24 Modi quibus Apostatæ à fide[illegible] hæretici tum antiqui, [illegible], maxime dum ab Inquisitoribus examin[illegible], delicta sua externa suosq[illegible] mentis errores semper occultare con[illegible], innumeri penè sunt, & eos m[illegible] quotidianus, quam

25 ars vlla, [illegible] ostendere potest. Pręcipui tamen [illegible], quibus dicti rei sepalliant per [illegible] æquiuocationem, per fictam eorumdem admirationem, per adiunctam conditionem interrogatorio, per digressionem [illegible] proposito, & per sui ipsius iusti-

26 ficationem, [illegible] simulando corporis languorem, [illegible] amentiam, ac speciem fa[illegible] ctitis [illegible] vel alijs modis exprimẽd[illegible]

---

27 PR[illegible]ilius doctrina huius [illegible] seq[illegible] prenotandum cum H[illegible]merico 3[illegible] tit. de obseruandis [illegible] Inquisitor[illegible] [illegible]ine hæreticorum n. 8[illegible] quod isti in [illegible] genere. Quidam enim sunt hæretici m[illegible], & notorij, qui & in suis erroribus etiã coram Inquisitoribus persistunt eosque palam, [illegible]ublice rationibus, & auctoritatibus ad falsum ipsorum intellectum tractis, & extortis expositionibus defendunt, tales extitisse ex cap. gu. Arianos, & Ma-

28 nichæos, ait idem Heymericus: Addens examen istorum fuisse semper non multum difficile, quia ex proprio ore conuincuntur hæretici iuxta cap. super quibusdam, de verb. significatione, & solum requiri, vt per viros litteratos conuincantur rationes eorum soluendo & testimonia quę pro se falso citant, declarando, ac alia contra ipsos adducendo.

29 Sunt vero alij hęretici occulti, & ponit exẽplum idem Heymericus in Vvaldensibus, & Begardis, qui non solum suos errores propalare renuunt: sed eos etiam disertis responsionibus cauillosis, ac finctionibus vulpinis quan-

30 tum possunt, obtegere conantur. Atq. hinc præcipuè istorum examen redditur valde difficile, oportetque, vt DD. Inquisitores in eo exequendo multum prudenter, ac sagaciter se gerant, adhibitis varijs cautelis explicandis regula sequenti, & perspectis modis, & cauillationibus, quibus illi ad palliandos suos errores vtuntur, ac de his in pręsenti iam hoc ita prænotato.

31 Concordant omnes maxime Heymericus loco citato, & Penna ibi Comment. 21. & 22. circa id quod in regula primo loco ponitur de innumerabili pene, ac indicibili diuersitate modorum, quos adinuenerunt hæretici suam hæreticam prauitatem occultandi, & quod prudentia, & longo vsu magis, quam arte vlla cõprehendi possunt, ac omnino declarari. Nihi-

32 lominus ipse Heymericus affert decẽ suos probatis exemplis. Circa quos aliqua bene aduertit. Penna dicit. Com. 22. Primũ, quod forte fuerint desũpti ex Codice quodã vetusto bibliothecæ

[illegible]ticanę fol. 88. col. 3. vbi leguntur. Se[illegible] quod quamuis hæretici nostri tem[illegible]ibus ex eis non vtantur, necessaria [illegible]orum notitia, vt per hanc quicun[illegible] vsu, facilius cognoscuntur. Tertiũ,
34 quod [illegible]er illos decem, alios quos Heymericus [illegible]tigit in dict. Codice reperiatur expressis [illegible] sequentia verba: [Nota, inquit, quod fidelis requisit[illegible] de sua fide statim respondet simpliciter siue [illegible], siue male paratus corrigi: hęreticus [illegible] non potest se defendere per potent[illegible] rationes, nec per auctoritates, statim [illegible] ad sophismata sua, & duplicitates, & fugas [illegible]um, ne capiatur. Vnde hoc est vnum per quod aliquis sic respondens potest cognosci, [illegible] hęre-
35 ticus esse ita ibi. Quarto [illegible] Penna non fore inutile, ea legere, de locis [illegible]orum [illegible]phisticorum, quę tradi[illegible] E[illegible]horum cap. 3. cum ea [illegible] superã[illegible]æreticorum fraudes non [illegible]ent; [illegible]nc; hæc illæ totidem [illegible]

[illegible]imus Modus occultand[illegible] fit per [illegible]orum æquiuocatione[illegible]ommen[illegible]tur Penna, per amphib[illegible], cum in tota oratione consistant, ex [illegible] in l. quoties [illegible]. de verborum obligatione, quę amphibologia vocatur à Græcis homonymia, & tũc adest, quando aliquid in eodem tenore verborũ, manens, plura significat, & soluitur facile præclussa via hæretico ad se tuendum per vocis, vel o-
37 rationis ambiguæ distinctionem. Vt si interrogetur hęreticus de corpore Christi vero, credis, quod hoc sit corpus Christi? & ipse respõdeat cum æquiuocatione, quod sit credo, intelligendo, vel de corpore Mystico, nempe de fidelibus præsentibus, vel de corpore quouis pręsenti, puta lapide, qui est corpus Christi, seu de dominio Christi, vti Dei; sicut, & reliqua corpora; sed soluitur æquiuocatio, si instet Inquisitor, & distinguendo interroget. Credis, quod hoc sit corpus Christi verum à Sacerdote consecratum? cui interrogationi, non est amplius facultas hæretico æquiuoce respondendi: plura similia exempla apud Heymericum citatum inuenies.

38 Alius modus occultandi delicta, & errores, dum examinantur Hęretici, vel apostatæ à fide Catholica, fit per finctã verborũ admirationẽ; duplici exẽplo, ibidẽ n. 91 ostẽdit Heymeric. Primo, si interrogetur ab Inquisitore Hæretic. Credis tu quod Deus sit omniũ Creator? & ipse vti turbatus cũ admiratione respõdeat. quid ergo aliud credere, nonne ita debeo credere? capiẽdo in mẽte sua, quod non debeat ita cre-
39 dere. Similiter si ita interrogetur. Credis quod Dei Filius fuerit incarnatus in vtero Sanctiss. V. Mariæ? & ipse valde admiratus respondeat, ò Deus meus, cur de his me interrogatis? num quis putat me esse Iudæum? Christianus sum, & credo omnia, quæ bonus Christianus credere tenetur, intelligendo quod bonus Christianus non teneatur credere id de quo hæreticus interrogatur; & sic de alijs verborum admirationibus, quæ facile possunt ab Inquisitore detegi, & illius errores agnosci.

40 Solent tertio obtegere sua delicta hæretici adiungendo conditionem aliquam Interrogatorio. Ita Heymericus loco citato num. 89. exemplificans hoc modo, vt si Inquisitus interrogetur: Credis quod matrimonium sit Sacramentum? & ipse adiecta conditione respõdeat, credo bene, si Deo placet, intelligendo Deo nõ placere, quod ipse hoc credat. Pari modo si interrogetur, Credis carnis resurrectionem? & dicat, ita credo, si Deus vult, intellecta negatiue hac cõditione, quod Deus nolit, vt hoc credat; qui modus sophisticandi, & euadendi non est cognitu difficilis.

41 Quartus vero modus palliandi delicta, aut errores contra Fidẽ fit ab hæreticis per digressionẽ à proposito, seu per manifestã verborũ trãslationẽ. Proponit Heyme. n. 43. & declarat per sequentẽ clausulã. Vt si inquit interrogentur. Credis tu quod Christus post mortẽ descendit ad Inferos? respõdit, ò Dñe Inquisitor, quantũ debet quilibet cogitare in corde suo Christi mortẽ diram, & ego miser non facio, sum enim pauper propter Christũ, & habeo quęrere mihi victum; sic transferunt se ad loquendum de paupertate sua, vel Christi: hactenus clausula Heymerici; ex qua constat, qualiter hæretici interrogati pro tunc effugiant responsionem, sed ad eã dandam nullo negotio cogi possunt.

42 Dein conantur quinto hæretici occultare sua crimina, suosque errores se ipsos iustificando, adducta excusatione, quod sint ignari, & simplices, ac proinde nõ percipiant recõdita mysteria Fidei nostræ, vel quod propter scrupulos cõscientiæ, quibus frequenter molestãtur, & ad maiorem mentis confusionem inducuntur, non audeant, quin & refugiant talia mysteria cogitare, aut de eis inquirere ad vitanda dubia molesta, quæ inde occurrunt, & valde mentem perturbant. Ita interrogati de Mysterijs Trinitatis, Incarnationis & alijs, circa quæ pręsumuntur, & indicantur errare, se excusant, & iustificant; sed friuola est, ac non subsistens huiusmodi excusatio, & iustificatio, vt per se patet. Vide Heymericum num. 94. praxim interrogationum Inquisitoris, & responsionum hæretici egregie exprimentem.

43 Sextus Modus obtegẽdi errores, & liberãdi se ab examine etiã rigoroso torturæ, sic per simulationẽ corporei languoris, seu morbi, vt si hæreticus videns se efficacibus interrogatorijs vrgeri ab Inquisitore, & conuinci omnino ad manifestandã suã hæresim; dicat, simulãdo; dolor grauissimus capitis, vel pectoris inuasit me modo, pro Deo cõcedatur mihi ad lectũ ire statim surgẽs ponat se in lecto, si cq; pro tũc liberat se ab examine, & interim recogitat, quomodo possit respõdere; sed respõsio haud erit talis quia denuo ab Inquisitore capiatur, affert idẽ
44 Heym. n. 45. Occultare septimo suos errores inuigilãt hæretici per fictionẽ amẽtię, seu fatuitatis, sicut finxit, sed sine culpa Rex Dauid corã Achis, 1. reg. 21. ne deprehẽderetur. Vnde in examine, vel ante ipsũ si carcerarij, aut alij Ministri cũ eis loquãtur, respõdẽdo ridẽt ipsi, & intersecũt multa verba impertinẽtia, & derisoria, aliaq; agũt, ac fingũt, quæ apparẽt propria amẽtiũ, seu fatuorum.

45 Sicuti septem abhinc annis in nostro Tribunali Melitensi Sanctæ Inquisitionis, quidam reus in causa fidei diuersa quasi amens agebat, & cum esset infimæ plebis se nobilem equitem Hierosolymitanum Magnæ Crucis fingebat, hancque pectori affixam, dum maneret in vinculis ridiculose gestabat, vt egomet vidi: sed post cōdemnationem ex indicijs ad torturam, dum alligaretur, omnis fictio amētiæ euanuit, 46 veritatemque delicti confessus est. Huic casui multos similes fingentium amentiam, vt à tortura, vel à morte liberarentur, dum munere Inquisitionis fungeretur, affirmat citatus Heymericus num. 96. sibi contigisse; deprehenditur autem facile quod amentia sit ficta, pro obseruatione, vt ait Penna dicit com. 22. n. 96. actuū externorum, quos Ministri diligenter aduertent: nam raro contingit mente sanos omnia 47 mente captorum more facere. Secundo ex comminatione torturæ, à qua desistendum non est ob fictam insaniam, quod bene docet idem Penna. An autem ob eam differri debeat expendetur à nobis lib. 4. nostri Operis. Modus 48 octauus hęreticorum sophisticandi, & obtegēdi suos errores fit per palliatā Sanctitatis conuersationē; hunc exprimit bene Heymeric. per sequentia verba. [Sunt enim, inquit, hæretici à cōmuni conuersatione fideliū, vita, & moribus, habitibus, & locutionibus diffidentes. Nam incedunt, vt communius pedibus discalciatis, vel cum solijs induuntur exterius detectis habitibus colore, & figura, aliqui de albo, aliqui bruno, aliqui mantello, aliqui longo, & lato tunicello; cinguntur, non corrigia, sed corda, aliqui vtuntur capuccio demisso, aliqui deferunt crines longos secundū eorum Sectarum varietatem, aliqui incedunt vultu demisso ad terram, aliqui eleuato ad cœlum; habent verba humilitatis, & exteriorem apparentiam Sanctitatis, sicut sepulchra exterius dealbata, & deaurata, quæ interius sunt plena cadaueribus mortuo- 49 rū. Nam interius, vt in pluribus pleni sunt superbia, luxuria, gula, acidia, & vanagloria, vt sciunt, qui eos nouerūt, propter quam speciem Sanctitatis plurimos inficiunt, gentes decipiunt, & Inquisitionis iudicium euadunt. Hæc præclari Heymericus de hæreticis sui temporis, in tali ostentatione Sanctitatis emicant, ac superant. Verum non ita difficulter cuiuis pio, & experto attente perspicienti, sub ouina pelle lupus apparebit.

50 Supersunt duo modi occultandi delicta cōtra Fidem, quos adducit Heymericus num. 90. & 92. nempe per retorsionem interrogationis, & pro tergiuersatione retorquet hæreticus interrogationem; quando interrogatus circa aliquem articulum Fidei, vt an credat Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, petit ab interrogāte, quomodo tu credis? & vbi interrogans ait, credo ipse quod Spiritus Sanctus a Patre, Filioq; procedat. Tunc hæreticus respōdet, ego ita credo, intelligendo, ego ita credo, quod tu credas saltem articulum processionis Spiritus Sancti à Patre, & Filio; non quod ego 51 sic ipsum credam. Tergiuersatur vero hæreticus quando respondet non circa propositionē, de qua fuit interrogatus, sed circa aliam. Vt si interrogetur, credis quod Christus post mortē descendit ad inferos? & ipse respondeat non circa propositionem, de qua fuit interrogatus, sed circa aliam, vt si interrogetur, & ipse respōdet; magna fuit iniquitas Iudæorum, quam habuerunt ad Christum, & vt de alijs verborum tergiuersationibus, & retorsionibus interrogationum, quos idem Heymericus adducit.

Quas cautelas adhibere possint, & debeant Inquisitores in examine reorum pro inuestigandis delictis, & erroribus ipsorum?

REGVLA CCVI.

52 PRo detegēdis criminibus, & erroribus delatorum in Sancto Officio nequeunt Inquisitores, sicut nec reliqui Iudices respectu delinquentium suæ iurisdictionis quascunque cautelas fallaces, & deceptorias, sed tantum laudabiles, ac iuridicas vsurpare. Istarum au- 53 tē diuersitas, valde multiplex est, pene innumerabilis, magisq; ex vsu quotidiano, & ex prudenti industria Inquisitoris pēdent, quam arte vlla, seu regula comprehendi possint. Varię ta- 54 men adducuntur cautelæ ab illo explicandæ pro varietate reorum, vel ad cōuincendum ipsos de crimine externo, vel si iam sint conuincti, ad eruendum errorem ex mente eorundem, quarum aliquę breuiter explicabuntur.

---

55 DVplex Genus cautelarū ex parte Inquisitorum, vel quorumcumq; Iudicum in examine suorum delinquētium cōmuniter assignatur, vt ex mente omniū tradit Penna 3. p. direct. comment. 23. nu. 48. alia enim sunt deceptoriæ, fallacijs, & cauillationibus fundatæ, ac proinde detestabiles, & prohibitæ Inquisitoribus, & quibusuis Iudicibus, etiam si ad extorquendā veritatem ordinentur, quod adeo verum, manifestumq; est, vt etiam veteres ethnici absque lumine fidei docuerint non esse licitum vti interrogationibus, aut argumentationibus falsis, ac cauillosis pro eruenda veri- 56 tate, vt patet ex Aristotele duobus libris Elenchorum, & ex Iurisconsulto in l. cum his, §. si vim lis ff. de Transact. vbi optime, ait Accurtius, non deberi viam aperiri malitijs l. 1. §. sed & si quis ff. de carbo edicto; atque hinc cum Paulo de Castro in l. si per errorem ff. de Iurisdict. omn. Iudic. & in l. edita, C. de edendo bene asserit citatus Penna, quod quamuis cautelę, (intelligendo de expressis detestabilibus) honorem afferant Iudicibus, & Aduocatis in hoc Seculo, in alio tamen ædificant ad gehennam, cum doceant damnare animam.

57 Aliæ vero sunt Cautelæ probę, & laudabiles, absque fallacia, & iniquitate vlla, ad finem bonum inuestigandi veritatem ordinatæ capit. quanto 63. distinct. & cap. illa prepositorum 11. quæst. 3. Vbi ex Diuo Gregorio sic habetur, illa præpositorum solicitudo vtilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit & furor nihil mali sibi vendicat.

58 Quod

58 Quod vero istis possint, & debeant vti Inquisitores, & quicunque Iudices, constat in primis exẽplo illius excellent. Iudicis nẽpe Salomonis ex illuminatione, absque dubio, diuina, ad inuestigandam veritatem circa veram filiationem à diuersis Matribus pendi infantibus 3. Reg. 3. & habetur in capite afferte, de præsumpt. & facit ad idem ostẽdendum Tex. in ca-
59 pite vtilem simulationem, 2, 2. quæst. 2. Peculiariter autem esse licitum Inquisitoribus, & consequenter obligatorium huiusmodi cautelas laudabiles, & honestas pro inuestigandis criminibus, & erroribus contra Fidem in examine reorum Sancti Officij adhibere, docent vt omnino certum Heymericus 3. par. direct. tit. Cautelę Inquisitorum, &c. num. 98. Penna ibi com. 23. Rojas in singularibus Fidei singul. 94. circa medium Repertor. inquis. verb. prouiso solerter. §. sequenti, & alij.

60 De diuersitate item, & innumerabili fere multitudine dictarum cautelarum laudabiliũ pari ratione nunc philosophandum est cum citatis Heymerico, &c. Penna, atque regula præcedenti cum eisdem de Modis Hæreticorum occultandi delicta, & errores, philosophati sumus; quod nequeãt arte vlla declarari, aut comprehendi, sed quod ex iudicio practico, & perspicaci, & ex industria peculiari prudentis Inquisitoris, seu Iudicis, ex vsu quotidiano examinandi reos, & illarum multiplicatio, &
61 diuersitas maximè pendeat. Nam iuxta circumstantias præsentes, & responsiones ab examinatore iam datas ad interrogationes pręcedentes, nouæ cautelæ, & interrogationes ab Inquisitore examinante denuo excogitandæ, ac statim proponendæ ad illum conuincẽdum, & errores in mente ipsius latentes inuestigan-
62 dos. Sicut enim in arte Militari dux exercitus, vt à quodam valde experto in ea paucis abhinc diebus audiui, noua strategemata contra inimicum vltra contenta in libro artis, & inopinata ipsi pro circũstantijs præsentibus loci, temporis, &c. excogitare semper debet; ita in casu nostro, &c.

63 Nihilominus ex cautelis, seu cauillationibus licitis, quas relati Auctores pręcipue Heymericus, adducunt, paucas expendemus, vt his ad alias denuo inueniẽdas Inquisitori examinanti viæ muniantur. Illæ autem in duplici sunt differentia, cum quædam ex eis inseruiant peculiariter pro delatis in Sancto Officio adhuc non conuinctis de delicto externo, sed tantum indiciatis; quædam vero pro delatis iam de eo per testes conuinctis, negantibus ta-
64 men ipsum. Pro his posterioribus opportunã, & efficacem cautelam assignant Heymericus loco citato num. 101. & Ioannes Rojas, vbi supra, vt inducantur ad confitendum delictum, nempe si ipsis post alia interrogatoria, & responsa, adhuc in negatiua persistentibus manifestentur, vel legantur dicta testium, suppressis istorum nominibus, iuxta cap. statuta quædam, de hæret. in 6. (an aliquando nomina testium publicari possint, dicetur cap. vltimo huius libri, vbi de confrontatione eorum cum reis) sicque videndo se cõuinctos ad confessionem delicti externi facile deuenient, & forte errores mentis interni Inquisitori manifestabuntur.

65 Faciet item ad eundem finem eliciendi crimina, & errores à delatis in Sancto Officio, siue conuinctis per testes, siue non conuinctis, illa insignis cautela, seu cauillatio, si aliqui scilicet viri religiosi boni, & prudentes ad reum dicere veritatem renitentem, de mãdato Domini Inquisitoris, intrent, & initio blandis sermonibus de varijs, & impertinentibus cum eo loquantur. Dein ipsi reo consulant, vt veritatem fateatur, promittentes, quod contra confitentem Inquisitor soleat esse mitis, & benignus, & quod ipsemet sit futurus moderator, & arbiter causæ, pro qua carceratus tenetur, alioquin diutius in carceribus sit remansurus, & eius processus nunquam terminandus. Tũc
66 vero Inquisitor illuc accedat, & similiter blãdis verbis eidem reo promittat facere gratiam & beneuolentiam, si delictum, & errorem suum fateatur: Ita totidem fere verbis Rojas dict. pagin. 44. num. 4. cum Heymerico ibidem num. 106.

67 Circa prædictam Cautelam, duo dubia controuersa à pluribus excitantur. Primum, an per eam licitum sit veritatem indagare. Iulius Clarus in pract. eximia §. fin. quæst. 55. vers. circa primum Dynus, tract. de quęst. vt eum refert Paris de Puteo, tract. de syndic. & alij sẽtentiam negantem absolute, & vniuersaliter defendunt respectu cuiusuis Iudicis, ob eam rationem, quia aliud est fingere, seu simulare, quod recte, & licite fecit Rex Salomon ad inuestigandã veritatẽ de filiatione, & quiuis Iudex facere potest, in similibus casibus; aliud vero est mentiri, & decipere, quod fit quando promittitur impunitas, & non præstatur; atque hoc nequit esse licitum; cum mendacium sit, semper intrinsece malum. Quod si præstetur impunitas promissa, eius promissio, & executio erit iniusta, & illicita contra bonum, saltem commune, & sic delicta manerent impunita, ergo, &c.

68 Verum quidquid sit de doctrina Iulij Clari, quo ad alios Iudices, & quo ad alia tribunalia; in nostro tamen S. Officij ab Inquisitore talem cautelam vsurpari posse, promittendo delinquenti non impunitatem omnimodã, sed amplam misericordiam, & gratiam, vt certum communiter tradunt Doctores, præcipue, præter citatos Rojam, & Heymericum, huius cõmentator Penna dict. Comm. 25. vers. Veruntamen in hoc; assignans ibi differentiam, & rationem, quia ex cap. Vt commisi, de hæret. in 6. constat, quod Inquisitores ampliorem habeant potestatem in temperandis, & remittendis pœnis, quem cęteri quicunque Iudices, qui secundum Doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. 8. art. 1. scilicet ab omnibus receptam in iudicando, & puniendo, leges, & statuta sequi, & pœnam ab eis assignatam pro delictis infligere debent. At Inquisitores quanquam nequeant pœnas iure taxatas pro crimine hæresis, penitus remittere; possunt tamen temperare omnes, maxime arbitrio ipsorum relictas.

69 Al-

69 Alterum dubium est, an fides data reo de præstanda impunitate, si delictum fateatur seruari debeat? Negant diuersi, vt Gemin. & Præposit. in cap. nos in quamquam 2. quęst. 1. Archidiac. in cap. vtilem 22. quæst. 2. & Iason. in l. si mera. nu. 4. ff. solut. matrim. imo, quòd non obstante tali impunitatis promissione, debeat Iudex reum punire, seù condemnare, quia in male promissis non est seruanda fides, cap. in malis, de regul. Iuris in 6. patetque huiusmodi promissionem de impunitate reorum esse contra publicam vtilitatem; & hinc manerent delicta impunita in perniciem Reipublicę.

70 Item quia non est attendendum quomodo veritas delicti habeatur; dummodo habeatur ex leg. Cum Seruus ff. de verb. oblig. & confirmat ex facto Alexand. III. qui promisit cuidam Episcopo Simoniaco secum dispensarem, si ei soli confiteretur delictum, & postquam confessus est etiam coram Cardinalib. ipsum deposuit, vt ex dicti Archid. affert Rojas vbi supra qui cum varijs per eum relatis, hanc partem sequitur.

71 Contraria verò quod debeat Iudex stare promissis de facienda gratia, si reus fateatur veritatem, est etiam multorum Decij in l. ea est natura: ff. de regul. Iuris. Iou. Imol. concil. 109. Aegidij Borij tit. de confessis per torturam, Antonij Gomesij tom. 3. variar. resol. cap. 22. n. 6. & præter alios quos ipse citat, est Francisci Pennæ dict. comment. 23. vers. alteram sententiam. Qui bene etiam de mente

72 aliquorum tenentium oppositum, affirmat saltem in foro conscientię non esse licitum fidem reo datam violare, cum etiam inimicis seruanda sit ex vi Iuris naturalis, quia fides, & iuramentum æquiparantur cap. ad aures, de eo quòd met caus. at iuramentum si absque detrimento salutis æternæ potest, semper seruari debet, cap. si vero, de Iureiur. ergo & fides promissa à quouis Iudice, maxime ab Inquisitoribus, reo seruanda est quantum ius patitur.

73 Hæc autem limitatio meritò addita, quia vt optimè idem Penna cum Zanelcino tract. de hæretic. cap. 19. nu. 1. docet, quando Inquisitor promissit se gratiam facturum, intelligi tantum debeat circa pęnas, quæ pendent ab eius arbitrio; non vero circa eas, quæ à iúre iam sunt statutæ. Nam in istis, nullo modo est facienda gratia, imò neque in illis arbitrarijs etiamsi data sit fides reo, quando hic non statim delictum confitetur, sed post varia constituta; seu post multas tergiuersationes.

74 Si verò absque mora illud fateatur, quamcũque gratiam quantumuis minimam ei Inquisitor faciat, fidem datam adimplebit; atque ideò oportet in promissione de gratia facienda genericè loquatur, vt cum Heymerico vbi supra idem Penna bene notauit.

75 Alia etiam est insignis cautela pro inducendo delato in Sancto Officio ad fatendam veritatem, nimirum, si Inquisitor supponendo seù iudicando factum esse verum, & sibi innotesceret, interroget reum de circumstantijs vt de loco delicti, de inducentibus, vel docentibus, &c. quod per sequentia verba describit ibidem Heymericus nu. 100. loquatur, inquit, sibi, (idest ipsi reo) blandè, & mansuetè, dando sibi innuere, quòd iam scit eius factum, dicendo sibi hæc verba, vel similia,

76 in effectu videas ergo, compatior tibi, quia sic es delusus tua simplicitate, & perdis animam quadam bestialitate; & licet habeas aliquam culpam, maiorem habet, qui te de talibus instituit; non facias peccatum alterius, tuum; nec facias tè magistrum vbi fuisti discipulus, dicas mihi veritatem, quia vt videbis, totum negotium ego scio, sed vt gentes habeant te excusatum, & non perdas tuam bonam famam, & vt possem te citius, vel statim liberare, & gratiam facere vt vadas vias tuas ad domum, quis est ille, qui docuit te (qui nihil mali sciebas) hos errores, & vbi docuit te. Hactenus Heymericus, cui nihil addendum occurrit.

77 Solum vltimo loco notandum circa prædictam cautelam, seù cauillationem, & circa similes, in quibus inquisitor aliquid fingit, vt si fingat, quæ est alia cautela proposita ab Heymerico nu. 103. quod in locum longinquũ sit iturus, & ibi per multum temporis remansurus, interim reus sit retinẽdus in carceribus oppressus compedibus, & alijs miserijs, & sic inducatur ad fatẽdum statim veritatem, finctio talis debet esse, vt mendacium, quod intrinsecè malum est, omnino vitetur. Quam-

78 uis inde speraretur veritas detegenda in bonum commune. Non enim facienda sunt mala, vt eueniant bona. Ita Penna loco cit. commẽtante verba illa Heymerici, dando sibi in-

79 nuere, quod iam scit eius factum. Obserua, inquit, hic, non dicere Heymericum, quòd Inquisitor, cùm vtitur hac cautela, dicat reo se iam scire eius factum, quoniam, si nesciret & se scire diceret, peccaret nempè mentiendo quòd nullo modo fieri debet. Hæc ille. Atq; hactenus de cautelis adhibendis ad eliciendam veritatem in Sancto Officio.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

De varijs Infidelium Sectis in communi, & de signis externis, atque indicijs ad professores earum, & quoscunq; errores contra Fidem Diuinam in recedentibus ab ea cognoscendos.

PROOEMIOLVM.

1 CONstituta omnia, & examina delatorum in Sancto Officio vti iam tutum in Proœmio huius tertij Libri, huc præcipuè derigantur, vt per facti cuiusuis, vel dicti externi confessionem ab eis obtentam, & veritatem quouis modo habitam, errores contra Fidem in mentibus ipsorum latentes per Inquisitorem adhibito Consultoris consilio diligentissime inuestigentur, ac dein ijdem delati ad eos confitendos benigne moniti inducantur. Inanis enim est fere omnis labor, & industria vtriusque prædicti Ministri Sanctæ Inquisitionis, nisi tandem vtrumque hunc effectum pertingat, detegendi scilicet errores Inquisiti, & mentem huius ab eis per veram 2 confessionem, & detestationem, omnino purgandi. Vnde cum ad dictam inuestigationem, præter cautelas cap. præcedenti explicatas valdè conducens, ac pernecessaria sit tam in Inquisitore quam in Consultore peritia, & notitia non mediocris omnium Sectarum, dogmatum, & errorum contra Fidem nostram quorumcunq; infidelium, vt egregie notat Franciscus Penna 3. part. direct. num. 85. initio comment. 21. in tit. de obseruandis ab Inquisitoribus in examine Hæreticorum: 3 Sequentia cap. ad dictam notitiam, ac peritiam in specie acquirendam inseruient. prius verò eandem in genere quoquomodo præstabit, explicatis talium Sectarum, & errorum signis, atque indicijs, maximeq; ex dictis, vel factis Fidei diuinæ oppositis, desumuntur.

Quid nominis Secta; quid rei? quotuplex item, & qualis Sectarum contra fidem Catholicam Diuisio in communi.

REGVLA CCVII.

3 NOmen Secta à sequendo, vel à sectando deductum æquiuocum est, cum in bonam aliquando partem sumatur; præualuit tamen vsus accipiendi in malam, & secundum hanc acceptionem describi solet. Habitus animorum, & propositum in malo circa falsam 4 disciplinam. Quamuis autem Secta specifice sumpta, idem sit Latinè, quòd hæresis Grecè, idest diuisio; dicaturq; respectu cuiusuis Christiani, qui per errores se diuidit à cæteris fide-5 libus: ab Hæresi tamen Secta differt, quod hæc tanquam Genus contineat sub se plures species, nimirum, Hæreticos, Iudæos, Sarracenos, Gentiles, & alios infideles; in quibus Iudæorum Secta pessima, respectu Agarenorum censetur.

---

6 ETymologiam nominis Sectæ prepositam tradunt à sequendo, & Glos. in Clement. ad nostrum in verbo Secta, de Hæreticis, & ibi Imola nu. 7. in Clement. etiam No. in agro statuimus, in verbis, Secta de statu Monachorum, & alij, à sectando vero pro eodem significato ex D. Isidoro in lib. Etymologiar. tradit S. Tho. 2.2. qu. 11. ar. 1. ad 3. vbi ait quod sicut heresis dicitur ab eligendo, ita Secta à Sectando, atque esse æquiuocum nomē Sectæ, eo quod hæc alicubi in bonam partem capiatur, nempe pro Religione patet ex varijs textibus Iuris Ciuilis falsi quidem crim. erit Secta Mea, idest, Religio, non patitur. C. de fal. l. in fin. C. de Put. ibi, Secta temporum nostrorum non patitur, cui consonat. l. vnica, C. de Senat. Consul. Clau. tollen. Ibi, Religio temporum meorum nullo modo patitur. l. in honoribus, §. philosophis ff. de Vacat. & excus. muner. afferuntque Lucas de Penna in l. 2. C. de delator. lib. 10. Alberi de Rosatæ in suo dictionario verb. Secta. Ioa. Rojas par. 1. de hereticis, n. 483. & alij.

7 Nihilominus Secta, vt plurimum in malam partem accipi solet, explicaturque bene in genere per descriptionem propositam, quam afferunt citatus Rojas, & Farinac. de Hæres. quæst. 178. §. 1. n. 13. ex mente cæterorum, concordantium in hoc, quòd Secta sit habitus ad malum circa falsam disciplinam, & quod tali habitu imbuti dicantur secti, idest separati, seu diuisi ab vnitate Ecclesiæ, seu fidei. Ita cum D. Isidoro, & D. Thoma relatis, Cardin. de Turr. Crem. in Sum. de Ecclesia lib. 4. par. 2. cap. 4. Alberti in rub. de hereticis lib. 6. quest. 2. Alphonsus de Castro lib. 1 cap. 1. aduersus hæreses, & alij, præter dictos Rojam, & Farinaccium atque in prædicto duplici modo accipiendi Sectam in bonam, & in malam partem, prima eius diuisio generalissima congruè constituitur.

8 Sumitur præterea Secta dupliciter, nempè in specie, & in genere; hincque altera eius diuisio manifesta. In specie, si sumatur Secta, idem prorsus est, quod heresis, & sic sumpta fuit à D. Thoma in dict. art. 1. ad 3. vbi expresse affirmat heresim, & Sectam idem esse, & vtrumque pertinere ad opera carnis, seù ad errores contra fidem, quibus Christianus ab vnione eius respectu cæterorum fidelium secatur, seù diuiditur. Similiter à Simanca in specie secta accipitur, cathol. instit. tit. 30. de heresi, num. 1. vbi ait Hæresis Græca vox est, Latine sectam sonat, & pari modo apud alios accepta inuenitur.

9 Verùm acceptio eius generica est magis propria,

pria, & communis, ita vt sit Secta genus quoddam, quod diuiditur in varias sectarum species, nimirum in sectas hæreticorum, Iudæorum, Saracenorum, Gentilium, & aliorum Infidelium; quæ est tertia, & præcipua sectæ diuisio; sic afferunt, & approbant huiusmodi acceptionem, & diuisionem Sectæ Archid. in cap. accusatus, num. 2. tit. de hęresi in 6. Ioannes Rojas prima parte de hæret. num. 479. & cum alijs ab ipso adductis. Farinac. de hęresi quęst. 178. §. 1. numer. 13. Differre autem sectam in genere sumptam circa hoc ab hæresi, quod hæc tantum dicatur respectu Christianorum, qui à fide Catholica deficiunt, ostendit idem Rojas ex dict. cap. Accusatus §. cui vero; & in re adeo clara, & certa non est cur amplius immoremur.

11 Pro ostendenda qualitate diuisionis sectæ generice sumptæ in dictas sectas hæreticorum, Iudæorum &c. videbantur istæ inter se conferendæ: sed cùm hoc vix sit vllius momenti pro nostro instituto, collationem cęterarum libenter omitto, & solum Iudaicam sectam cum Agarenica breuiter confero: sicut confert Arnaldus Albertinus de agnoscen. offert cathol. quęst. 23. num. 57. & absolute asserit sectam Iudæorum esse peiorem secta Saracenorum; indeque ostendit, quia Iudæi habent notitiam Scripturarum de Christo Domino, & eis non credũt, nec acceptant Messiam, ipsis per Moisem, Deut. 18, promissum, ac nimia malitia excæcati, neque Scripturis, neque operibus miraculorum, quæ eis testimonium perhibere poterant, credere voluerunt; & hinc eorum 12 culpa nimium aggrauatur. Quam exaggerans Christus Dominus Ioan. 15. ait si non venissem, & locutus eis nõ fuissem, peccatũ nõ haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. At Saraceni nullam istorum notitiam habuerũt, ac proinde ex parte excusabiles fuere: ergo Iudęi peiores sunt Agarenis, vt bene 13 concludit Albertinus. Addit nihilominus nu. 58. ob eandem rationem Christianum deserentem fidem Catholicam, & transeuntem ad ritus Saracenorum, & Iudęorum esse multo peiorem vtrisque; quod sine dubio verum est.

14 Denique prędictæ Sectæ Hæreticorum, Iudęorum, Iudęorum, Saracenorum, Gentiliũ, & aliorum infideliũ sub genere suo secta communi, & vniuersalissimo comprehẽsę qualiter in alias species earũ magis ac magis inferiores subdiuidantur, & quomodo vnaquæq; istarum se habeat, quosve errores contineat, 15 patebit ex capitibus sequent. Nunc solum pro complemento præsentis regulę quasi digitos ad fontes intendens indicabo leges præcipuas Canonicas, & Ciuiles: per quas dictæ sectę damnantur; expressis aliquibus 16 Auctoribus interpretantibus ipsas, nimirum cap. quidam autem, 24. quæst. 3. vbi de Septuaginta hæreticorum sectis. cap. sicut, & capit, Excommunicamus il 2, *extra* de hæreticis. Clemen. vltima de hæret. vbi damnatas inuenies sectas Beguardarum, & Beguinorum. Extrauag. Ioan. XXII. contra sectam Fraticellorum, Incip. Gloriosam, Constit. Martini Quinti. Incip. inter cunctas, contra Ioan. Vuicleff, & Ioan. Hus. Bullam Leonis X. Incipit, Exurge Domine, contra Martinum Luterum, relatas omnes tres per Pennam in fine direct. Item l. Manicheos, & l. Ariani. cap. de Hæret. l. quicunque, & l. quoniam, §. sed ijs, cap. eodem Authen. Gazzaros, & Authen. de priuil. det. vers. hericos vere &c.

17 Ex Auctoribus autem præcipue legendi Heymericus secunda parte, direct. quæst. 5. vbi de factis, & sectis hæreticorum à Christo damnatis, quęst. item 6. vbi de sectis damnatis in Decreto, & quæst. 7. de damnatis in Decretalibus, ac Clementinis, & quæstione octaua de damnatis in extrauagantibus, & quęstione nona de sectis damnatis à diuersis Pontificibus. Iam quęst. 10. agit de sectis cõdemnatis per Inquisitores Aragonię de mandato Papę Tandem à quæst. 11. vsq ad vigesimam de alijs damnatis per eos absque expresso Papæ mandato. Prima ibi cum suis Commentarijs, Turrecrem. in tract. de potestat. Papæ, lib. 4. cap. 23. & seq. vbi adducit omnes sectas, & hæreses damnatas ab Ecclesia, tam in Concilijs, quam in Decretalibus, & extrauagantibus, Tabiena in verb. Hæreticus num. 28. & omnibus sequac. vbi ponit 54. sectas diuersas hæreticorum: prę cæteris tandem legendus Eminentissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Robertus Bellarminus de Controuers. Christianę fideì aduers. hęreticos, &c.

Ex quibus dictis, & qualiter insurgant signa, vel indicia ad cognoscendum infidelium sectas, & errores contra fidem.

REGVLA CCVIII.

18 PErpensis qualitate Inquisiti, seu examinati in Sancto Officio, & alijs circumstãtijs, poterit Inquisitor, aut eius Consultor, ex dictis, seu verbis ab eo prolatis deprehendere hìc, & nunc signa cuiusnam sit sectæ, & an ex errore mentis formali ea protulerit.

19 Talia autem signa, et maiora, & clariora erunt ad prędictum effectum inuestigandi sectam, ac errores Inquisiti, quo facta, aut verba ab ipso prolata magis contraria apparuerint contentis in Scriptura Sacra, vel traditionibus ecclesię, aut definitis à Concilio, vel similibus, certam fidei normam constituentibus, aut alijs, quemque verum fidelem clarius indicantibus.

20 SVpponendum vt omnino certum id quod tradit ex mente omnium Penna 3. par. direct. Comment. 29. num. 190. Infidelem occultum non posse deprehendi ab Inquisitoribus, cuius sit sectæ & quos errores habeat in mente nisi per signa aliqua externa qui enim prorsus occultus est, ita vt nullis indicijs se prodeat, Diuino Iudicio relinquitur vindicandus,

atque maxime ea oriri ex duplici capite, nempe ex verbis, vel factis quia ex Aristotele lib. de interpretatione & ex l.si non conuitijs c.de iniurijs, verba,& facta signa sunt indicantia mentis conceptum. De primo capite est nobis sermo in hac Regula, de secundo erit in sequenti.

21 Deinde supponendum est, & valde notandum pro tradendis in probationem vtriusque regulæ, magnum esse discrimen inter qualificare, an dictum, vel factum sit contra fidem, spectetq. ad iurisdictionem Sanctę Inquisitionis; & inter intentionare, vt ita loquar, seu inuestigare intentionem dicentis, vel facientis in particulari, an dictum eius, vel factum ex errore fidei opposito procedat,& consequẽter sit ne hęreticus, vel Infidelis, ac cuius sectæ; multoque maiorem difficultatem in hoc posteriori intentionandi, quam in priori

22 illo qualificandi reperiri. Nam qui solius qualificatoris Theologi munus exercent, vti sunt, multi assignati pro Tribunalibus Sancti officij Hispaniarum præcindendo à casu, vel persona particulari, quasi in abstracto, id præstant quod si quis eorum ad intentionandum, seu ad inuestigandam intentionem Inquisiti descendere tentet à DD. Inquisitoribus, quod in alienam messem falcem mittat, illico prohibetur (huius prohibitionis verum testimonium, etiam in propria persona præbuit mihi Admodum Reuerend. de Societate Iesu Pater Cæsar à Bosco Prouinciæ Siculæ Præpositus, vir ingenio, & eruditione conspicuus,qui cum Panormi Sacram Theologiam profiteretur, & regimen nostrorum sustineret, munus Qualificatoris Theologi Sanctæ Inquisitionis plusquam viginti annos ingenti sunt laude obiuit]

23 At Consultor Theologus Inquisitoris, sicut & ipse Inquisitor præter qualificationem dicti, vel facti, quæ supponitur, quasi in concreto, seu in casu particulari determinato, intentionem inquisiti examinati inuestigat, an tale eius dictum, vel factum hic, & nunc ex errore mentis formali oriatur, ac proinde hęc inuestigatio est per se valde difficilis, magisque ex prudentia, & industria examinatoris, vt bene citatus Penna cum Heymerico aduertit, quam ex vllis artis præceptis, seu documentis pendet: his suppositis.

24 Arnaldus Albertin. tract. de agnoscen. essent cath. & hæretici, quęst. 30. affert plures, & multiplices modos, nempe 19. cognoscendi ex dictis, aut verbis, quis sit hęreticus pertinax, & Infidelis formalis, & cuiusnam Sectæ, quos Penna dicto Comment. 24. optime ad septem reducit, nempe si Inquisitus, & examinatus aliquid dixerit contra quodcunque ex septem generibus veritatum catholicarum, & speciebus, sub quibus eorum contentis, expressis per ipsum Pennam secunda parte direct. super quęstion. secunda. & per nos lib. primo capit. 12. regula 99. ad quas remitto lectorem, sicuti remittit Penna ipse: vt à contrario sensu rem præsentem capiat, pręstat tamen paucos ex illis modis attingere.

25 Primus modus, inquisitus, seu examinatus dixit aliquid contra id, quod in scriptura Sacra continetur, aut affirmauit aliquam partem veteris, vel noui Testamenti falsum continere aut non esse à Catholicis recipiendam; hicque fuit vnus ex erroribus Manichæorum respuentium verus testamentum, qui reprobatur in cap. Qui Episcopus 23. distinct.

26 Verum bene limitat hunc modum idem Albertinus dict. quæstione 30. numero. 15. ostendendo verum esse id, quod initio regulę asserimus, nimirum perpendendas esse circumstantias omnes, maxime qualitatis personę, ad hoc, inquit, modo conueniendum aliquem de hęresi, & pertinacia, excipitur laicus illiteratus, vel simplex, qui nesciret, quid per nouum, vel Vetus testamentum importetur, & seductus ab alijs, dicat nouum vel vetus testamentum, vel aliquam partem recipi non debere, firmiter tamen crederet totam fidem Ecclesiæ esse recipiendam, arg ca. dicit Apostolus, 24. quęst. 3. Est ergo diligenter examinandus, & de veritate informandus, & si post informationem debitam, non se corrigeret, esset vel hæreticus pertinax iu-

27 dicandus. Ita ille, quæ paulo post similiter ex dictis, inquit, in hoc tertio modo potest inferri corollarium, quod Theologus, & in Sacris litteris exercitatus legendo, & considerando eas est obligatus certa, & explicita fide tenere, & nullatenus dubitare de multis; de quibus simplex, & Idiota requisitus, rationabiliter si non pertinaciter dubitaret, vt quod Tobias habuerit canem, vel Aaron barbam &c. Hactenus limitatio Albertinum ex Inquisiti in Sancto Offido, & examinati qualitate proueniens; quę pro similibus casibus ob oculos examinatoris semper versari debet,

28 Est item alius modus cognoscendi ex verbis aliquem hæreticum pertinacem, vel Infidelem, si asserunt Ecclesiam Catholicam errare, vel errasse, maxime in proponendis Apostolicis traditionibus acceptis à Christo Domino, tametsi totam fidem ab ipso Christo traditam, veram omni ex parte esse affirmet. Ita Albertin. vbi supra, & ab eo relatus Cardinalis Turre. Crem. qui ait taliter asserentem, eo ipso, quod similia verba profert, esse reputandum hæreticum pertinacem, cum certissimum sit ex communi, quod in ijs quę sunt fidei, Ecclesia errare non possit, quia Christus rogauit pro ipsa Ioan. 17. & habetur cap. maiores in princip. de baptis. & cap. à recta cap. pudenda 24. quæstion. 1. Atque ex eo-

29 dem principio protectionis, & orationis Christi respectu ipsius Ecclesiæ constat peculiariter quod ipsa non possit errare in proponendis traditionib' diuinis quales Apostoli immediate ab ipsomet Christo Domino circa administrationem Sacramentorum, & circa alia acceperunt, & habent infallibilem Fidei veritatem, ergo quicunque dicit non esse recipiendas; vel ecclesiam errare in eis proponendis

nendis, ac vsui applicandis hæreticus, pertinax reputatur, & in Secta hæreticorum nostri temporis, qui huiusmodi traditiones prorsus reijciunt, legendi circa hoc Melchior Canus lib. 3. cap. 5. de locis Theologicis, & Penna 2. part. direct. super quæst. 2. vers. sit quinta regula.

30 Denique est peculiaris modus percipiendi ex verbis, quisnam sit hæreticus pertinax, & cuius Sectæ, si affirmauit, quod Concilium Vniuersale, seu plenarium constans ex Ecclesiæ Patribus, seu Episcopis approbatum à Summo Pontifice, vel quod ipse Summus Pontifex vt Pastor, & Caput Ecclesiæ in ijs, quę sunt Fidei, errare possit. Quoad Conciliũ inde patet, quia in materia Fidei determinata per ipsũ omnimodam firmitatẽ habent, nec vllo modo reuocari possunt in dubiũ, cap. Maioris, 24. quę. 1. id ob assistentiam Spiritus Sãcti iuxta promissionem Christi Domini Ioan. 17. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem. Innotescitq; magis talis assistentia diuini Spiritus in Cõcilijs OEcumenicis ex modo illo loquẽdi D. Petri præsidentis in pręcipuo Concilio Generali Hierosol. in quo agebatur de articulo grauissimo circũcisionis, an qui de nouo ex gentibus cõuertebantur ad Fidẽ, essent circũcidendi. [Visum est enim, inquit, Spiritui Sãcto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quã hæc necessaria, &c. ergo nequit Concilium Vniuersale errare, & cõsequenter, qui oppositũ dicit, vel quod iam errauerit, merito hæreticus censetur. Tradunt Turre Cremat. in summa Ecclesiæ, lib. 3. cap. 38. Albertus, dict. qu. 30. num. 18. & preter alios Penna, vbi supra.

31 Nihilominus cum diuersa in quibus agitur de Generali Concilio non spectent ad Materiã Fidei, nihil mirum, si in aliquo ex ijs, quæ cõsistunt in facto particulari, non sit tanta firmitas, ita vt debeat reuocari ab alio Concilio, vel à Papa. Exemplificat Albertus num. 22. in excommunicando aliquem, qui non erat excommunicãdus ex causa latenti iuxta textum cap. à nobis, lib. 2. de sententia excommunicat. & ibi Abbas; facit pro eodem cap. 5. de Constit. lib. 6. ergo qui assereret in similibus Concilium aliquando errasse, vel posse errare, non eo ipso reputaretur hæreticus.

32 Quoad Papam vero, vt Papa est, quod in decernendis rebus Fidei non possit errare, certissimum de Fide est ob eandem assistentiam Spiritus Sancti, & ob attestationem orationis Christi Domini, apud S. Lucã cap. 12. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, quæ promissio, vt alibi vidimus, etiam de successoribus D. Petri communiter exponitur, vt fratres suos, idest, fideles in fide confirment; ad quam confirmationem requiritur, vt Summi Pontificis iudicium in rebus sit stabile, & infallibile, vti reuera est; & qui hoc negat, signum præbet, quod sit pertinaciter hæreticus. Vt v. g. Si quis negaret, quod sit deffinitum per Papam Benedictum XII. in extrauaganti. Incipit, Benedictus Deus, animas scilicet iustorum, si nihil habeant, quod pœnis Purgatorij expiandum sit, Diuinam Essentiam clare videre, simul atque è corporibus migrauerint. Quo exemplo bene confirmant cum Ioann. Turre

33 Cremata in summ. de Eccles. lib. 2. cap. 109. cum Melchiore Cano lib. 5. de locis; & cum alijs propositam doctrinam, quod Papa non possit errare in definiendis rebus fidei, & quod affirmans oppositum, seu quod iam errauerit in aliquo casu particulari, sit hæreticus pertinax iudicandus.

34 Verum considerando in Summo Pontifice non potestatem Iudicialem, seu auctoritatem supremam Vicarij Christi, & Successoris D. Petri, sed rationem particularis personæ, quam habet communem cum alijs hominibus, nullũ dubium quod possit errare non solum in alijs rebus, seu materijs, sed etiam in materia Fidei. Tradit ex omnium mente Albertinus dict. qu. 30. num. 24. qui addit ita iam contigisse, vt aliqui Summi Pontifices errauerint in fide, ostẽditque late tribus exemplis, nempe Marcellini, cap. Nunc autem, 21. distin. Liberij, licet postquam renunciauerit Papatui, & Anastasij Secundi, Cap. Anastasius, 19. Distin. Senten-

35 tiam tamen Albertin, quoad hanc partem de facto non sequimur; cum iam alibi ex Cardin. Roberto Bellarmino, vt probabilius tradiderimus, huc vsque nullum Romanum Pontificem fuisse hæreticum formalem. Quoad partem vero de possibili, eum admittimus. Vnde si quis asserat Papam errare posse, non statim sic asserens, est habendus, vt hæreticus pertinax; sed distinguendum, & prospiciendum, de qua materia erroris loquatur, & an sumat Papam, vt personam particularem, vel vt supremam in Ecclesia auctoritatem habet.

36 Denique ex dictis à fortiori clare innotescunt reliqua, quę in præsenti regula exprimuntur. Ibi, talia autem signa, &c. Si enim quæuis signa desumpta ex verbis prolatis contra quæcunque contenta in Scriptura Sacra, vel contra alia fidei Diuinę opposita indicant proferentem re ipsa esse infidelem, aut hæreticum pertinacem: quanto magis indicabunt, si signa desumantur ex verbis prolatis contra clariora, & firmiora Christianæ fidei dogmata, maxime contra Articulos in Symbolo Apostolorum expressos, ex quorum professione, vnusquisque verus fidelis Catholicus clarius manifestatur.

37 Hinc Penna loco citato vers. dicet, hic forte quispiam se excuset cum præter septem, quas proponit, non adducat cum Heymerico supra distinct. 22. aliam regulam, quæ Catholicæ veritates dicantur illæ, quæ in Articulis Fidei continentur, quibus contrariæ assertiones sunt hæreses manifestæ?

Respondet, quia ista per se sunt clara, & aperta, atque pro similibus non indiget quisquam præceptionibus; Vnde nos hac eadem excusatione contenti, huic regulæ finem imponimus.

Qualiter, & ex quibus factis oriantur signa, seu Indicia ad cognoscendum errores contra Fidem, & Sectas Hæreticorum, seu Infidelium.

REGVLA CCIX.

38 SImiliter perpensis qualitatibus Inquisiti, seu examinati in Sancto Officio, & alijs circumstantijs, ex factis eius contra Fidem desumet Inquisitor, aut ipsius Consultor signa ad cognoscendum, cuius Sectæ Infidelium iste sit, & ex quibus erroribus mentis talia facta 39 exequi intenderit. Imo prędicta signa ex factis fidei Diuinæ oppositis prouenientia, aliquando adeo manifesta, & vrgentia esse solent, vt excusatorem eorum non solum de hæresi vehementissime suspectum reddant; sed etiam hic, & nunc ex vi iuris pertinacem Hæreticũ, seu Infidelem conuincant.

---

40 DOctrinam huius regulæ vt plurimum Inductione, seu exemplis Doctores nostri, de ea agentes ostendunt; & nos circa totam simul eandem ostensionem trademus cũ ipsis, præcipue cum Simanca Cathol. instit. tit. 30. de heret. & Penna 3. par. direc. in tit. de signis, & indicijs, quibus diuersarum Sectarum 41 hæretici cognosci possunt, comm 24. Vbi prius difficultatem maximam cognoscendi ex factis hæreticos exprimit per sequentia verba. [Ex factis autem, inquit, cognoscere hæreticos, longe difficilius est, cum & varia sint factorum hæreticalium genera, eaque multis etiam modis, & varijs de causis possint à diuersis patrari, ergo in vniuersum fact a quandoq; indicant hominem hæreticum, vel Apostatã, quandoque de hæresi suspectum vehementer, aut leuiter; iuxta facti, & personæ faciẽtis qualitatem: hęc ille; attingens vltimo loco, quod nos initio regulæ proponimus, de perpendenda qualitate personæ contra fidem Diuinam facientis.

42 Nihilominus, quod aliquando magis ex factis, quam ex verbis, quis hæreticus pertinax censeri, faciliusque per illa, quam per ista error contra Fidem in mente eius latens inuestigari possit; D. Chrysost. in Psal. 13. manifeste ostẽdit; vbi ait; Quanto sunt facta potentiora verbis factis, quã dictis, Deũ negare grauius est, & adducit Simancas dict. tit. 30. num. 15. confirmans hoc Chrysostomi testimonio suam sentẽtiam, quod aliqua facta sint vsque adeo impia, ac Religioni, & fidei Catholicæ aduersa, vt ea committens iudicari possit hæreticus, atque prę cæteris hoc copiosius probat Albert. trac. de agnoscen. assert. quæst. 8. num. 12. & q. 34. 43 num. 53. & Rojas trac. de hæres. par. 1. n. 276. Idem peculiari in materia vsurarum, exemplo docent diuersi Auctores, vt refert Farinac. de hæresi q. 186. n 43. per sequentia verba. [Vide, inquit, in repertor. Inquisit. in verbo hæresis §. 1. rubr. quid sit hæresis, vers. item nota quod ne dum: vbi post Luppum, Abbatem, Butriũ, & Ioann. de Imola in locis per eum relatis, tenet posse de hæresi procedi contra eum, qui licet verbis asserat peccatum esse exercere vsuras, ipse tamen inhumaniter tractat eos, quibus pecunias mutuat, & de hoc sit diffamatus: plus enim est facto, quam verbis declarare vsuram non esse peccatum.] Hactenus Farinaccius ex quo plura circa hoc alibi adduximus.

44 Sumuntur haud dubia signa ad pręsumendum, quod quis sit hæresi infectus, & indicandum, quam Sectam Hæreticorum, seu Infidelium sequatur ex varijs factis fidei Catholicæ contrarijs, quæ vterque Simancas, & Penna vbi supra, ac alij proponunt, vt baptizare Imagines, quod factum indicat hunc errorem esse, scilicet eas capaces Sacramenti baptismi, rebaptizare scienter puerum ex quo facto præsumitur ista hæresis, quod baptisma possit reiterari; item genua flectere circa aras Idolorum, preces nefarias recitare, sacrificia ibi offerre, & similia, quæ Apostasiam à Fide nostra, & gentilismum, siue idololatriam in baptizatis ea facienti- 45 bus præseferunt. Similiter dæmones colere, aut inuocare, ab eis responsa petere, sydera venerari, euitare communionem, & consortium fidelium, conuersari libenter, ac frequenter cum hæreticis, & alijs infidelibus; in omnibus huiusmodi factis iuxta Glossam communiter receptam in cap. accusatus, §. sane verb. spectent de hæretic. vt affert Zanchinus tractat. de hæret. cap. 7. numer. 7. signa sunt clara latentis hæresis, aut infidelitatis, sed multo clariora in facto iudaizandi, idest faciendi ea, quæ à Iudæis solebant fieri, vt Sabbatum colere, & similia secundum Albertin. tractat. de agnos. assert. quæst. 8. num. 8. Ioannem Rojas de hæretic. part. 1. numer. 304. & Heymericum vbi supra.

46 Ad ostendendam vero alteram regulæ nostræ partem ibi. Imo prædicta signa etiam proponenda tandem varia facta, quæ omnes ipsa exequentes ex vi Iuris hæreticos pertinaces, vel infideles formales conuincunt, quia ex eis oritur violenta hæresis aut infidelitatis præsumptio, quæ etiam pręsumptio Iuris, & de Iure, contra quam non admittitur directa probatio, vt patet ex cap. 15. quęst. de Sponsal. cap 14. de præsumpt. lib. 1. §. 1. C. de rei vno actione, ob eam efficacem rationem, quia cum talis præsumptio ab apertis, & violentis Indicijs præstat, pro manifesta veritate habetur. Ita Penna 2. part. direct. quæst. 15 Comment. 80. qui comment. 75. super quæst. 50. diuersa facta, ex quibus executor eorum hęreticus, aut credens hæreticorum iudicatur, adducit ex Concilio Narbonensi capit. 29. totidem eius verbis sic.

47 [Sane, inquit, inter culpas, ex quibus credẽtes possunt iudicari, ne vlterius dubitetis hoc esse firmiter arbitramur; si reuerentiã fecerunt hęreticis, vti credentes orationes ipsorum implorantes, & bonos homines profitentes, quasi adorant illos, qui si cõsolatione eorũ vbi eum quem

quem consolantur in hereticum percipiendo per impositionem manuum, se saluare proditionaliter mentiuntur, aut seruitio eorundem, vbi maiore ipsorum librum tenente apertum per ipsum quasi sub generali confessione, remissionem intelligunt fieri peccatorum, aut cęnæ Valdesium, vbi die cœnæ mensa posita, & pane superposito Valdensis vnus benedicens, & frangens, dansque astantibus, credis secundum damnabilem Sectā conficere Corpus Christi, non causa perdendi, vel reprehendendi eos, vel alia commendabili,

48 seu excusabili affuerunt. Si eisdem Valdensibus peccata sua confessi fuerint, vt solet quis, & debet Sacerdoti proprio confiteri, si pacem ab hęreticis, seu Valdensibus, vel panem ab eis benedictum à quocumq; sibi missum, vel datum scieter, ac damnabiliter receperunt, si crediderunt eos in sua Secta saluari posse] hæc ibi, & plura alia videas si lubet, circa quæ notat Penna, licet sint propria hęreticorum illius temporis, posse alijs accommodari.

49 Verum alia facta in Iure expressa breuiter percurramus, & exprimuntur per commissionem, vel emissionem, seu defectū, primo si quis citatus ad respondendum de Fide vti suspectus in ipsa non compareret, & excommunicatione ligatus per annum mansit, anno elapso ex tali facto hæreticus conuincitur, & damnatur cap. Cum contumacia de hæretic. in 6.

50 Secundò, Si quis in hæresim relabatur, quam *prius abiurauerat* in genere, vel in specie ob huiusmodi relapsum, hæreticus pertinax reputatur, cap. ad haben. §. si illos quoque de hęretic. lib. 6. vnde pęna hæreticorum ordinaria punitur.

51 Tertiò, Si aliquis post abiuratam hæresim, de qua conuictus fuerat, aut postea conuincitur cum hæreticis communicare deprehenditur eos visitando, receptando, deducendo, associādo dona vel munera eis tribuendo, hæreticus pertinax censetur cap. accusat. §. id loquetur de hæretic. lib. 6.

52 Quartò, Quisquis dum esset sanæ mentis in morbo, aut corporis infirmitate constitutus, petiuit hæreticos consolantes, vel id præstitit iam morti proximus, etiam post perditā iam loquelam, vel vsum rationis amissum, eam consolationem, seu verius desolationem receperit, si prius habitus fuerat, de heresi suspectus, aut diffamatus, hæreticus omnino reputatur, cap. Filij de hæretic. lib. 6.

53 Quintò, Quicunq; de hæresi fuerit suspectus, & de Episcopi aut Inquisitoris mandato, non se purgauerit, vti hæreticus traditur Curiæ Seculari, cap. ad habendam §. qui vero de hæretic.

54 sed hoc est intelligendum, vt notat bene Penna distin. Com. 24. par. 3. direct. iuxta declarationem textus in cap. excommunicamus, quia tunc si per annum sustineat excommunicationem, eo elapso, vt hæreticus poterit damnari.

55 Sextò, Quisquis postquam se canonice purgauit de errore, cuius vehemens suspicio fuerat cōtra ipsum, (nequaquam, si sola leuis) in eundem relabitur, vti pertinax hæreticus est iudicandus, & Curiæ Seculari tradendus iuxta textum in cap. ad abolendam, §. illos quoque de hæret. & cap. excommunicamus il. 1. §. adijcimus de hæretic. traditq; vt certum cum Heimerico Penna 3. par. direct. comment. 38. verum. At primū de Iure nulla, sed de hoc plenius alibi.

CAPVT QVARTVM.

De Sectis, & erroribus Hæreticorum, aut Infidelium contra Fidem Catholicam, qui ante Incarnationem Saluatoris Nostri extiterunt.

PROOEMIOLVM.

1 Post traditam in communi doctrinam de signis, seu indicijs ad cognoscendas infidelium, aut hęreticorum Sectas, & hæreses; aggredimur Deo dante, earumdem in particulari cognitionem, seu potius simplicem enumerationem. Non enim est in animo ipsas quoquo modo discutere, aut nullatenus refutare, sicut discutiunt, & refutant Controuersiarum Scriptores, præcipue Cardinalis Bellarminus triplici magno volumine contra hæreses nostri temporis; sed tantum enumerando breuiter proponere, & antiquas iam extinctas excitatis denuo nostro tempore, aliquantisper confer-

2 re. In qua enumeratione exequenda, vestigia sequemur tum Sanctorum Patrum, D. Iręnei, D. Epiphanij, D. Philastrij, D. Augustini, D. Damasceni, tum Classicorum auctorum Bernardi Luezembergensis, Alphonsi à Castro, Gulielmi Lindani, Gabrielis Prateoli, Sanderi, & aliorum, à quibus totum id quod ad rem pręsentem spectat, mutuati sunt, magis recentiores, qui tabulas Cosmographicas de Statu Ecclesiæ Catholicæ, vel totius Mundi addiderunt, vt Gilbertus Genebrardus, Iacobus

3 Gualterius, ac reliqui. Quibus etiam adhærentes, tametsi in sequentibus capitibus prædictas Sectas, & hæreses gradatim, attento Seculorum, seu Centuriarum ordine expressuri simus, quæ à tempore Verbi Incarnati vsque ad præsens emerserunt; præsenti tamen capite quascunque ferè pręcedentes ab orbe condito vsque ad tempus legis Euangelicæ pro captu ingenioli nostri, qua poterit breuitate, & perspicuitate fieri non incongruè comprehendemus.

Quot, & quanam ante Aduentum Messiæ sectarum, & hæresum genera contra fidem Diuinam, & quandonam orta.

REGVLA CCX.

4 VNiuersaliter loquendo pro tempore ante Incarnatum Verbum, quatuor assignantur genera sectarum, & hæresum contra fidẽ, ex quibus aliæ earum species dimanarunt, nimirum Barbarismus, Scythismus, Hellenismus, & Iudaismus. 5 Statim initio mundi Barbarismus totum fere orbem innundauit vsq. ad tempus Noë, 6 Scythismus à diluuio etiam post conditam turrim Babyloniæ, temporibus Phaloc, & Ragaù, qui habitauit Scythiam extitit. 7 Dein Hellenismus, seù Græcismus introducta iã Idololatria, multũ inualuit, adiunctis sectis, quasi speciebus eius Pythagoreorũ, Stoicorum, Platonicorum, & similium Epicureorum. 8 Tandem Iudaismus sic dictus à Iuda quarto liberorum Iacob, sumpto hic strictè vocabulo prout denotat eos, qui de Populo Iudaico ad Idololatriam. vel ad errores contra fidem declinauerunt, ætate Moysis incœpit.

---

9 NIhil hoc loco, nè actum agamus, de infidelitate Luciferi, & Angelorum sequacium; nihil de heresibus in lapsu Priorum Parentum contentis: nihil de secta maligni Caimi, & aliorum ob grauitatem propriorum peccatorum respectu sui diuinam misericordiam negantium. Circa ista à nobis Prolegomeno 1. initio nostri Operis ex doctrina S. Augustini lib. 1. aduersus Iulianum cap. 2. & Tertull. lib. 2. aduersus Marchion. cap. 2. cum Ludou. Paramo, Francisco Turreblanca, & alijs ibi citatis respectiuè indicata.

10 Propositam autem quadruplicis generis sectarum, & heresum completam diuisionem, sumpta hac materia in communi, apud vnum tantum Doctorem, qui mihi est instar multorum, inuenire potui, nempe apud D. Ioan. Damascenum initio lib. de Hæresibus, ex Græco in Latinum à Perionio translati, ibi sic incipit. Omnium sectarum, & hæresum genera sunt quatuor Barbarismus, Scythismus, Hellenismus, & Iudaismus, ex quibus natæ sunt cæteræ. Confirmatq. eam sanctus Doctor paulo post testimonio Diui Pauli ad Colos. 3. vbi de his quatuor generalibus sectis, & hæresibus breuiter, & apertè Apostolus meminisse videtur his verbis, *in Christo enim Iesu, non est Barbarus, nec Scytha, nec Græcis, nec Iudæus, sed noua creatura*, vt legit ipse Damascenus, ex quo, & ex alijs breuis explicatio vnius cuiusque generis dictarum sectarum, & heresum proponenda.

12 Quoad primum Barbarorum, inquit, Damascenus, hæresis est, quæ a se orta, & sola ab Adami temporibus vsque ad decimum ortum Noe durauit, Barbarismus autem hęc vocata est, quod ij homines, qui illis temporibus erant, neminem, cui parerent, haberent, aut vnum idemque sentirent, sed quod sibi quisque statuisset, id legis instar pro animi libidine seruaret.]

13 Hactenus ille; vnde clarè liquet tunc totum ferè mundum plenum fuisse erroribus contra fidem diuinam. Et opportune ideò vsus tam in regula, verbo metaphorico, *inundando*: addidi tamen meritò particulam, *ferè*, quia vt pluribus ostendit egregie Genebrardus in sua Chronologia ad finem primæ ætatis toto illo spatio 1656. annorum veluti in infantia mundus durauit. Non defuerunt successiuè aliqui, licèt paucissimi respectu infinitæ pene multitudinis à vera fidei, & religionis via aberrantium, in quibus cognitio eius, & diuinorum mysteriorũ conseruata fuit, ob idque isti fideles, teste eodem Genebrardo, vocabantur filij Dei, Gen. 6. reliquis quibuscunque hominibus absque debita eius notitia ad salutem requisita in profunda caligine Barbarismi existentibus.

14 De genere item Scythismi ità idem D. Damascenus, [Scythismus, inquit, à Noë, & consequentibus temporibus vsque ad Turris Babylonicæ ædificationem, & post conditam turrim paucis annis valuit, idest vsque ad Phalec, & Ragau tempora, qui cum in Europam Thesæ ætate neq. superiore, ex quo Thraces orti sunt, rerum suarum sedem collocauissent Scythię, eiusque gentibus attributi sunt] hęc tantum ille de Scythismo.

15 Quibus adiungo pauca pro maiore eius declaratione, & ex commentatione per nostrum Cornelium Cornelij à lapide, virum doctissimum, super verba ad Colossens. 3. adducta secundum lectionem vulgatam. Nota, inquit, Barbaro opponi Scytham, sicut Iudæo Gentilem, non quod Scythæ non sint Barbari; sed quod maximè sint Barbari, ita vt alij Barbari illis comparati, non videantur Barbari, sed illis esse oppositi. 16 hęc Cornelius Cornelij. Ex quibus manifestè deducitur Barbarismum contineri in Scythismo, & hunc addere aliud prius, nempe maiorem Dei, rerumque Diuinarum ignorantiam, seù plures, & grauiores contra fidẽ diuinam errores.

17 Quamquam inter has errorum Scythismi tenebras in illa secunda ætate mundi tanquam in pueritia eius iugiter effulsit lumen veræ fidei propagatum à Noe per aliquos ipsius posteros, maxime per Heberem abnepotem Semi, vt multiplicibus scripturæ sacrę testimonijs comprobat idem Genebrardus ad finem anni 1056. ab orbe condito, & 293. à diluuio, attingens magis præcipuæ Religionis nostræ mysteria, vt de vnitate, & Trinitate Dei Gen. 8. & xi. de Christo venturo Saluatore sub figura arcus Cælestis Genes. 9. de sacrificio incruento in typum Eucharistiæ Genes. 14. & sic de reliquis: vide, si lubet ipsum Genebrardum.

18 Sequitur tertium genus sectarum, & Hæresum Hellenismi, seù Græcismi, seu Gentilismi, quod hìc idem importent hæc tria nomina patet tum ex doctrina tradita D. Damasceni, tum ex 19 varia lectione loci adducti ad Colossen. 2. Ortum habuit tempore Seruch, proaui Abrahæ, qui secundum Damascenum fuit primus inuentor Idololatriæ; id clarius docet S. Epiphanius, vt refert Iacobus Salianus de nostra Societate Iesu in Epitome Annalium Ecclesiast. Veteris testamenti, ad annum mundi 1850. diluuij 194.

Noe

Noe 794. Nam inquirens Epiphanius de origine Idololatriæ, sic tenet, Phaleg, inquit, genuit Ragam huius seruus fuit, quod nomen prouocatione significat. Hoc verò tempore Idololatriæ inter homines, ac gentilium superstitionis initium est factum, quemadmodum à maioribus accepimus, tametsi nondum ad simulacra celestisque lapides, aut ligna, aut argenteas, aureas que statuas alteriusue, materiæ superstitiosas ille cultus adhæreret, nec aliud præter colores, atq. effigies erat, in quo hominum mentes nouum per se nequitiæ genus excogitarent, ac sponte sua, proprioque animi, ac rationis impetu pro honestate, sibi sceleris turpitudinē adsciscerent.

21 Hæc ille & similia repetit in Anacephaleosi, addens talibus imaginibus repræsentasse illos, qui apud ipsos in honore fuerant, aut tyrannos, aut præstigiatores, aut qui aliquid fecerant in vita memorabile.

22 Circa hoc autem optime notat idem Salianus quod prædictę picturæ natura sua indifferentes ex bono fine, vel gratitudinis secundę memorię virorum illustrium, vel eorum egregia facinora imitandi fuissent laudabiles; ac rem paulatim, dæmonū artificio, & inductione ad Idololatriā deflexisse. Tribuebant enim homines rebus inanimis diuinitatem quandam, & quòd dæmones ibi aliqua mira operantur, vel responsa in Ido-

23 lis darent. Hoc incepisse post gentium, & linguarum diuisionem, ait ipse Salianus, qui tamen *anno mundi* 2000. cum D. Hieronymo in cap. 2. Ose, & cum plerisque Scriptoribus ortum Idololatriæ ad Ninum Beli filium refert, sed lubet eius verba in medium adducere.

24 Hoc ergo, inquit, circiter tempore Ninus in frequenti procerum Babylonicorum conuentu, cum Patrem suum Belum defunctum Babylonis *ipsius*, regnique Babylonici fundatorem vehementius, vt assolet, commendasset, atque cum non solum in mortali apud posteros memoria sed apud superos etiam immortalitate dignum prædicasset, statuam, quæ cum ad viuentis speciem affabre; eleganterque repræsentaret, exhibuit; cui quasi viuenti deferretur honos; ad quam si quis reus confugeret, abripi non posset ad pœnam; sed cuiuscunque potius criminis veniam consequeretur. Denique miserorum esset

25 commune perfugium. Ea res defuncto diuinitatis opinionem facile conciliauit, & sub titulo Iouis, vel vt alijs placet, Saturni Babyloni Deus factus est, eique templum magnificentissimum, Babylone, à filio excitatum varijsque sacrificijs dedicatum est, quæ ipsi Belo deo nouo offe-

26 rebantur.] Hactenus Salianus. Qui ex eodem D. Hieronymo in cap. 46. Esaiæ adiungit, qualia essent dicta sacrificia, nempe cum refusione humani sanguinis, & vitæ etiam propriorum filiorum.

27 Verum quidquid sit de ortu Idololatriæ, siue cum D. Epiphanio, siue cum D. Hieronymo tenendum: illud apud omnes Scriptores certissimum est, eam statim fuisse propagatam ad posteros filiorum Noe, non solum Cami, & Iapheti, sed etiam Semi, vt patet in progenitoribus Abrahæ, & nominatim in Tare. Dein successu temporis deflexisse ad quascunque nationes, & gentes toto terrarum orbe dispersas, precipuè ad illas excellentioris gubernationis, & maioris notitiæ rerum, nimirum ad Aegyptiacam,

28 & Græcam, & ad Romanam, defluxit. Ad Græcam, medio Cecrope, primo Atheniensium rege, vt ad annum Mundi 2498. Mosis 31. & Imperij Assyriorum 567. refert ibi Salianus: atque ibi postea maximum incrementum accepit; adeò vt Athenis tempore prædicationis S. Pauli pro singulis Dijs Gentium notis singulæ aræ ad immolandas victimas essent erectæ, & addita peculiaris ara pro Deo ignoto, si aliquis forte, extaret, vt patet ex Actorum Apostolorum 17. & ibi ex Interpretibus.

29 En qualiter se habet ad Idololatriam tertium genus sectarum, Græcismus scilicet, seu Hellenismus, sic dictus, teste D. Damasceno, ab Helno quodam, quia in Græcia fuit valde celebris; qui plura scire desiderat de multiplicitate, & propensione gentium in vitium Idololatriæ, legit Alexandrum ab Alexandro genialium dierum lib 5. 34.

30 Superest videndum, quod de sectis specialibus hæresum ei adiunctis, quatuor pręcipuas exprimit Damascenus, Pythagoræorum, Stoicorum, Platonicorum, & Epicureorum; & nos vnū tantum verbum circa vnamquamque maxime quatenus à veræ fidei via aberrarunt. Quod

31 Pythagoræos, seù Pythagoricos, ita vocati, qui insistebant doctrinæ, & præceptis Pythagoræ Principis Italicæ philosophiæ: hunc extitisse insignē Magum, & consuetudine Deorum, seù potius dæmoniorum vsum fuisse cum Suida ex Philostrato refert Salianus ad annum mundi 3560. & Vrbis conditæ 259. Vnde nil mirum, si varios perniciosos errores contrà fidem Diuinam discipulos suos docuerit; a quibus per quinquennium integrum exactissime silentium requirebatur.

32 Pręcipuus error Pythagoręorū, cuius primus inuentor assignatur Pythagoras, est de transmigratione animarum à corporibus in corpora etiā animalium irrationabilium. Abstinendum etiā ab esu carnium, & à potu vini, tenebant. Ter-

33 tiò, rebus quæ subiectæ sunt sensibus ita terminos assignabat; vt quæ à lunæ ambitu; & superioribus continētur immortales, quę infra ortum Lunæ mortales, & caducas esse, errando affirmauerint. Quarto errarunt Pythagorici Magistrum suum Pythagoram post mortem, vti Deum colentes, erecta in templo, domo eius statua, & sacrificijs ibi ei oblatis. Sed multo magis erra-

34 uit ipse Pythagoras seipsum Deum nominando ita D. Ioannes Damascenus dict. lib. de hęresibus vers. Pythagoræi, & alij.

35 Iam Platonici sic dicti à Platone, vocati etiam Peripatetici, sumpta denominatione à loco vario, vbi de ambulando docebant, teste Ci-

36 cerone lib. 1. Academ. quæst. Natus autem Plato circa annum mundi 3625. Vrb. conditæ 324. iuxta computationem Saliani post initia belli Peloponnesiaci. Extitit Mosis æmulus; vnde Moses Atticus dictus ex Numenio Pythagorico adducit

37 Genebrardus in sua Chronologia lib. 2. Addens quod ipse tertius philosophorum, post Anaxagoram, & Pythagoram in Aegyptum descēderit, vt philosophiam ex qua Diuini cognomentum est,

est, disceret, atque ad eundum finem Heliopolicum Sacerdotibus 15. annis, & cum Socrate 20. habitauerit.

38 Ex discipulis Platonis primas tenuit Aristoteles, licet in errore contra fidem circa constitutionem mundi valdè inter se ipsi discrepent, vt ex alijs Auctoribus Genebrardus, initio primæ ætatis pag. 3. affert. Nam ille falsò censuit ex materia præexistente increata fuisse constitutum in tempore: hic vero ab æterno existere docuit.

39 Delirat etiam circa hoc Democritus affirmans ex atomis fortuitaue aliqua cõuersione coaluisse; cum ex scriptura pateat Gen. 1. Ex nihilo in

40 tempore à Deo creatum fuisse. Amplectuntur pari modo Platonici, sicut dictum est de Pittagoreis, errorem de trãsmigratione animarum à corporibus in corpora, qui adhuc nostra ætare inter gentiles maxime inter Iaponios viget. Item tenuerunt animũ ortu carere & immortalem, ac

41 diuinum esse. Quarto ipsi animæ tres partes assignarunt, vnam, quæ rationis esset particeps; alteram eam, in qua affectus irascibilis resideret:

42 tertiam eam, quæ voluptate foueretur. Quinto mulieres esse omnibus communes, & nullam assignari debere alicuius propriam censuerunt.

43 Sexto, cum ingenti impietate, & falsitate plu-

44 res deos ex vno induxerunt. Septimo, ipsum Deum potuerunt materiam, & speciem ex qui-

45 bus omnia constarent. Octauo mundum ortum habuisse, nunquam verò interiturum asseruerũt Ita D. Damascenus dict. lib. de hęresibus versu, Platonici Deum &c.

46 Quid prȩterea de secta Stoicorum, hi a Statione, seu Porticu, vbi Athenis philosophabantur, dicti à stando, quod opposito modo ac perripatetici deambulando, docerent. Primus istorum Auctor fuit Zenon origine Cyprius: de hoc scribit Laertius, vt notat ad annum mundi 3790. Vrb. Cond. 489. & supra 90. vixisse, adductus Salianus præfuisse Scholæ annis 58. & vitaque excessisse absq; morbo ætate confectum vel nimia continentia extinctum.

47 Quę in eo dum viueret, fuit adeo singularis, vt etiam prouerbio locum dederit, & qui moderatissimæ vitæ esset, diceretur Zenone continentior, de eius tamen morte concludit his verbis Salianus, familiarem, inquit, aliquem dęmonem videtur postremum allocutus, cuius monito, seu consilio strangulans interijt, secundum Eusebium initio Olympiadis 129.

48 Verùm si Zenon habuit familiarem dęmonem qui mendaciorum, & errorum pater semper fuit nil mirum, quod ipse, & Stoici eius sequaces diuersis erroribus contra fidem imbuti extiterint, quos refert D. Damascenus vbi supra per sequẽtia verba, Stoici, inquit, corpus esse omnia,

49 atque hunc mundum, qui sensu percipitur, Deũ statuebant, nonnulli vero Dei naturam ex igne constare posuerunt, ac Deum quidem mentem esse definiunt, & quasi animum huius vniuersitatis cœli, ac terræ, eius autem corpus hanc, vt dixi, ponunt vniuersitatem, oculos verò solem, & lunam, ac Stellas, corpus item occidere, animum à corpore in corpus migrare volunt] ita ille, nec occurrit quidquam addendum circa hãc Stoicorum sectam.

50 Restat dicendum de secta Epicureorum, hi sic vocati à præceptore suo Epicuro, quem immerito Laertius adeo extollit, vt non dubitet affirmare ipsum reliquorum omnium philosophorùm lumen obscurasse, quemadmodum sol suo splendore aliorum Cælestium corporum claritatem obtenebrat.

51 Hoc Epicuri encomium, vel inde apparet omnino falsum, quod ipse Dialecticam semper damnauerit, affirmans posse philosophiam simplicibus verbis comprehendi; cum tamen Dialectica tàm ab Ethnicis quibuscunque, quam à Catholicis, quouis tempore pernecessaria ad omnes scientias fuerit iudicata, & tanquam via regia proposita, vt patet ex perpetuo, & vniuersali vsu omnium Academiarum.

52 Epicuri autem, & Epicureorum tres sunt præcipui errores contra fidem, ex quibus alij plures tanquam à fontibus dimanant. Primo indiuidua quædam corpora, vt ait D. Damascenus citatus, eiusdem generis, & infirmitatem rerum omnium principia assignabant; Vnde huiusmodi homines adeo sibi ipsis merè corporei, & materiales videbantur, vt nullo modo partem spi-

53 ritualem animæ admitterent. Secundo, Dei prouidentiam e rebus humanis tollebant, quasi non curet de bonis aut malis, quæ ab hominibus in hoc mundo aguntur, nec pro meritis aliquando vnicuique sit redditurus; errantibus sic Epicureis, & irritantibus Deum cum illo, de quo in psal. 9. Propter, quod irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo non requiret.

54 Tertio summum bonum, seu vitam beatam in voluptate ponebant.

55 Quamuis autem non desint, qui id intelligant de voluptate animi, idest, de carentia, seu priuatione dolorum omnium, & nequaquam de voluptate corporis, sicut ponebant Aristippus Cirenaicus, Socratis discipulus. Communiter tamen etiam Epicuro tribuitur, quod collocauit summam felicitatem in voluptate corporis, sitque prolatum ab eo, & ab eius sequacibus, illud vulgare; Comedamus, & bibamus; cras enim moriemur, & post mortem nulla voluptas.

56 Hinc de eo Genebrardus in sua Chronologia ad annum mundi 3950. & Vrbis condit. 473. Epicurus, inquit, Atheniensis de quo æqualium aliquis, cum porci loquentur, eadem cnm Epicuro dicent [Atque idem confirmant quod in

57 morte eius accidit. De qua Salianus ad annum mundi 3783. Epicurus, inquit, natus anno 3. Olympiadis 109. hoc anno mortuus, duos & septuaginta impleuit annos, vt est apud Laertiũ, qui eum calculo obijsse ex Hermaco tradit, quatuordecim dierum morbo fatigatus, cum in peluim æneam calentibus aquis plenam descendisset, & meri haustum postulasset, amicosque ad decretorum suorum memoriam cohortatus esset.] hęc ille.

58 Quinimo ex secundo, & tertio erroribus prædictis Epicurus manifestè conuincitur Atheus, idest sine Deo; dum enim humanas actiones, & reliqua huius Mundi sine prouidentia, & gubernatione Dei esse affirmat, vltimumque finem, ac summam felicitatem in corporis voluptate constituit, profecto Deum è mundo tollit, & se-

quitur

quitur illam sectam Atheismi, de qua in psal. 13 & 52. dixit insipiens in corde suo non est Deus, vbi Sacri Expositores multa tradunt de huiusmodi secta, precipue ex recentioribus noster 59 Ioannes Lorinus; secundum quos sine dubio ceteris errorum sectis ista Atheismi, antiquior, & vniuersalior est, licet occulta. Qui enim naufragium illud circa fidem, de quo Sanctus Apostolus 1. Timoth. ob repulsam bone conscientiæ patiuntur, vt plurimum in Atheismũ incidunt. Publici vero eius defensores, & professores etiam libris scriptis fuerunt Athenis ex philosophis antiquis Protagoras, Diagoras, Melius, Theodorus, Cyrenaicus, ac alij, qui diuinum numen, vel è medio tollebant omni-60 no, vel saltem in dubium vocabant. Sed preter oraculum D. Ioannis: In principio erat verbum &c. mendacij omnium impudentissimi arguuntur, & conuincuntur, quia cum nihil a se ipso factum esse possit, & in causis efficientibus nequeat dari progressio in infinitũ, ad vnam aliquam veniendum est, que non sit ab alia, & à qua facta sint omnia, quam vocamus Deum. Vide Salianum initio sue epitome pag. 1. sic ipsos arguentem, dum plura de Atheismo in alium locum differo.

61 Quartum genus sectarum, & hæresum in communi assignatur à D. Damasceno, Iudaismus, et videtur sumi ab eo late prout se extẽdit ad quoscunque bene, vel male Iudaicam legem profitentes, nos strictius de eorum proposita regula pro solis Iudaizantibus cum aliquo errore mentis formali contra ipsam legẽ, seu fidem à Deo ipsis traditam, atque de istis 62 duplici sequenti regula agetur. Nunc tantum attingimus de Atheismo Iudæorum, an aliqui de illo Populo a Deo peculiariter electo in ipsum prolapsi sint. Circa verba adducta psal. 13. dixit insipiens in corde suo non est Deus, affirmanter respondent graues Auctores, quos adducit, & sequitur Lorinus citatus, quibus adhereo indubitater, cum circa hoc nulla possit esse dubitatio.

Ante Verbum Incarnatum vnde, ac cur, & quænam in particulari Idololatriæ secta apud populum Iudaicum.

REGVLA CCXI.

63 QVamquam veri Dei cognitio apud Iudæos, & Israelitas adeo effulsit, vt merito de eis Regius Vates cantauerit: Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius: ad Idololatriam tamen falsorum Deorum ob ingratitudinem precipue sæpius, & multi-64 pliciter declinauerunt. Vnde apud ipsos duodecim Idololatrarum sectæ successu temporis extitere, nimirum Ranatitæ, Vitulicolæ, Serpenticole, Astarotite, Barlite, Fortunatitæ, Heliognostici, Molochitæ, Muscaronitæ, Pu-65 teoritæ, Tophetitæ, & Troglodite. Sic vocate pro diuersitate animalium, & rerum, quibus supremi cultus deferebantur; vel aliunde atque vniuscuiusque ex his sectis breuis declaratio statim apponetur.

66 HVius regulæ doctrina fere tota ex Sacre Scripture textibus elicienda, eiusdemq. testimonijs comprobanda, ac primo circa causam totam iterate, ac multiplicis Idololatriæ illius populi Iudaici, quadrat à fortiori Iudæis illud quod de philosophis ex gentilitate testa-67 tur Sanctus Paulus ad Roma. 1. [ita vt inquit sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum, glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt; & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium est.] En qualiter permisit Deus, vt sophi illi Gentiles in Idololatriam turpissimam laberentur, eo quod ingrati erga eum extiterint, & notitia de ipso Deo ex creaturis acquisita ad glorificandum eundem non fue-68 rint benè vsi. Quæ ratio respectu Iudæorum est multo fortior; cum isti cognitionem talem non tantum à creaturis emendicassent; super reuelationem etiam ab ipso Deo accepissent; ac proinde magis ingrati essent, eam non applicando ad eiusdem Dei glorificationem; ergo nihil mirum, quod permiserit Deus eos turpiter labi in idololatriæ scelus impijssimum.

69 Præter dictam vero causam ingratitudinis, & alias, quas omitto, nullum dubium, fuerint etiam inducti Iudæi ad idololatrandum pessimo exemplo aliarum nationum, maximè Aegyptiorum. [C]um enim hi (vt iam de prima secta, ex duodecim propositis innorescat.) ranis sacrificare solerent, eo Iudæi imitati sunt.

70 Motiuum, seu occasionem illis sacrificandi, cum S. Philastrio explicat in suo Elencho alphabetico Prateolus par. sequenti verba: Ranatitæ, inquit, erant, qui apud Iudæos, & Aegyptios quondam ranas colebant, quos sub Pharaone per diuinam iram & vltionem, Mosisque imperium, Aegyptiaca tellus emanauit, vt earundem infestatione, & putori, Aegyptij defatigarentur. Inque eo scelere illi adhuc perseuerant, putantes Dei iram ex hac vana obseruantia posse placari,] hæc ille. Atque apparet manifeste quod traditum de inductis Iudeis ad talem idololatriam malo exemplo 71 Aegyptiorum, cum hos, & non illos plaga ranarum sicut & reliquę tetigerint.

72 Sequitur explicanda breuissime secta Vitulicolarum, id est colentiũ vitulum, sic denominãtur vitulicolæ huius secte professores à Prateolo, & eius obiter tantum meminit in indice idololatrarum, qui ante Christum natum sub Israeliticis principibus, regibus, & sacerdotibus diuersis temporibus emerserunt, & quia quamuis preter vnum Prateolum, neque sub dicta denominatione, neque sub alia simili apud vllum Scriptorem sectam Vitulicolarem inuenire potuerim. Factum tamen adorati sepius vituli à populo Iudaico valde celebre

lebre est in Scriptura Sacra Exod. 32. ibi: Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque imolantes ibi hostias, dixerunt, isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt

73 de terra Aegypti] Quod autem continuauerint postea transacto longo tempore Iudæi in idololatria adorationis vitulorum, patet 4. Reg. 17. ibi, Dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui, feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt &c.

74 De Serpenticolarum secta quid? teste Prateolo in dict. Elencho Alphabetico lib. 12. verb. Serpenticolæ, fuerunt eius sectatores illi, qui olim apud Iudæos adorabant offerentes sacrificia serpentem æneum, quem cum illi in deserto ob murmurationem contra Deum à serpentibus ignitis morderentur etiam cum vitæ interitu, præcepit Dominus Mosi seruo suo conflare, & supra lignum erigere, vt qui in illum intuerentur, à plagis, & vulneribus salui manerent, vt constat Num. 21. Deut. 8. Iudith. 8. Ioan. 3. & 1. Corint. x. Prędicta autem impietas sic adorandi serpentem illum adhuc erat in vsu tempore Regis Ezechię, quem ipse sustulit 4. Reg. 18. ibi. Dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moses, siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant & incensum &c. Sicut etiam idem Ezechias sustulit alias superstitiones à Iudęis 4. Reg. 18.

75 Prædictæ sectæ Serpenticolarum propter similitudinem in nomine potest coniugi illa alia Ophitarum, græce enim ophis, latine serpens dicitur: quamquam Prateolus vt distinctam à duodecim expressis in regula, adducit, et eã Iudæis tribuit, numerando ipsam in indice prędicto inter sectas Iudęorum, quæ ante Aduentum Christi extiterunt. De hac Philatrius Episcopus Brixiensis, qui floruit ante ętatem Diui Hieronymi, in lib. de hęresibus, sic ait: Ophitę colubrum venerantur ea de causa, quod hic primus omnium (vt aiunt) initium nobis scientię boni, & mali attulerit] & ille, qui non exprimit, an Iudęi, ob talem causam colubrum venerati fuerint. Verùm secundum D. Hieronymum aduersus Luciferianos, vt refert ibidem Prateolus, Ophitę sunt de his, qui Euangelia laniarunt, ergo ad tempus legis Euangelicæ spectant. Atque S. Augustinus lib. de hæresibus cap. 17. asserit, licet ex aliorum sententia, Ophitas à Nicolaitis, vel Gnosticis originem duxisse, & certum est istorum hæreses tempore legis Euangelicæ emersisse, vt suo loco videbimus.

76 Quoad sectam Astaroticarum, seu Astharitarum, vtroque enim modo vocari solet à doctoribus:) eius professores fuerunt Iudæi, qui vt ex varijs locis Scripturæ Sacræ, præcipue 4. Reg. cap. 23. affert Philastrius dict. lib. de hæresibus, Astharot abominationẽ Sidoniorum & Camos abominationem Mohabitarum, & Melthem abominationem filiorum Ammon, idest, Idola adorabant, sacrificia eis offeren-

77 do. Origenem autem, & durationem huius sectæ sic exprimit Prateolus lib. 1. hoc verbo Quartum vero, inquit, ad Astharitas, & Asharoditas attinet, à defuncto Mose ad captiuitatem vsq. Babylonicam hoc scelus plerique ipsorum mordicus retinuerunt. Nam Asthareth Astaroth figuras colebant, quæ nomina Regũ Syriorum fuerunt, & Aegyptiorum, quorum cum filij, & filiæ à suis populis colerentur, eis postea templa dedicarunt &c.] Hęc ille, Qui addit de ira quam Deus habuit mittendi quãdoque Prophetas, qui eos pro tam atroci scelere reprehenderunt propositis minis ne resipiscerent euersionis Regni eorum, & captiuitatis Babyloniæ, quę postea inopinato euenit.

78 Dein celebris valde fuit apud Iudęos Israelitas secta Baalitarum, fueruntque ex ipsis innumeri, qui teste Philastrio lib. de hæresibus, Belo Tyriorum Regi mortuo, seu eius Idolo accepto, ac potissimum confitebantur fuisse se liberatos per ipsum ab oppressione Cypriorũ qui Phænicum littus continuo piratica infe-

79 stabant. Huius Idololatrię, & adorationis à Iudæis exhibitę Baal fit mento 3. Reg. 18. Vbi peculiariter exprimitur de facto nequissimi Regis Achab, qui quotidie simul cum vxore sua Iezabel dicto Idolo sacrificia offerebat, quo pessimo exemplo omnes Israelitę ad idem prę-standum excitabantur. Exprimitur etiam

80 qualiter Beatus Helias propheta zelo honoris Dei accensus à tali impietate eos reuocabat dicens, vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem

81 Baal, sequimini illum &c. Perstiterunt tamen in suo scelere idololatrandi; ac propterea Rex & Regina diuersis pœnis, & cruciatibus perierunt. Populusque vniuersus ducentorum quinquaginta quatuor annorum spatio crebris captiuitatibus vexatus fuit, vt bene adnotat Prateolus lib. 2. verb. Baalitę, quem præcipue sequimur in his sectis idololatriæ Iudæorum explicandis.

82 Secta Fortunatitarum fuit apud Iudæos illorum, qui Fortunam, seu Reginam Cæli, seu Cælestem, vt Africani vocant, sacrificia offerebant tanta propensione, & assiduitate, vt etiam vehementer reprehensi, iussu Domini,

83 à Hieremia Propheta non desisterent. Imo valde obstinati respondebant, sermonem, quẽ locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus Reginæ Cæli & libemus ei libamina,

84 &c. Hier. 44. Prꝫterea apud eundem Hieremiam cap. 7. conqueritur de ipsis Deus sic: Nonne vides quid isti faciunt in Ciuitatibus Iuda, & in plateis Hierusalem. Filij collegũt ligna, & Patres succendunt ignem, & mulieres conspergant adipem, vt faciant placenta Reginæ Cæli, &c.

85 Causam autem cur sacrificarent Fortunæ, seu Reginæ, idest, Lunę, seu multitudini stellarum, & secundum D. Hieronymum ibi egregie, reddit Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 1. vt refert Prateolus, his verbis, nimirum quod qui illam religiosè colerent, magnis sæpè incrementis se auctos eius

meritis

meritis fuisse crederent, qui vero minimo cultu, aut despectui habuissent, pluribus incommodis fuisse dehonestatos, quo sane referendū illud, quod eius cultores pretexebant Hieremiæ, tam nefandæ rei repugnanti ex eo, (aiebant) tempore, quo cessauimus sacrificare Reginę Cœli, & libare libamina, indiguimus omnibus.] hactenus Prateolus, apud quem plura legas.

86 Heliognosticorum sectę, (quos etiam diuitiaticos S. Philastrius vocat) fuit apud Iudęos eorum, qui solem, vti Deorum maximum adorabant, adducti malo exemplo Persarum, & Messagetarum gentium, à quibus idem prestari solebat, eo quod ibi succederent, & dicerent solem scire omnia, quæ Dei sunt, ac per illum solum homines lumine circumfundi recreari, corporis, & animæ vires possidere, atque ab eo solo quorumcumque gignendarū rerum vim deriuari, propterea in sacrificium ipsi equos, vt quid valde excellens offerebant.

87 De hac Iudęorum Idololatria est illud apud Ezechielem cap. 8. Adhuc conuersus videbis abominationes maiores his, & introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare, quasi vigintiquinqne viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis, &c. Pęna autem contra quemuis de Populo Iudaico *adorantem deos alienos*, præcipuè Solem, & Lunam, ac omnem Militiā Cœli statuta fuit ab ipso Deo, Deut. cap. 17. nempe vt ad portas

88 Ciuitatis lapidibus obrueretur. Vide plura apud eundem Philastrium lib. de hæresibus, qui illud notatu dignum adducit. Quod Hermes ille vanus paganus Trismegistus docuerit post Dominum omnipotentem, non alium, præter Solem debere ipsum, & homines adorare; sed hæc obiter de errore Hermetis.

89 Molochitę, & Remphamnitæ fuerunt Idololatræ apud Iudæos qui Moloch, & Rempham Ammonitarum Idolum adorabant filios suos, & filias ei initiantes contra prohibitionem Domini, quæ habetur Leuit. 18. Sic de semine suo non dabis, vt consecretur Idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui, Ego Dominus, & rursus cap. 20. prescribitur pœna talem violan-

90 tibus prohibitionem; ibi: Homo de filijs Israel, & de aduenis, qui habitant in Israel. Si quis dederit de semine suo Idolo Moloch, morte moriatur; populus terræ lapidabit eum & ego ponam faciem meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui, eo quod

91 dederit de semine suo Moloch. De hac Idololatria conqueritur Deus per Hieremiam c. 30 eam S. Stephanus Protomartyr Iudæis exprobrat Actor. 7. secta tandem ista Molochitarum valde excreuit pessimo exemplo Regis Salomonis, qui eam in senectute sua secutus est. 3. Reg.

92 11. ibi: Cumque esset Salomon iam senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos; nec erat cor eius perfectum cum Domino suo, sicut cor Dauid patris eius, sed colebat Salomon Asthartem Deum Sydoniorum, & Ghamos Deum Mohabitarum, & Moloch Deum Ammonitarum &c.

93 Paucis explicat Prateolus vbi supra lib. 10. Sectam illam adeo celebrem Muscaronitarum, sumpta denominationem à Musca, & Accaron Ciuitate, in qua Musca colebatur pro deo, & erat ille Belzebuch, qui à Pharisæis Mat. 12. Luc. 11. & Marci 3. princeps dæmoniorum dicitur, miracula Christi Domini sic calumniantibus: Hic non eijcit, inquiunt, dæmonia nisi in Belzebuch principe dæmoniorum] atque hoc modo loquendi falso ei tribuentibus; quod

94 sectam Muscaronitarum sequeretur. Secutus est tamen eam Rex Ochozias 4. Regis. Vbi dicitur, quod dum maxime corporis languore teneretur, miserit nuncios, qui consulerent, num de sua infirmitate conualescere posset. Propterea iratus Dominus iussit Prophetæ Eliæ, vt nuncijs ita diceret: Numquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Belzebuch Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus, de lecto, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris, & infra mortuus est Ochozias iuxta verbum Eliæ, & Ioram frater eius regnauit pro eo.

95 Breuissime etiā se expedit ibidem Prateolus circa sectam Musoritarum: Erant, inquit apud Iudęos Idololatræ, qui sorices celebrant, ducta huius abominationis origine ab Allophylorum sacerdotibus, & Diuinis à quibus, vt liber primus Regum cap. 6. habet, Philistinorum princeps, & Satrapæ, cum ab eis arca testamenti fuisset in bello capta, atque ex ira Diuina sorices terra produxisset, qui eorum regionem demolibantur, admoniti, & persuasi fuerunt vt pro delicto iuxta numerum prouinciarum eorundem Philistinorum, quinque mures aureos facerent, quos darent Deo Israel sicque super plaustrum nouum, eandem arcam remitterent, inde futurum, vt ab eis diuina plaga desineret, ex quo effectum, vt mures postea, maximo in honore habuerint quidam Iudæi, & eos coluerint. Ita cum Philastrio, Prateolus, & nos cum isto, nec plura addamus.

96 Thophesitarum item sectæ, Vnde denominatio? Vnde origo? sic dicti Thophesitæ ab arca, quam vocabant Thophet, & fuerunt quidam apud Iudæos idololatræ, qui eam alicuius Idoli nomine in Valle filiorum Ex collocare solebant, ac super ipsam filios suos, & filias dæmonijs sacrificabant. Talem Idololatriā dicti Iudæi didicisse videntur ab Assyrijs, qui

97 similia faciebant. Propterea istis Dominus comminatur ruinam per Esaiam cap. 30. sic, à facie, inquit Dominus, pascebit Assur virga percussus, & erit transitus virga fundatus quam requiescere faceret Dominus super eum in tympanis, & citharis, & in bellis pręcipuis expugnabit eos. Pręparata est enim ab heri Tophet à Rege præparata profunda, & dilatata,

98 &c. Sed terribilior comminatio ruinæ contra dictos Iudæos Idololatras à Domino per Hieremiam cap. 7. sic: Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui &c. ac infra, Ideo ecce dies venient dicit Dominus, & non dicetur amplius Tophet & vallis filij Ermon sed vallis interfectionis, & sepeliantur in Tophet

phet, eo quod non sit locus, & erit morticinium populi huius in cibos volucribus Cœli, & bestijs terræ, & non erit qui abigat. Et quiescere faciam in Vrbibus Iuda de plateis Hierusalem, vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocē sponsi, & vocem sponsæ, in desolatione enim erit terra] hactenus Hieremias, vide Pateol. lib. 18. verb. Tophetica.

97 Restat sola Secta Troglodytarum, qui secundum Philastrium lib. de Hæres. apud Iudæos in abditis speluncis, vel locis incultis habitantes Idola adorabant cum execrandis abominationibus, atque inter hos Idololatras, erant etiam Sacerdotes Templi; vt habetur Ezech. 8. [Introduxit me, inquit, Dominus ad ostium atrij, & vidi, & ecce foramen vnum in pariete, & dixit ad me; fili hominis fode parietem, & cū fodissem parietem, aperuit ostium vnum, & dixit ad me, ingredere, & vide abominationes pessimas, quas ipsi faciunt hic, & ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa Idola domus Israel depicta in pariete, in circuitu per totum, & septuaginta viri de senioribus Israel, & Iezonias filius Sapham stabat in medio eorum stātium ante picturas, & vnusquisq; habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulę de thure

98 consurgebat. Et dixit ad me, certe vides fili hominis, quę seniores domus Israel faciunt in tenebris vnusquisq; in abscondito cubiculi sui. Dicunt enim non videbit Dominus nos, dereliquit Dominus terram, &c. ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor, & cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos:] hæc Ezechiel, quibus Prateolus Sectam Tragoditarum satis oportune declarat, nec plura addenda.

99 En qualiter in Populo Iudaico vndecim Sectæ abominandæ Idololatriæ extiterūt, & circa eam in communi vnum verbum adiungo cū Saliano in Epit. Annal. veter. Testamenti, qui ad annum 2622. Mundi perdocte ostēdit quomodo Idololatria in tres Tribus, nempe Leui, Ephrain, & Dan fuerit inuenta, & aucta per Misham quēdam de tribu Ephraim filium Garsā, Iudic. 17. durauerit que per annos 377. & sublata post per operam Sācti Prophetę Samuelis, vt habetur in lib. 1. Reg. cap. 7.

Quænam aliæ hæresum Sectæ apud Iudæos, quinam errores contra Fidem, vsque ad Aduentum Messiæ, & post?

REGVLA CCXII.

100 PRæter dictas Idololatrię Sectas fuerūt aliæ plures; præcipue septē apud Iudæos diuersarum hęresum; videlicet Sectæ Essęorum, Hemerobaptistarum, Masbatharum, Scribarū, Pharisæorum, Saducæorum, & Samaritanorum; quarum vnaquæque illico expendetur, vti diuersimode contra Fidem Diuinam pro-

101 cederet. Extiterunt item alij errores contra eandem fidem apud illos, maxime in corrumpendo Sacras Scripturas, ac in primis ea loca,

102 quę agunt de Messiæ Aduentu: Circa quem potissimū ipsorum error semper extitit, & adhuc durat, atque ad finem vsque Mundi durabit.

---

103 COncors est omnium Scriptorum sententia inter Iudæos varias olim viguisse Sectas multarum hæresum cōtra Fidem, & Religionem à Deo acceptam. Ita docent S. Epiphanius lib. 1. to. 1. contra hęreses ab hæresi 11. Sanctus Clemens Papa lib. 6. constit. Apostolicæ, cap. 6. Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiast. cap. 21. & alij. Ac manifeste deducitur ex cap.

104 5. Actuum Apostol. Dissensio aliqua tamen circa numerum earum. Nam Prateolus in suo Elēcho Alphabetico verb. Hemerobaptistæ, solas septem obiter enumerat, & inter eas reponit Sectam Galilæorū; cuius postea suo loco in litera G, nec alibi vlla ratione meminit; de ea expresse fit mentio in dict. cap. 5. Act. Apost. & inueni apud nostrum Iacobum Tyrinum, fuisse Sectam Galilęorum negantium dandum a Iudæis tributum Cæsari; sed hoc non videtur

105 error contra Fidem. Vnde pro complendo septenario numero, loco ipsius apposui in Regula Sectam Scribarum, quæ sæpius in Euangelio legitur, præcipue Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, non intrabitis, &c.

106 Hanc Scribarum Sectam (iam ab ipsa incipiat declaratio vnicuique breuissime à nobis exhibenda) vt distinctam ab alijs proponit, & declarat D. Damascenus, lib. de Hæresibus per sequentia verba: [Scribæ, inquit, qui ijdē legis periti erant, & eorum, quæ à Maioribus tradita acceperant, interpretes, ea quæ sponte profitebantur, non quod ex ipsis legibus ea hauserant, sed quod legum sibi, & cultum, & iustitiam vēdicabant.] Hactenus Damascenus

107 de Secta Scribarum. Circa quos noster Ioānes Maldonat. in cap. 3. Matth. hoc acute obseruat, quotiescunque simul nominantur in Euangelio, Scribas Pharisęis anteponi, fortasse, quod essent antiquiores, & Diuinæ institutionis, & Pharisæi humano instituto introdu-

108 cti fuerint. Verum illi non attenta Diuina Institutione, ad nimiam superstitionem deuenerant, vt cum Damasceno dictum: de hac, & de alijs sequētibus Iudæorum Sectis legendus Baronius in appar. à num. 8. vsque ad 15.

109 Præterea, quid de reliquis Sectis Pharisæorum? isti sic appellati à voce Phares, quæ segregatos significat. Nam vti doctiores reliquis super legem Moysis, humanis quibusdam constitutionibus vtebantur; quibus à reliquo populo segregati erant. Certo tempore continētiam, ac virginitatem terminabant. Interim talis pudicitiæ in amictu insignia aliqua gestātes: bis in hebdomada ieiunio se affligebant, expiationes vrceorum, & mensuram poculorū; decimas item, sicut Scribæ, ac primos fructus, precumq; perpetuitatem approbabant. Quāquam in his, & alijs Hypocrisis fuco valde fuerunt obuoluti, vti eos Matth. 23. Christus Dominus graphice depingit, & ob eam acriter repre-

prehendit. Itē Astrologorū nonnullorū de hoc
110 scopo errorem fatumq; sequebantur. Inter ipsos tamen Phariseos doctrina legis Mosaicæ, paulo sanior, & rectior fuit, quam inter Essæos, & Seducæos, de quibus statim dicitur; hęc à nobis proposita pro declaranda sufficienter Phariseorum Secta, desumpta tum ex D. Damasceno citato tū Prateolo lib. 14. apud quos plura.
111 De Secta Essænorum, seu Essenorū (hoc etiā secundo modo à D. Damasceno, & à Philastrio vocantur;) Ex professo tractat Iosephus lib. de antiquitatibus Iudęorū, sicut & de alijs duab' sectis Phariseorum, & Seducæorum; codē enim tempore istæ tres exortæ sunt sub Ioanne Ayano Simonis filio, ante natum Christum 105. an. Cum iam ob tyrannidem, & bella Antiochi lacerari, & diuelli cæpisset Principatus, & Sacerdotiū apud Iudęos, vt ait Prateolus lib: 5. Essęi idest autē operarij, sic dicti à verbo Assa, quod operari significat, teste eodem Prateolo, qui eorum vitā, & mores, ac errores cum Philastrio egregie describit per sequentia verba]. Esseni,
112 inquit, sunt, qui monachorum vitam exercēt, escas delitiosas nō in sumētes, nec studiū in vestimentis gerentes, nec possidentes aliquid; lectioni autē, & bonis operibus insistētes, in locis separatis habitabant. Christum autem Dominum Dei filium, non expectant, nec in lege, aut prophetis eum Dominum agnoscūt annunciatum, sed vt prophetā aut iustum hominem solū credentes prestolantur.] Hęc ille, ex quibus clare innotescit quicquid huc spectat.
113 Nunc explicanda sequitur Saducęorum Secta, quę licet quoad tempus originis, duobus præcedentibus æqualis sit, vt dictū, quoad errores tamen vtramq. valde superat. Nam nullam vitam à morte superesse, & consequenter nullam resurrectionem mortuorum futurā tenuerunt, iuxta: Illud Matthæi, 22. In illo die accesserunt ad illum Saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem &c. nec spiritum, nec Angelum esse, neque futurum Iudicium à lege, atque prophetis propositum cōcesserunt, sed viuendū solum secundum carnem predicarunt, Epicureamque dementiam potius, quam diuinæ legis iura amplexati sunt; Scripturam pro
114 libito voluntatis, & Iudicio rationis humanę interpretantes. Vnde facta vita eorum, nullo modo quadrabant nomini. Circa Saduciæ, idē quod iustissimi valeant, teste D. Damasceno, d. lib. de hęresibus, sic dicti à Zadith, quod nomen significat iustum vel sanctum, vt tradit Prateolus, lib. 17. ex quo, & ex citato Damasceno hęc desumpta pro declaratione sufficiēti sectę Saducęorum.
115 Hemeroptistarum secta exprimitur à Prateolo lib. 8. his paucis verbis. Hemerobaptistę, inquit, apud Iudæos hęretici fuerunt, qui, & se & sua vestimenta, quotidie abluebant, quemadmodū auctor est Crinitius; vnde & nomē Hemerobaptistarum acceperunt, sentiebāt enim aliter non posse viuere hominem, nisi singulis diebus in aqua mergeretur in aqua abluatur, sanctificetur ab omni culpa. De quibus, teste Niceph. lib. 4. c. 7. Eccl. hist. scribit Hegesip. alijsq Iudęorum hęresibus] Hęc Prateolus de Hemerobaptistis, circa quos vide Damascenum multo breuius eorum Sectam exprimentem.
116 Quid iam de Secta Samaritanorum? sic vocati à Samario eorum Rege, vel secundum alios teste Prateolo, à Samareo filio Canam filij Cam qui, vt habetur Genesis, 19. veranda, patris dormientis detecta aspiciens ac inde illum ludibrio habens, ab eo maledictus
117 fuit. Samaritanorum errores adducit Philastrius lib. de hæresibus, nempe Christum Dominum Dei filium in Scripturis Sacris antenunciatū nō admiserunt, ex Pentateucho Mosis quatuor tantum libri, qui lex vocantur, ab eis recepti fuerunt. Item resurrectionem mortuorum negarunt, consequenter futurum iuditium; animam autem hominis non esse immortalem, ausi sunt affirmare, existimantes solum in corpore esse viuendum, & quod dictum de resurrectione futura, in procreatione, & genitura filiorum, quę quotidie in hoc seculo fit, tantum exequi credentes. Circa istos Samaritanorum errores legendus etiam D. Damascenus, vbi supra vers. Samaritanorum hęresis. Deniq fuit error Samaritanorum circa locum
118 vbi esset adorandus Deus, cuius fit mentio à Samaritana illa euāgelica Ioan. 4. Nam Deut. 12. iniunctum fuit Iudeis, vt adoratio fieret in tempo Hierosolymitano, & contra hoc contendebant Samaritani esse adorādum in tēplo sui Gazolitano. Verū vt ex Eusebio, & ex Iosepho lib. 13. c. 6. refert Salianus ad annum mundi 3906. Alexandrię coram Rege olim negotium discussum ab vtrisq. & decisum fuit in fauorem Templi Hierosolymitani.
119 De Secta tandem Masbotheorum vna ex septem assignatis à Prateolo, & à nobis in Regula expressis, restabat dicendum; sed cum Secta ista, quod vt ingenue fatear post eius ibi expressionem aduerti, ad annum Domini 55. iam publicato Euangelio emerserit, & auctor eius fuerit Christianus cap. sequēti de ea opportunius
120 agetur. Nunc loco eius indicando obiter Secta Herodianorum, quæ certo ante mortem saltem Christi Domini prodijt, vt patet ex illo Matthęi 12 Et mittunt ei discipulos suos cū Herodianis, vbi copiosè disputat quinam fuerint isti Herodiani, doctissimus Ioannes Maldonatus, ac refutatis varijs opinionibus, probabile iudicat, fuisse Aulicam Sectam eorum, qui Herodi Regi adulabantur, & addit minui probabilitatem, ex eo quod nullum veterem, &
121 grauem habeat Auctorem. Sed quem tantus hic vir inuenire non potuit, ego tantillus facile inueni, nempe S. Ioan. Damascenum Auctorem antiquissimum, & grauissimum lib. de hęsibus vers. Herodiani omni, sequentia verba dicentem. Herodiani, inquit, omni ex parte Iudęi erant, Herodem autem vt Christum approbabant, eumque Christi & honore efficiebant, & appellabāt nomine] Hęc Damascenus, nec quicquam circa hanc Sectam addendum occurrit.
122 Fuit etiam Secta Nazarenorū, qui alio nomine dicti sunt Minei, de quibus Hieronymus scribens ad Augustinum vsq. hodie, inquit, per totas Orietis Synagogas inter Iudęos & hęresis Mineorum, & à Phariseis vsq. dam natus quos vulgo Nazaræos nuncupant, qui credunt filiū Dei natū de Maria Virgine, & eūdicunt esse qui

qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus, sed dum volunt Iudæi esse, & Christiani, nec Iudæi sunt, nec Christiani] Hæc Hieronym. Opusc. 89. Vide plura apud Baron. anno 74. pag. 400. Alexander Diu. Damascenus lib. de hæresibus verbo Nazareni.

123 Aliam Sectam Hessiniicorum, cuius quod inuenire potuerim, nec Prateol. nec alius Scriptorum meminit; affert D. Damascenus ibidem breuissime in hũc modum. Hossinij autem inquit, dicuntur durissimi in omnibus, ita legi obtemperabant, vt quædam eorum quæ post legem scripta sunt, probarent; reijcerẽt autem plerosque Prophetas. Ita ille de Hossinijs, nec dubium, quin illi fuerint Iudæi.

124 Prçter explicatas hæresum Sectas certissimum est viguisse inter Iudęos, & vigere adhuc vniuersaliter varios errores contra fidem quos ad tria capita breuiter reducit Eymericus 1. part. direct. quæst. 22. nimirum primo quinque libros Moisis, Regum, ac Prophetarũ admittentes, totum Testamentum nouum reijciunt, admissa circumcisione, baptismum, & alia Ecclesiæ Sacramenta, vno excepto matrimonio, despiciunt, fidei articulos, prçter Mundi creationem, omnino abnegant.

125 Secundo. Cũ detestabili blasphemia Christum Dominum esse, & fuisse purum hominem & prophetã, deceptorem mendaciter asserunt eundem Christum, seu Messiam in lege promissum iam venisse nequaquam credentes, adhuc venturum pertinaciter affirmant, & affe-

126 ctant. Tertio per legem tantum veterem, supposita eius obseruatione, se iustificari, & saluari putant, cum tamen attenta infallibili veritate fidei Catholicæ, non sit aliud nomen sub Cęlo datũ hominibus, nisi nomẽ Domini nostri Iesu Christi, in quo oporteat nos saluos fieri, vt testatur S. Apostolus Petrus Act. Apost. cap. 4.

127 Vnde ex prædictis erroribus potissimus est, quo pertinaciter negant venisse Messiam, seu Mediatorem in lege, & Scripturis Sacris promissum Christum Dominum & adhuc venturum sperant, atque conuictis Iudæis circa hunc errorem reliqui facillime corruunt, & circa ipsos illi conuicti manent, vt iam alibi ostendimus. Proptcrea ipsi ne conuincantur de aduẽtu Messię, per Scripturas Sacras, vel eas negãt vbi de hoc agitur, vel corrumpunt vt patet ex Testimonio S. Petri, qui loquens de contentis in Epistolis D. Pauli, citat per sequentia verba.

128 In quibus sunt quædam difficilia intellectu quæ indocti, & instabiles deprauant, eam generalitatẽ addẽs, sicut & cæteras scripturas ad suã ipsorũ perditionẽ 2. Petr. 3. quæ peculiariter de hæreticis Iudæis intelligi possunt. Quandoquidẽ Sacri Scriptores de quibuscunq. defendẽtibus suos errores contra fidẽ per Scripturas Sacras deprauatas interpretãtur, vt August. in ps. 77. D. Cyprianus de Vnit. Eccl. D. Irenæus lib. 7. c. 1. Tertull. de pręscr. c. 17. & Euseb. lib. 1. hist. c. 17. cuius ibi verba circa rẽ præpositã valde quadrant dictis Iudæis Infidelibus, Sacras, inquit, audacter deprauarunt Scripturas veteris fidei Canonem abrogarũt, Christũ ignorarunt, neq. quid sacræ, & diuinæ litteræ de illo dicant, conquisierunt. Ita ille.

129 Pro Coronide tandẽ huius, & pręcedẽtis regulæ, & pro confirmanda doctrina de scripturæ deprauatione a Iudæis facta eius verbis cum Penna Comm. 47. super dict. q. 2. Commẽt. 47. superaddit. q. 22. Direct. referamus, Auctores, qui Iudęorũ errores recensent, & confutãt, ex antiquis frequenter Hieronymus, August. & reliqui Patres, cũ se offert occasio in exponendis Sacris litteris, quas ipsorũ Rabbini, ne de Christo, qui iã venit, loqui videatur, contorquẽt, & deprauãt, & Isidorus Episcopus Hispalensis, Cyprianus duobus libris contra Iudęos, Tertullianus in lib. aduersus Iudęos, Athanasius in lib. de Incarnatione Verbi, Chrysostomus in Orarion. aduersus Iudæos, Paulus Burgensis in Scrutinio Scripturarum, Protheus in lib. inscript. Victoria cõtra Iudęos, Rabbi Samuel de Aduẽtu Messię. Salianus, Pommerius aduersus Iudæos, Petrus Bles Archidiaconus Bathoniensis contra Iudæos, Guido Carmelita in lib. de Hæres. Iudæor. Arnaldus Albert. super rubrica de heret. lib. 6.

CAPVT QVINTVM.

De Sectis, & erroribus hæreticorum, seu hæresiarcharum contra fidem Catholicam, qui à Christi Domini Natiuitate toto primo seculo emerserunt.

PROOEMIOLVM.

HACTENVS præcedenti capite tum genericè, tum specificè de Sectis eorum Infidelium qui extra Ecclesiam in Gentilismo, vel Iudaismo existentes suis eam erroribus, & infidelitatibus impugnarunt; iam gradum faciamus hoc, & sequentibus capitibus ad sectas illorum, qui cum essent intra ipsam suscepto baptismo, & fide catholica imbuti, terga ei vertentes per hæreticam prauitatem, eidem se hostes intensissimos prębuerũt, & vineam Christi Domini quouis tempore demoliri conati sunt. Propterea in Scriptura Sacra 1. Ioan. 1. merito vocantur Antichristi. Nunc inquit D. Ioannes, Antichristi multi facti sunt, vbi vt ait Benedictus Iustinianus vir eruditissimus cum allusione ad vim nominis illius Antichristi in fine seculorum venturi, nulli dubium per hos Antichristos intelligantur hæretici, de quibus subiungit idem D. Ioannes, ex nobis prodierunt, sed non erãt ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum, sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis] quę verba ad propositũ sic interpretatur D. Augustinus, omnes inquit hęretici, omnes Schismatici ex nobis exierũt, idest est Ecclesia exeunt, sed non exirent, si ex nobis essent, antequam exirent ergo non erant ex nobis, multi intus sunt, non exierunt, & tamen Antichristi sunt. Hæc D. Augustinus quibus vniuersaliter comprehendit in communi quoscunq hæreticos tam occultos, quam publicos, seu declaratos tales. Nam istos peculiariter per secula 17. trãsacta totidem fere capitibus exprimere intendimus, in præsenti de ijs, qui sub primo seculo prodierunt.

Quis primus in lege Euangelica hæreticus? Quænam Secta hæreticorum prima post mortem Christi Domini.

REGVLA CCXIII.

4 CErtum est, quod ex omnibus Christianis seu hominibus baptizatis primus hæreticus, seu apostata à fide, & à lege Euãgelica adhuc viuente Christo Domino, extitit Iudas Iscariotes, qui viã alijs hæreticis præcipue Christianis ad varios errores aperuit, vt statim in-5 dicabitur. Post mortem vero Saluatoris, prima ante alias emersit Secta Simoniacarũ, Auctore eius Simone Magicæ disciplinę peritissimo, qui cum baptismũ à Philippo Diacono suscepisset, & ab eo, ac Apostolis Petro, & Ioanne Religionẽ Christianam fuisset edoctus, prolapsus est in multas hæreses, quæ illico sigillatim expẽdẽtur

---

6 EX ep. S. Ath. Patriar. Alexand. & S. Alexan. successoris eius ad Epiæos, quæ extat l. 1. histor. tripart. cap. 15. atq; ex doctrina D. Hieron. in cap. 6. Matt. manifeste patet id quod dicimus de Iuda Iscariote, fuisse scil. primũ Apostatam, primumq; Christianorũ hæreticũ affertque Prateolus lib. 9. verbo Iudas Iscariotes, cui tres pręcipue hæreses tribuuntur.

I. Quod nõ crediderit realẽ in Eucharistia Christi Dñi præsentiã, fueritq; vnus ex illis, qui au-7 ditis eius verbis, Caro mea vere est cibus, &c. scandalizati sunt, & dixerũt, durus est hic sermo, & quis potest eũ audire? Io. 6. atq; Iudam cõspirasse cũ alijs ad oppugnandã Eucharisticã 8 veritatẽ. Docent præ alijs S. Ioan. Chrys. ho. 46. & D. Augusti. tract. 27. vterq; in c. 6. Ioan. vbi de Iuda peculiariter dicitur. Sunt quidã ex vobis, qui nõ credũt, sciebat enim ab initio Iesus, qui essent nõ credentes, & quis traditurus esset eũ. Circa dictã autẽ hæresim, habuit Iudas sequaces, nõ solũ Caluinisticã, vt bene ostẽdit Gualterius Sec. 1. c. 1. pag. 20. sed reliquas etiã fere omnes hæreticorũ Sectas, quę hac nostra, & superiori ætate extiterũt in impugnãda S. Scrip. & missa, & realitate Eucharistica omnino concordes, sed de hoc alibi plura.

II. Quod ipse Iudas Iscariotes secundũ D. Hiero. 9 c. 26. Matth. Christi Domini miracula magicis artibus, seu Dæmonis cooperatione tribueret, & cõsequenter eius omnipotentiã, ac Diuinita-10 tẽ negaret. A quo errore nõ longe absunt Caluinistæ, qui teste eodẽ Gualterio, miracula virtute Christi singulis prope diebus in gratiã Ecclesiæ Cath. Rom. & in bonũ fidelium patrata illusiones potius Satanæ, quã vera opera diuina esse blasphemo ore affirmant.

III. Quod Mariam Magdalenã idẽ Iudas damna-11 uerit ob factũ vngẽdi pedes Iesu pretiosissimo vnguẽto, leuãdæ pauperũ inopiæ suã vt occultaret auaritiã exercẽdo cupiditatẽ. In quo pari 12 modo vestigia eius sequuntur Caluini discipuli vasibus Sacris, pretiosisq; ornamẽtis tẽpla spoliãtes sub prætextu fictę voluntatis sustentandi egenos, vt idẽ Gualterius ostẽdit. Quod similiter prẹstat in omnibus fere sequẽtibus semper conferendo errores antiquos cum nouissimis. Nos vero ne nimis prolixi simus, idem quandoque tantum efficiemus.

13 Duæ hic hęreticorũ Sectę obiter indicandæ, quãdoquidẽ ex Iuda Iscariote, & ex factis eius denominationẽ, & occasionẽ emergẽdi sumpserũt. Altera antiqua Iudaistarũ, vt vocat Prat. l. 9. verb. Iudas Iscariotes, eius meminit Philast. & fuit illorũ; qui tuebãtur Iudã in vẽditione, & traditione Christi Domini bonũ opus effecisse; cum inde tot bona nobis emanarint; nihilominus respectu ipsius patet fuisse opus pessimum, 14 ac sceleratissimũ. Altera Secta recẽs Iscarioticarũ nostrę tẽpestatis, vt ait Prateolus ibid. ex Staphylo lib. de Luteranor. inter se cõcordia. Vbi per sequẽtia verba, Iscariotistæ, inquit, sũt, qui negãt à Iuda Iscariotę verũ Corpus Domini acceptũ in Cœna Domini. Ita scribit Menfeldius in libel. ab hac quæst. inscripto, & Caluinus in sua vlt. admonitione cõtra VVestphalum, & alibi; hæc Staphylus, & Prateolus ex eo loc. cit. nec addendum quidquam occurrit.

15 Quid de Simone Mago, & de Secta discipulorũ eius, hic etiã ante sũptionẽ baptismi multis erroribus cõtra fidẽ Diuinã implicitus extitit, adeoq; in regione Samariæ, vbi natus fuerat, arte magiæ dęmoniacę inter suos cõterraneos excelluit, vt auderet affirmare se esse virtutem quãdã magnã super omnes virtutes cõstitutã; quod omnes Samaritani, vt prorsus verũ credebãt, ac dictitabãt; vt habetur in Actis Apostolorũ, c. 8. Hic est virtus Dei, quę vocatur ma-16 gna, atq; successu tẽporis dicta Samaritanorũ in eũ credulitas in tantũ excreuit, vt ipsũ nõ solũ veluti patrẽ, sed etiã veluti Numẽ Diuinũ coluerint, ac eiusdẽ formatũ Simulacrũ cũ hac inscriptione: Simoni Deo Sãcto, venerati sint. Ita Prateolus ex Eusebio, lib. 2. Ecclesiast. histor.

17 Verũ sceleratissimus hic homo, & diaboli post fundatã Ecclesiã Catholicam primogenitus, vt vocat eũ S. Ignatius ad Tralleos, quanam quasi mente baptismũ suscipere à Philippo Diacono in Samaria Euãgelizãte, & per eum, ac per SS. Apostolos Petrũ, & Ioãnẽ in Mysterijs Fidei instrui voluit. Nam vt in baratrum pluriũ, & maiorũ errorũ prolaberetur, hisq; crudelius ipsam Ecclesiã impugnaret, & reuere prolapsus est, ac perpetuo impugnauit tũ per se ipsum, tum per suæ Sectæ sequaces Simonicos, vel Simoniacos, vt eos vocat D. Damasc. lib. de hęresibus vers. 18 Simoniani à Simone, &c. Nam, vt Niceph. l. 2. Iustor. Eccles. c. 6. affert Prateol. l. 17. verb. Simoniaci tam ipse Simon, quã eius discipuli ficte in susceptione baptismi procedebãt, ac verbotenus professionẽ, & Fidẽ in Christũ simulabãt, paulo post tamẽ perfricata frõte cõtra ipsũ præcipue hæreses perniciosissimas abũde semi-19 narẽt. Primo, dicebat Simon Christũ Dominũ nõ venisse, nec à Iudæis male fuisse passũ; imo se ipsũ Christũ esse asserẽs, nomẽ eius sibi vẽdicabat, vt ait loc. cit. Damasc. & D. Hieron. contra Luciferianos sic. Simon Magus, inquit, & Menãder, & discipulus eius se Dei asseruere virtutes. 20 Ex hoc Menãdro ortũ duxit Secta Menãdrianorum, de qua in hoc verbo Damascenus, Isti autem in omnibus cum dicto Simone, & Simo-

moniaci concordant, vno excepto, nempe Menandrum maiorem esse Simone, & missum ad dandam salutem hominibus; ita ex Epiphan. hęres. 12. Gualterius secul. 1. c. 7. pag. 12.

21 Secundo. Concubitum passim sine delectu corporum, docebat Simon, quibus verbis talem eius errorem exprimit D. Damascenus & videtur etiam loqui de concubitu sodomitico, saltem de vsu naturali fęminarum, vt loquuntur in specie Prateolus & alij. Intelligi debet quod tenuerint Simoniaci esse licitum promiscue, & absque peccato posse vnumquemque cum quacumque voluerit, copulam habere.

22 Tertio. Vniuersum hunc Mundum ab Angelis fuisse factum, Angelos vero factos à quibusdam sensibus de Cęlo prædictis, eosq. genus humanum fefellisse, teste Prateolo citato, defendebant Simoniaci cum suo Mag. Simone.

23 Quarto. Simoniaci carnis resurrectionem futuram nequaquam concedebant, & consequenter, nec futurum Iudicium, vt iam de alijs Infidelibus cum eisdem D. Damasceno, & Prateolo adduximus.

24 Quinto. Vrgente persecutione posse Christianum à fide suscepta licite resilire, quod tenerent Simoniaci ex Origene lib. 6. contra Celsum, affert Cardin. Baronius ad an. 67. à Natiuitate Domini.

25 Sexto. Ex Epiphanio hæres. 21. hunc Simonis Magi errorem quod prætexebat ipse Spiritum Sanctum sibi in suis erroneis doctrinis assistentem, comparatque eum cum alio errore Caluini de simili Spiritus Sancti assistentia; assignans autem inter ipsos hanc differentiam, quod Caluinus, eiusque sectam non alium admittat Spiritum Sanctum, nisi proprium, eorumq. spiritum, ac iudicium, vt alibi dicemus.

26 Simon vero nomine Spiritus Sancti intelligat Concubinam suam vocatam Elenam, secundum Epiphanium citatum, quam adeo adamauit, & coluit, vt eius simulacrum pro illo Mineruæ discipulis suis adorandum proposuerit, sicut pro illo Iouis proposuerat, vt testatur ibidem

27 D. Damascenus. Addens, quod Simon se Samaritanorum patrem, & Iudęorum Christum prędicaret. Quin etiam ipse Simon se esse Patrē, & Filium, & Spiritum Sanctum dicebat, vt ex Epiphanio hæresi 21. affert. Baron. ad annum 35. num. 29.

28 Septimo. Duæ illę hęreses inter se vt plurimū connexæ, quod homo careat libero arbitrio, & quod super solam gratiam, absque vllis bonis operibus acquirit salutem, tribuuntur Simoni Mago, & sequacibus eius ab Irenæo lib. 1. c. 20. & à Clemente VIII. recognit. & refert ibidem Gualterius comparās, eos suo more, cum complicibus omnino Caluini à qua comparatione tam assidue nos merito abstinemus.

29 Octauo. Omissis alijs Hęresibus, si plures forte sūt propriæ Simonis Magi, sectaque eius, haud enim circa numerum ipsorum concordāt Scriptores; cum alij decem, alij octo adducant, Damascenus tantum sex; & mirum valde non meminerit ipse illius hæresis, quæ fuit proprijssima eiusdem Simonis; hincq. peculialiter eius sequaces Simoniaci nominantur; quod scilicet tenuerit, res sacras esse venales, atq; spiritualiter Dei dona pecunia cōpararis quam hęresim illi S. Petrus Apostolus maxime exprobarauit; ipsamq. acriter reprehendit, ad pœnitentiā

30 exhortās. Act. c. 8. Quia reprehēsione, et exhortatione nequaquam emendatus; imo superbia sua, & præstigijs Magię Dæmoniacæ magis intumuit; ac eis cum volare tentasset, orante Sancto Petro, ex ære in terram corruit, & percussus ab Angelo interijt, vt asserunt Phylastrius lib. de hæresibus, & D. Aug. serm. de sanctis, ac epist. 86. de ieiun io: circa res dictas Simonis Magi, legēdus pręcipue Baron. ab an. 35. vsq. ad. 48. quicum sequenti regula commodius ostendemus ipsum fuisse primum hæresiarcham.

Secta hæreticorum quænam aliæ statim initio prædicationis Euangelicæ contra fidem Catholicam exortæ.

REGVLA CCXIV.

31 Valde celebres fuerunt illi septem hæresiarchæ, qui in initio prædicationis Euangelicę exordio, simul ferè prodeuntes, Ecclesiam nostram quasi in cunabilis adhuc existentem suis hęresum sectis acriter impugnarunt, Nimirum præter Simonem Magum, & Menandrum supra iam expressos, Thebutes, a quo Thebutianorum, Cleobius, a quo Cleobianorum, Dositheus, a quo Dositheonorum, Gortheus, à quo Gortheonorum, & Masbotheus à quo Masbotheonorum sectæ originem duxerunt.

33 Pro contentis in hac regula melius capiendis, & pro dubijs circa ipsa excitandis facilius, & breuius decidendis, præmittenda doctrina Hegesippi, quam affert Nicephorus lib. 4. hist. Eccl. c. 7. per sequentia verba, meminit, inquit, Hegesippus initiorum Hęresum quarundam. Ita inquiens: Postea quam Iacobus iustus est Martyrio defunctus, sicuti & Dominus idem ob verbū in locum eius patrui eius Cleophę filius Simon est suffectus, quem omnes Domini fratrē patruelem secūdum esse retulerūt.

34 Primus eam deprauare cœpit, quod in petitione Episcopatus repulsā tulisset Thebutes vnus è septē hęreticis plebeis, vnde Cleobiani, & Dositheus, vnde Dositheā, & Grotheus, vnde Grotheani, & Massabotheus, vnde Massobotheani] hęc Hegesippus, addēs ex istis alijs postea sectas promanasse, vt infra in 2. seculo videbimus.

35 Nunc circa tradita ab Hegesippo, & ex eo à Nicephoro triplex dubium resoluendum. Primū circa id, quod asserunt Thebutē, scilicet ante quosuis alios à primordio Ecclesiæ, post Christi Domini mortē hęreticā prauitatē fuisse amplexū ob repulsam ab eo latam in petitione ambitiosa Episcopatus, hoc idē tenet, ac sępius repetit Prateolus in suo Elencho alphabetico, nominans ipsum primo loco, dum refert simul omnes alios, vt verb. Cleobiani. verb. Dositheus, & verb. Masbotheus, ac in eius indice per centurias digesto primum locum Thebutes occupat ad annum Christi Domini 40.

Nihi-

26 Nihilominus non recedendum ab eo quod diximus regula præcedenti, Simonem Magum fuisse omnium primum hæresiarcham. Tradit cum Euseb. lib. 2. Ecclesiast. histor. idem Prateolus, aut se corrigens, aut sibi contradicens lib. 17. verb. Simoniaci ibi: [Ab hoc itaque, inquit, teste Eusebio, caput totius prauitatis, & omnis hæresis principium cęptum est, idque sub dominio Neronis, & Petro Apostolo, circa annum Domini 55.] Hæc ille. Sed dum ad hũc 27 annum 55. refert, magis suam contradictionẽ, quam correctionem indicat; quandoquidem ab eo in dicto indice ad annum Domini 40. Thebutem repositum vidimus. Verum multo prius esse reponendum Simonem Magum; nẽpe ad ann. Dom. 35. ac primũ omnium hæresiarcham extitisse principemque, & auctorem cunctorum hæreticorum ex D. Epiphanio hæresi 21. & ex alijs erudite ostendit Card. Baronius dicto ann. 35. num. 23. & 24. sed clarius percipies ex proprijs illius verbis.

28 [Ac denique, inquit, quod super Simonem Petrum à Christo (vt dictum est) Ecclesiam ædificatam vidisset, ac firmiter stabilitam, idem humani generis hostis ipse suo noluit caruisse Simone, super quem impietatis omnis fundamenta iacta consurgerent. Hic enim hæreticorum omnium princeps, & auctor habetur, ex 29 quo sunt cœteræ hæreses propagatæ. Nam & huiusmodi Patriarcha gloriari autem possunt *Nouatores, quem suorum dogmatum cognoscant Auctorem. Simonis* quippe prima vox fuit per gratiam tantum saluari homines, & nõ secundum opera iusta, & liberos esse sibi credentes; vt quæ velint, possint agere.] Hæc Baronius, apud quem plura inuenies.

30 Dixi initio nostrę Regulę esse valde celebres prædictos septem hæresiarchas ob eam rationem, quod conspirauerunt contra Ecclesiam, vt dictum ex Hegesippo ad auferẽdum eius primam Fidei integritatem, & quasi Virginitatis florem; propterea simul cõiunguntur à doctoribus; Et quando agitur de quouis eorum peculiariter nominantur, & alij cum Secta vniuscuiusque, vt videre est apud Prateolum, & apud Hegesippum adductum.

31 Dubium tamen insurgit quot, & quinam sint isti hæresiarchæ? Nam huiusmodi auctores citati, qui affirmant esse septem, postea in facto ipso sex tantum cum manifesta contradictione exprimunt, nempe Simonem, Thebatem, Cleobium, Docitheum, Gortheum, & Masobotheũ, atque in declaratione vniuscuiusque istorum dicitur de eo, quod sit vnus ex septem primis hæresiarchis, & quinque soli ei adiunguntur, vt patet ex doctrina tradita Hegesippi, & ex Prateol. verb. Masboth verb. Gortheus, & in alijs verbis similiter; neque inuenis auctorem, qui simul cum alijs mihi septimum hæresiarchã 32 exprimat. Miror equidem, quod ex recentioribus, noster Gualterius vir eruditissimus circa talem defectum, aut contrarietatem nihil lucis mihi porrigat. Imo etiam ipse hic videatur impingere, cum post declaratum Simonem Magum, de Thebate sic dicat: Thebutes vnus ex septem primis hæreticis, qui, vt testis est Hegesippus apud Nicephorũ, Ecclesiam in ipsis eius quasi incunabulis dilacerarunt, fideiq; 33 doctrinam corruperunt, &c. Atque in margine citat Prateolum. verb. Thebutes, Clobius, Dositheus, Gortheus, & Masbotheus, præter Simonem, nunquam expresso septimo. Vnde 34 pro complendo septenario, visum mihi est adiungere in regula Menandrum, de quo iam supra, quandoquidem ipsum cum Simone D. Hieronymus coniungit.

35 Tandem insurgit dubium quibusnam erroribus prædicti hæresiarchę Ecclesiam Catholicam impugnarunt, ac Fidei doctrinam corruperunt? De Simone Mago, & de Menandro eius discipulo iam satis supra; de reliquis quinque nihil in particulari adducunt, quod innuere potuerim, relati Auctores, Hegesippus, Nicephorus, Eusebius, Prateolus, aut alij; Solutio-36 nem tamen dubij ex Gualtherio aliquo modo deduco, qui post tradita de Thebute conferens ipsum cum Caluinianis, sic addit; in eam audaciam, & amentiam ideo prorupit, quod Episcopatu ambitiose petito, repulsam tulisset. Præclarum exemplum apostasię Ministris, quam plurimis Caluinianis, qui sperantes se clariores futuros in tabernaculis errantium, quam in domo Dei extitissent, maluerint per lubricam superbię viam in apertum sempiternæ ignominiæ præcipitium currere, &c.] Ita 37 ille: sentit, itaque Gaulterius Thebutem a Fide, & Religione nostra apostatasse cum per ipsum Ministris Caluinianis exemplum Apostasiæ fuerit propositum: quod similiter de Cleobio, Dositheo, Gortheo, & Masbotheo sentiendum videtur; & cum apostata in totum, seu quoad omnes fidei veritates ab ea recedat, & non vt hæreticus, qui quoad aliquam, vel aliquas tantum, vt iam alibi à nobis traditum, recedit; si ille impugnare Ecclesiam Catholicã tentet, tot erroribus prout libuerit, ipsam impugnabit, quot sunt fidei Veritates, ergo in casu prædictorum Thebutis, Cleobij, &c. forte ita se res habuit.

Quid de Sectis contra Fidem Catholicam Alexandri AErarij, Phyleti, atque Hymenei.

REGVLA CCXV.

38 HI tres Alexander Aerarius, Hymeneus, & Phyletus fere eodem tempore ex infidelitate ad fidem Catholicam per baptismũ susceptum conuersi, non multo post varijs se iniquitatum, & turpitudinum vinculis implicuerunt, ac contempta bona conscientia, non solum ipsi naufragauerunt circa fidem suscep-39 tam; sed plures fidelium etiam eisdem doctrina hæretica impellentibus adhoc miserabile naufragium inducti sunt. Propterea S. Apostolus Paulus huiusmodi hæresiarchas Satanæ tradidit, vt eos valde frenaret, ipsorumque Sectas prorsus extingueret.

40 VIx dubium vllum occurrit circa expressa in presenti regula; quia vt omnino certa traduntur à Doctoribus. Imo certitudine fidei ex eis plura habentur apud Apostolum Paulum, qui peculiariter contra dictos hæresiarchas insurgit, vnde ne incongrue omnes tres sub eadem regula comprehẽdimus, & quæ eorum sunt propria, quoad nostrum institutum, verbis Sacris ipsius Apostoli, & sententijs Sanctorum Patrum explicabimus. De Alexandro

41 AErario solo sic scribit D. Paulus 2. Tim. 4. Alexander Darius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera eius, quẽ & tu deuita. Valde enim resistit verbis nostris]

42 Circa quę verba legendus Cornelius à lapide, qui bene declarat, qualiter hic Alexander relicto Iudaismo amplexus est fidem Christi, & tumultum contra Paulum Ephesi excitatum sedauerit, Actor. 19. Ac postea, reiecta fide, ipsi Paulo, eiusq; Euangelio restiterit. 1. Tim. 1.

43 Eundem autem Alexandrum coniungens Apostolus cum Hymeneo, de vtroque ibi sic ait, loquens cum discipulo suo Timotheo: Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedẽtes in te prophetias; vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt; ex quibus isti Hymeneus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. Quęnam

44 autem sit hæc blasphemia, seu qualiter cum hæretico vnita, declarat idem Apostolus 1. Timoth. 2. tribuens etiam eam Phileto. [Profana autem, inquit, & inaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorũ vt cancer serpit; ex quibus est Hymeneus, & Philetus; quia veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse factam, & subuerterunt quorundam fidem.] ita ibi.

45 Est precipuus istorum trium hæresiarcharũ error circa resurrectionem mortuorum, vt egregie declarat Prateolus verb. Alexander AErarius, verb. Hymeneus, & verb. Phyletus negabant enim futuram resurrectionem, quam Ecclesia Catholica credendam proponit; & factum addebant ex methaphorica, seu imaginaria significatione illam, quæ fit sæpe factaque est nempe cum quis Dei ignorantiam habet, mortuus est Deo, & in errore sepelitur, à quo reanimatur, & reuiuicatur. Deo resurgit, atque ad hanc spiritualem resurrectionem referre conabantur quasuis Scripturas Sacras, quę de vera carnis resurrectione expresse loquũtur. Ita Prateolus totidem fere verbis cũ Tertulliano de resurrectionę carnis, & cum alijs.

46 Quod vero ex predicta hæresi negandi verã resurrectionem nostrorum corporum in fine Mundi futuram nascantur aliæ perniciosissimæ hęreses, quas consequenter prędicti hæresiarchæ, ac sequaces eorum amplectebantur, explicans proposita verb. 2 Tim. 2. Ecumenius ostendit, assignata prius alia resurrectione, quã in generatione filiorum illi defendunt. Succes-

47 sionem, inquit, procreationis liberorum execrandi isti appellant resurrectionem, & quosdã alliciebant, vt ab Apostolica doctrina descenderent. Vnde merito dixit, ad maiorem proficient impietatem. Vide enim quanta oriantur mala ex hoc quod dicatur iam factam esse resurrectionem. Ex hoc priuamur Christi aduentu, quo quid potest contingere tristius, non est retributio, neque supplicium, mẽtitur Christus, qui hæc promisit, aliaque multa similia, nempe si resurrectio non est, neque Christus resurrexit, neque Iudex sedebit viuorum, ac mortuorum, & ita, inquit, subuerterunt quorundam fidem, simplicium videlicet, & imbecilliorum. Hęc ex Ecumenio, Prateol. verb. Philetus, & nos ex ipso.

48 Habetur expresse ex Tex. 1. Tim. 1. duos illorum hęresiarcharum Hymeneum, & Alexandrum ob dictos errores, & ob peruersionem simplicium fuisse per Apostolum Satanę traditos. Quod vero etiam fuerit traditus tertius,

49 nempe Phyletus, vt omnino certum, cum sit par ratio, de eo adducit Prateolus lib 14. verb. Phyletus, in hunc modum, Phyletus, inquit, vnus eorum fuit, quos D. Paulus ob hęresim, & blasphemiam insanam Christi; & Apostolorum doctrinam, Satanę tradidit sub Domitio Nerone, & Petro Apostolo, circa annum Domini 56. tantę enim potestatis erat Apostolus (inquit Diuus Augustinus) vt recedentes à fide solo verbo traderet Satanæ: hęc ille.

50 Modus autem loquendi Sancti Pauli, dupliciter exponi solet. Primo, quos tradidi Satanę, idest, quos excommunicaui; ita hoc loco D. Chrysost. Theophilus, Cumenius, & alij; Atq; hinc prouenit, quod excommunicati dicantur possideri à dæmone, vt habetur cap. audi, & cap. omnis, 11. quęst. 3.

51 Secundo, quos tradidi Satanæ, idest, diabolo, quasi carnifici, seu Ministro Iustitię puniti ę Dei excitandos, corporisque infirmitatibus, ac alijs pœnis affligendos tradidi. Ita D. Chrysostomus, & alij, præcipue Theodoretus; eos autem, inquit, tradidit diabolo, non vt bonorum Magistro; sed vt seruo carnifici; & ideo nõ dixit, vt eos doceret; sed vt doceantur non blasphemare. Ab Ecclesiastico enim corpore separati, & diuina gratia nudati, ab aduersario crudeliter flagellabantur incidẽtes in morbos, & difficiles affectiones, & alias calamitates: ita Theodoretus.

52 Cornelius item à lapide cum D. Ambrosio sic interpretatur sequentia verba Apostoli, vt discant non blasphemare, idest, vt resipiscant à sua blasphemia, & hæresi; quia proprius finis excommunicationis, emendatio est; cum sit pœna medicinalis. Ex talibus autem verbis, vt opportune notat idem Cornelius, clare innotescit, quod omnis hæresis sit blasphemia in Deum, qui est prima Veritas. Nam omnis hæreticus, vt propria dogmata fidei contraria stabiliat sua hæresi, dicit, ac docet veram fidem esse falsam, & consequenter Deum ipsius fidei auctorem esse mendacem.

54 Oportunius verò, ac rectius notat ipse Cornelius super verba illa Apostoli, *quam quidem repellentes circa fidem naufragauerunt.* Naturaliter loquendo fontem totius hæreseos esse

esse malam conscientiam, & vitam; quia numquam hæresis est primum peccatum; sed oritur vel ex ambitione, vel exauaritia, vel ex libidine. Ac consequenter, vt viri sapientes censuerunt, contra hæreticos, non tam argumentis agendū est, quam puritate vitę; vt nimirum inducantur ad vitæ puritatem, ad morum honestatem, humilitatem, & apud contemptum.

45 Sublata enim radice hæreseos, tollitur & ipsa hæresis. Rursum hinc sequitur vitam malam tendere, & desinere in hæresim. Mores ergo vitæ corruptæ sunt scopuli, ad quos fides quasi nauis allidìtur subinde, & frangitur.] Hæc per docte Cornelius.

56 Tandem fueritne secutus statim effectus intentus frenando illos perditissimos homines, Alexandrum Hymeneum, & Philetum, ac extinguendi eorum hæreses, & sectas, neque ex Scriptura Sacra, neque aliunde omnino constat, nullo tamen modo dubitandum fuisse breui secutum; cum adeo efficax remedium trahendi illos Satanæ, S. Apostolus adhibuerit.

57 Si enim absque remedio tam efficaci similes hæreticorum Sectæ falsis fundamentis innixæ, sæpius ex se breui tempore omnino euanuerunt, aut saltem maiori ex parte, vt patet ex ijs quæ dicuntur cap. 5. Actuum Apost. de duplici hæreticorum secta inter Iudæos exorta, & breuissime extincta: Atque ex tradi-

58 tis à Cardin. Baronio ad annum Christi Domini 35. de Secta Simoniacorum, seu Doriacorum sic affirmante: Etenim, inquit, licet multis palmitibus crescere cœperit Timonis hæresis; tamen tanquam adulterinæ plantę haud sunt diutius, vel longius propagatæ. Nam testatur Origines contra Celsum lib. 6. ex Dositheanis, qui cæteris Simoniacis præstabāt

59 numero vix ad triginta fuisse reliquos.] Hæc ibi Baronius. Si absq. remedio, inquam, efficaci adhibito tales errorum sectæ cito ex se euanescere solent, quanto magis, & citius euanescent, si efficax remedium adhibeatur, ergo &c.

Secta contra fidem hæresiarcharum Diotraphi, Cerinthi, & Hebionis, qualiter ortæ.

REGVLA CCXVI.

60 EXtiterunt etiam in primo seculo valde famosi isti tres Hæresiarchę, Diotraphus, Cerinthus, & Ebiax, qui ex Iudaismo, vt creditur, oriundi, suscepto baptismo, fidem, ac

61 Religionem Catholicam amplexi sunt. Verum paulo post suis sectis diuersorum errorum eam vehementer oppugnare cœperunt. Oppugnassent verò multo magis, ac destruxissent, nisi ex peculiari Omnipotentis Dei pro-

62 uidentia Sāctus Ioānes Apostolus Diotraphę per Epistolam canonicam ad Caium scriptā: & Cerintho, ac Ebioni per Euangelium præcipuè diuinitus ab ipso compositum, se opposuisset, & omnino ipsos confutasset.

---

63 EN occasionē agendi simul in hac regula de tribus istis hæresiarchis, Diotrapho, Corintho & Ebione, quod D. Io. peculialiter à Deo optimo Max. fuerit electus, vt contrastaret pro muro fortissimo in defensionē Ecclesiæ Catholicæ iaculis quæ fidei diuinæ ex pharetra Sacrarum Scripturarum emissis procul ipse repellere, ac perimeret. En Iaculum, quo Diotraphes repulsus, & peremptus in 3. Epist. Canon. D. Ioannis ad Gaium Carissimum eius, & familiarissimum, sic habetur

64 Carissimę, inquit, fideliter facis, quidquid operaris in fratres &c. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritatis scripsissem forsitan Ecclesię; Sed is, qui amat primatum gerere in eis Diotraphes, non recipit nos, propter quod si venero, commoneбo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos, & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscepit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de ecclesia eijcit.] Hæc ibi D. Ioānes.

65 Proposito autem ex textu licet non clare deduci videatur hæreticus iste Diotrephes: neque aliqua eius hæresis: Venerabilis tamen Beda in Epistolæ Canon. Commentarijs expresse affirmat fuisse hæresiarcham, & eius mores indicat per sequentia verba. Diotrephes, inquit, Apostolorum temporibus hæresiarcha extitit, superbus quidem ille, & insolens, malens vtique noua docendo primatum vsurpare scientiæ, quam antiquis Sanctæ Ecclesiæ, quę Ioannes Apostolus prædicabat, humiliter parere,] atque auscultare mandatis: vnde scite Diotrephes insulsus, siue decor insanus dicitur, vt perfidiam cordis, etiam nomine significa-

66 ret.] hæc Beda. Atque omnes, vt certum supponunt eum fuisse hæresiarcham, & errorum particularium auctorem, cum ausus fuerit in talem, ac tantum Apostolum malignis verbis garrire, & eius doctrinę, maxime circa charitatem in fratres, seu Christianos se opponere, lege Prateolum lib. 4. verb. Diotrephes, & nostrum Lorinum in Epist. Canon. qui sicut & reliqui non in particulari; sed in communi eius hæreses contra fidem, per dictam oppositionem declarant; nec nos aliter declarabimus.

67 Sed quid iam de Cerintho? huius fama in eorrum inuentione, & seminatione adeo excreuit, vt à Baronio citando primus post Simonem Magum, seu præcipuus omnium hæresiarcha constituatur; & additur ab eo ex Epiphanio ipsum hęres. 28. fuisse vnum ex illis qui restiterunt Sancto Petro, vt ha-

68 betur Act. 11. per verba. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circumcisione, dicentes, quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis] quæ disceptatio pręcipue fuit propter introitionē D. Petri in domum Sancti Cornelij, post visionem lintei, venenosis animalibus pleni, & post monitionem à Domino, vt nihil inquinatum

69 & immundum diceret. Restitit autem sic Petrus Cornelio Cerinthus in superbiam valde

de elatus priusquam in Asia prædicaret hæreses suas, & in profundius perditionis suæ barathrum incideret. Hæc copiosius affert Baronius ad annum 41. num. 11.

70 Hæreses verò Cerinthi variæ assignantur licet in numero & qualitate non omnino Doctores concordent; primo Cerinthus, & eius sectæ sequaces Cerinthiani tenuerunt posse hominē absque baptismo salutem consequi; alijs nimirum eius, qui non baptizatus obijt], defectum explentibus. Ita ex Epiphanio hęres. 28. Gualterius seculo 1. cap. 8. pag. 23. conferens hunc errorem cum illo Caluinianorum tenentium infantes cum in ipsis maternis vteris per parentum fidem sanctos, iustosque effici.

71 Secundo, è contra Cerinthiani cum baptismo simul circuncisionem, & obseruationē legis veteris esse necessariam ad salutem defenderūt, sicque suaserat Cerinthus Galatis post susceptum baptismum. Propterea D. Paulus eos reprehendit dicens cap. 6. O insensati Galatę, quis vos fascinauit non obedire veritati &c. Si circumcidimini, Christus vobis non proderit.

72 Atque ad decidendum hunc articulū fidei contra Cerinthum, quod non sit necessaria ad salutem circumcisio, coactum fuit Concilium Apostolorū Ierosolymis, vt habetur Act. 15. & affert bene Philastrius lib. de hæresibus.

73 Tertio. Negarunt Cerinthus, & eius sequaces Sanctissimæ Deiparæ Marię Virginitatē, & aduertit Gualterius facta collatione huius erroris cum simili hæresiarcharum nostri temporis Petri Martyris, & Theodori Bezę.

74 Quarto, Dixerunt cum Simone Mago, & & Menandro, mundum non fuisse creatum à Deo; sed ab Angelis, vt traditum supra cum Diuo Damasceno.

75 Quinto. Euangelium secundū Matthęū solū admiserunt, reliqua tria; sicut & actus Apostolorum, ac Epistolas D. Pauli contemnentes atque ex Catalogo sacrorum librorum auferre conantes. Ita Prateolus verbo Cerinthiani.

76 Sexto. Abnegarunt Christum Dominum fuisse Deum, sed solam naturam humanam habuisse, ac ipsum nondum resurrexisse à mortuis, surrecturum tamen aliquando, vti vnum ex singularibus hominibus. Sic ex D. Iren. lib. 1. cap. 25. Prateolus vbi supra.

77 Septimo. Ex eodem D. Irenæo somniat Cerinthus, (vt proprijs hic Gualterij verbis vtar) in Passione Christum impassibilem à Iesu passibili euolasse. At magis secum pugnat Caluini somnium, qui absque vlla Christi à Iesu aut Verbi Diuini ab humanitate disiunctione, nihilominus de Christi passione scribit, Christum Mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuisse, ac detrectasse habuisse passionem vitiosam, imo & desperasse, &c.]. Hæc Gualterius per collationem hęresis Cerinthi cum noua magis execranda Caluini. Vide loca citata ab illo.

78 Octauo. Docuerunt Cerinthiani Christi regnum post resurectionum terrenum futurum per spatium mille annorum, & interim homines in carne, concupiscentijs, & libidinibus subiectam vitam acturos. Ad cuius hęresis refutationem sufficiunt verba Christi apud Marcum 12. in regno Cælorum neque nubent, neque nubentur: ex D. Augustino hæresis 8. asserit Gualterius citatus; sed de ea iterum infra.

79

80 Nunc Addit Prateolus hunc errorem, cuius apud alium auctorem mentionem non inueniat. Quod Cerinthus Iudam proditorem Christi maximo in honore habuerit, ac beatos martyres blasphemijs afficere consueuerit. Circa aliquas ex prædictis hæresibus legendus precipue Nicephorus lib. 3. Ecclesiasticæ suæ Historiæ cap. 14.

81 Tertius tandem Hęresiarcha extitit Ebion in materia hęresum contra fidem omnium scelestissimus, eo quod non solum Cerinthi, sed plurium etiam antiquarum Sectarum errores in vnam Sectam coniunxerit, vt ipsum ex Epiphanio hęres. 19. & 20. depingit Baronius ad annum 74. num. 7. sic; Sed & Ebioneis, inquit, paulo post coniunctus est Elxai, Ossenorum antiquæ hęresis facile princeps, ex quo accidit, vt (quod est in prouerbio, aspis à vipera mutuata venenum) magna facta sit accessio impietatis, dum pluribus portentis vnum est monstrum effectum in vnum coeuntibus Samaritis, Iudæis, Osseis, Nazarenis, Cerinthianis, & alijs; quos Ebion simul iungens vnum ex his corpus componens omne turpidinis, & impietatis prodigium superauit] hæc ille; vide apud ipsum, dum ego tibi in particulari Ebionis, & Ebionicarum, seu Ebineorum hæreses recenseo.

82 Primo. Ebionitæ, vt testatur Sanctus Hilarius primo lib. de Trinitate, Christum Dominum ex viro, & muliere purum hominem natum affirmarunt, abnegātes illum fuisse Deū in quo omnino concordant cum Cerinthianis;

83 sicut etiam concordant in oppugnanda Virginali Sanctissimæ Dei Matris integritate. Ac similiter in necessitate obseruandi veterem legem, & circumcisionem admittendam. Ita ex Epiphanio hęres. 30. Gualterius, vbi supra, cap. 9.

84 Secundo. Quamuis conuenerint Ebionei cum Cerinthianis in admittendo solo Matthęi Euangelio, reiectis alijs tribus simul, & varijs ex testamento nouo; Adhuc tamen ipsum Matthæi Euangelium mutilarunt, & diuersas ex Scripturis Sacris per eos admissis, sententias deprauarunt. Iren. lib. 1. cap. 26. & Epiphanius, dict. hęres. 30. Vide Gualterium.

85 Tertio. Discordes extiterunt inter se Ebonitę, & Cerinthiani, quod illi mundum à Deo conditum fuisse affirmauerint, isti vero ab Angelis, vt diximus; ita Baronius statim citandus.

86 Quarto. Peculiariter errarunt Ebionei cō miniscentes Iesum Christum, & Spiritum Sanctum in Cœlo creatos fuisse; ita Epiphanius in Anacephalensi, Gualterius seculo primo c. 9. pag. 24.

87 Quinto. Virginitatem, & continentiam Ebionitæ reiecerunt; imo prohibuerunt, necessitatem ineundi coniugij imponentes; ibid. Gual-

Gualterius cum D. Epiphanio hæref. 36.

88 Sexto. Ex eodem Epiphanio Gualterius ibidem hunc errorem tribuit Ebionitis, quod licentiam vnicuique faciendi quidquid voluerit largiti fuerint, quo quid turpius, quid stultius?

87 Septimo. Quod Ebion cum variorum hęreticorum errores coniunxisset, vt dictum paulo ante, hanc omnem errorum congeriem pręclaro Christianitatis nomine obtexerit, extra viam veritatis aberrando: cum citato Epiphanio idem Gualterius affert.

90 Octauo. Errarunt Ebionitæ frequentia cõtradictorij Spiritus inditia tribuentes, vt testantur hæref. 30. ipse Epiphanius & cum eo idem Gualterius. Miror tamen, quod pręđictorum quinque errorum Ebionis, nullibi Prateolus meminerit.

91 Denique claudamus hanc regulam cum Card. Baronio ad annum 74. num. 8. & 9. conante reducere in concordiam cum D. Epiphanio sanctum Irenæum, Eusebium, & alios, qui circa rem peculiarem huc spectantem, ei manifeste contradicere videntur. Epiphanius enim loco citato Ebioni tribuit casum illum de aduentu Sancti Ioannis Apostoli non sine impulsu Spiritus Sancti in balneum, & cognito quod Ebion esset intus, fleuit, ac dixit socijs: Festinate, fratres, egrediamur hinc, ne cadat Balneum, & pereamus cum Ebione, qui *intus est in Balneo*, propter ipsius impietatem.

92 At *D. Irenæus lib. 3.* aduersus hæreses cap. 4. loquens cum Sancto Polycarpo. Eusebius Histor. lib. 3. cap. 22. & alij dictum congressum D. Ioannis in domo Balnei cum hæresiarcha Cerintho fuisse expresse testantur, addentes corruisse statim balneum, & oppressum, ac mortuum mansisse Cerinthum cum Socijs.

93 Concordat tamen Baronius sic: Ne dicamus, inquit, Epiphanium esse hallucinatum, aut incõueniens erit existimare vtrumque simul in balneis repertum esse, siquidem magna necessitudo ex impietatis similitudine comparata intercedebat inter eos. Cum enim multi dicunt occasione Cerinthi à Ioanne scriptum esse Euangelium, S. Hieronym. lib. de Ecclesiast. Scriptoribus, Ebionis causa id factum affirmat quod scilicet communicatione hæresis, eadem vtriusq; censeretur esse communis; licet quod Tertullianus ait de præscription. cap. 48. non fuerint omni ex parte Ebion & Cerinthus inter se consentientes. Cum ille à Deo Mundum esse creatum, Cerinthus vero ab Angelis diceret esse factum.] Hactenus Baronius, quibus nihil opportunius, tum ad dictam concordiã, tum ad cognoscendum, qualiter D. Ioannes suo Euangelio vtramque sectam Cerinthi, & & Ebionis refutauerit, & repulerit.

Nicolaitarum, & Ophitarum Secta contra fidem vnde nam originem sumpsere?

REGVLA CCXVII.

95 NIcolaus Antiochenus aduena vnus fuit ex septem Diaconis, qui, vt habetur Act. 6. cum S. Stephano in ministerium iudiciarum pro cura pauperum ab Apostolis deputati fuerunt.

96 Ab eo, siue concurrente malitia, & errore ipsius, vt aliqui velunt; siue occasionabiliter tantũ manente ipso innocente, secundum alios, peruersissima Nicolaitarũ secta homines ad turpissimã vitam inducens, ortũ suũ habet;

97 Ex ea dein plures aliæ Sectę diuersis nominibus appellatæ cõtra fidẽ Catholicã dimanarũt, pręcipuè illa celebris Ophitarũ qui serpentẽ vti Deũ peculiari ritu colebant.

---

98 ELectio septem diaconorum, vna cum occasione, & causa eligendi sic nobis proponitur Act. 7. Crescente numero discipulorum factum est murmur Grecorum aduersus Hebręos, quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt, Non est æquum nos derelinquere verbũ Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prothorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenum, & Nicolaum aduenam Antiochenum &c.]

99 Ex quo Sacro Textu manifeste constat, de virtute, innocentia vitæ, & sapientia diuina, tempore electionis istius septimi Nicolai; quandoquidem præscriptum, vt eligendi essent omnes viri boni testimonij, ac pleni Spiritu Sancto, & sapientia.

100 An autem postea à dicta virtute, & innocentia recesserit ac malitiose circa fidem errauerit, alijsque pari modo occasionem errandi præbuerit, atque hac ratione sceleratissimam Nicolaitarum sectam incœperit? magnam circa hoc controuersiam, & Sanctos Patres etiam inter se diuisos reperio. Nam D. Damascenus lib. de Hæresib. verb. Nicolaitæ, D. Irenæus lib. 1. cap. 27. D. Hilarius in Matth. cap. 25. D. Hieronymus epist. prima & 48 Tertullianus de præscript. & alij asserunt, ipsum à vita exemplari, & ab Ecclesia Catholica desciuisse, ac in sordidissimas hęreses turpiter lapsũ esse, ea nimirum ex causa quod ordinatus cum ad imitationem eorum. (verba sunt Epiphanij dict. hæres. 25.) quos Deo addictos videbat ab vxore quam formosam habebat, se continuisset, & a concupiscentia superatus eam iterum superinduxisset, argueretur que ab Apostolis, quod vxore, quam antea dimisisset vteretur, indignum rati, & sacris iam officijs atque ordinibus mancipati, adhuc carnis tenerentur illecebris; Illum mox hæresim excogitasse, necessariumque ad salutem consequendam

dam esse affirmasse quotidie inquinari luxurijs, quo quid rationi, & honestati magis repugnans?

102 E contra alij, vt Sanctus Clemens Alexandrinus lib.3. stromat. Theodoretus hęret.fabul. lib.3. & Eusebius histor.lib.3 cap.28. affirmant sic, Nicolaitas à Nicolao Diacono fuisse appellatos; attamen ipse culpa vacaret; & huius sententiæ videtur esse Sanctus Ignatius, dum scribens ad Trallianos sic ait: Fugite impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes,] & ad Philadelphios: Finem, inquit, beatitudinis constituunt voluptatem, vt hi qui falso nomine Nicolaitæ dicuntur. Occasionem autem Nicolaitarũ & cur absq. culpa Nicolaus dicatur,

103 Clemens Alexandrinus pluribus ita explicat. Cum Nicolaus formosam habeat vxorem & post assumptionem Saluatororis ei ab Apostolis fuisset exprobrata Zelotypia, in medium adducta muliere, promisit, cui vellet eam nubere. Aiunt enim actionem illi voci consentaneam, quæ dicit, carne vti oportere, eiusque factum, & dictum absolutè sequentes, qui eius hæresim sequuntur, impudenter, effuseque fornicantur.

104 Ego autem audio Nicolaum quidem nunquam vlla alia, quam eam, quæ ei nupserat, vxore vsum esse, & ex illius liberis filias quidem consenuisse virgines; filium eius etiam permansisse incorruptum, quę cum ita se habeant, vitij erat depulsio, atque purgat,o in medium Apostolorũ circumactio vxoris cuius dicebatur laborare Zelotypia, & continentia à voluptatibus, quæ magno studio parantur, docebat illud, vti carne oportere, hoc est exercere carnem, neque enim, vt existimo volebāt conuenienter Domini præcepto, duobus dominis seruire & voluptati & Deo.] Ha-

105 ctenus Clemens, & si milia affert Eusebius citatus, propter quæ, ac maxime propter auctoritatem Sancti Ignatij hanc partem, quod extiterit innocens, Nicolaus sequitur Baronius ad annum Christi Domini 68. nu.9. & 10.

106 Verũ quidquid sit de hac graui controuersia, quam consultò indecisam relinquo; cum pręsenti instituto non sit adeo necessaria decisio: illud solum attingendum quod certissimum est apud omnes, nimirum Sectam Nicolaitarum diuersos tenuisse grauissimos errores contra fidē Catholicā, quos breuissime indicabimus:

107 Primo, Nicolaitæ tenuerunt necessarium esse ad salutem consequendam quotidie inquinari luxurijs. Ita Epiphan. hæres.25. si non de Nicolao, secundum doctores secundæ sententiæ, saltem de Nicolaitis.

108 Secundo. Vt ex verbis propositis Sancti Ignatij scribentis ad Philadelphios, manifeste patet Nicolaitæ, licet falso nomine sic dicti, finem beatitudinis in voluptate cōstituerunt.

109 Tertio secundum eundem Sanctum Ignatium Epistola nona, affirmarunt ipsi Nicolaitæ Christum non fuisse Deum, sed in eo Deum habitasse. De Nicolaitis negantibus Christi diuinitatem, meminit Sanctus Irenæus lib.3.

110 cap.11. Et addit quod eos Sanctus Ioannes Euangelista, æque atque, Cerinthianos, scribendo Euangelium, confutauerit; & quod per sententiam etiam Domini Apocalyp.cap.2 fuerint ipsi condemnati, vt bene notat. ibidem Baronius num.11. & qualiter Sanctus Iudas Apostolus in Epistola Canonica contra eosdem Nicolaitas; licet tacito nomine, sententias ia-

111 culetur. Subintroierunt, inquit, quidam homines (qui olim proscripti sunt in hoc iudicium) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.

112 Quarto. Adiungit ibidem Sanctus Ignatius, referente Baronio citato eorumdem Nicolaitarum fuisse assertionem, vt dicerent illegitimum concubitum esse bonum.

113 Quinto. Tandem Nicolaitas præter licentiam in mœchando, nulla habita distinctione Idolothytæ, vt gentes comedere consueuisse. Idē Sanctus Irenęus vbi supra testatur.

114 Pro capiendo autem statu, & modo procedendi huius sectę Nicolaitarum, & ab ea aliæ qualiter dimanarint. Audi Baronium ad dictum annum 68. num. 12. sic loquentem: Ac portentosa, inquit, planè hos excogitasse commenta, vt aliquo saltem quęsito prætextu obscæna, & impudica penè licitè perpetrare docerent. Epiphanius hæres.15. refert, additque non noua, & hactenus inaudita ad incutiendũ terrorem simul cum admiratione adinuenisse nomina numinum, nempe Barbelo Prunicum Ialdubasten, Caulathauit, atque, Metram, diuinoque ab inuicem, ex singulis dictis nominibus, Sectas singulas instituisse. Hactenus Baronius. Qui prosequitur ostendendo, qua ratione ex hac pessima radice Nicolaitarum, plures aliæ Sectę hæreticorum pullularunt, vt Barberianorum &c. de quibus cap. sequenti, cum ad secundum seculum pertineant, & in eo Prateolus ipsas reponat, vt tunc videbimus.

116 Superest dicere vnum verbum de Secta Ebriātarum, quam supra hic explicandum remisimus, vti procedentem ex prædicta Nicolaitarum, vt refert D. Augustinus lib. de hæresibus cap. 17. ex aliorum sententia teste Prateolo lib.13. verb. Ophitæ, qui iam adeo eam antiquam iudicat, vt inter sectas Iudęorum à fide ante Christi Aduentum aberrantium

117 reponat. Dicti sunt Ophitæ à serpente Ophis gręcè, idem quod serpens latine, quem colebant. Nam vt testatur D. Augustinus loco citato serpentem illum, à quo primi parentes decepti sunt Christum fuisse affirmarunt, vti auctorem scientiæ boni & mali; propterea serpentem quendam viuum consueuerunt nutrire, & venerari, qui ad Sacerdotis incantationem de spelunca, in qua alebatur, egrediēs & altare, quod supra eandem speluncam erectũ erat, consurgens lambebat, oblationes, quas illi sacrificabant: quo peracto regrediebatur in speluncam, & ita eius cultores easdem confingebant oblationes in Eucharistiam, proinde atque à serpente Christo, vt illi putabant, sanctificatas. Ita ex D. Augustino Prateolus totidem vere verbis legendus etiam circa istos Ophitas Philastrius .ib. de hæres. atque hactenus de sectis, & hæresiarchis contra fidem primi seculi.

CA-

CAPVT SEXTVM.

De Sectis & errori bus contra fidem Catholicam hæresiarcharum qui post Christi Domini Natiuitatem per tempus secundi seculi prodierunt.

PROOEMIOLVM.

1 ADMODVM difficile ab omnibus Scriptoribus censetur vnicuique hæreticorum Sectæ suum proprium annum, seu tempus quo in lucem prodijt, sigillatim assignare, maxime si ad secula antiquiora oculos conijciamus. Vnde sine dubio nullus huc vsque prouinciam istã sic assignandi vbi assumpsit, qui manifestè periculo erroris, & censurę aliorum non se exposuerit. 2 Contra Gabrielem Prateolum, qui ausus est talem continuatam assignationem præbere, reponentem primo loco sectam ad annum 40. Christi Domini. Thebuti, insurgunt varij melioris notæ 3 Auctores, qui, vt vidimus supra; illam Simonis Magi reponendam ostendunt. Prędictam autem difficultatem in assignando tempore, aut anno cuiuslibet Sectę, simul cum rationabili excusatione non suscepti laboris, egregiè exprimit Gualterius in prefatione ad Lectorem circa medium per sequentia verba, intermissis aliquibus non huc spectantibus, in hęreticorum inquit alumnis, non semper fortassis adeo accurate, ac cuperes amice lector, determinatur ordo temporum, quibus singuli vixerunt, quo naturæ satisfecerunt partim, quia plerumque vix, aut ne vix quidem id fieri poterit cum rari sint Auctores, qui hęc sigillatim examinarunt. & hi quidem opinionum discrepantia, sæpè inter se diffidentes, partim quia, cum alioqui res illa non tanti momenti sit. Illud ferè vnum mihi fuit Consilium, vt singulas annorum centurias, siue secula, distinguerem, & vnumquemque scriptorem Sanctum, aut hęreticum ad suam centuriam referrem.] Hęc Gualterius, quibus nos etiã 4 cum ipso rationabiliter excusamur à suscipiendo simili labore. Quod si quandoque præter reductionem ad Centuriam propriam aliquibus hęreticorum sectis tempus, vel annum, quo prodierunt cum adducto Prateolo, vel cum alijs Auctoribus declinauerimus, fidei totaliter huiusmodi declinationis apud ipsos. Tutum itaque peculiare studium erit, vt sicuti in primo seculo præstitimus, ita in hoc secundo, & in reliquis vsq; ad 17. vnumquemq. hæresiarcham seu inuentorem alicuius Sectæ ad suam centuriam cum Gualterio, & alijs reducamus.

Quid de Elxai, & Iexei Secta contra fidem Catholicam ex Iudaismo originem ducente.

REGVLA CCXVIII.

5 AD annum Christi Domini 105. extiterunt Elxai, & Iexeus fratres pseudoprophetę scelestissimi, ex Iudæis oriundi, & cũ Iudæis, in multis sentiẽtes non tamen secundũ legẽ eorũ 6 conuersantes. Hi prę̨ter errores Ossenorum, & Ebionitarum, quibus adhęserunt, alias sparserunt hęreses conscripto libro secundum Prophetam vel secundum inspiratam sapientiam, vti ipsi aiebant, hinc Sectam Elceseorum, qui se ab illis descendere gloriabantur, & duas 7 mulieres, alteram Mathus, & alteram Mastanam vocatas ex semine Elxai originem ducentes, veluti deas adorabant.

---

8 NIhil de duobus his fratribus pseudoprophetis, & hęresiarchis Elxai, & Iexeo apud Gabrielem Prateolum inuenire potui, quod mirum sane, cum omnia ipse in suo Elẽcho alphabetico diligenter perscutari soleat. Iacobus Gualterius adducit initio Secundi Seculi cap. 1. pag. 184. vocans eos prę̨cursores, aut proauos Lutheranorum, & Caluinianorum, conferendo istos cum illis, more suo, quoad 9 errores vtrorumq; contra fidẽ. De ipsis fratribus cum D. Epiphanio lib. 1. hęres. 19. & 30. ex professo tractat Cardinalis Baronius tom. 11. Annal. Eccles, eosdem referens ad annum Christi Domini 105. vbi num. 11. sic ait. His, inquit, temporibus persecutione (vt videmus) in Christianos instanti, scelestissimus pseudopropheta Elexi nomine ex Iudæis, qui & se Ossenis coniunxit, Ebiotitis, & Nazaræis prodijt.] Hæc Baronius.

10 De dicta item coniunctione. & de alijs circa ipsum Elxai; & fratrem eius Iexeum ex Epiphanio ita addit, coniunctus est, inquit, his postea Elxai appellatus temporibus Traiani Regis, qui fuit pseudopropheta, conscripsit autem hic librum, secundum prophetam, videlicet aut velut secundum diuinitus inspiratam sapientiam, Tradunt etiam de aliquo quodam Iexeo eius fratre. Fuit autem hic erroneus 11 moribus fraudulentę mentis, à Iudæis oriundus, & cum Iudęis sentiens, non secundum legem conuersans. hęc ille rem exprimens, fuerint ne vtrique fratri errores contra fidem statim proponendo ita communes: vt ambo au-12 ctores eorum censeantur. Et quidem videtur inclinandum ex mente D. Epiphanij, & Baronij in partem negatiuam, cum locutio eorum semper sit in singulari, & de Elxai pręcipue, Nihilominus secundum Gualterium æque vtrique tribuendi; quia ab eo pari modo ambo pseudoprophetæ & præcursores, ac proaui Lutheranorum vocantur, & habentur. Nec refert, quod apud Epiphanium, & Baronium locutio sit in singulari, & fere semper de Elxai id forte ita quod prior illo prodierit.

13 Verum quinam peculiares errores eorum?

Primo

Primo, Virginitatem impugnarunt, & quoscunque homines ad coniugium adegerunt. Affert Gualterius citatus collato hoc cum simili errore Lutheri docentis, non esse in viri potestate situm, vt absque fœmina degat, &c; & Caluini affirmantis cœlibatus electionem non esse positam in manu nostra; sed de hoc alibi.

34 Secundo, Vt ex Epiphanio Baronius locis citatis de Elexai, sic ait; Solem, inquit, & aquã, & terram, & panem, & cœlum, & æthera, & ventum, & iusiurandum ipsis in diuinum cultum præfiniuit, ac tradidit. Aliquando vero rursum alios septem testes præscripsit, Cœlum, inquam, & aquam, & Spiritus, & Sanctos, velut ait Angelos orationis, & oleum, & sal, &

35 terram. Cuius stultitiam, vt eluderet Sanctus Ioannes Euangelista eiusmodi hæresim fortasse odoratus; nam vt vidimus sub eodem Imperatore diem obijt. Illud præmonuerat dicens 1. Ioann. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres, vnum sunt. Et tres sunt, qui testimoniũ dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt. Hactenus ille.

36 Tertio, Ad nequissimam hypocrisim homines induxerunt, docentes non committi peccatum ab eis, etiamsi simulacra exterius ipsos adorare contingat, instante persecutione, dummodo conscientia, seu mente non adorent; vel si aliquid contra fidem ore tantum confitean-

37 tur; modo non fiat corde. Atque in confirmationem suæ hæreticæ doctrinæ adducebant exemplum cuiusdam Philenei Sacerdotis de genere Leui, & Aaron, ac prisci Phinees, falsissime illi imponentes, quod in Babylone, tempore captiuitatis sic adorasset Dianam, & in Suris, coram Rege Dario, mortis perniciem effugisset. Adducit idem Baronius.

38 Quarto, Orationem non esse faciendam ad Orientem, tutati sunt, sicque orare ad Orientem prohibuerunt, affirmantes, quod oporteat, dum fit Oratio, faciem ex omnibus partibus ad Hierosolymam conuertere, ita vt hi, qui in Oriente in Occasum Hierosolymis intendãt. Ita Baronius.

39 Quinto, Circa Christum Dominum diuersas hæreses habuit Elxai cum fratre Elxeo, quas simul accipe ex Baronio verbis proprijs Epiphanij. Sed & rursum, inquit, Christum confitetur nomine, dum dicit Christus Magnus ille Rex, non autem ex dolosa, & adulterata tractatione nugacissimi libri eius comprehendi, an de Domino Nostro Iesu Christo narrauit; neque enim hoc determinat verum Christum simpli-

20 citer dici. Et post alia de eodem, describit Christum esse quandam virtutem; cuius etiam mensuras significat vigintiquatuor Schœnorũ in longitudinem, hoc est Milliariorum nonaginta sex, latitudinem vero Schœnorum sex, id est, Milliariorum vigintiquatuor, & crassitudinem similiter metitur, & pedes, & reliqua fabulamenta, ait ille.

21 Sexto, Errores eorum contra Spiritum Sanctum verbis etiam Epiphanij tibi porrigo. Esse autem, inquit, & Sanctum Spiritum, & ipsum fœminei sexus similem Christo instar statuæ super nubes, & in medio duorum Montium statem, & reliqua silentio præteribo, vt ne legentium aures ad fabulas concitem. Hæc Epipha-

22 nius. Qui addit versutum homine prohibuisse interpretationem suorum Scriptorum, quo quid perniciosius?

23 Restat quod addidimus in fine Regulæ de illo erroneorum Sectæ Hilceseorum, seu Helcheseitarum colendi vti Deas illas duas Sorores Marthus, & Marthanam, eo quod ex semine Elxai originem ducerent; sed de hoc, & de alijs ad dictam Sectam spectantibus agendum nobis in tertio Seculo, quæ tunc in lucem prodijt.

Qualiter Secta Hæresiarcharum Saturnini, & Basilidis à Simone Mago, & Menandro originem sumpserunt?

REGVLA CCXIX.

24 HI duo perniciosissimi homines Basilides, & Saturninus, alter Alexandrinus, alter vero Antiochenus, in scholis suorum Magistrorum Simonis Magi, & Menandri adeo profecerunt in doctrina erronea, vt, additis nouis contra fidem Diuinam hæresibus, famo-

25 sissimi inter reliquos, hæresiarchæ extiterint, & peculiares Basilidianorum, & Saturnianorum diabolicas sectas ab Inferis excitarint.

26 Quibus Ecclesiam Catholicam Basilidis præcipue Alexandrię; & in regione AEgypti. Saturninus Antiochiæ, & in tota Syria acerrime impugnarunt.

---

27 QVisnam precesserit tempore ex his duobus hæresiarchis, nõ clare liquet, Saturninus, seu Saturnilus, vt alij vocant, reponitur primo loco communiter à D. Damasceno lib. de hæresibus, à Prateolo in indice, illum ad ann. 118. Basilidem vero ad 124. Christi Domini referente, à Gualterio item, qui tamen Basilidem Saturnini condiscipulum fuisse affirmat cum Epiphanio hæres. 25. peculiariter repositum primo loco Saturninum, & alios in communi ad vtrumque sceleratissimum hæresiarcham spectantes. Vidimus apud Eusebium Hist. lib. 4. cap. 6. humani, inquit, Generis de-

28 ceptor antiquus post Menandrum Simonis successorem, velut quandam bestiam bino ore sibilantem, binisque linguis diabolica venena vibrantem, Saturninum quendam Antiochię genitum, & Basilidem Alexandriæ ortum produxit; quorum vterque suis in regionibus officinas impię, ac Deo inuisæ condidit disciplinæ.

29 Equidem in eodem pœne Saturninum, quo Menandrum cõmendatum esse scribit Irenæus, Basilidemque sub pretextu Mysticę doctrinę in immensum tetendisse mẽtis impiæ cogitatum, dum prodigiosa fabularum figmenta sibimet complacerent. Hæc Eusebius.

30 Cardinalis tamen Baronius ad annum Christi 120. num. 22. efficacissime ostendit Basilidẽ fuisse priorem Saturnino his verbis: Saturninum, inquit, post Basilidem ordine recensemus;

mus; licet nonnulli, qui de his agunt, de Saturnino primum mentionem instituerint, ea nimirum ratione nos persuasi; quod cum hic, (vt superius dictum est) fuerit Patria Antiochenus, & in Syria scholam erroris aperuerit, & Sanctus Ignatius sicut multos hæresiarchas, ita Basilidem, nominatos expresserit; Saturnini vero Antiocheni ipse Episcopus Antiochenus, & totius Syriæ Orientisque Magister, nullam prorsus habuerit mentionem, præsertim in ea epistola, quam ad suos scripsit Antiochenos, vel ad Heronem dedit cuiusdam Ecclesiæ doctrinam, & curatorem, In eam facile adducimur sententiam, vt existimemus post mortem Ignatij, emersisse impudentem hęreticum, quo viuente tantæ lucis fulgore perculsus, vt noctua quædam in tenebris delituerit. Et quid ni clamasset in Saturninum domesticum furem Ignatius, qui Basilidem in AEgypto agentem Christi crucem negantem, tot iaculis ferijt] hæc pererudité Baronius.

31

32 Vnde cum ipso quę sunt propria Basilidis primo loco expendamus, maxime, quod ad institutum spectat, circa eius hęresis.

Primò. Secundum Epiphanium hæref. 24. & alios Basilides eo superbiæ, & fastus peruenit, vt se, ac suos sequaces solos affirmaret esse homines, cæteros omnes lues, & canes, ac propterea propalanda non esse alijs sua Mysteria, eò quod præceptum sit, nolite proijcere *margaritas ante porcos*.

33 *Secundo*. Ausus est Basilides scribere Euangelium, & sui ipsius inscribere nomine: in quo eiusdem horrendæ hęreses continebantur; vt ex Origene in Lucam, homil. 5. & ex Diuo Ambrosio affert Baronius ad annum Christi 120. nu. 19. qui merito vocat pseudoeuangelium.

34 Tertio. Homines à Martyrio auertebat, affirmans persecutionis tempore Christum negare non esse crimen; sed quid indifferens, propterea non paruam fore dementiam hac de causa mortem subire; cum citra crimen possit Christus negari] ita Eusebius hist. lib. 4. cap. 7.

35 Quarto, tradidit Virginitatem non esse maioris meriti apud Deum, quam coniugium; sed pares esse nuptias Virginitati; de quo Sanctus Hieronymus lib. contra gentes, Iouinianum circa finem per sequentia verba, Quadringenti ferè, inquit, anni sunt, quod Christi prædicatio fulgit in Mundo, ex quo innumerabiles hæreses tunicam illius consciderũt, Vniuersus pene error de Chaldæo, & Syro, & Græco sermone processerat, Basilides Magister luxuriæ, & turpissimorum complexuum post tot annos ita in Iouinianum, quasi in Euphorbum transformatus est, vt latina quoque lin-

36 gua haberet hæresim suam.] Hęc Hieronymus, ex cuius mente ista hæresis sine dubio initium sumpsit à Basilide.

37 Quinto ad nobilitandum suos errores excogitauit nouos prophetas, ac eos nouis nominibus Barrabam, & Barcople appellauit, Angelos item qui nunquam extitisset sibi ipsis confinxit, & barbara ipsis nomina imposuit, quo talia prospicientes in ea maiorem admirationem raperentur. Ita cum Eusebio lib. 4. cap. 7. Baron. vbi supra num. 9.

38 Ibique cum eodem addit à Basilide viro acutissimi ingenij fuisse confecta volumina contra Christi Euangelium.

39 Sexto, Sanctus Irenęus lib. 1. cap. 13. de eo sic ait: Basilides autem, inquit, vt altius aliquid, & verisimilius adinuenisse videatur, in immensam extendit sententiam doctrinæ suæ ostendens. Nam primo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon, dein à Logo Phronesin, à Phronesi Sophiam & Dynamin, a Dynami autem, & Sophia virtutes, & Principes, & Angelos, quos & primos vocat, & ab ijs primum Cœlum factum, dehinc ab horum deriuatione alios item factos, aliud simile Cœlum priori fuisse, & simili modo ex eorum deriuatione alij facti essent antitypi eis, qui super essent, aliud tertium deformasse Cœlum, & à tertio deorsum descendentium quartum, & deinceps secundum eundem modum alteros, & alteros Principes & Angelos factos esse, dicunt & Cœlos trecentos sexaginta quinque, quapropter & tot dies habere annum secundum numerum Cælorum] hęc Irenæus, & alia fabulamenta de Basilide.

40 Septimo, Basilides abnegauit cum Iudæis Christum passum, ac crucifixum fuisse, sed Simonem Cyrenaum, qui angariatus crucem eis sustulit. Item cum Eusebio lib. quarto. histor Eccles. cap. 8. & D. Augustinus lib. de heresibus, Prateolus in suo Elencho, verb. Basilidiani.

41 Octauo, cum Saducęis, Simone Mago, Hymenæo, & Phileto carnis resurrectionem futuram esse negauit. Idem Prateolus vbi supra ex Sancto Ignatio citato, qui scribẽs ad Trallianos, vt ait Baronius citandus, admonet eos, vt fugiant Simonis, Menandri, atque Basilidis impietates, nimirum quod sic Christum loquantur, non vt Christum annuncient; sed damnent, atque reijciant, quem à Deo Patre alienum prædicent, partum Virginis calumnientur, passionem negent, nec resurrectio-

42 nem credant. Deum ignotum introducant, & Christum ingenitum censeant, Spiritum Sãctum nec esse confiteantur; licet ex his aliqui vnam esse personam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti cõmenti sint, omniaque à Deo creata, sed non per Christum, sed per aliam potestatem affirment. Hæc de Basilide, & ijs, è quibus Basilides ducebat originem, scribit atque egregiè confutat Sanctus Ignatius.] Hactenus Baronius ad annum 120. numero 10.

43 Nonò, ex Clemente Alexandrino lib. 2. & & 3. addit idem Baronius num. 18. quod Basilidiani tenuerint animam hominis prius peccasse in alia vita; hic autem pati supplicium.

44 Decimo, ex eodem Clemente, quod affirmauerint illi fidem esse naturalem in homine habitare exercitum spirituum, qui essent passiones, per quas vnusquisque mouetur, & non esse pugnandum aduersus passiones in-

insurgentes, sed eis esse assentiendum; ac proinde libidinibus inquinari licitum, atque concessum esse.

Vndecimo, idem Clemens Alexandrinus lib. 4. stram. ait, quod defenderint Basilides, & eius gregales non omnia à Deo dimitti peccata, sed tantum inuoluntaria, & quæ per ignorantiam facta essent.

46 Duodecimo, docuerunt tandem, quod hostias Idolis immolatas comedere, esset res indifferens. Ita Eusebius, supra adductus lib. 7. atque hactenus de Basilidis, & Basilidia-

47 norum erroribus. Qui fuerunt penè innumeri, quandoquidem ille, vt dictum, viginti octo volumina contra Euangelium Christi Domini composuit hæresibus plena quæ non extant, & quamprimum in lucem prodierunt, à Castorio Agrippa Scriptore illius temporis præstantissimo, & Catholicissimo refutata fuerunt, vt asserit cum Eusebio Baronius ibidem nu. 9.

48 Quid iam de Saturnino, & de Saturnianorum secta. Primo asseruerunt Christum Dominum vmbraliter solum apparuisse, non carnem veram hominis, nec animam sumpsisse, atq. totem œconomiam ministerij Saluatoris complesse Ita ex S. Philastrio lib. de hæres. Prateolus lib. 17. sui Elenchi verb. Saturninus.

49 Secundo. Docuit Saturninus Christum phantasmate passum esse, & resurrectionem negauit, ex Tertulliano, lib. de Hæresibus affert idem Prateolus vbi supra.

50 Tertio. Secundum eosdem Philastrium, & Tertullianum citatos, tenuerunt Saturniani solos septem Angelos mundum fecisse, præter conscientiam Dei Patris. Distare autem Angelos à virtute illa superna. à qua dicunt lumen fuisse demissum, quo Mundus iste, quem asserunt per ordinem Angelis diuisum, illuminaretur. Cuius luminis concupiscentia adducti Angeli eius virtutis videndę magno tenebantur desiderio, sed statim in Cœlum conscēdit ab eoque receptum est, videntes itaque

51 assequi non posse quod maxime exoptabant Angeli, inuicem dixerunt: Faciamus hominem secundum imaginem, & similitudinem nostram; qui eum factus esset, tantę imbecillitatis, & impotentiæ inuentus est, vt in eo vita subsistere non posset. Quod videns virtus illa superna, in eum scintillam immisit, quæ illum erexit, exuscitauitque, & viuere fecit, ideoque illi scintillę non minorem tribuit virtutem, quam ipsi Deo. [Ita cum dictis scriptoribus ibidem Prateolus.

52 Quarto. Cum Simone Mago suo Magistro docuit Saturninus promiscuum Saturninarum Fœminarum vsum esse licitum, itaut quisque, qua vellet, vti sine peccato posset, tradit. idem Prateolus.

35 Quinto. Cum aliquibus ex prędictis erroribus alios simul adducit Baronius ad annum 120. num. 27. Ex Diuo Irenæo lib. 1. cap. 22. relatis eius verbis. Sed quæ, inquit, essent dogmata Saturnini, ab Irenæo veluti antiquiore petamus. Hic Menandro inhęrens sic Deū Patrem omnium dixit esse Creatorem, vt tamen Mundum à septem Angelis creatum, hominemque voluerit Angelorum esse facturam. Rursum Iudęorum Deum esse vnum ex Angelis dixerit, quodque aduersus Patrem rebellasset, in eius destructionem missum esse Christum, & in salutem credentium, eundemque ignotum, & incorporalem, & sine figura,

55 putatiue tamen visum esse hominem. Duo insuper hominum genera ab Angelis esse facta tradebat; Iterum quidem nequam, alterum vero bonum, & quod hoc dęmones pessimos adiuuaret, missum esse Saluatorem ad perditionem malorum; in salutem vero bo-

56 norum. Addidit insuper illam blasphemiam vt nubere, & generare à Satana esse diceret Complures eius Sectatores sic coluere abstinentiam, vt ab animatis abstinerent: qua quidem virtutis specie veluti Sanctitatis imposita larua, multos seducerent. Rursum quasdum prophetias ab Angelis, quasdam

57 vero à Satana tradebant esse reuelatas.] Hæc de Saturnino Irenæus, & ab eo Baronius, nosque ab vtroque: nec plura de ipso.

Secta Carpocratianorum, Barbelitarum, & aliorum Gnosticorum qualiter à Nicolaitis prodeant?

REGVLA CCXX.

58 FErè eodem tempore circa annum Domini 120. comparuit Alexandriæ quidam mortalium omnium sceleratissimus, & fæx cunctorum hæresiarcharum, qui assumptis erroribus non paucis ex præcedentibus sectis, Simonis, Menandri, ac pręcipue ex illa Nicolai-

59 tarum, atque alijs pluribus horribilioribus adiunctis Carpocratianorum, Barbelitarum seu Gnosticorum, seu quouis modo hi vocen-

60 tur, sectam perniciosissimam instituit; aut verius eandem Nicolaitarum cum ingenti animarum ruina in immensum propagauit.

---

61 NOn concordant Auctores in circumstantia temporis: Prateolus Carpocratem refert ad annum Christi 129. Baronius vero supra, ipsum proponit statim post Saturninum, eodem Domini anno 120. num. 29. hic fortè intelligit de initio præuaricationis, & comparitionis eius; At ille de præuaricatione, & comparitione eiusdem iam consummata, & per aliquot annos cora m omnibus exhibita.

62 Gualterius de Carpocrate, seu de Carpocras, vt ipse etiam vocat, cap. 4. secundi seculi agit, & capite 6. de Gnosticis (interpositis cap. 5. Valentinianus,) qui si isti omnino differunt ab illo Cum tamen ipse Gualterius aliquos peculiares errores grauissimos Gnosticis tribuat, quorum primum Inuentorem Cardinalis Baronius loco citato cum Eusebio, Clemete Alexandrino. D. Epiphanio, & alijs citandis Carpocratem assignet.

63 Quid quid Nicephorus libr. quarto Ecclesiæ histor. capite 2. de Carpocrate hęc verba profert: Carpocratem, inquit, æqualem fuisse

fuisse tradit Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 23. Basilidi, & eorum, qui Gnostici appellantur, Auctorem, & Ducem facit, quem non puduit propalam artem Magicam exercere, quam Pater eius Simon clarè, & subdolè professus fuerat, gloriam iste aucupabatur, & sese efferebat artibus, curiosis per eos, quæ ipse conficiebat amores, per somniorum visiones, & per assessores dæmones.] Hęc Nicephorus, ex quibus pręter alia maxime illud de professione artis magicæ cum assessore dæmone constat Carpocratem fuisse primum, & originem Gnosticorum, quamquam etiam Valentianos fuisse vocatos Gnosticos infra videbimus.

65 Verum vt id magis innotescat, & qualiter ex Nicolaitis processerint, seu istorum secta innouata per eos, ac propagata fuerit. Notandum diligenter id quod cum Eusebio lib 3. cap. 23. adducit Baronius tom. 1. ad annum Christi 68. num. 11. nempe Nicolaitas ad modicum spatium temporis perdurasse, & quod pertæsi falsi nominis iuxta tradita à nobis seculo præcedenti regula 217. non amplius se nominauerunt Nicolaitas quod facile impostura conuinci potuissent, sed alio suorum, ad rem turpissimam obtegendam, omnium pulcherrimo quæsito nomine se ipsos à sapientia nuncuparunt Gnosticos, idest, sapientes, seu singulari eruditione præstantes. Sed cum horum alij alia superaddiderint ad hęresum noua monstra nouis sunt appellati nominibus iuxta Epiphanium hæres. 25. vt non tantum Gnostici dicerentur, sed & Phibionitæ, Stratiotici, Leuitici, Barboriani, Sorratitæ; Zaccheani, Barbelitæ, Caddiani, Sorationci, & Harsiani.] Ita etiam Gualterius loco citato, cap. 6.

68 Quod vero Carpocratiani similiter appellentur Gnostici testatur cum Epiphanio hæres. 27. & cum alijs Baronius tom. 2. Annal. ann. 120. num. 21. per hæc verba: Insuper hos, inquit, in velamen obscænitatum multarum per pulchrum sibi ipsis nomen indidisse, vt Gnostici diceretur, ita suos appellandos esse Carpocratem docuisse tradunt.] Ita ille quo quid clarius. Quod si obijcias ex D. Hieronymo de Scriptor. Ecclesiasticis in Agrip. & in Eusebio, in Chronico, à Basilide Gnosticos fuisse nominatos. Soluit obiectionem, idem Baronius sic: Sicut venena, ita nomina inter se istos communicasse dici posse videtur. Nam eadem ratione, qui ex Nicolaitis prodierūt æque Gnosticos esse dictos Epiphanius hęres. 26. asfirmat. Patet itaque ex traditis, & Carpocratianos fuisse Gnosticos, & ex Nicolaitis prodijsse, atque additis nouis erroribus ipsam Nicolaitarum sectam per Carpocratem propagatam fuisse.

71 Clarius tamen hoc modo patebit propositis peculiaribus hæresibus Carpocratis, & Gnosticorum. Primo tenuerunt Carpocratiani, Christum Dominum ex semine Ioseph generatum, natum purum hominem, sicut & reliqui homines; virum quidem bonum, & sanctum, eiusque animam post crucifixum corpus fuisse in Cælum receptam, dimissa carne in terra; & quod non carnis; sed animi solius salutem acquiri affirmarunt. Consequenter cuiusuis corporis resurrectionem, ac vniuersale iudicium futurum negantes. ita cum Eusebio, libro 4. cap. 7. Diuus Philastrius lib. de hæres. Prateolus lib. 1. verb. Carpocratiani, & Baronius, vbi supra nu. 24. & 25. cum Tertulliano de pręscriptione cap. 48.

73 Secundo. Asseruerunt Gnostici duos esse Deos, vnum bonum omnis boni principium; alterum malum, omnium malorum originem; & omnium creaturarum inferiorum molitorē; & consequenter, quod istæ sint malę. Adducunt D. Augustinus hæres. 6. Philastrius lib. de hęresibus & alij.

74 Tertio. Docuerunt Gnostici animam nostram esse aut Dei substantiam; aut ex Dei substantia, nihilominus omnia bruta quoad sentire, & intelligere ipsi homini æqualia, & rationis capacia esse. Testati sunt ibidem Prateolus, & Baronius.

75 Quarto. De Carpocrate, eiusque sequacibus Gnostici adeo auditu horrenda se accepisse tradit Irenęus lib. 1. cap. 24. vt non induci possit ad credendum talia, quale est illud omne delictum non solum non esse vetatum, sed imperatum, ita vt pœna dignus censeretur, qui suę prius voluntati quæcunque cupienti non satisfaceret, applicato illi pro solamine Matth. 5. Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, &c.] Doctrina itaque illorum fuit, tum qui suæ aduerseretur concupiscentiæ transanimatione fere plectendum, & rursum post mortem alia pœna maiori, eum vero qui mundi, & concupiscentiæ opera quęcunque praua expleuerit his consummatis libere profecturum ad illum Deum, qui est super Angelos, mundi fabricatores] affert Baronius dicto anno 120. num. 25. quocum nu. 38. scias hos Gnosticos fuisse vocatos Antitastas, ex Clemente Alexandrino lib. 3. stromat. 7.

78 Quinto. De eisdem Carpocratis Gnosticis quid magis horrendum adducit Sanctus Epiphanius hæres. 26. licet renitens valde, vt ipsemet fatetur, teste Baronio num. 26. ob nimiam turpitudinem facti quod ex ore ipsius Epiphanij audiamus aliquibus intermissis, ne nimis diffundamur. Primo quidē inquit, communes habent vxores, ac si peregrinus accesserit de ipsorum dogmate, signum est apud ipsos virorum ad fœminas, & fœminarum ad viros in ostendendo manum ad salutationem videlicet subter palmam contrectationem quādam titillationis & vir concedens vxorem alteri ad ipsam dicit: Surge, fac dilectionem cū fratre &c. Postquam inter se per scortationis affectum, insuper blaspemiam suam in Cælum extendunt, & suscipit quidem muliercula ireque viri fluxum à masculo in proprias suas manus, & stant in Cœlum intuentes immunditiā in manibus habētes, & dicunt: Offerimus tibi hoc donum, Corpus Christi, & sic ipsum edunt assumentes suas ipsorum immundi-

tias; & dicunt, Hoc est corpus Christi, & hoc est Pascha, ideo patiuntur corpora nostra, & coguntur cōfiteri passionē Christi. Eo-
81 dē vero modo etiam de fœmina, vbi contigerit ipsam in sanguinis fluxum esse mēstruum collectum de ista immunditia sanguinem acceptum in comm uni edunt, & hic est, inquiunt,
82 sanguis Christi.] Hęc Epiphanius, quibus nihil horribilius, nihil turpius, & veritati magis repugnans vnquam excogitatum; aut cogitari posse videtur; conferat cum eis quantum voluerit, Gualterius maximum in errorem Bezæ defendentis pane, & vino deficientibus, posse Eucharistiam ex quouis cibo, & potu celebrari.

83 Sexto. Nihilominus de ijsdem Carpocratianis Gnosticis addit ipse Sanctus Epiphanius aliud pręter errorem grauissimum circa celebrationem Paschatis, crudelitatem, & inhumanitatem inenarrabilem, includit nimirum si præter sententiam, inquit, acciderit, vt prægnans facta fuerit mulier, quid grauius, &
84 horribilius designent tales, audi. Detractum enim fœtum quocunque tandem tempore id aggressi fuerint accipiunt, & in mortario quodam pistillo tundunt, ac admixto melle, & pipere, & alijs quibusdam aromatibus, & vnguentis ad auertendam nauseam; sic congregati omnes porcorum, & canum horum sodales participes fiunt contusi pueri, atque sic humanæ carnis esu peracto, deinde preces fundunt, ad Deum, & hoc perfectum Pascha dicunt.] Ita ille.

85 Septimo. Subiungit idem Epiphanius, sed & alia, inquit, horrenda ipsi audent. Cum enim rursus insaniam se ipsis conceperint imbutis manibus turpitudinis suę surgunt, & manus suas inquinantes habentes nudi toto corpore precantur, tamquam per huiusmodi operationem inueniunt dicendi apud Deum libertatem, corpora autem tum muliebria, tum virilia noctu, ac diu curant vnguentis, balneis, epulationibus, & ebrietatibus vacan-
86 tes. Detestantur ieiunium, dicentes, quod non oportet ieiunare, verum nutrire, vt corpora sint robusta, quo possint fructum reddere tempore suo.] Hactenus de eorum turpitudine, & execrandis mysterijs Epiphanius, qui præcedentia omnia exploratissima habuit, cum in AEgypto esset, ab ijs, qui eiusdem sectę erant, vt ipsemet affirmat, & adducit ibidem Baron.

87 Octauo. Illud Apocalyp. 22. de arbore ferente fructum singulis anni mensibus interpretabantur teste Sancto Epiphanio loco citato, de Muliere menstruata quouis anni mense fluxum sanguinis patiente.

88 Nono. Carpocratiani totum Testamentum vetus reijciebant, vt ex Glossa super Leuiticum affert Prateolus, verbo Carpocratiani. Finxerunt tamen Gnostici librum quemdam portentosum de stirpe Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ; vt affert Sanctus Epiphanius Hæres. 26. vbi in eos acerrime inuehitur. Vide Baron. To. 5. in apparatu ad Annal. n. 35.

89 Decimo. Errauerunt Gnostici in eo quod tenuerunt Christum Dominum per spatium tantum vnius anni Euangelium prędicasse, vt testatur Diuus Irenæus aduersus hæres. libr. secundo capite 28. & affert Baronius ad annum Christi 34. num 139.

90 Vndecimo. Carpocratiani antiquum errorem Pythagoræ de transmigratione animarum, tenuerunt è corporibus ad corpora quæcunque, etiam brutorum. Ita Baronius Tom. 2. anno Christi Domini 120. num. 24.

91 Duodecimo. Cum errore maximo affirmarunt Gnostici, Iesum Christum litteras ipsumque etiam alphabetum sub Magistro didicisse. Ex Sancto Ireneo lib. primo cap. 12. & Alphōso de Castro. v. Christus hęres. 4. 4. adducit Gualterius seculo 2. cap. 6.

92 Decimo tertio. Consueuerunt Gnostici quamcunque Scripturæ sententiam suę opinioni contrariam spiritui mundano adscribere; quamcumq vero superficietenus suę concupiscentię fauentem, etiam verbis ad arbitrium, libidinemque transmutatis, à Spiritu veritatis profectam asserere. Idem Gualterius cum Sancto Epiphanio hæres. 26. Atque hæc de Gnosticis siue à Carpocrate, aut Basilide; siue à Menandro, aut Simone Mago, siue à quouis alio procedentibus, & Nicolaitarum peruersissimam sectam vlterius propagantibus.

Quid de Secta Valentinianorum, & de quibusuis ab ea procedentibus Caianorum, Ptolemaitarum, &c.

REGVLA CCXXI.

93 Prodiit circa annum Christi 145. Higini Romani Pontificis, & Antonini Pij Imperatoris tempore, nouum monstrum, Valentinus hæresiarcha AEgyptius, Philosophus ex Platonicis, qui eo quod Episcopatum, vti ambierat, non potuit obtinere, à fide Catho-
94 lica declinauit, Et excogitatis nouis erroribus, maxime contra Beatissimam Virginem sectam Valentinianorum instituit: Ex eius autem schola varij discipuli prodierunt Institutores etiam additis nouis hęresibus diuersa-
95 rum sectarum. Hinc, Caiani, & Sethiani, hinc Ptolemaitæ, & Secundiani, hinc Marcitæ, Calorbarionitæ, & Heracleonitæ; de quorum singulis hic vti inter se vnitis breuis explicatio tradetur.

96 Valentinum hæresiarcham refert Prateolus ad annum Christi 150. Baronius vero ad 147. cui merito vti exactiori in quibusuis perpēdendis adheremus. Inchoat ipse dictū an num 145. exprimens breuiter cum Tertulliano de præscriptione cap. 3. D. Ireneo lib. 2. cap. 4. Eusebio in Chronico, & S. Epiphanio hæres. 31. originem, & qualitates hæresiatchæ Valentini. quod fuerit natione AEgyptius patria Pheboni-

bonitis, quæ est Ciuitas Maritima, quod calluerit litteras Græcas, & magnos in Philosophia Platonis progressus fecerit, sed non exiguos etiam in fide, & doctrina Catholica, adeo vt eam in AEgypto, & in Ecclesia Romana prędicauerit.

97 Verum postea occasione nõ obtenti Episcopatus quē præoptauerat, teste eodem Tertulliano, circa ipsam fidem naufragauit, & dum esset in Regno Cypri, horrendis hęresibus eandem impugnare cœpit. Primo hoc, vt fun-
98 damentum totius falsæ suę doctrinæ, ac nouæ sectæ definiuit, vt notat Sanctus Philastrius. lib. de hæresibus, quod nihil aliud esset antea in Mundo, nisi profundum Maris, & silentium quod à Poetis Chaos vocatur, atq. de hoc profundo, & silentio processerit intellectus, & veritas, de intellectu, & veritate verbum, & vita; de verbo autem, & vita homo, & Ecclesia; de homine autem, & Ecclesia duodecim Azonæ, idest, secula, & de verbo, & vita decem Azonæ, de intellectu virtus & de veritate octo Azonæ] Ita Philastrius quocum plura Prateolus. Sed hęc deliramenta Valentini compendiosius, & paulo aliter audiamus à Baronio, dicto anno 145. num. 2.
99 Hic igitur, inquit, sicut ab Hesiodi Theologia triginta Deos; ita à Platone mutuatus est Ideas, hæcque simul miscens cum Euangelio Ioannis, quo tantum vtebatur, monstrum horrendum conflauit tricipiti Cerbero longe deformius. Triginta enim Deos cum fingat, quos secula nominat, eorum quindecim masculos, ac totidem numerat fœminas, eorumdemque permixtione alios generari, ex ijs Saluatorem omnium veluti Pandoram Hesiodi, ex omnium vult Deorum numero esse perfectum] Hactenus Baronius.

100 Secundo. Errauerunt etiam Valentinus, & pręcipue sequaces Valentiniani, quod tenuerint Christum Dominũ per Virginem Deiparem transisse velut per canalem, aut rimam humana carne nequaquam assumpta ex ea; sed à Cœlo ipsam secum deuexisse. Vnde Sanctis-
101 simã Virginem prærogatiua infinita Maternitatis Dei consequenter priuarunt. Ita Epiphan. hęres. 31. Sanctus Aug. hæres. 15. & Tertullianus aduersus Valentinum cap. 27. ac libr. de Carne Christi.

102 Tertio. Docuit Valentinus tria esse genera hominum, Carnale, Animale, & spirituale, atque in hoc genere, se, suosque gregales proponebat. Spirituales item homines non indigere bonis operationibus, sed eis solutos, iam perfecti euasissent, saluari quoad vtramq. partẽ animæ, & corporis. Animales vero saluandos per bona opera, si hæc exequantur, sed tantũ quoad animam, quippe ipsorum animas nuptui tradendas esse Angelis fabulati sunt Valentiniani. At Carnalium conditionem multo deteriorem esse, quod nullatenus cõsequi possunt salutem, quamuis bonis adniterentur operibus. Vnde circa istos, & animales negarunt futuram resurrectionem] Ita cum Tertulliano citato cap. 29. & 30. Cardinalis Baronius dic. anno 145. n. 3. & 4.

103 Quarto. Secundum eundem Tertullianum in scorpiaco cap. 1. Martyrium nullo modo, nec vllo tempore esse subeundum affirmarunt Valentiniani. Propterea ipse Tertullianus librum illum edidit, cum inscriptione, de bono Martyrij, aduersus Gnosticos: hoc. n. nomine, teste Baronio, dicto num. 3. etiam appellari vo-
104 luerunt Valentiniani. Qui è contra consueuerunt Catholicos vocare simplices &c. Ita ex eodem Tertulliano aduersus Valent. cap. 2. & 3. idem Baronius dict. anno 145. num. 5.

105 Quinto. Valentiniani malitiam, & peccatum non libero arbitrio, sed naturæ, mundo aut diabolo adscripserunt, vt tradunt D. Augustinus, hæres. 11. & Alphõsus de Castro, verb. peccatum hæres. 3

106 Sexto. Asseruerunt in homine antiquo Spiritus iniquos habitantes inesse, qui eum ad diuersa genera peccatorum inducunt, de hoc peculiariter tractat Clemens Alexãdrinus lib. 2. Stromat.

107 Septimo. De Valentinianis Gnosticis sic scribit Irenæus lib. 1. cap. primo. Idolatitha, inquit, indifferenter manducant, nihil inquinari ab his putantes, & in omnem diem festum Ethnicorum pro voluntate in honorem eorũ factum primi conueniunt. Vt in nihilo quidem abstineatur quod est apud Deum, & apud homines otiosum muneris homicidiale spectacu-
108 lum. Quidam autem & carnis voluptatibus insatiabiliter inseruientes, Carnalia Carnalibus, & spiritualia spiritualibus reddi dicũtur. Plura affert Baronius ibidem nu. 4.

109 Octauo. Aliam Valentini hæresim affert idem Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 3. sic: Valentinus in Epistola ad Agathopedem; Cum omnia, inquit, sustinuisset, erat continens diuinitatem, operabatur Iesus, edebat & bibebat, propriè non reddens cibos, tanta & inerat vis continentiæ, vt etiam nutrimentum in eo non interierit. Quoniam ipse non habuit interitum, hæc erat Valentini opinio de incorruptibilitate. Ita Baronius dicto ann. 145. num. 6.

110 Nono. Tandem fuisse scriptum à Valentino proprium euangelium tradit Tertullianus de pręscriptione cap. 49. continuesseque illud infantiam Saluatoris. Colligitur facile ex ijs quæ scribit Irenæus lib. 1. cap. 17. aduertens inenarrabilem multitudinem Apocryphorum in eo fuisse comprehensam, quibus Valentinus ad suas præstigies illustrandas vti consueuit. Atque hactenus de eius erroribus.

111 Prosequitur Baronius nu. 8. de Valentini discipulis per hæc verba. Quinam fuerint Valentini pręcipue sectatores, qui ad eius cloacam alias quamplurimas egesserunt sordes, narrat Tertullianus aduersus Valent. cap. 4. his verbis: Eam viam postmodum Ptolemęus intrauit nominibus, & numeris eorum distinctis in personales substantias, sed extra Deũ determinatas, &c. Deduxit & Heracleon indeterminatas quasdã & Secundus, & Magus Marcus multum circa imagines legis Theotimus operatus. Ita nusquam iam Valentinus, & tamen Valentiniani, qui per Valentinum] Hęc Baronius

cum Tertulliano, de discipulis Valentini simul. Iā separatim de aliquibus agendum & de Sectis breuissime, quę ex Schola Valentini prodierunt.

112 Reponitur hic ab aliquibus secta Ophitarum vti à Valentino egressa; sed egregie ostendit Baronius dict. anno 145. num. 12 originem huius sectæ esse multo antiquiorem Valentino hæresiarcha. Ideo reposita fuit à nobis in primo seculo.

113 Secundum Irenæum lib 7. cap. 35. absque dubio secta Cainorum ex schola Valētini progressa est; licet secūdum Epiphanium hęres. 38. non solum ex Valentino; sed etiam ex Nicolaitis, Carpocratianis, & alijs Gnosticis ortum traxit.

Primo vocati sunt Caiani, à Cain, quem patrem suum dicebant, & admodum venerabantur vti ex quadam potenti virtute conceptum, & vti ea præditum; accusantes ē cōtra Abel imbecillitatis, vti ex inferiori virtute conceptum. ita Epiphanius hæres. 38. & Tertullianus de præscriptione cap. 47.

114 Secundo. Errarunt Caiani, quod Iudam proditorem tanquam quid diuinum colerent, facinusque eius, quoad proditionem, bonum ducerent, asserentes illum præuidisse, quantum vtilitatis ex passione Saluatoris humano generi esset prouenturum, & ob hanc causam ipsam Iudæis ad mortem tradidisse; sed respe-

115 ctu Iudæ in eo etiam Caiani errarunt, quod librum eius quendam inscriptum, Euangelium Iudæ, admitterent, ac diuulgarent: reijcientes e contra legem veterem, & Auctorem eius. Afferunt idem Epiphanius hæres. 38. Diu. Augustinus hæres. 28.

116 Tertio. similiter venerabantur Caiani impios homines, nempe Esau, Core, Datan, Abiron, & Sodomitas; atque ipsos ita fuisse remotos ab oculis Dei prędicabant, vt nocere

117 illis non potuerit Hincque ijdem Caiani laxare habenas omni turpitudini, & spurcitię cō sueuerunt, ex eodem Epiphanio citato, & ex alijs adducit Gualterius secundo seculo cap. xi. pag. 136.

118 Quarto. Tandem Caiani, cum maximo errore tenuerunt cuique perficiendo peccato Angelum esse prępectum, bonorum item oppressores esse Angelos, malorum vero adiutores. Ita ex Tertulliano de pręscript. cap. 47. & ex Epiphanio hæres. 38. Baronius dicto anno 145. num. 16. & 17.

119 Deinde Sethiani è fece Valentinianorum orti, Seth filiorum Adæ esse Christum, & Saluatorē Mundi crediderunt, & sicut talem ipsum adorarunt. Ita Baronius dict. anno 145.

120 nu. 18. &c. Tertulliano de pręscriptione c. 47. Vbi item de Sithinis hæc verba profert huius peruersitatis doctrina hæc est, duos homines ab Angelis constitutos Cain, & Abel, & propter hos magnas inter Angelos contentiones & discordias extitisse, ob hanc causam illam virtutem, quæ super omnes virtutes esset, quam matrem pronuntiant, dum Abel interfectum dicerent voluisse concipi, & nasci Seth loco Abelis vt euacuarentur Angeli illi qui duos priores illos homines condidissent, dum hoc semen mundum oritur, & na-

121 scitur. Permixtiones enim dicunt Angelorum, & hominum iniquas fuisse, ob quam causam illam virtutem, quam (sicut diximus) pronuntiant Matrem, ad vindictam etiam cataclysmum inducere, vt & illud permixtionis semen tolleretur, & hoc solum semen quod esset purum integrum custodiretur Sed enim illos qui seminis illius prioris instituissent, occultè, vel latenter, & ignorante illa matre virtute cum illis octo animabus in arcam inisse etiam semen Cain, quo semen malitiæ non periret; sed cum cæteris conseruatum, & pòst catealysmum terris redditum exemplum cęterorum excresceret, & effunderetur, & totum orbem impleret & oc-

122 cuparet. De Christo autem sic sentiunt, vt dicant illum tantummodo Seth, & pro ipso Seth ipsum] Hactenus Tertullianus de deliramentis Sethianorum.

123 Prædictis autem circa eosdem Sethianos adiungit Baronius dicto anno 145. num. 19. ex D. Epiphanio in hunc modum. Addit, inquit, Epiphanius hęres. 31. hæc dilucidius explicans, hos conscripsisse libros quosdam nomine magnorum virorum, nempe ex nomine quidem Seth septem libros Alienigenas, *sic* enim vocant. Alium vero ex nomine Abraham, quem & reuelationem esse dicunt omni malitia refertum, alios item ex nomine Moysis, & alios aliorum.] Ita ille.

124 Sequitur explicanda secta Ptolemicarum, cuius Auctor fuit Ptolemęus Gnosticus Valentini discipulus, hæc pręter Magistri sui errorem, deliramenta contra fidem alia excogitauit.

Primo. Recedens aliquantulum ab illo, latum constituit, octo Atomas, idest, secula, cum Magister eius triginta constituisset. Ita ex S. Philastrio lib. de hæresibus Prateolus, verbo, Ptolemęus.

125 Secundo. Errauit credens Deum impossibilia praecepisse; maxime in Indiuiduo Conijgij vinculo. hinc ipse profanam turpem mulierem extra coniugium secum consociauit, litteris ad errorem suum pellectam, ex Epiphan. hæres. 33. affert vtrumque Gualterius seculo 2. cap. 14.

126 Tertio. Ptolemęus legem Moysis humanam censuit, & doctrinam suam Apostolicam haberi, & vocari voluit ex eodem D. Epiphanio loco citato ipse Gualterius adducit.

127 De Secta item Marcitarum, seu Marchosiorum quidem eam instituit Marcus Valentini Discipulus, de quo Baronius ad ann. 175. num. 24. ita loquitur, sed nemo, inquit, ex ijs omnibus absque Valentini discipulis nequior Marco, nec qni maiorem cladem intulerit Catholicæ fidei professoribus; quippe qui addens hæresi adhuc Magiam, & multa faciens, quę esse miracula viderentur, his artibus circumiens Christianum orbem seduxit plurimos, quorum non solum mentes imbuit hæresi, sed corpora etiam affecit ignominia.

128 Quibus autem prǽstigijs viros pariter, ac Mulieres

Mulieres traduceret, hosque à sana mente dimoueret, & ad omne scelus pelliceret, præstat vt ab Irenæo audiamus, ipse enim hoc ipso tempore impostorem grassantem, sed iam detectũ scriptis acrius exagitauit, ac penitus confutatauit. Quę igitur à nugace impostore fieri solita essent idem sic enarrat: hæc Baronius.

129 Qui plura affert ex D. Irenęo lib. 3. cap. 8. & 9. contra dictum hæresiarcham Marcum, ex quibus hæc pauca accipe. Alius vero, inquit, quidam ex ijs, qui sunt apud eos Magistri, emendatorem esse glorians; Marcus autem est illi nomen, magicę imposturæ peritissimus, per quam & viros multos, & non paucas fœminas seducens ad se conuertit velut ad scientissimũ, & perfectissimum, & virtutem maximam ab inuisibilibus, & inenarrabilibus locis habentem fecit, præcursor quasi vere existens Antichristi. hæc ille, apud quem reliqua videas, nobis satis est Marci, & Marcitarum errores sigillatim tibi exprimere.

130 Primò, Errarunt Marcitæ, quod se perfectos prædicarent, & cognitionem sibi superiorem doctrina D. Petri, D. Pauli, ac reliquorũ Apostolorum concessam prętenderent. Ita S. Epiphanius hęref. 34.

131 Secundò, Hęresiarcha Marcus familiarem habuit Dæmonem, à quo instruebatur, prophetam agere, & magiam dęmoniacam mirabiliter exercere, qua efficiens, vt colores purpurei, ac cerulei apparerent, muliercules decipiebat, & ad se suamque prætẽtam Religionem adductos confirmabat. Ita ex citatis Irenæo, & Epiphanio, Gualterius vbi supra cap. 16.

132 Tertiò, Maximus, & valde execrabilis fuit Marchoriorum error, quod fœminas esse capaces Sacerdotio tenerent, impiumq; eis impertirent; ac potestatem non solum concionandi, aut prophetandi, sed etiam Sacramenta, ipsãquemet Eucharistiam conficiendi, & administrandi. Ex eodem Irenæo ipse Gaulterius.

133 Discipuli item Valentini fuerunt hæretici Archonitici, sic vocati, quod Mundi creationẽ nõ Deo, sed Archangelis tribuerunt; & hic primus eorum error. Ita Prateolus verbo Archõtici 1350. Secundò, Errauerunt quod Deum Optimum Maximum tanquam legis Auctorẽ, blasphemarent. Idem Prateolus, & Baronius ann. 175. num. 31. 136. Tertiò, Redemptionẽ perfectam in cognitione statuerunt, vnde baptismum prorsus contemnebant, ac reijcientes aborrentes etiam à reliquis Sacramentis, afferunt ijdem Prateolus, & Baronius 137. Quartò, Vetus testamentum calumniabantur, eoque sicut, & nouo abusi sunt; vtriusque verba ad sui confirmationem erroris detorquendo violenta deprauatione. Ita Epiphanius in anacepha, & Prateolus ibidem 138. Quintò, Libros disseminarunt inscriptos, reuelationes Prophetarum. Vnus erat inscriptus Symphonia, idest, Armonia. Ita Baronius 149. Sextò, Consueuerunt Arcontici oleo, & aqua defunctos inungere, ibidem Baronius 140. Septimò, Carnis resurrectionem abnegarunt. Ita Augustinus hæref. 20. & Epiphanius in Anaceph 141. Octauò, Omnis immunditiæ, & fornicationis genere infecti fuerunt, ibidem Epiphanius, atque hæc de hęresibus Arconticorum.

134 135 136 137 138 139 140

141 Iam breuissime de hęresiarcha Secũdo, Valentini discipulo, vt testatur Baronius ann. 175. num. 22. de que eius Secta, quam Gaulterius ibidem cap. 5. paucis sic explicat; Secundus, inquit, (Secundianorum, vel vt Augustinus hæref. 12. nominat, Secundianoreatũ dux, Quibus Sanctus Epiphanius hæref. 32. & in Anacephal. adiungit Epiphanem Carpocratis filium, & Isidorum) Valentini, Ptolemęique perfidiæ succedens. Voluit nihilominus aliquid illis amplius existimari, quippe vt cętera taceam, ad fabulas plusquam Pythagoricas Valẽtini, vxorumque communitatem, nouas addidit impudicitię foeditates. Ita ille cum Epiphanio hęref. 32. & in Anacephal. adiungens more suo collationem cum errore discipulorum Lutheri, & Caluini, quam nos, vt supradictum, merito omittimus.

142

143 Fuit etiam Discipulus Valentini, & institutor nouæ Sectæ Calarbarius quidam, qui secũdum Baronium citacũ, ex mente etiam S. Phylastrij lib. de hæresibus videtur idem esse, ac, *Bassus*, tametsi Prateolus diuersum putet, hic quoad erroneam doctrinam secutus est vestigia condiscipuli Marci; ac peculiariter tenuit omnium rerum perfectionem vna cum vita, & generatione cunctorum hominum in viginti quatuor litteris, & septem astris esse constituẽdam; non autem in Maiestate, ac potestate Iesu Christi, & consequenter spem veræ hominum salutis nequaquã in eius Maiestate, præsentiaue corporea reponi debere asseruit. Ita ex Phylastrio vbi supra Prateolus, verb. *Bassus*, & Gaulterius cap. 13. & 17.

144

145 Dein Secta Hierarcheonitarum habuit ab Eracleano, discipulo Marci, & Colurbasij, vt ait D. Augustinus hæref. 15. aut etiam Valentini, teste Baronio ann. 175. num. 25. vel saltem iste Eracleoneor, vt affirmat Tertullia. de præscriptione cap. 49. cum Valentino paria tenuit.

146 Sed nouitate quadam pronunciationis voluit videre alia sentire, & Magistros suos affectatione, aut horitateque superare. Nam deliramentis eorum addidit, quod per imaginationem stultam, quam gregales suos imbuebat, animę defunctorum oleo, balsamo, & aqua redimerentur, facta super eorum corpus inuocatione verbis Hebraicis. Ita cum D. Epiphanio hęref. 36 & in Anaceph. Gualterius loc. cit. cap. 19.

147 Tandem extitit Bardesanes Syrus temporibus Soteris Papæ, & Marci Aurelij Antonini Imperatoris in Mesopotamia vir magni nominis. Nam licet educatus, teste Eusebio citando, in Schola Valentini hæresiarchæ, contra eius hæreses, & contra quamplures aliorum hęresiarcharum varios dialogos sua lingua, & patrio sermone, vti verus, & zelantissimus catholicus composuit, ac diuulgauit, seque illis in defensionem Ecclesiæ opposuit, vt refert idẽ Eusebius lib. 4. cap. vlt. Sed postea procli dolor, iam grandescus ad errores Valentini, quibus in prima ętate imbutus fuerat, turpissime redijt Sectamque nouam Bardesanitarum instituit

148

stituit; quod Sanctus Epiphanius hæref.16. adducta similitudine nauis naufragantis post longam, ac felicem nauigationem sic describit.

149 Hic Vir, inquit, maximopere ornatus erat donec in errorem Sectę suæ incidit, factus instar pulcherrimæ nauis, cui incõpatibile onus immittitur, & quę iuxta ripas portus fracta est, & totum mercimonium perdidit, & alijs, qui nauem conscenderant, mortem induxit; corrumpitur enim per Valentinianos. Hactenus

150 ille, & addit, dicto Bardesane vsum esse familiarissime Abagarum Principem Edessenorũ virum sanctissimum. Propterea D. Epiphanius eius Apostasiæ miserabilem casum iuste deplorat, quod Valentini dogmata amplexus fuerat; seu, vt ait D. Augustinus hæref.35. Valentinorum causam fecerit suam, & quod insuper resurrectionem mortuorum negauerit. Con-

151 cludit de eo sic Baronius ann.175. num.19. hæc, & alia multa de Bardesanis erroribus feruntur; verum ex illis multos adscribendos illius Sectarijs, qui post ipsum fuerunt, & ab eo Bardesanitæ sunt dicti, potius quam ipsi existi-

152 marint. Huic fuisse filium Armonium nomine Athenis Gręcis litteris, multaque scripsisse tradit Theodorus lib 1. hæret. fabul. Hęc ille apud quem si lubet plura legas, Diuum etiam Damascenum lib. de Hæref. prædictas Hęresiarcharum Sectas explicantem, nobis tradita sufficiant.

Vnde Secta Cerdonianorum, & Marcionistarum, ac aliorum originem duxerunt?

REGVLA CCXXII.

153 CIrca annum Christi Domini 146. tempore Higinij Papæ, & Antonini Pij Cęsaris in Schola prædicti Heracleonis hęresiarchę educatus insignis hæreticus, & magus extitit, qui in se reuersus Romę sub dicto Pontifice palinodiam recantauit; sed postea ad errores denuo Heracleonis rediens, additis alijs nouis, peruertissimus hæresiarcha, & auctor

154 Sectę Cerdonianorũ euasit. Discipulus vero Cerdonis fuit Marcion Ponticus, ex vrbe Sinope, qui in falsa eius doctrina adeo magnos fecit progressus, vt adiunctis multis hæresibus illico exprimendis, simul cum Socijs discipulorum ipsius in instituenda perniciosiori Marcionistarum Secta Magistrum suum valde superauit.

155 QVod Cerdo fuerit discipulus Heracleonis, & Magus, tradunt vt omnino certũ D. Epiphanius in Anaceph. & Prateolus in suo Elencho alphabetico verbo Cerdoniani, atque pari modo, quod istorum nouæ Sectæ extiterit Auctor, sequentibus erroribus adinuentis.

156 Primo, Cerdo duo Initia statuit, idest, duos Deos, vnum bonum, seu iustum, alterum malum, seu iniustum, illum superiorem à quo bona; hunc inferiorẽ, seu Mundi sublunaris creatorem, à quo mala cuncta procedunt. Ita ex D. Hilario lib. 1. cap. 28. aduersus hęreses, Prateolus loco citato, & ex Tertulliano de præscriptione cap. 51. Pannonius, ann. 146. num. 2.

157 Secundo, Vt testantur ijdem Auctores, & D. Augustinus lib. de hæresibus, cap. 21. Cerdo tenuit Christum à Deo bono superiori fuisse missum, non ex fœmina natum, nec assumpsisse carnem humanam, neque mortem vere subijsse, neque quidquam passum esse, sed simulasse passionem.

158 Tertio, Asseruit legem veterẽ malam esse, & à malo principio, seu Deo prodijsse; hinc eius Prophetas, & totũ vetus testamẽtum, quin & Euangelia, præter scriptum à S. Luca, omnino repudiauit; quasi in Prophetis, & Euangelistis, excepto Luca, Spiritus non fuisset. Ita cum citato Tertulliano tribuit illi, & sequacibus eius hanc hęresim ibidem Baronius.

159 De discipulo item Cerdonis Marcione, quod ad genus, & vitæ mores spectat, ita S. Epiphanius: Hic, inquit, genere Ponticus fuit, ex Vrbe Synope, qui prima vita sua Virginitatem exercuit, Solitarius enim vixit, & Episcopi Sãctę Ecclesię Catholicę filius fuit; progressu vero temporis circa Virginem quandam corrumpitur, & decepta Virgine, se ipsum, atque illam à spe detraxit, & cum illam corrupisset, à proprio patre ex Ecclesia eijcitur. Erat enim pater ipsius propter excellentem pietatẽ illustris, & veritatis insigniter studiosus, in Episcopatus Ministerio honeste viuens perseuerabat. Marcion autem multum supplicans, ac veniam precatus, eam à patre impetrauit. Hęc Epipha-

160 nius. Addens, qualiter Marcion ab Vrbe sua aufugerit, ac Romam venerit pro remissione dicti stupri, & reconciliatione cum Ecclesia obtinenda, qua non obtenta, in superbiam, & indignationẽ elatus, ad Sectã impostoris Cerdonis transierit, & negantibus sibi communicationem cum fidelibus dixerit: Ego findã Ecclesiam vestram, & mittam fissuram in ipsam in ęternum. Affert pluribus Baronius dicto anno 146. num. 5. ex ipso Epiphanio.

161 Verum idemmet Baronius, num. 6. recedẽs à sententia Epiphanij ex parte cum D. Irenęo lib. 3. cap. 3. & cum alijs probat pluribus Marcionem non propter stupri illati crimen, & excommunicationem fuisse ab Ecclesia Romana reiectum, sed propter hęresim, quam antequã Romam venisset, fuerat consectatus: pręcipue ostendit ex collatione temporis aduentus eius in Vrbem, quo etiam ad eam venit S. Polycarpus sub Aniceto Papa. Cum enim tunc Marcion occurrisset ei in via, & dixisset: Cognoscis nos Polycarpus; respondit, cognosco te primogenitum Satanę, vt refert idem Irenęus.

162 Sed quidquid sit de hoc puncto, an prius, vel post aduentum in Vrbem Marcion à Fide Catholica defecerit, illud certissimum est, ipsum fuisse prę ceteris insignem, ac perniciosissimum hæresiarcham his erroribus.

163 Primo, Errorem sui Magistri Cerdonis de duobus principijs, seu de duobus Dijs admittendis, vno bono, & altero malo, non solum amplexus est; sed etiam ex illo Lucę 6. perperã intellecto: Omnis arbor bona bonos fructus facit,

facit, mala autem malos &c. stabilire curauit, sicque viam aperuit Manicheis ad eundem errorem tenacius amplectendum, vt infra videbimus. Ita cum D. Epiphanio citato Baronius ibidem.

164 Alterum errorem Cerdonis reijciendo vetus testamentum, tamquam malum, conatus est Marcion confirmare duplici illa parabola Matth. de non insuendo pannum nouum veteri, atq. de non mittendo vinum nouum in vtres veteres, quod voluisset Christus legē veterem vti malam respuere falsissimè Marcion hæresiarcha iudicauit, ac docuit, ex eodem Epiphanio idem Baronius.

165 Tertio. Peculiaris error Marcionistarum fuit, quod negauerint hominem esse Christi Domini creaturam, & consequenter, quod Christus non sit Deus; Affert ex D. Epiphanio hæres. 42. Gualterius cap. 20. pag. 188.

166 Quarto. Errarunt item Marcion, & eius sectę professores, quod affirmarint Matrimonium vndequaque esse licitum, ibidem Gualterius cum Alphonso de Castro. verb. nuptię hæres. 1.

167 Quinto. Hæresis de iteratione Sacramenti Baptismi initium sumpsit à Marcione, qui bis ter, ac quater baptizabat, post commissum peccatum. Ita S. Epiphanius Anaceph. & cum eo Gualterius loco citato.

168 Sexto. Collatio Sacramenti baptismi concessit Marcioni fœminis, itaut istę etiam nulla vrgente necessitate licitè baptizare possint; ex Epiphanio hęres. 46. ibidem Gualterius.

169 Septimo. Tenuerunt Marcionistę, quod illi qui ipsorum fide instructi ex hac vita decederent, salutem ęternam consequerentur, per baptismū alijs collatum in gratiam taliter decedentium: sic in Anaceph. Epiphanius, & ex eo Gualterius ibidem.

170 Octauo. Fuit tandem error Marcionis, quod crediderit, & docuerit Abelem, Enoch, Noe, Abraham, aliosque Patriarchas, ac Prophetas, nequaquam ab Inferis Christi Domini illuc descendentis interuentu fuisse liberatos, sed ibi, quod in eum credere noluerint, re-

171 mansisse, è contra vero [Cain, Sodomitas, AEgyptios, & reliquos impios saluos esse, ęternoque regno Dei frui ita cum Sancto Irenæo lib. 1. cap. 19. Franc. in Appendic. ad Alphonsum verb. Abel, & Caim, & Gualterius citatus.

172 De tribus item Marcionis discipulis Potino, Basilisco & Lucano, de sectaque bicunistarum ex Rhodone apud Eusebium histr. lib. 5. cap. 3. & ex Tertulliano, de præscrip. cap. 51 Baronius anno 146. num. 16. Numerantur, inquit, complures Marcionis discipuli, famosissimi, vt Potinus, & Basiliscus, & alij; de qui-

173 bus hæc Rhodon. Verum alij sicut Marcion ipse, duo inducunt principia, inter quæ Potinus & Basiliscus numerantur, isti Ponticum, Licum imitati, cum nullam rerum distinctionē, (sicut nec ille) reperire possent, ad vulgarem quandam, & facilem viam se conuerterunt duoque principia exiliter, & ieiune, nulla demostratione adhibita, esse affirmarunt. Alij

174 rursum ab illis in deteriores erroris scopulos tanquam procella delati, non duas solum, sed tres naturas constituerunt, quorum quidem, sicut eius disciplinæ propugnatores memorāt, dux, & Princeps fuit Sineros; hæc Phædon. Porro quem ipse Licum Ponticum dicit, eum fuisse existimamus, quem Tertullianus Lucanū appellat, cum ait, extitit post hunc Lucanus quidam nomine Marcionis Sectator, atque discipulus.] Hactenus Baronius, hisque paucis Lucanistarum Secta explicata manet.

175 Prodijt etiam ex Marcionis schola, alius multo perniciosior reliquis nomine Apelles, qui vt ex Epiphanio hęres. 24. testatur Baronius anno 146 num. 47. Magistrum suum erroris arguens ab eo recessit, sectaque Apellistarum sequentibus erroribus instituit.

176 Primo. Quamuis Apelles Marcionis hæresim secutus, statuerit duos Deos, vnum bonum, alterum malum, hunc tamen ab illo esse factum ex suo cerebro addidit, ita Epiphanius in Anaceph. & Sanctus Augustinus hęres. 23. cum quibus Gualterius cap. 22.

177 Secundo. Apelletę vituperantes Creatorem vna cum creaturis Carnis resurrectionem abnegarunt; cum eodem D. Epiphanio, ita Gualterius.

178 Tertio. Errarunt in eo, quod tenuerint Christum Dominum non accepisse carnem suam ex sua Matre, sed ex elementis atque eum Mundo reddens absque Carne resurrexisse, ac in Cœlum ascendidisse. Ita Alphonsus à Castro verb. Christus, hęres. 24. Gualterius ibidem.

179 Quarto. Idem Alphonsus à Castro Verb. Propheta hæres. 1. illum errorem tribuit Apelli, quod defenderit Prophetas contrario spiritu afflatos fuisse, vt ob hanc causam isti inuicem contradixisse, ac falsa prophetasse, en maxima contra ipsos calumnia.

180 Quinto. Secundum Eusebium lib. 1. c. 13. & Baronium anno 146. num. 19. error fuit Apellis, quod debeat vnusquisque in ea fide, quam professus erat, permanere.

181 Sexto. Idem Apelles deliramenta proposuit, suggerente sibi quadam fæmina, à dęmone agitata, quę vocabatur Philumenen, eruntque illi in delitijs; vnde ipsi, vti prophetissæ Apellis omnem fidem pręstabat. Ita apud Eusebium hist. lib. 5. cap. 13. & Tertullianus de pręscript. cap. 30.

182 Sed notandum, istam Philumenem non esse illam, quam tribuit Sanctus Augustinus Seuero hæresiarchæ, vt videbimus infra exprimentes, qualiter ipse Augustinus ab aliquibus non congrue citetur, & verb. eius ex cap. 24. de hęresi, adducantur.

Quid

Quid de Hæresiarchis Luciano, & Hermogene; ac de Secta ab vnoquoque eorum instituta?

REGVLA CCXXIII.

183 LVcianus cognomento Samosatenus in Fide, & Religione Catholica bene educatus Antiochiæ, vir fuit magni nominis, concionatorisque munus exercuit; at postea à fide declinauit, & Marcionis Scholam ingressus eius discipulus famosissimus extitit, ac Sectã Lucianistarum instituit, tandem sub Traiano Impe-184 ratore infelicissime obijt. Hermogenes item Africanus similiter primo verus Catholicus, ac picturæ fuit deditus; dein ad Philosophos Stoicotransiens; hinc occasionem sumpsit diuersimode in fide Catholica errandi, & Sectam Hermogianorum perniciosissime instituendi.

185 HVnc Lucianũ Samosatenum refert Prateolus ad ann. 156. sub Antonino Pio Imperatore; Baronius vero ad annum 170. sub Traiano, differentia inter ipsos forte inde sumpta, quod Prateolus sumat cum pro illo tempore, quo apostatauit à fide, & ingressus scholam Marcionis, huius discipulum fuisse testatur idem Prateolus in suo Elencho l. 10. verb. Lucianus; at Baronius pro tempore, quo iam famosus Hæresiarcha euaserat, Sectamque Lucianistarum renouatis aliorum, & nouis additis hæresibus instituit.

186 Primò, Sicut pręcedentes hęresiarchę duos Deos posuit Lucianus, alterum bonum, & iustũ alterum malum, & iniustum, tradit idem Prateolus.

Secundò, Cauillans Christum Dominũ, ac Christianismum Lucianus verbum Dei habuit in fabulis, ac præcipue vetus testamentum, ipsũque reiecit. Ita ex D. Hilario lib. 6. de Trinitate, & ex D. Irenæo lib. 3. cap. 3. ibidem Prateolus, & Gaulterius cap. 24.

187 Tertiò, Cum Montano, & Apelle asseruit Lucianus Christum nõ fuisse verum hominem, sed putatiue, & consequenter eum tantummodo passum fuisse secundum apparentiam, seu vmbram, & non in vera carne. Vide apud Prateolum citatum, sed infelicissimum eius obitũ, & alia ad ipsum spectantia à Cardinali Baronio ann. 171. num. 7. ex Suida verb. Lucianus sic de sumpta accipe.

188 [Hic, inquit, de eius obitu paucis agere ratio temporis persuadet, & quæ de eo à Suida litteris sunt commendata simul attexere, sic enim ait: Lucianus Samosatenus, cognomento blasphemus, siue Maledicus, atque inauspicatus; ac potius impius, quod in Dialogis diuina oracula pro ridiculis inducit, fertur sub Traiano, & ante eum fuisse. Initio Concionator Antiochię fuit, quæ res cum ei male cessisset, se ad scribendum contulit, scripsitque infinita, interijsse fertur, canibus cum rabiem suã 189 contra veritatem exercuisset. Nam in Peregrini vita perstringit Christianismum, & ipsi Christo maledicit homo sceleratissimus. Itaq; furoris sui, & in hac vita iustas pœnas dedit; & in futura ęterni ignis cum Sathana hæreditate cernet.] Huc vsque cum Suida Baronius; Atque hęc de Luciano, & de Secta Lucianistarum.

190 Dissidium pari modo est inter Prateolum, & Baronium circa Hermogenem Africanũ, nec concordari facile possunt, sicut cõcordauimus paulo ante quoad tempus Luciani: cum differentia nunc sit in spatio maiori quinquaginta annorum. Nam secundum Prateolum in Elencho, hæres. 28. lib. 8. Hermogenes ad seculum tertium spectat: Baronius vero computatione exactius perpensa in Secundo Seculo circa annum 170. merito ipsum reponit. Fallitur item Prateolus, vt affert Auctor adnotationum in lib. Tertulliani contra Hermogenem, dum istũ facit Sabellij asseclam, atque adeo non nisi Galieni Imperatoris temporibus. Erupisse occa-191 sionem sic errandi, inde vere assignat Baronius sub finem ann. 170. num. 12. quod quando S. Philastrius lib. de hæresib. & Sanctus Augustinus de heresibus cap. 19. de Sabellio, & Sabellianis agunt, Hermogenis meminerunt, sed nõ quid infertur, sit mentio Hermogenis, dum de Sabellio agitur ergo huius est ille assecla, nequaquam sane, cum reuera diuersis temporibus extiterint.

192 Spectantia ad Hermogenem, præcipue erroris Hermanigianorũ Sectæ, cuius ille est Auctor, attingit egregie Prateolus per sequentia verba. [Quisnam igitur, inquit, qualisue fuerit Hermogenes hic opportuno loco dicamus, docuit in Africa picturęque studiosus, & Christianis transijt ad Philosophos Stoicos; ex quibus inferre conatus est in Ecclesiam de materia ingenita opinionem, & ab alijs turpitudinem 193 morum. Haud dubium hanc hęresim sugillauit Tertullianus in lib. de præscript. cap. 7. cum ait, & vbi materia cum Deo ęquatur Zenonis disciplina est, fortasse vt aduletur Imperatori Stoicam disciplinam profiteri ex Schola Stoicorum Hermogenes ingenitam materiam in Christi Ecclesiam inuehere conatus est. Ita Tertullianus, & paulo post addit de eadem 194 materia. [Quæ est ipsa, inquit, semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem; ex qua Dominus omnia postea fecerit Hanc primam vmbram plane sine lumine ponimus pictor illis argumentationibus colorauit. Rursum vero cap. 10. malum à materia prodijsse ipsum docuisse tradit.] Hactenus Prateolus.

195 Alios duos errores Hermogenis ex Philastrio adducit num. 12. idem Prateolus, nempe quod ille tenuerit Corpus Domini in Sole esse repositum, & dęmones esse in Materiam refundendos.

196 Fuisse item infectos Hermogenianos duplici errore, nempe quod negarent Christum esse Filium Dei, ac primogenitum omnis creaturæ; atque quod à Spiritu Sancto Intellectum abstulerint, testantur Eusebius lib. 7. cap. 4. nu. 5. & D. Hilarius lib. 6. de Trinitate, & cum eis idem Prateolus.

197 Tandem ipse Prateolus tribuit eisdem Hermogenianis hanc hęresim, quod vnam Patris,

tris, & Filij, ac Spiritus Sancti personam esse defenderint personas confundentes, & quasi vnam ex tribus assignantes; sed de hac hæresi infra.

Secta Montanistarum, & alia ab ipsa, seu à Montano deriuatæ qualiter se habent?

REGVLA CCXXIV.

198 Præ cæteris antiquis fuit valde celebris hęresiarcha Montanus sectaq; eius Montanistarum, vocati etiam Cataphryges, ac Pepuliani à Phrygia Prouincia, & à Pepuza vico ipsorum dux vbi natus est, tum ob multitudinem, & grauitatē errorum eius; maxime quod Spiritum Sanctum sibi, non Apostolis infusum 199 assereret. Tum ob hanc circumstantiā, quod duas Mulieres Priscam, & Maximillā, seu Quintillā spiritu prophetico pręditas populis suaderet, secumque simul prophetantes semper 200 adduceret. Atque hinc sectę Priscillianorum, & Quintillianorum, & Archotiritarum, ex doctrina etiam erronea Montani alię Sectæ, vt Anodrogitarum, seu Auitarum, Patraloinschicarum item, seu Trascodosigitarum promanarunt, vt statim declarabitur.

201 De origine, & primordijs Montani sequaciumque eius, expressa circunstātia temporis, sic Eusebius in Chron. Christi, inquit, Domini nostri anno centesimo septuagesimo tertio Seuero, & Herensiano Coss. Marci Aurelij Imperatoris anno vndecimo Pseudoprophetia, quę iuxta Phrygas nominatur, accepit exordium, Auctoribus Montano, Priscilla, & Maximilla insanis vatibus. Hæc ibi de lib. 5. Histor. cap. 15 Eusebius ex Apollinari 202 Hieropolitano Episcopo, qui eodem tempore viguit, & sæpe aduersus Montanum viuā voce, tum scriptis cominus decertauit copiose, de 203 eo in hunc modum. Pagus esse dicitur in Mysia Phrygię, quæ nuncupatur Ardabam nuper ad fidem venerat Gratorum Proconsule Asiæ primum insatiabili quadam animi cupiditate in primatu ambiendo incensum, simulatque aditum diabolo aduersario ad se patefecerat spiritu quodam maligno abripi, & derepente furore, & mentis insania exagitatum bacchari, atque mox non temere non solum garrire; sed peregrinas quasdam voces fundere, & contra quam Ecclesię consuetudo tum traditione, tum successione antiquitus ab Apostolorum temporibus eo vsque deriuata postulabat, prophetare scilicet occœpisse. Vide plura si lubet, apud ipsum.

204 Eadem Montani primordia, & progressum in seminādis hæresibus vna cum Prisca, & Maximilla ex D. Hieronymo ep. 54. egregie tradit Baronius ann. 175. num. 8. per sequentia verba. [Quod vero, inquit, ad Montanum ipsum spectat, Sanctus Hieronymus ad Marcellā scribens in primis eum abscissum, & semiuirum appellat, ac proinde Eunuchum fuisse declarat, qui nuper baptizatus propriaque excellentiæ gloria elatus, malo arreptus spiritu prophetam profiteri cupit, magnamque ibi existimationē comparauit, tractans ad eam rem duas quas seduxit, nobiles fœminas Priscam videlicet, quā nonnulli Priscillam nominant, & Maximillam, easdemque eodem afflatas spiritu docuit prophetare, quarem ope innumeras pene seduxit.

205 Nam idem Hieronymus scribens contra Pelagianos ad Ctesiphontem de ijs ait: Montanus immundi spiritus prędicator multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam nobiles, & opulētas mulieres, primum auro corrupit; dein hæresi polluit.] Hactenus ille, ex quibus & ex prędictis ab Eusebio prępicue constat ob superbiā, & ambitionem Montanum in barathrum hæreseon, & impietatis corruisse.

206 Verum optime aduertit ipse Baronius dicto anno à num. 2. vt tradita à Sanctis Patribus, & Doctoribus de Montano Prisca, & Maximilla si quę apparent, inter se contraria, omnino cognoscentur, & facilius concordentur, qui nā erroribus eorum consenserint, aut ipsos defenderint, distinguenda esse tria tempora. Primū, 207 quo Montanus, & Socij eius in Ecclesia prophetare cœperunt, & in admiratione sunt habiti, nondum detecti hęretici, sed Catholici reputati, cum iam vix essent, in quo facile fuit quemuis decipi; quippe illi, vt docent S. Philastrius de hęresi cap. 50. S. Epiphanius hæresi 48. & Theodorus hęret. fab. lib. 3. in omnibus speciem pietatis præferebant. Vnde tunc litteras pacis, vt vocant, à Summo Pontifice Montanus facile obtinuit.

208 Secundum tempus fuit, cum res deducta est in controuersiam, & dubitari cœpit de illorum spiritu prophetico, aut potius pseudoprophetia esset habenda, etiam ab initio, quamuis enim Eusebius lib. 5. cap. 3. de illis significare videatur, quod aliquando recte ambulauerint Diuino spiritu prophetantes, & vera miracula edentes; postea vero deprauati fuerint, spiritu 209 diabolico seducti. Contrarium tamen sensisse nonnullos Sanctos Viros, quod Montanus, & Socij quouis tempore ope dęmonis in prędicendis rebus, ac patrandis miraculis vbi fuerint, testatur Baronius ann. & num. cit.

210 Tertium autem tempus fuit illud quando post multa coacta Episcoporum Concilia non in Asia solū, sed in Gręcia pro decidendo præcipue de factis Montani, Priscę, & Maximillæ, & post delatum negotium ad Romanum Pontificem reuocatis ab eo iam antea missis dictis pacis litteris, publicati, quales essent, nimirum pseudoprophetæ, & hæresum seminatores, ab 211 Ecclesia Catholica penitus eiecti sunt. Quod quidem, vt addit idem Baronius num. 3. non fuit parui negotij opus tantam enim sibi apud plurimos æstimationem, & gloriā comparauerant, vt nec iam detecti exciderint ab opinione multorum.

212 His itaque tribus sic distinctis temporibus in hunc modum applicat Baronius nu. 6. [Nulli sane, inquit, crimini dari potuit, si ipso initio, vel medio tempore cum primam illorum prophetię iuncta miraculis veris assertis, vel appa-

rentibus

rentibus ederentur vel cum postea de ijs dubitatione exorta diuersa essent diuersorum sententiæ, quis ijsdem communicasset; sed tantum crimen erat, cum patefacta, atque à Catholica Ecclesia improbata ipsorum heresi, id sciens quis prudensque fecisset.] Ita ille, qui statim probat, sed non est, cur probationem

213 adducamus, cum per se pateant. Opportune tamen hic addendum declaratis iam ab ecclesia Catholica hæreticis Montano & socijs nonnulli haud infimæ plebis homines, & faciles ad credendum; sed qui magna prediti sanctitate; sed etiam tunc acerrimos ipsorum defensores contra auctoritatem Ecclesiæ Romanæ extitisse, inter quos reponit Baronius dicto anno 173. num. 3. Tertullianum; alioquin virum insignem; sed de hoc initio capitis sequentis, cũ de Tertullianistis erit nobis sermo.

214 Contrarium verò extremum secuti sunt alij nempe; quod plures errores contra fidem tribuerint Montano, quam ipse tenuerit maxime illum Sabellij propriũ, vt infra videbimus quod in Trinitate Patris, & Filj, & Spiritus Sancti, vna tantum reperiatur persona; sed hoc non esse tribuendum Montano inde efficaciter ostendit Baronius dicto anno nu. 25. quod nec Tertullianus eum defendendo, nec Apollinaris Erapolitanus, neque alius scriptor illius temporis ipsum impugnando dicti erroris de singularitate persone in Mysterio Trinitatis: & aliorum errorum, qui absque fundamento eidem imputantur, vsquam meminerunt.

215 Concedit tamen ipse Baronius, vt indicet in doctrina Diui Hieronymi, & D. Epiphanij non reperiri contrarietatem, tales errores fuisse iactatos potius à Mõtanistis, quam à Montano; nec quidem ab omnibus, sed ab aliquibus posterioribus, eo iam mortuo, vocatis secũdum AEschinem à Tertulliano lib. de præscript. cap. 52. contemporaneis fortè Sabellij & huius discipulis quod dictum errorem de vnica persona in Sanctissima Trinitate. expendendum itaque quænam fuerint proprie Mõtani Hereses, ac discipulorum eius.

216 Prima, & præcipua fuit à nobis expressa in Regula, quod dixerit sibi non Apostolis infusũ Spiritum Sanctum, sepe exprimit Tertullianus de fug. in perseuer. cap. 1. vt affert Prateolus verb. Montanistarum, quod affirmauerit se esse Paraclytum illum Spiritum Veritatis, quẽ Pater pollicitus erat se daturum Apostolis, interpretatur cum Theodoreto hæres. fabu. lib. 3 Baronius ibidem num. 26. quando ait se esse Paracletum noluisse significare ipsum Paracletum assumpsisse carnem, & hunc eundem esse Montanum: vel absque carne se esse spiritum tantum, & non hominem: sed voluisse suadere, se maiori plenitudine recepisse Spiritum Sanctum, quam recepissent Apostoli.

217 Secunda, Montaniste, seu Cataphrygæ non vtebantur forma baptizandi ijsdem verbis, quibus Catholica Ecclesia vtitur, nec in nomine Trinitatis baptizabant, sicut nec Paulianiste, vt habetur distin. 1. q. 1. cap. Paulianistæ;

218 Proinde in Concilio Niceno statutum fuit, vt denuo baptizarentur, qui ad Ecclesiam Catholicam redirent. Ita Prateolus verbo Cataphryge cũ S. Philastrio, S. Augustino, & Guidone Carmelita, quorum nullus, nec alius, quod legerim, exprimit, quali forma illi baptizando vterentur.

219 Tertia, baptizare mortuos & qui non baptizari decessérint consueuerunt Montanistæ, quod crederent baptismum illis prodesse ad salutem. Prateolus ibidem, & Alphonsus à Castro verb. bapt. heres. 43.

220 Quarta, Primis nuptijs admissis vti licitis, secundas, quas non reijcit Apostolus, Montanus tanquam maiori scientia præditus, vt ipse affirmabat, vti fornicationem damnauit. Idem Alphonsus à Castro verb. Nuptie hæresi. 2. & Baronius dicto anno 175. num. 27.

221 Quinta. Ipse Montanus, quod nec Christus Dominus, nec Apostolus admisisset, vt ait idem Baronius, Nuptiarum docuit solutionem pro arbitratu contrahentium, ita idem Alphonsus, hæres. 5.

222 Sexta, Montanistæ nullo modo pœnitentiæ virtutem admiserunt, affirmantes eos, qui post baptismum, semel lapsi sunt, numquam posse peccati remissionem consequi, quantum libet post lapsum pœniteant. Vnde illi confessionem peccatorum contemnunt. Tradunt citatus Baronius, & Alphonsus à Castro verb. penitent. hæres. 3.

223 Septima. Quædam Ieiunia noua, ac penitus inusitata in Ecclesiam conatus est Montanus introducere, circa quæ sic D. Hieronymus ad Marcellum epist. 54. Nos, inquit, Vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anni tempore nobis congruo ieiunamus. Illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres sint Saluatores. ita

224 ille, & post pauca addit. Non ob id Ecclesiam non amare Ieiunium, quod respuat *illa* Montani; Nam ait, non quod & per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.] Hactenus ille quæ quasi interpretans, subiungit Baronius, dicto anno 173. num. 28.

225 Hæc, inquit, cum dicit Hieronymus, plane significat Montanum tamquam totius Ecclesiæ Præsulem lege sancita, ad hæc sua seruanda ieiunia vniuersam voluisse Ecclesiam obligare, quod non obscure declarat Tertullianus, Cum sæpissime in Catholicos inuehatur, quod à Paracleto tradita ieiunia, non seruarent Ita Baronius.

226 Octaua, Montaniste ad magis extollendum suum prætextum Prophetam Montanum, suasque pseudoprophetissas Priscam, & Maximillam, antiquos prophetas deprimere consueuerunt, affirmantes eos fuisse arreptitios, & non intellexisse ea de quibus loquebantur. Tradunt Alphonsus à Castro verb. Propheta heres. 2. & Prateolus verb. Montanistæ.

227 Nona, De Montanistis sic D. Hieronymus epist. 54. Apud nos, inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent apud eos, Episcopus tertius est, habent enim primos de illis Phrygiæ Patriarchas, secundos quos appellant Canones

nes, atque ita in tertium, idest penè vltimum locum Episcopi deuoluuntur, quasi exinde ambitiosior religio fiat, & quod apud nos primum est, apud illos nouissimum, vt illi ad omne penè delictum Ecclesię obseruant foris. Hęc Hieronymus, & affert Baronius dicto anno 173. nu. 32.

228 Decima. Tandem de Cathaphrygijs Prateolus per sequentia verba: Papazara, inquit, etiam in medio vicum Galatię, & Cappadocię situm, ex quo Montanus, Maximilla, & Prisca ortum habuerunt, Hierusalem appellant, vbi & alijs mysterium Ciciorum, & infantis execranda celebratur impietas: Dicuntur etiam Infantis anniculi sanguinem, quem de toto eius corpore minutis compunctionū vulneribus extorquent, farinę miscere, indeque panem conficere, quo Pascha suum celebrant, & Eucharistiam sumunt, suisque ita vbique mittere impijs satellitibus; quippe teste Augustino, si inde mortem obeat, penes eos pro martyre, sed si superuixerit, pro magno sacerdote habetur verb. cathaphryg. hęc ille, quę sumit ex D. Augustino hęres. 26. & ex Epiphanio hęres. 48. de Sancto Philastro de hęres. cap. 50. affertque Baronius dicto anno 173. num. 33.

229

230 Quamquam ipse Baronius cum citato Epiphanio Montanum ab eo execrando scelere meritò immunem facit ob illam rationem efficere, quod nec Tertullianus eum defendendo, nec Apollinaris Hieropolitanus ipsum impugnando, talis sceleris meminerunt, atque hoc tribuit Priscillianis, seu Quintillianis, ex Montano prognatis, istorum autem oblatio ordinaria, teste Epiphanio hęres. 49. componebatur ex pane, & caseo, & hinc Arthotinitę dicti sunt.

231 Fuit item error Quintillianorum, seu Arthotynitarum, quod in gratiam pseudoprophetarum suarum Priscillæ, & Maximillæ Sacerdotium, Pręlaturas, & superioritates fęminis impertirent. Ita ex citato Epiphanio, & Augustino Hæres. vigesimaseptima, & Alphonso è Castro verb. Mulieri Gualterius seculo 2. cap. 26.

232 Errarunt etiam dicti Quintilliani, quod veteri, ac nouo testamento ita vti solerent, vt pro arbitrio cuiusque vtrumque immutarent, ibidem Gualterius ex Epiphanio in Anaceph.

233 Denique prædicti Erronei tenuerunt, animam hominis esse corpoream, & anthropomorphitam, qui error ortum duxisse videtur ex reuelatione, seu visione, quam in ecstasi dicta habuisse quædam ex illis Montani Prophetissis, de qua visione, & ecstasi non pauca Tertullianus vti testis oculatus,

234 & auritus in libro de anima cap. nono. Quibus relatis concludit sic Baronius dicto anno numero 31. Hucusque, inquit, infelix Tertullianus, qui licet eruditissimus, ac prudentissimus videretur, hisce tamen Muliercularum commentis traduci, atque seduci passus est.

235 Prodierunt prætèrea ex Schola Montani hæretici vocati Ascodrogitæ, qui plenos se dicebant Paracleto illius, vt testatur Baronius anno 173. numero 40. Isti Ascodrogitę in suo templo vtrem vino plenum, & linteatum ponebant, quem deinde processionis instar circuibant temulentiæ interim, & parum honestatis Ethnicorumque bacchanalia redolentibus dissolutionibus incumbentes, ac sibi persuadentes se esse vtres illos nouos vino nouo plenos, de quibus Christus Matth. 9. Vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur. Ita totidem verbis Gualterius, cum Sancto Philastro lib. de hęres. Sāctus Augustinus hęres. 26. Prateolo verb. Ascodrogitæ, atque hæc tantum de istorum Secta.

236 Vltimo loco vti à Montano deriuatam reponimus cum Diuo Epiphanio hæres. 47. & cum Baronio dicto anno 139. num. 38. Sectam Tercodrugitarum, seu Pattolorinthitarum; isti sunt vocati à voce Tascus, vel πάτταλος quę perticam, vel palum significat, & à voce drusus, vel ῥύγχος, per quam nasus, aut rostrum exprimitur, & quod palum superstitiosè, aut digitum in formam pali in naso, vel in ore tenerent,

237 tantę enim illis erat curę silentium, vt nihil aliud curare viderentur. De ipsis ait Philastrius conatos fuisse imitari Prophetam dicentem psalm. 140. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantię labijs meis. Quamquam merito addit illos potius Pythagoricam vanitatem, quam Prophetarum cœlestem vitam, & sapientiam sequi procurasse. Atque hactenus dicta sint satis de secta Montanistarum, ac de alijs ab ea, seu à Montano deriuatis.

Quid de hæresiarchis Taciano, & Seuero, ac de Sectis Tacianistarum, seu Encratitarum, & Seuerianorum,

REGVLA CCXXV.

238 Circa annum Domini 174. prodijt Tatianus natione Syrus ex philosopho Platonico Christianus in doctrina Catholica à Sancto Iustino martyre adeo instructus, vt Romę habitans multos docuerit, & pro Christianis egregium volumen

239 ediderit. Post martyrium verò sui magistri à vera fide statim declinauit, & excitatis denuò hęresiarcharum pręcedentium hęresibus, & nouis adiunctis non solum sectę Tacianistarum dux assignatur, sed illius etiam Encratitarum, & alterius Hydropara-

240 statarum pater agnoscitur. Inter Encratitas autem, idest, continentes pręcipuum tenuit locum Seuerus quidam, qui proinde sub veteri, ac noua doctrina erronea Seuerianorum Sectam instituit, magis statim exprimendam.

241 APerit annum 174. Cardinalis Baronius ipsumque prosequitur, & claudit perpetuò, & solùm tractans eruditè vt solet, de spectantibus ad vtrumq; hæresiarcham Tacianum, & Seuerum, ac primo cum S. Ireneo lib. 1. cap. 3. & Eusebio lib. 4. cap. 27. exprimit qualiter Tatianus natione Syrus ex Philosophia Platonica ad Philosophiam Christianam transierit, & in eas. Iustino martyre catechista, seu Doctore, adeo excellẽtes pro-
242 gressus fecerit, vt postea ex partibus Orientalibus Romam veniens, aperta ibi publica schola summa cum laude docuerit, & eximiæ pietatis specimen dederit, ac ne latum quidẽ vnguem aberrauerit à doctrina Catholica ipsi tradita per Magistrum Sanctum Iustinum, quandiu hic vixit.

243 At S. Iustino per martyrium è vita sublato, vt testantur idem Eusebius ex Rhodone, & Sanctus Epiphanius heres. 46. heu quam cito infelix Tacianus à clara veritatis fidei luce oculos auertit, in superbiam elatus eo quòd omni via, & ratione Doctoris ambiret nomẽ, Roma statim discedens, vt venenum errorum, quos mente conceperat, liberius, & abundantios euomeret, ad Orientem redijt, & illic conuersatus in malam opinionem incidit. Et
244 secula quædam ac fabulas Valẽrini, & Principatus quosdam, ac emissiones etiam ipse introduxit. Maximam verò perniciosissimæ suę prædicationis partem in Antiochia ad Daphnen sita repleuit, & in Cilicum partibus, multum autem in Pisidia valuit. verba ferè sunt Epiphanij citati penes Prateolum verb. Tacianitæ.

245 Secundo. Præter errores dictos Valentini innouauit Tacianus hęresim Marcionis, & Saturnini, ita rigorosè amplectens continentiã, vt prorsus detestatus sit nuptias, atque in hac hæresi tuenda, & seminanda admodum propensum si præbuit, hinc effectum, vt ob eam auctor nouæ sectæ constitueretur, sequacesque ipsius Encratitæ sint appellati, idest, continentes, qui nuptias scortationem, & corruptionem credunt, seu matrimonium ab scortatione nihil differre, sed idem omnino esse asserunt. Ita adductus Prateolus, & Baronius dicto anno 174. num. 3. ex citato D. Epi-
246 phanio, qui benè addit de ipso Tatiano, quod sub prætextu continentiæ, & continentium morum, nequissimam vitam duxerit, velut lupus rapax ouina pelle indutus, & temperantiæ prætextu deceptos seducens.

247 Tertio. Tatianistæ parentes primos Adamum, & Euam fuisse damnatos ob primum eorum inobedientiæ peccatum, cui errori opponitur directo textus cap. 10. ex Sancto Ireneo lib. 1. cap. 31. Sancto Epiphanio heres. 46. Augustinus heres. 25. & Alphonsũ à Castro verb. Adam affert Gualterius pag. 193. cap. 29. Prateolus verb. Seueriani.

248 Quarto. Sacramentum Eucharisticum in aqua sola conficiebant Tatianistę, & qui in hac hęresi Tatianum sectabantur Hydroparastatę vocati sunt, quasi ratione eius noua secta fuerit instituta. Ita Theodoret. Heretic. Fabul. l. 1. apud Baronium dicto anno 174. num. 10.

249 Quinto. Vt refert Eusebius ex mente aliorum lib. 4. cap. 37. in fine. Tatianus nonnullas in Epistolis Diui Pauli voces audacter, & temerè commutauit, quod dictionis, & loquendi compositionem corrigere moliretur,
250 item ipse Tatianus elaborauit opus appellatum Diatesseron, quo vnum ex quatuor Euangelium contexuisset, idem affirmat, de eo autem opere sic Baronius dicto anno 174. nu. 5. laudabilis plane, inquit, fuisset hac ex parte Tatianus, nisi dolosè sic compingens vnum ex quatuor, multa reliquisset, quæ de Christi carne in eis ab Euangelistis sunt prędicta, quippe qui Marcionis semel malè imbutus tintura, quacunque valuit pro eius dogmatibus facere, non pretermisit. Hęc Baronius apud quem plura videas ex Theodoro Heret. fab. 1.

251 Reponitur inter Sectarios Tatiani, Iulius Cassianus, de quo penes Baronium num. 12. Clemens Alexandrinus strom. lib. 3. sic ait, nempe in eandem sententiam conspirasse cum Tatiano, fuisseque hunc principem hæresis Docitarum, qui dicerent Christum corpus sumpsisse phantasticum: sed ad roborandum Tatiani dogma scripsisse librum de continen-
253 tia, & de castitate, & ex pseudoeuangelio secundum Eegyptios dicto mutuatum esse testimonium de Christo loquente cum Salomone, ac matrimonium detestante, eundemque propriam interpretatum esse Genesim, cum per lignum vetitum diceret significatum esse coniugium, & per pelliceas tunicas humanam carnem, hæc, & alia ex eo recitat Clemens, quem hæc detestantẽ in vtinam Origenes eius discipulus auscultasset. Hactenus Baronius ex Clemente.

254 Vnde patet, quod dictus Iulius Cassianus adnumerandus sit inter hæresiarchas ex Taciano prognatos; de quibus, vt ad supradictos circa ipsum vnum verbum addamus. Affirmat Epiphanius heres. 47. non solum omnia ab illo accepta tenuisse, sed & in deteriora prolapsos esse. Nam pręter abominationem nuptiarum, abstinuerunt ab animatis, & à vino. Concesserunt etiam principatus quosdam, & eum, qui diaboli est, aduersus Dei opera oppositum esse, & Deo non subiectum; sed robustum, & facientem velut
255 ex propria potestate. Ad suorum item dogmatum adstipulationem aucupati sunt Encratitæ scripturas quasdã apochryphas, nimirum acta quædam, quæ dicerentur Andreę, Ioannis alia, alia verò Thomæ, & aliorum. Insuper admiserunt fœminas ad sacra Mysteria, inter quas adeo viuerent, & qui nomine continentes sunt dicti, re ipsa turpes essẽt, horumque non exiguum numerum sua adhuc ætate vixisse in Phrygia, Galatia, Pamphilia, Cilicia, & Syria, tradit Diuus Epiphanius, ex quo hactenus proposita desumpsimus ferè totidem verbis.

Sed

256 Sed quid tandem de Seuero præcipuo ex Encretitis Tatiani sectatores, deque secta Seuerianorum ab eo deriuata? Euseb. lib. 4. c. 27. sic habet: Non longo, inquit, tempore post Seuerus quidam nomine hęresim modo à nobis commemoratam, nimirum Tatiani, seu Encratitarum mordicus tuebatur atq. illis, qui ex eo tanquam ex erroris fonte dimanarunt, Auctor extitit, vt Seueriani appellatione ab eo deriuata nominarentur. Seuero autem, & Seuerianis 257 isti tribuuntur errores. Primò Carnis resurrectionem negarunt. Secundo, vinum respuerunt, eo quod fabulosa vanitate de Satana, & terra vitem germinasse crediderint. Tertio Vetus testamentum, Actus Apostolorum, & omnes D. Pauli Epistolas reiecerunt] Ita Sanctus Augustinus hæres. 24. Alphonsus à Castro v. Vinum, & cum eis Gualterius c. 30. Secul. 2.

257 Peculiariter de Seuero ibidem D. Augustinus sic loquitur: Hic præterea, inquit, Philumenem quandam puellam dicebat inspiratam diuinitus ad prænuncianda futura, ad quam somnia, atque æstus sui animi referens diuinationibus, seu pręsagijs eius secretim erat solitus pręmoneri eodem Phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demostrante, qui puer apparẽs Christum se aliquando, aliquãdo esse asserens Paulum, à quo phantasmate sciscitans ea soleret respondere quę se audienti-259 bus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud, præcipuũ quod in augustissimi vitis ampullam vitream, panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis leuare soleret illæsum, & quo solo quasi diuinitus sibi cibo dato fuisset contenta.] Hactenus S. Augustinus.

260 Notat autem benè Cardinalis Baronius dicto anno 174. nu. 11. hanc Philumenen Seueueri esse aliam ab ea, quæ pari modo, vt vidimus, supra sub finem Regulæ 222. Appelli hæresiarchæ à Tertulliano, & ab alijs tribuitur: 261 imo, & ab ipso Baronio anno 146. nu. 19. Qui in eo corrigendus necessario ob lapsum, fortè calami, quod eadem Sancti Augustini proposita verba citato cap. 14. vtrobiq. pro Appelle, & pro Seuero adducat. Cum tamen S. August. eo capite seu num. 24. de solo Seuero ipsa exprimat, & cap. seu num. 23. tantum agat de Appelle, nulla facta mentione dictæ Philumenæ, aut alterius puellę, quæ ipse Appelles per dæmonis artem, ad pseudoprophetandum vteretur. Atque hactenus de Tatiano & Seuero, Sectisque eorum dicta sint satis.

Qualiter Secta Adamitarum à Prodico, & Secta Quartadecimanorum à Blasso ortum duxerunt.

REGVLA CCXXVI.

262 PRodicus non Valentini, sed Carpocratis turpissimus discipulus inter Gnosticos communiter reponitur, atque ab omnibus Auctor constituitur sectæ Adamitarum; qui inde sic appellari, quod Adami ante peccatum nuditatem imitarentur, ad quam imitationem, & exemplo & hortatione ipse 263 Prodicus alios induxit. Quoad Sectam autem Quartadecimanorum, hæc tunc præcipue inualuit, postquam Blastus quidam hæreticus ausus est in faciem etiam Ecclesiæ Romanæ, temere iactare, ac pertinaciter defendere celebrandum necessariò esse Pascha luna decimaquarta Martij, more Iudæorum. Tametsi & absque peccato prius & absque errore, id seruare Asiæ Ecclesię fuerit per multos annos permissum.

265 COntrouersum est aliquantulum, in cuiusnam hæresiarchæ schola Prodicus iste dedicerit? Nõ desuntq; qui teste Baronio anno 175 num. 33. affirment fuisse discipulum Valentini Hęresiarchæ; inde ex Tertulliano aduersus Praxeam cap. 3. deducunt, quod hic ibi æquè adnumeret Valentinos, & Prodicos pluralitatem Deorum introducentes. Verum be-266 nè idem Baronius ex ipso Tertulliano in scorp. cap. vltimo, ostendit extitisse prius tempore Valentino, atque illum inter discipulos Carpocratis, & Gnosticos hæreticos, de quibus diximus supra merito enumerat, quidquid tamen sit de hoc puncto discipulatus eius. Il-267 lud, vt prorsus certum traditur à Theodoro libro 1. hæres. fab. cap. 42. penes Baronium anno 80. num. 41. & Gualterium cap. 31. Seculi secundi, quod dictus Prodicus fuerit Institutor Sectæ Adamitarum, inuentis nouis hęresibus.

268 Prima fuit, quod sequaces huius Sectæ totaliter nudi sæpius incederent, sicque incedendum oportere iudicarunt ad imitandum in nuditate Adamum, antequam peccaret. Atque hinc Adamitę vocati sunt. Ita D. Augusti-269 nus hæres. 31. Quamquam S. Epiphanius in Anach. ait eos sumpsisse nomen à quodam Adamo tunc viuente, vtrumque affert, & approbat Gualterius cap. 33. Seculi secundi.

270 Adamitæ Nuptias auersati sunt eo quod, nec prius quam peccasset Adam, nec priusquã dimissus esset de Paradiso, cognouerit vxorem crediderunt: itaque quod nuptiæ futuræ non fuissent, si nullus peccasset. Ibidem D. Augustinus ferè totidem verbis. D. Epiphanius in Anaceph. Alphonsus à Castro verbo Nuptiæ, & Gualterius loco citato.

271 Tertia. Admissa pluralitate Deorum, inter hos Prodicus, & Adamitæ quatuor Elementa, ac Solem, & Lunam enumerabant, tribuentes ijs Diuinitatem quandam. Ita Epiphanius in Anaceph. & Baronius anno 120. num. 4.

272 Quarta. Gualterius ibidem per sequentia verba: Ingressi, inquit, Adamitæ in cauernas suos, quas vocabant Ecclesias, se se in hypocaustis denudabant relictis ad fores incustodum huic muneri destinatorum manu vestimentis, aientes tunc se ipsos esse Adam, & Euam mulieribus quæ promiscue vtentes. Vnde egressi, resumptis vestimentis suis, dicebãt, se non amplius esse Adam, & Euam] Hæc ille cũ Epiphanio hæres. 52. & Alphonsus a Castro, verbo coitus.

273 Quinta, Exprimens magis Diuus Augustinus vbi, & quando seu in quibus actibus nudi incederent Adamitae, sic de eis affirmat. [Nudi itaque, inquit, mares, fœmineque conueniunt, nudi lectiones audiunt, nudi edunt, nudi celebrant Sacramenta, & ex hoc Paradisum suum arbitrantur Ecclesiam.] Hactenus Augustinus post Epiphanium haeres. 52. & in Anaceph. quoad vltimum, quod Adamitae tēpla sua vocant Paradisum.

274 Sexta, Tenuerūt Adamitae, vt tradit Tertullianus in Scorpiaco, cap. vlt. Nunquam esse necessarium, nec obligatorium confiteri Christum Dominum; nedum pro eius confessione Martyrium pati, quin & affirmarunt se omnino esse liberos, ac nulla lege obstrictos. Ita cum adducto Baronio addit Gaulterius ibidē.

275 Cęterum vt plenius, & facilius capiantur spectantia ad Sectam Quartadecimanorum, seu Paschatitarum, (vtroque modo vocari solent sequaces eius secundum Prateolum, & Gualterium citandos,) pręmittenda breuiter pauca ex pluribus, quę copiose adducunt ipse Prateolus verb. Paschatitę, & Baronius per totum fere annum 198. cum Eusebio lib. 5. à cap. 20. cum Nicephoro Histor. Eccles. lib. 4. cap. 36. & cum alijs de controuersia illa grauissima, quæ extitit olim in Christianismo circa Pa-

276 schatis celebrationem, nam per spatium circiter 100. annorum, & forte diutius vsque ad Pontificium Victoris Papæ Africani, omnes Ecclesię Asiæ ex antiqua quadam traditione à duobus Apostolis Sancto Ioāne Euangelista, & Sancto Philippo à Sancto Polycarpo (hic tempore Sancti Aniceti Papę, teste Baronio, Romā venit pro hoc negotio, & permissionem sic celebrandi obtinuit,) & ab alijs non paucis egregię Sanctitatis viris recepta, consueuerūt, decimoquarto die lunę, (quo Iudæis olim præceptum erat, vt agnum immolarent,) festum Paschatis celebrandum, & omnino eo die, in quemcumque hebdomadę diem forte incideret, ieiunijs finem statuendum, atque in hunc modum perpetuo obseruarunt.

277 At Ecclesia Romana, ac reliquæ Ecclesiæ per vniuersum Orbem terrarum fundatę, exceptis illis Asiaticis, & alijs finitimis, ex traditione etiam Apostolica à Sancto Petro, à Sācto Paulo, à Successoribus item vtriusque, & ab alijs primis Christianitatis Patribus præstantissimis deriuata, sic semper tenuerunt, executioniqne mandarunt, nimirum non alio die, quam eo, quo Saluator à mortuis resurrexit, esse celebrandum Pascha, & dissoluenda ieiunia.

278 Quæ norma, & consuetudo tunc, seu die Dominico illud celebrandi, & ea dissoluendi, vt in quibusuis Orbis Christiani partibus omnino seruaretur, & contra morem Iudæorum fieret, prædictus Victor Romanus Antistes diligentissime curauit. Vnde vt in re tanti momenti maturius procederet, & contra Asiati-

279 cos postea vrgentius insurgeret. Primo, Romæ Concilium Generale conuocauit, in quo decretum est, vt Pascha die Dominico proxime sequenti 14. Lunam, & Equinoctium Vernum celebraretur, vt tradit Baronius ann. 198. dein voluit, vt varijs in locis diuersa Episcoporum Concilia nationalia ad eūdem finem cogerentur, sicuti ex prescripto ipsius coacta fuere, præcipue illud valde celebre, cui nomine, & auctoritate eiusdem Victoris præfuit Theophilus Cęsariensis, Palæstinæque Antistes; de quo, & de actis in eo pro celebrando Paschate die Dominica Ræsurrectionis Domini, multa Baronius ibidem à num. 2. ex Beda in commētario, quem scripsit de Equinoctio Vernali.

280 Peractis itaque Concilijs cum in omnibus fuisset conclamatum, & conclusum seruari debere ab omnibus Christianis traditionem, & consuetudinem celebrandi Pascha dicta die Dominica, cum intermissione ieiuniorum, Sūmus Pontifex Victor ad prolationem sententiæ deuenit cunctis fidelibus strictissime iniungens dictæ traditionis, & consuetudinis omnimodā

281 obseruationem. Præterea talis decreti, & sententię notitia ad Præsules Asiaticos delata, ipsisque persistentibus in proprio sensu, etiam post actum ibi ex iisdem omnibus conuentum, cui præfuit Polycrates Ecclesiæ Ephesiorū Antistes ob egregiam Sanctitatem, & doctrinam dignissimus, (huius Epistolā ad Papam Victorem, qua reddit rationem, cur ipse & alij Asiani ab antiquo sensu non desistant, vide apud Baronium dict. ann. 198. num. 8. ex citato Eusebio; idem Victor, vt victoriam complete reportaret, omnes Præsules Asiaticos, & alios finitimos, cum suis Populis excommunicare, atque à conuersatione cęterorum fidelium om-

282 nino seiungere resoluerat. A qua resolutione vt tunc desisteret, & vt benignius, ac suauius cum illis ageret, hoc modo ipsos charitatiue, & pacifice attrahere curādo inductus fuit per literas à diuersis Episcopis, alioquin zelantissimis, & obseruantissimis consuetudinis celebrandi Pascha die Dominico, præcipue à Diuo Irenæo Galliarum Præsule, cui valde displicebat, quod tanta Ecclesiarum Asię multitudo ab Ecclesiastica Vnitate segregaretur: ideo pro reuocatione resolutionis huiusmodi institit; lege plura apud auctores citatos.

283 Videndum iam sequitur qualiter res in peius postea abierit, & aperta fuit via Hæresibus, & Sectæ Paschatitarum, consequenterque coactus Papa, stricto gladio spirituali putrida membra à mystico Ecclesiæ corpore pręscindere, aliquibus clausulis longiusculis Cardinalis Baronij dicto anno 198. à num. 15. exprimere conuenientius du-

284 xi. [Quamdiu, inquit, cum Catholicis tantum acta res est, tolerabile visum fuit Romanis Pontificibus permittere Asiaticos more Iudæorum decimaquarta Luna Pascha celebrare; at cum haec indulgentia haeresis validandae esse videretur occasio, ab ea cessare consultius visum est. Qui enim in Asia, his temporibus inualuissent Montani haeresis Sectatores quasi lege Diuina ab ipso suo ipsorum Paracleto peruulgata, & ipsi die decima quarta esse Pascha celebrandum, omnes vero secus agentes errore duci vehementissime affirmabant. Ita Baronius, & post pauca subdit magis ad rem.

285 Rur-

285 Rursum vero ne Quartadecimani amplius tolerandi essent, plane necessitas Victorem impulit; non enim Montanistæ tantum eum fouebant errorem; sed & alij Hæretici. At quid amplius? adeo malum istud inualuit, vt nequaquã intra Asianæ Prouinciæ limites potuerit contineri; sed longe lateque grassatum sit, vsque adeo, vt ipsum quoque sinum Romanę penetrarit 286 Ecclesiæ. Inde euellẽs hominem (de quo diximus) Blastum nomine, qui & illorum sententia in faciem eiusdem Ecclesiæ dicere, iactare, defendere, ac mordicus propugnare non erubesceret, celebrandum esse Pascha Luna decimaquarta; de eo enim scribens Tertullian. lib. de pręscript. cap. 55. sic ait: [Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens; qui latenter Iudaismum vult introducere, Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi decimaquarta mensis. Cum igitur 287 Blastus eius rei causa iam Schisma conflasset, nec eum Irenęus apud Eusebium lib. 5. cap. 19. ea de causa scribens librum de Schismate, reuocare potuisset, quippe qui (vt Eusebius ibidem tradit) nõ satis haberet schismate, se ab Ecclesia pręcidisse, sed complures alios ab ipso complexu abstrahens in suam conatur sententiam perducere: hæc quidem tolerare, idem iam visum esset, quod Schismati fauere, & Schismaticis cõiungere. Quam ob rem etsi durum, ac violentum visum est multis remedium Victoris Papæ, pernecessarium tamen ad vlcus intrinsecũ, extrinsecusque serpente tabo curandum.] Hactenus Baronius.

288 En quam perspicue quidquid ad Sectam Quartadecimanorum spectat ab eo propositũ, en qualiter ipsa præcipue ortum duxerit à sceleratissimo Blasto, qualiterque iste fuerit Paschaticarum antesignanus, vt vocat ipsum Gaulterius in tit. cap. 34. Seculi secundi. Qui non 289 adducit alios peculiares errores ipsius Blasti, imo nec Baronius exprimit illos, quorum in cõmuni meminit ann. 180. num. 3. Vbi de illo sic ait: [At veniale id, inquit, fuisset Blasto, nisi ea de causa schisma conflasset, & alijs enormioribus erroribus, se perniciose addixisset. Nam eiusmodi ritus de celebrando Paschate decimaquarta die in compluribus Sanctis viris vsque ad Victorem Romanum Pontificem fuit æquanimiter toleratus] hęc ille, aliquid de isto Blasto addetur Regula sequenti; nunc pro præsenti dicta sufficiant.

Quid de Hæresiarchis Florino, & Theodoto, ac de alijs, si qui sunt secundi Seculi? Quid item de eorum Sectis?

REGVLA CCXXVII.

290 EXtitit Romæ circa annum Domini 181. Florinus quidam, quem ob deprauatos mores, vna cũ prædicto Blasto Eleutherius Papa prędecessor Victoris à gradu presbyterij deposuit. Dein ipse peiora semper committens in barathrum tãdem hæreseon probrosus Flo- 291 rianorum Sectam instituit. Theodotus autem hæresiarcha duplex fuit fere eodem tempore: alter vocatus Coriarius auctor Sectæ Alogorũ: alter vero Argentarius Melchisedecianorum 292 Sectæ Institutor. Theodotion item Bibliorũ Interpres inter hæresiarchas haud reponẽdus, sed inter Hæreticos, vel Apostatas: secus de Symmaco etiam Bibliorũ translatore. Fuerũt 293 etiam Hæretici dicti Angelici, & Apostolici, de quorum, & aliorum origine statim agetur.

294 DE duobus primis simul Florino, & Blasto, ita Eusebius lib. 5. cap. 14. apud Baronium ann. 180. num. 3. [Nonnulli, inquit, Romæ vigebant, quorum Florinus Presbyterij Ecclesiastici gradu abdicatus, & Blastus per simili implicatus errore, pariter cum illo Prin- 295 cipatum obtinuit. Isti certe complures alios, quasi ab Ecclesiæ complexu abstrahentes, in suam pertraxere sententiam; quorum vterq; separatim nouam Sectam ad veritatem auertendam excogitare laborauit.] Hęc Eusebius de origine malorum Florini, & Blasti, quem fuisse etiam depositum à gradu Presbyteratus per eundem Eleutherium testatur ipse Baronius num. 2.

296 Verum relicto Blasto cum eius Secta iam satis explicata, quid nunc in particulari de erroribus, & Secta Florini, & Florianorum? Primus, ac pręcipuus istorum error fuit, quod asseruerint Deum non modo malum culpæ permittere, sed etiam facere. Ita Prateolus verbo Florinus, & Baronius dicto ann. 180. num. 3. 297 cum Eusebio num. 5. cap. 19. Referente ibi, qualiter Sanctus Irenęus Epistolam ad Florinũ scripserit, reuocãs ei in memoriam doctrinam, qua ambo à pueris imbuti per D. Polycarpum fuerant, vt ipsum ab errore retraheret.

298 Secundus Error Florianorum, non credebant Christum ex Beatissima Virgine natum esse. Afferunt Prateolus verbo Florinus, & Gualterius cap. 35. Secundi Seculi.

299 Tertius, Negauerunt Floriani futuram Mortuorum resurrectionem; & consequenter Iudicium Vniuersale in fine Mundi. Ita ijdem Prateolus, & Gaulterius.

300 Quartus, Admiserunt resurrectionem in procreatione filiorũ, vt testatur D. Philastrius, & Prateolus loco citato. Quare vt manifeste ex supradictis apparet Florinus suam Sectam in hæresibus antiquis denuo excitatis fundauit.

301 De vtroque Theodoto iam breuissime dicendum; quoad primum vocatum Coriarium ab arte abiecta, quam profitebatur; hic à Bysantio duxit originem, & magnã eruditione, 302 ac doctrina pręstitit. Cum autem in persecutione Christianorum examinatus ipse, Diuinitatem Christi Domini abnegasset, prę pudore maximo ad tegendum facinus suum horrendã protulit blasphemiam, affirmans se non nisi hominem simplicẽ abnegasse, quando dixit Christum non esse Deum. Ob quem primum errorem à Sancto Victore Papa excommunicatus 303 fuit, & de Ecclesia eiectus. Ipse vero in eodem errore persistens, vt heresiarcha Sectam nouam insti-

instituit. Sectatoresq; eius appellati sunt Theodotiani. Ita partim ex D. Epiphanio hæref. 54. & D. Damasceno lib. de Hæresi, verbo Theodotiani; partim ex Theodoro lib. 5. cap. 26. & 27. Baronius ann. 196. à nu. 2. & Gaulterius cap. 34. Secundi Seculi.

304 Secundo, Theodotiani atque eis adhærentes Arthemon, & Arthemoniani sic ab isto vocati, impudenter, & erronee affirmarunt veteres Patres, ac Romanos Pontifices eadem de Christo sensisse, quæ ipsi impie prædicabant. Cum Eusebio citato idem Baronius dicto ann. 196. num. 67. & 68. & Gualterius ibidem.

305 Tertio, Idem Theodotus Coriarius, & eius Asseclæ Theodotiani impia dogmata Cerinthi, & Ebionis ex parte instaurare conantes, negarunt Christum Dominum esse Patris Æterni Verbum, & ob hanc causam Euangelium Diui Ioannis, in quo hęc Veritas Catholica clarissime exprimitur, & Apocalypsim eius respuerũt, ac ipsi Cerintho, contra quem hos libros Ioan-

306 nes scripsit, acceptos retulerũt. Hæretici isti communiter vocantur Alogi, idest ratione, vel verbo carentes. Ita ex D. Damasceno lib. de hęresibus verb. Alogi, & ex D. Epiphanio hæres. 51. ijdem Baronius num. 9. & Gaulterius.

307 Alter Theodotus Argentarius sic dictus à propria ipsius arte argentaria discipulus fuit prioris Theodoti, vt cum Tertulliano, de pręscrip. cap. vlt. testatur Gaulterius seculi secundi cap. 37. Nam istius hęreticam doctrinam tenuit, nempe quod Christus Dominus non sit Deus, sed simplex homo conceptus de Spiritu

308 Sancto, natus ex Maria Virgine. Verum vt Hæresiarcha fieret, Auctorque nouæ Sectę addit de suo dictus Theodotus Argẽtarius Christum Melchisedeco inferiorem extitisse, sumpta occasione ex duobus locis Scripturę Sacræ per peram intellectis, nimirum ex illo Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & ex illo ad Heb. 7. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitę habens. Vnde haud bene deduxerunt aliqui ex grauibus Auctoribus, vt Origenes, & Didymus Melchisedecum, non hominem, sed Angelum fuisse, vt ex D. Hieron. Epist. 126. ad Eugenium refert Baronius dicto ann. 196. num. 12. apud quem plura legas: de

309 hac Secta Melchisedecianorum. Qui saltem pro Christo Melchisedecum habebãt aut certe non hominem simplicem, sed virtutẽ esse Dei, & quidem sublimi gratia prędità existimabant. Ita cum citato Tertulliano, D. Epiphanio in Anaceph. Alphonsus à Castro verb. Melchisedecus, & Gaulterius ibidem.

310 Quid iam de Theodotione Bibliorum interprete? Hic Patria Ephesius, prius Catholicus, inter Sectatores Marcionis hæresiarchę excelluit, ac Iudaismo postea ad hæreses circumcisus fuit. Cumque Hebraici, & Gręci sermonis peritissimus esset, Sacrarum Scripturarum

311 translationem edidit. Qua nihilominus vtitur Ecclesia, quamuis à fonte infecto dimanarit, vt bene notauit Baronius ann. 184. Vbi de solis rebus Theodosianis agit, præcipue de prædicta eius heresi, & Apostasia, cum D. Epiphanio lib. de Mensuris, & ponderibus, ac cum alijs, expendens, qualiter factus sit proselytus Theodosion. Vnde hic non inter hæresiarchas, sed inter Hæreticos, vel Apostatas numerãdus censetur.

312 Symmachus diuerso modo genere Samarita secũdum D. Hieronymum diuersis in locis, vt in Apolog. aduersus Rufr. at præfat. in Esdram, & in Iob ex Christianissimo ad Sectam Ebionitarum transijt, atque secundum D. Epiphanium lib. de Mensuris, & ponderibus, iterũ circumcisus Iudaismũ amplexus est, & Iudai-

313 co ritu legem seruandam docuit. Item asseruit Christum Dominum de Ioseph, & Mariæ concubitu natum, ac hominem purum fuisse.

314 Conscripsit autem Commentarios, in quibus nouam Sectam instituit, & robur, & auctoritatem conatur tribuere his suis erroribus, quibus nouam Sectam instituit, eiusque Sectatores appellati sunt Symmachiani, ita cum Eusebio lib. 6. Prateolus verbo Symmachus Ebionita.

315 Ad tollendam autem ęquiuocationem notandum hic obiter fuisse alios Symmachianos Discipulos Patricij, cuiusdam Romani, de quibus cum S. Philastrio lib. de Hæresi Baronius ann. 203. num. 26. per sequentia verba. [Patriciani à Patricio quodam, qui fuit Romæ, dicti

316 sunt. Hi carnem hominis non à Deo factam esse asserunt, sed à diabolo arbitrantur; hanc etiam contemnendam, & modis omnibus abijciendam decernunt, vt etiam vltro quidam de eis sibi mortem conferre non dubitent. Sym-

317 machiani discipuli istius eadem sentientes in omnibus, non sperantes iudicium. Vt ijs secularibus, & carnalibus concupiscentijs prædicãt seruiendum.] Hæc Baronius, qui statim subdit.

318 Sed diuersi generis Symmachiani illi esse videntur, qui apud Sanctum Ambrosium præfat. in epist. ad Galatas, ita descripti habentur. [Omnis credens in Christum, & obseruans legem factorum male intelligit Christum, sicut & Symmachiani, qui ex Pharisęis originem trahunt, qui seruata omni lege, Christianos se dicunt more Photini, Christum non Deum, & Hominem, sed hominem tantummodo diffinientes. Hęc Auctor, quibus demostrat diuersos esse hos Symmachianos à prioribus maioremque habere cum Symmacho interprete conuenientiam.] Hactenus Baronius, à quo etiam obiter indicatam habemus Sectam Patricianorum.

319 Notandum item cum eodem Baronio versionem Symmachi quamuis hominis perfidi, quique ex cloacis hæreticorum in lacunas se merserit Iudęorum, apud antiquos Ecclesiasticos tractatores fuisse semper vsu receptam, vti magnæ æstimationis, & nunquam ab Ecclesia vt hominis infidelis proscriptam Sacrarum

320 Scripturarum translationem. Hanc autem fuisse duplicem, testatur D. Hieronymus in cap. 32. Hierem. Vbi de eodem Symmaco affirmat, nequaquam interpretando reddidisse verbum ex verbo, sententias ex sententijs, & sensum ex sensu.

321 Præterea circa hæreticos Angelicos ex Epiphanio hęres. 60. duo certa sunt, nempe quod isti

isti extiterunt, & quod per parum temporis: duo item incerta, quis nam fuerit eorum antesignâtes, & cur sic vocati Angelici? seu vndenã 322 hoc nomen sumpserint? Quamquam D. Augustinus de hęres. num. 36. inde inclinat fuisse appellatos Angelicos, quod nimis Angelorum cultui fuerint dediti, nec alium præter hunc eis tribuit errorem, ex mente autem Sancti Damasceni lib. de hæresi verb. Angelici, ita appellati sunt quod Angelorum se ordinem habere iactarent, aut ab Angelis se vocatos, lege Baronium anno 260. vbi de his, & de sequentibus agit, ac proinde videntur ad Tertium Seculum pertinere, ibique de eis agit Gualterius sed vtrosque cum Prateolo in Indice hæreticorum per secula sub secundo breuiter expendimus.

323 De Apostolicis itaque hereticis quid? Indicat D. Augustinus lib. de hæres. num. 40. his verbis. [Apostolici, inquit, qui se isto nomine arrogantissime vocauerunt, eo quod in suam communionem non reciperent, vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet Catholica Ecclesia, & Monachos, & pluri- 324 mos Clericos. Sed ideo isti hæretici sũt, quoniam se ab Ecclesia separantes nullam spem putant eos habere, qui vtantur his rebus, quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt. Nam & Apostatitę appellantur, sed alia nescio quę propria hæretica docere perhibentur.] Hæc Augustinus, quocum concordant Sanctus Damascenus lib de hæresib. verb. Apostolici, & 325 Sanctus Epiphanius hæres. 64. aduertit Baronius dicto ann. 260. num. 70. huiusmodi hereticos Apostolicos ad suam impietatem colorandam vsos fuisse actis Andreæ, & Thomę ab Ecclesia prorsus reiectis.

326 Vltimo loco cap. 34. Secundi Seculi agit Gaulterius de Hæresiarcha Praxea, quem merito vocat præcursorem Sabelliorum, cum tres personas Sanctissimæ Trinitatis confundens asseruerit Deum Patrem esse Iesum Christum, Crucem, ac mortem passum esse, &c. Sed de hoc plura Seculo sequenti, vt iam secundum decem regulis decursum feliciter claudamus.

CAPVT SEPTIMVM.

De Sectis, & Hæresibus quorumcumque Hæresiarcharum, & Hæreticorum contra Fidem Catholicam, qui successiue tempore Tertij Seculi extiterunt.

PROOEMIOLVM.

1 PER expressionem errorum contra Fidem, & Hæresiarcharum hactenus traditam, qui primo, & secundo Seculo prodierunt, depinximus aliquantulum ex parte hostium solummodo Ecclesię Catholicę tertium bellum Hæreticismi, Gentilismi, simul & Iudaismi ex illis tribus a D. Ioanne Apocalyp. 6. comparatione equorum multiplicis coloris repręsentantis, quo ipsa quoad Doctrinam Fidei toto eo tempore fuit vehementissime oppugnata. Sed quid de hoc bello ex parte eiusdem Ecclesię? num expugnata ipsa vnquam mansit? num victoria pro inimicis eius aliquando stetit, nequaquam sane hoc ita absit menti cuiusquam de tali expugnatione, subeat cogitatio. Non ne potius ipsi hostes Ecclesiæ expugnati, & omnino extincti? Iuxta illud Iud. 5. *Noua bella elegit Dominus*, & sunt illa eadem Apocal. 6. Vbi de sedente super equum album, repræsentante Ecclesiam dicitur; data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret, ac subdit statim, *& portas hostium ipse subuertit*, cum manifesta allusione ad certissimam Domini promissionem, Matt. 16. Super hanc petram

2 ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Sed vndenam id apparet aliqualiter in nostro Opere? Placet valde modus procedendi nostri Gaulterij, qui post expressos Hæresiarchas, eorumque errores sub finem cuiusque Seculi doctrinam Fidei Diuinæ, quoad præcipuas eius veritates per decisiones Conciliorum, ac per testimonia Sanctorum Patrum, & Doctorum confirmatam, ac stabilitam cumulatissime demonstrat. Hoc idem ante illum Gilbertus, Genebrardus in sua Chronographia compendiose præstitit. Nos ab vtroque, & ab alijs aliquid delibantes in Procemiolis Capitum, pręcedentia sequentibus annectendo vti operę pretium ducimus, id ipsum saltem in communi, multo compendiosius pręstabimus, ne exercitus, & arma tantummodo inimicorum Ecclesiæ ostentasse videamur.

3 Non est cur pro primo Seculo quidquam immoremur. Nam cum tunc recenter edita essent Euãgelia, adiunctis Scripturis Veteris Testamenti, legitime Diuino lumine intellectis: Vt patet ex illo Lucę 24. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, editumque esset Symbolum Apostolorum, & Traditiones Apostolicæ à Clemente ipsorum Apostolorum discipulo, nec memoria exciderent, vt refert idem Genebrardus, in libros relatę fuissent, ita vt facili negotio omnibus innotesceret veritas Fidei nostræ, quamuis contra eas oblatrarent canes illi tredecim, scilicet Hęresiarchę adducti, maiorem semper stabilitatem, & confirmationem inde susceperunt.

4 Secundum vero Seculum sicut plura, & horribiliora Hæresiarcharum, & errorum contra Fidem Catholicam monstra peperit, ita singulari Dei prouidentia de efficacioribus, & omnino opportunis contra illa remedijs prouisum. Primo, post tempora Apostolorum, quamprimum fuit celebratũ Concilium Cęsariense in Palęstina, vt tradit Genebrardus in fine secundi Seculi, præsidentibus in eo accepta autorita te à Summo Pontifice, Episcopis Theophilo Cæsareæ, & Narcisso Hierosolymorum,

rum, ad defensionem Doctrinę Fidei. Item coacta alia Concilia, vt diximus supra, contra Montanum, contra Blastum, & alios Haeresiarchas ad eundem finem defendendi veritates ipsius Fidei, & frumentum purum doctrinae Apostolicae ab olio Haeresum separandi. Dein Sancti Patres, & Doctores, qui eo tempore floruerunt maxime Summi Pontifices, vt Anacletus, Higinius, Pius, Anicetus, Eleutherius, & Victor Epistolis scriptis, ac libris editis contra dictos Ecclesiae hostes, pro eisdem Fidei Veritatibus tuendis enixe elaborarunt pro Missae Sacrificio cum ritibus eius, & pro Transubstantiatione Eucharistiae. Iustinus Martyr. Apol. 2. post Sanctum Dionysium Areopag. Ecclesiast. Hier. cap. 3. & 5. & Sanctus Irenaeus lib. 4. cap. 32. & 34. Pro Romani Pontificis primatu, Idem Irenaeus lib. 5. Episcopi illius temporis in Historia Victoris Papae apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccles. & in Concilio Palestino. Pro libero arbitrio Iustin. qu. 103. Irenaeus lib. 4. toto cap. 2. Theophilus lib. 2. ad Autholy Atenag. & Clemens Alexand. in Paranætico Stromat. lib. 2. Pro Martyrio, quod sit magni meriti, idem Clemens in stromat. vbi ait esse Purgatorium peccatorum. Vide plura apud Genebrardum, & apud Gaulterium circa alias veritates Fidei; nos dictis contenti simus, vt iam de nouis Haeresiarchis tertij Seculi, qualiter contra Fidem nostram insurrexerint, sequentibus regulis inspiciamus.

Quomodo Secta Tertullianistarum, Arabicorum, & Agrippianistarum contra Fidem exorta?

REGVLA CCXXVIII.

6 Tertullianus natione Afer, Patria Carthaginensis, ex Gentilismo ad Christianismum transiens Virtute, ac Religione, omniq; Scientiarum genere floruit, & tantus fuit in eo Christianae Fidei Zelus, vt librũ de praescriptione contra Haereticos ediderit. 7 At in prouecta iam aetate ò infelix, Montano Haeresiarchae adhaerens eius defensor acerrimus extitit? Postea vero aliqua de suo addens, nouam 8 haereseon Sectam instituit. Dein idem Tertullianus occasionem errandi Agrippino præbuit, 9 & vt hic alterius Sectæ dux exurgeret. Origo autem Sectæ Arabicorum omnino ignoratur.

10 Dvplex occurrit casus in hac, & sequenti regula, de quibus vix sine lacrymis, & sine affectu timoris, ac tremoris agi posse videtur, quis enim non fleat, quis non timeat, & cõtremiscat, cuius auribus sępius non insonet vox illa Apostoli 1. Corint. 10. Qui stat, videat, ne cadat. Si Tertullianum, & Origenem prius columnas stabiles, ac præcipuas Ecclesiæ Sanctæ, post in luto hæreseon iacentes, & Hæreticorum 11 duces effectos attente perpendat? Primordia Tertulliani, & progressus eius in Fide Christiana, ac scientijs, egregie pertractat cum alijs Baronius ann. 197. à num. 19. Vbi per sequentia 12 Verba: [Sed quod iam de Tertulliano cœptũ est agi, de eius in Fide Christiana cunabulis aliqua ab eodem auctore selecta hic intexere, operae pretium existimamus: ac primum de eius natalibus aliquid praelibare. Fuisse itaque natione Afrum, Patria Carthaginensẽ, Patre Centurione Proconsulari natum, tum alij plures, tum Sãctus Hieronymus in primis affirmat de script. Eccles. in Tertull.

13 Subdit deinde ipse Baronius: [Quod vero, inquit, ad eruditionem spectat, omnes scientias calluit, Latinorumque omnium eius temporis disertissimus ab omnibus prædicatur. Est qui existimet Tertullianum ex Gentili patria superstitione relicta ad Fidem Christianam sectãdam multis argumentis fuisse persuasum, tum maxime quod aliquando adiurati dæmones, se Deos esse Gentium, licet inuiti confessi essent. Quod quidem, & Tertullianus ipse testari videtur, cum ait Apol. cap. 23. Hæc denique Testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueuerunt, quia plurimum illis credendo in Christo Domino credimus; sed hæc communiter de Christianis omnibus intellexisse videtur.] Hæc ille de conuersione Tertulliani.

14 Addit item Baronius nu. 20. Insuper auctor est D. Hieronymus contra Iouin. lib. 1. ipsum adolescens cum esset, scripsisse librum de molestijs nuptiarum, de eodem enim ad Eustoch. scribens epist. 22. ait: Si tibi placet scire, quot molestijs Virgo libera, quot vxor adstricta sit, lege Tertullianum ad amicum Philosophum.]

15 Porro ab ipso iam Christiano Commentarium illum esse elucubratum, cum iam coniugio obligatus esset, mihi facile persuadeo. Non enim puto alterius, quam Christiani auctoris litteris ipsum voluisse, Eustochium suam instruere, cũ periculosum nimis esset Virgini Ethnicum de nuptiarum molestijs tractantem legere, non absque pudoris magno discrimine. Nec equi16 dem puto ab eo ante nuptias illum esse editum Commentarium, neque duri Ingenij hominem suæque sententiæ tenacissimum aliter faciendo, quam scripsisset, se omnium derisioni exponere voluisse.] Hactenus Baronius.

17 Qui denique num. 22. tractat sic de libro cõtra hæreticos per Tertullian. elaboratõ. [Cæterum, inquit, quod ad reliqua prestantissimi ingenij monumenta pertinet, circa hæc tempora eum scripsisse egregium illum Commentariũ aduersus hæreticos de præscriptione argumento est, quod cum omnes ab initio nascentis Ecclesiæ, vsque ad hæc tempora progressos hæresiarchas recenseat, de Arthemone hæresiarcha, qui sub Victore prodijt, nullam penitus mẽtionem facit, quod scilicet nondum ipse Arthemon cognitus esset.] Ita ille de opere Tertulliani, & de alijs eius prędictis antequam in heresim infeliciter laberetur.

18 Sed quid de tempore, & causa, quando, & cur Tertullianus à Fide, & Religione Christiana recedens peruersa Montani dogmata amplexus est? præstat hæc duo breuissime attingere, vt aperiatur via ad peculiares errores eius declarandos, & ad exprimendam Sectam Tertullia-

19 tullianistarum, quam ille instituit. Quoad primum certum est secundum Baronium ann. 201 hæc non contigisse sub Eleutherio Papa, cum hunc vocet ille benedictum, perinde ac si more maiorum dicat, cuius memoria in benedictione est. Sed sub Victore, illius successor vt inchoatum iam tertium Seculum.

20 Quoad secundum de causa, haud est facile, teste Baronio, cit. num. 8. eam consequi. Inde præcipue insurgit difficultas, quod tunc iam Tertulliano innotesceret Montanum inimicum Ecclesiæ Romanæ, & Hæresiarcham esse, cum ipsum vt talem in prædicto libro de præscriptione aduersus Hæreticos inter alios Hæresiarchas

21 reponat. D. Hieronymus de Script. Ecclesiæ sic causam assignat. [Hic, inquit, cum vsq; ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, inuidia postea, & contumelijs Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma dilapsus in multis libris nouæ prophetiæ meminit.] Ita

22 Sanctus Hieronymus. Quocum licet in eo, quod ait de contumelijs Clericorum, non concordet Baronius dicto ann. 201. num. 7. concordat tamen in altero de inuidia, adducitque ex auctore quodam antiquo apud Sãctum Ambrosium in epist. 1. ad Corinth. cap. 13. affirmãte Tertullianum, & Nouatianum tabo inuidiæ infectos ab Ecclesia desciuisse.

23 Exprimit autem sic ipse Baronius in Tertulliano (de Nouotiano infra) affectum inuidiæ, *nimirum quod indigne fortase tulerit* Victorme Papam Gentilem suum sibi honore fuisse prælatum, vel quod ab ipso non adeo, vt sibi præsũperat, haberetur in honore, vel coleretur officijs. Addit item ob repulsã Episcopatus Carthaginensis, illum Ecclesiæ terga vertisse.] Ita

24 Baronius ex Pamelio in vita Tertulliani: vbi *aliæ causæ* lapsus eius, tametsi leuissima coniectura nitentes assignantur.

25 Cæterum adhuc est valde dubium, quomodo Tertullianus homo tenacissimus in suis placitis induci potuerit ad mutandam sententiam circa Mõtanum, quem iam Hæresiarchã cognouerat: duplicem originem talis mutationis inter alias præcipue indicat idem Baronius num. 13. primo quod licet ipse durus in doctrina, in credendo tamen magna animi facilitate esset præditus, vt ex eius lib. de anima cap. 9. clare deducitur, vt delirijs Muliercularum phasmatis, & fictitijs reuelationibus se dementari pateretur. Hincque facile à dæmone decipi potuit; vt crederet Montanum esse sanctum, & iustum,

26 seu Paracletum, vt dicebatur. Secundo, quod cum Proclo, præcipuo Montani Discipulo, iam per Ecclesiam excommunicato voluit communicare, & consequenter decipi. Id quomodo factum à Baronio audiamus.

27 [At deceptus est, inquit, à Proclo Tertullianus, quod nimirum ille doctrinam suam non ab homine, sed à Paracleto, qui descendisset in hominem, se accepisse profiteretur, quodque præ se ferret veritatem Catholici dogmatis in ijs, quæ spectarent ad Christum, & ad Sanctissimam Trinitatem. Nam cum, ex Cataphrygibus alij à prima illa institutione Mõtani deuiarent, ille vero rectam Fidem prædicaret, omnesque aduersantes condemnauit Hæreticos castitatem, ac continentiam celebraret, noua ieiunia, eademque austeriora instituto Spiritus Sancti seruanda profiteretur indicare, vigilias, ac preces multiplicaret, Martyrium adeo extolleret, vt nec fugam, aliasque latebras, vel redemptionem vitæ admitteret. [Hæc, inquam, & alia id genus, ille ex Paracleto homini curiosissimo ingerens, & animo cupienti propinãs, & de calice aureo Babylonis sitientem potauit, quo mox redditus ebrius furere cœpit; hincq; in Catholicos, quod tã bonas à spiritu reuelatas institutiones damnassent, inuehi postea nunquã destitit.] Ita ille.

28 Huiusmodi autem inuectio Tertulliani in Catholicos, etiam ad Summos Põtifices, & Prælatos alios extendebatur, quos ipse dicterijs lacerabat, vt quando cap. 1. aduersus Praxeam verbis veneno tinctis dixit. [Planè superest, vt etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias Spiritus Sancti respuerunt.] Ad illud, vt ait ibid. num. 5. Baronius, proculdubio alludens, quod Romanus Pontifex hæresim Mon-

29 tani damnasset. Similiter quando lib. de fuga in persecutione dixit. [Noui pastores eorum in pace leones, in prælio ceruos.] Vt interpretatur Baronius num. 6. cum allusione ad dictam condemnationem, & tunc leones condemnantes; atque ad fugam tempore persecutionis, & tunc ijdem cerui. In summa semper se Censorem, & Aristarchum Romanæ Ecclesiæ præbuit, adeo vt de eius honore non dubitauerit detrahere, & conuitijs præscindere eius Prælatos, imo & quosuis alios, non sequentes doctrinam Mõtani, seu sui Paracleti vocans ipsos Psychicos, (sic consueuit Valentinus Hæresiarcha appellare homines, qui non essent suæ Sectæ) idest, animales seu prorsus sensui deditos, carentes vero spiritu. Vide Baronium dicto an. n. 6. & 14. Et Gaulterium cap. 1. tertij Seculi.

30 Errores iam Tertulliani quinam peculiares? Primò, Errauit, quod tenuerit animam hominis, vt immortalis, esse nihilominus corpoream, filijsque animam esse genitam ab anima patris, eodem prorsus modo, quo vnum corpus ab alterius corpore generatur, ac esse corpus forma, & figura præditum. Ita totidem fere verbis Gualterius vbi supra, cum D. Augustino hæref. 86. & Alfonso à Castro verb. anima, hæref. 5.

31 Secundò, Tertullianus similiter Deum esse corporeum dixit, tametsi nullo modo effigiatum. Tradunt ijdem tres Auctores citati, & cũ D. Thoma lib. 1. contra Gentes cap. 21. Prateolus verbo Tertullianistae, Sanctus Augustinus tamen quærit, quomodo eum ex hoc capite ab haeresi liberet. Vide apud ipsum.

32 Tertiò, Docuit impiorum hominum animas post mortem conuerti in dæmones; &, vt addit Prateolus ibidem, in quaecunque animalia bruta suis meritis congrua. Primum afferunt etiam Sanctus Augustinus haeref. 86. & Alfonsus à Castro verbo anima, haeref 6.

33 Quartò, Transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas Nuptias contra

contra Apostolicam Doctrinam, tanquam stupra damnare, edidit ipse pro huius erroris defensione librum peculiarem, qui inscribitur, de Monogamia; eum, vt ait D. Hieronymus in Epistola ad Titum cap. 1. Apostolo contraire, nemo, qui Apostolum legerit, ignorabit. Ita ijdem Sanctus Augustinus loco citato, & Alphōsus à Castro verb. Nuptiæ hæres. 2.

34 Quinto, Tertullianistæ ita stricte pro saluatione animę acquirenda abstinendum à peccatis censuerunt, vt omnino respuerent eos, qui semel peccassent, absque spe acquisitionis eius, quantamcumque pœnitentiam agerent. Ita Baronius anno 216. & Gaulterius citatus.

35 Sexto, Tertullianus nullum iudicauit Baptismum quemuis extra veram Ecclesiam collatū, vt testantur ijdem Baronius num. 5. & Gualterius, qui de eo sic concludit. [Tertullianus, inquit, in ipso suæ discessionis initio Montanum, quem Paracletum ducebat, sequutus est. At superbia Hæreticorum ascendente semper, iuxta 36 Psal. 73. Montani Sectam repudiauit, vt sibi seorsum nouam conderet.] Ita ille ex D. August. hęret. 86. & ea relato Baronio num. 18.

37 Occasione autem sumpta ex dicto errore Tertulliani de nullitate Baptismi extra veram Ecclesiam collati Agrippinus Carthaginensis ante Sanctum Cyprianum Episcopum contra communem Sanctorum Patrum, ac totius Ecclesiæ veram doctrinam de Fide certam tenuit rebaptizandos illos, qui ab hæreticis baptizati fuissent. Vnde ab eo orta Secta Agrippinianistarum, seu rebaptizantium. Et quan-38 uis postea Sanctus Cyprianus secutus sit eundem errorem; hic tamen in eo non fuit formalis, sed tantum materialis sine pertinacia, quia id bono Zelo impulsus defendebat, suum iudicium sententię ab Ecclesia ferēdæ semper subjiciens, sicut, & reuera suam tandem opinionē abiecit, teste D. Augustino in Epistola sua 48. 39 quę est ad Vincentium. Circa prædictam Sectam vide eundem Sanctum Augustinum lib. 2. de Baptis. contra Donatum cap. 78. & 79. Prateolum verbo Agrippiniani, & Baronium ann. 217 num. 1. & sequitur.

40 Tandem extitit Secta Arabicorum tenentiū animam cum corpore simul interire, atque vtrunque in die Iudicij reuicturum; sic appellati sunt Arabici, quia in Arabia viguerunt tempore Seueri Imperatoris, & Zephirini Papae, circa annum 207. Quis nam autem fuerit istorū Institutor, seu vnde huius Sectæ origo prorsus 41 ignoratur. Illud tamen certum, durasse eam per parum temporis: nam ab Origene sufficiēter de tali errore publice cōuincti, illum deposuerunt. Tradunt Sanctus Augustinus hæres. 83 Eusebius lib. 6. cap. 30. Nicephorus lib. 5. c. 23. & Prateolus verb. Arabici; atque hæc sint satis.

Quid de Origenistis, & Originianis? duplex ne istarum Secta à duplici Origeni? Quid item de Secta Valesiorum?

REGVLA CCXXIX.

42 Origenes dictus Adamantius Patria Alexandrinus, religione Catholicus iam à prima ætate in omni virtutum, & sciētiarum genere adeo excelluit, vt adhuc adolescentulus desiderio Martyrij flagrauerit. Commentaria egregia præcipue in Cantica Canticorum ediderit. Contra hæreticos, & verbis, & scriptis disputauerit, multosque ipsorum conuerterit. 43 Post idem in varios errores fidei cōtrarios declinauit, & Auctor Sectæ Origenistarum exti-44 tit. Probabile est duos fuisse Origenes, vnumquemque diuersę Sectæ Institutorem: probabilius tamen vtramq; diuersimode ab vno solo 45 dimanasse. Ex facto autem Origenis castrandi se sumpta occasio instituendi Sectam Valesiorum.

46 Evsebius Cæsariensis lib. 6. cap. 1. & Nicephorus Callistus lib. 5. cap. 2. de rebus Origenis Adamantij prę ceteris Scriptoribus antiquis, ex professo agunt, eius vitam complete contexentes. Ex his plura refert Cardinalis Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis. Nos per pauca ex isto, & ex illis, ac ex alijs delibabimus; pro aliquali expressione eorum, quæ in Regula leuiter attinguntur circa statum illius, antequam in errores contra fidem incideret.

47 De præstantia eius eximia in virtutibus constat manifestè facta argumentatione à maiori ad minus, nempe à Charitate ad reliquos: fertur enim ille adhuc in adolescentula ætate flagrasse ardentissimo martyrij desiderio, qui est præstantissimus amoris Dei actus, nec defuit ex parte ipsius tunc, vigente persecutione Christianorum, quin illud subiret, cum prope se vltro offerret periculis, & alacri, & propenso studio in certamen insiliret irrueretque. Ac iā parum aberat quin per Martyrium vitam desereret, nisi mater, diuina quadam prouidentia quæ eum ad maximam plurimorum vtilitatem incolumem seruabat, ipsius cupiditati obstitisset; Ita cum citato Fasesio, Baronio, ad an-48 num Domini 204. nu. 9. Qui num. 8. cum eodē Eusebio affert, quod ipse adolescentulus Origenes ad patrem suum Leonidem in carcerem iam coniectum scripserit Epistolam, eum hortās ad subeundum fortiter, & constantissime martyrium, vti subijt pro Christi confessione paulo post abscisso capite.

49 Quoad excellentiam vero Origenis maximā in quibus scientijs, præcipuè in Sacris Diuinarum Scripturarum, inde clare innotescit, quod in adolescentula adhuc ætate interpretationem in Cantica Canticorum ediderit, quamquam postea maturioris ætatis factus emendatam, & pluribus auctam in lucem protulit, vt ex D. Hieron. in pręfat. Comment. subdit eam valde laudante, affert Baronius anno 208. num. 3.

50 Refert item idem Baronius num. 3. anno 205. ex Eusebio in Chronico, Origenem decem & octo annos natum Alexandriæ publicè profiteri recepisse diuinas litteras, atque adeò feliciter, vt cõplures ex suis discipulis promoue-
51 rit ad martyrium. Illud vero præcipuè indicat quantæ fuerit ipse eruditionis, & quam excellentis doctrinæ; quod Magistro suo erudi-
52 tissimo Clementi, Stomateos sit dictus, iste teste Cassiodoro in præfat. lib. de instit. diuin. lection. quia octo insignes libros stromatum luculentissime scripsit) adhuc adolescens 18. annorũ supradicta professione diuinarum litterarum immediatè successit, vt testantur Diuus Hieronymus in epist. 63.

53 Quid quod idem Origenes, vt ad rem nostram propiùs accedamus non solum Ambrosium Marcionitam Valentini erroribus infectum, & alios complures hæreticos à dictis erroribus, & hæresibus ad lumen veræ fidei reduxit; Sed non pauços etiam Philosophos Ethnicos, ipsi disputandi gratia appropinquãtes à densissimis Gentilismi, & Idololatriæ tene-
54 bris, eodem fidei lumine liberauit.. Atque tũ ex his, tum ex illis, nonnullos ad reportandam martyrij coronam, vti gloriosissimè reportarunt, præcipuè dictum Amprosium, Megethrium, Marcum, Drosorium, Valentem, Martinum, Eutropium Iudicem, & alios, non tam humana, quam diuina sapientia impulit, vt auctor est Eusebius lib. 6. cap. 14. & ex eo adducit Card. Baronius ad annum 220. nu. 8.

55 Sed heu misero Origeni, nequeo quin fleam, pro tremendo eius lapsu; talem, ac tantum virum à fide Catholica defecisse, & omnia ferè sua scripta, quam multis erroribus
56 deturpasse non desunt, qui talem deturpationem ab inimicis, seu æmulis hæreticis illius operibus iniectam volunt, aut diuersa ab hæreticis ipsis elaborata multis erroribus scatẽtia, sub nomine Origenis Adamantij fuisse in
57 lucem prodita. Neutrum tamen alij admittunt, sed vt magis commune, & certum tenent Origenem conuinci hæreticum, in hoc quæ clarè indinant Vincentius Lirinensis contra hæres. cap. 23. & D. Hieronymus clariùs reijciens ferè omnino illius excusationẽ Apolog. lib. 2. per sequentia verba apud Baronium ad annum 232. num. 10. ita cum eo sentientem.

58 Intelligimus, inquit, in hoc tantum dialogo ab Origene argui falsitatem hæreticorum, & non in cæteris lib. de quibus nunquam quęstio fuit. Alioqui si omnia, quæ hæretica sunt, non erunt Origenis, sed hæreticorum. (Omnes autem propemodum illius tomi his erroribus pleni sunt) nihil Origenis erit, sed eorum, quorum ignoramus vocabula. Hæc Hiero-
59 nymus, atque adeo sic Baronius idem confirmans, licet partim excusans. Verum enim vero, inquit, illud de Origene non prætermittimus, quod vtcumque res acciderit, cum neget eos à se dictos, vel scriptos errores (cõtentos intelligo ex mente D. Hieronymi in illo dialogo, de quo paulo ante) vt illud de saluandis dæmonijs, hæreticus dici non potuit, quantumlibet eius, & aliorum id genus prauorum dogmatum fuisset assertor. Satis nãque ea improbasse videri potuit, dum nõ modo non defendit, sed constanter sua negauit.

60 At in eo certe minus excusatione dignus esse videtur, quod cum sciret sua ab omnibus impugnari, retractatorium nullum ediderit Cõmentarium, cum ipsi tamen satis otij, & temporis superfuerit, vt ad omnes catholicæ fidei numeros cuncta, quæ à se scripta essent, attẽperaret. hactenus, ille.

61 Obligatio autem talem commentarium retractatorium edendi, eo magis Origenem adstringebat, quod non solum post mortem, sed etiam dum viueret, fuerit condemnatus, & excommunicatus, seu talis declaratus. Primo à Demetrio Episcopo Alexandrino, post ab Anastasio Papa, ac tandem à sexta Synodo Generalis, vt tradit idem Baronius ad annũ 257.
62 num. 40. Qui nu. 45. causas tanti lapsus sic exprimit. Quamobrem hic Origenes tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dũ ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, dum parui pendit antiquã Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum Magisteria contemnens, quędam scripturarum Capitula nouo more interpretatur, meruit, vt de se quoque, vt Ecclesię Dei, diceretur, si surrexit in medio tui propheta &c. Nõ audias verba Prophetæ illius &c. Ita Baronius.

63 Verùm iam in particulari præcipuos errores Origenis, & Origenistarum contra fidem exprimamus. Primo ipse admodum Iuuenis, priusquam artibus liberalibus operam dedisset, scripturas sacras peruolutare, ac sensus reconditos, & abstrusos, earum nimis curiosè inquirere cœpit, non contentus simplicibus, & communibus aliorum interpretum, adeo vt curiosis suis quæstionibus negotium patri facesseret. Quod ex Nicephoro lib. 5. cap. 2. referunt Prateolus lib. 13. verb. Origenes, & Baronius anno 204. nu. 10. ac anno 208. nu. 3.

64 Secundo. Errarunt Origenes, & Origenistę, quod inæqualitatem Trinitatis, Filij, & Spiritus sancti assignarint. (Hinc ille ab Epiphanio appellatus est fons, & origo Arrianorum) dicentes Filium Dei cum hominibus Sanctis cõparatum esse veritatem, cum Patre autem col-
65 latum esse mendacium. Ac propterea Filium non esse orandum cum Patre, nec e contra, Patrem cum Filio, quia hic non est auctor indulgendarum petitionum, sed supplicator. Ita D. Augustinus lib. de hæres. num. 43. & Theophilus Alexãdrinus Episcopus, in suo Paschali lib. 2. & cum vtroque Prateolus ibidem.

66 Tertio. Errando, seu blasphemando asseruerunt illi Christum Dominum per gratiam tantum, & adoptionem esse filium Dei contra communem Theologorum, id cum D. Thoma 3. par. quæst. 23. art. 4 annuentium assertionẽ, cũ D. Epiphanio Hæres. 64. tradit Gualterius ad annum 300 cap. 6.

67 Tribuerunt ijdem Filio Dei ignorantiam, affirmantes Filium non posse videre Patrem, neque Spiritum sanctum posse videre Filium.

Sanctus Epiphanius in lib. Periarchon, ipsius Origenis verba refert, nempe, sicut enim, inquit, incongruum est dicere, quod possit filius videre Patrem, sic inconsequens est opinari, quod Spiritus sanctus possit videre filiũ. Hactenus illius verba, quę sunt contra textũ Euangelicum. Matth 11. nemo nouit filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Ex quo loco licet videatur excludi Spiritus sanctus à cognitione Patris; hunc tamen per illum cognosci certissimum de fide est; nam iuxta receptum Axioma Theologicum, quæcunque essentialia, & absoluta in Deo, tribus personis Diuinis communia sunt. Præter Epiphanium citatum, adducunt Alfonsus à Castro verb Deus, hęres. 9. & Prateolus vbi supra.

68

69 Quinto. Alius error aliqualiter pręcedendi similis fuit illorum, quod nec Spiritus sanctus ab Angelis, nec Angeli ab hominibus videri possint. Ita cum D. Epiphanio, hęres. 46. Gualterius loco citato.

70 Sexto. Quamuis Origenistę tenuerint ex Patris essentia filium Dei fuisse inductum, ipsum tamen, sicut Spiritum sanctũ, creturam absolutè appellarunt. Cum eodem Epiphanio dicta hęresi 64. & in Anicephal. affert ibidem Gualterius.

71 Septimo. Teste eodem Sancto Epiphanio citato, confinxerunt illi animam hominis esse antiquiorem corpore, quin & quasuis animas humanas esse Angelos, seu Virtutes superiores, atque in peccatum lapsas, ac propterea in pœnam his corporibus, quasi carceribus fuisse inclusas, vt in his primum iudicium subeant.

72 Octauo. Vt ex D. Epiphanio refert Sãctus Augustinus lib. de hæres. tit. 43. negarunt Origenes, & eius sequaces mortuorum resurrectionem, quod videtur intelligendum de resurrectione perpetua, seu ad viuendum, & manendum in perpetuum, ac sit sibi ipsi contrarius, attento errore sequente.

90 Nono. Quem Theophilus Alexandrinus Episcopus lib. 2. sui paschalis Origeni impingit, nempe quod ipse docuerit corpora post resurrectionem futura iterum mortalia, & multis seculis transactis in nihilum redigenda. Ad-

74 ducit Prateolus verbo Origenes. Qui contrarietatem inter dictos duos errores reperiri iudicat, & alterum eorum necessario falsum; sed videtur iam à nobis sublata contrarietas.

75 Decimo. Tenuerunt Origenes, & eius asseclæ damnatorum pœnam non fore perpetuam, seu æternam; sed reproborum hominũ, ac dæmonum infernum cum temporali Purgatorio permutandum, eiusque expleto tempore, cunctos ad Regnum Dei peruenturos. Ita Diuus Augustinus d. num. 43. & Alphonsus à Castro verbo diabolus, hæres. 2. & verbo Infernus hæres. 2.

76 Vndecimo. Secundum D. Augustinum ibidem addiderũt ipsi Origenistę viceuersa, damnatos, qui sic liberati fuissent, in easdem rursus pœnas reituros, atque huiusmodi vicissitudinem beatitudinis, ac pœnarum semper in creaturis ratione præditis fuisse, semperque futuram, quid stultius, & magis contra fidem?

77 Decimo secundo. Docuit idem Origenes, vt tradunt Sanctus Epiphanius hæres. 63. & in Anacephal. Sanctus Augustinus de hęres. n. 43. & Sanctus Hieronymus epistola ad Pammach. contra errores Io: Hierosol. Paradisum, Cœlũ, & alia similia haud esse accipienda secundum litteram, sed figuratiue per tropos, & allegorias.

78 Decimo tertio. Errarunt prætere Origenistæ affirmando Regnum Christi Domini aliquando esse finiendum. Ita cum S. Epiphanio in Anaceph. refert Gualterius ad annum 300. capit. sexto.

79 Decimoquarto. Post hanc vitam mortalem quod nulla sit futura distinctio, sexus inter viros, & fœminas, apertè tenuit Origenes, vt testatur D. Hieronymus in citata epistola ad Pammach.

80 Decimoquinto. Ex D. Epiphanio hęres. 64. sic Gualterius citatus de Origene loquitur, pręseferens, inquit, Origenes omnium hæresem, quæ illum antecesserant, insectationem specialeque continentię studium; suis tamen temerarijs scripturæ sacræ interpretationibus in opiniones absurdissimas se se præcipitem egit, quibus (fere impudens) fundamenta iecit hæresis, & fœditatis præcedentibus, & enormioris, hæc ille.

81 Decimosexto. Inter scripturæ sacrę loca, quæ perperam, seu erronee interpretatus est Origenes, reponitur pręcipuè illud Matth. 19. vbi dicitur, sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum Cœlorum, quæ Christi Domini verba vri sonant, accipienda voluit, quod sint homines se ipsos carnaliter castraturi propter Regnum beatitudinis: ideo ille seipsum castrauit, aut ferro, vt iudicant diuersi Auctores, aut certè pharmaco, vt tenent alij, refert cum Eusebio lib. 6. cap. 7. Baronius anno 230. num. 4.

82 Ex hoc nimis imprudenti, temerario, & erroneo Origenis facto sic carnaliter seipsum castrandi originem duxit secta Valesiorum, siue Eunuchorum. Isti appellati Valesij à quodam Arabe, vocato Valesio, qui hanc sectam valdè promouit, & multos sequaces habuit. Itaque isti Valesij, siue Eunuchi non solum se castrabant, sed etiam hospites, & eos qui secum versabantur, ad idem factum castrandi se inducebant, atque hoc pacto teneri se seruire Deo affirmabant, prætexentes quædam suæ insaniæ loca scripturæ sacræ perperã acceptæ.

83 Vnde ipsi non audebant rebus animatis vesci priusquam se castrassent, ne in carnalis voluptatis cupiditatem inciderent. Vide circa hos Sanctum Ioannem Damascenum lib. de hęres. verb. Valesij, vbi ipsis tribuit, quod

84 essent dediti multis turpitudinibus. Item quod legem, ac Prophetas despicerent, ac pro nihilo haberent. Vide etiam Sãctum Epiphanium hęres. 58. ac prę cęteris Baronium anno 249.

85 Superest discutiendum breuiter id quod controuersum est aliquantulum inter Doctores

res fueriutnè duo Origenes, an vnus tantum? Fuisse duos, auctores duplicis sectæ, docent aliqui, præcipuè D. Damascenus de hæres. verb. Origenistæ, & D. Augustinus de hæres. num. 42. nempe Origenem Adamantium, hactenus indicatum auctorem prædictorum errorum, & alium quendam Origenem alterius Sectæ turpissimæ, ac nefandissimæ ducem, a quo eius sequaces Origeniani, seu Turpes appellati sunt. Quæ sententia saltem ob auctoritatem dictorum Sanctorum, probabilis est.

86 Nihilominus circa id dubitat Sanctus Epiphanius hæres. 63. & oppositum iudicat certum Baronius anno 256. num. 17. Mihi saltem probabilius, quòd vnus tantùm fuerit Origenes, nimirum Adamantius, & quòd sub huius nomine, ad auctorizandum nouam Sectam omnium turpitudinum, & nefandorum scelerum, Gnostici quidam instituerint; sicut sub nomine Nicolai similem ab alijs Gnosticis fuisse propagatam supra vidimus. 87 Isti Origeniani, seu Turpes, generationem impediebant, vt Onan erga Thamar. Gen. 38. Item ipsi, licet 88 valdè spurci, & flagitiosi essent, casti nihilominus videri volebant. Vtrumque docet ibidem S. Epiphanius. Ex erroribus itaque supradictis constitit propria Secta Origenis Adamātij viri prius omnibus virtutibus, & scientijs in summo gradu præditi, postea verò horren-89 dis hæresibus deprauati. Dequo sic concludit *Card. Baronius* anno 246. nu. 46. cum Cassiodoro de instit. diuin. lect. & Nos cum vtroque concludamus præsentem regulam, quòd, Vbi benè, nemo melius; vbi malè, nemo peius.

Secta Elcesaitarum, seu Sampsæorum, & Metangismonitarum, qualiter originem sumpsere?

REGVLA CCXXX.

90 HAec posterior Metangismonitarum circa annum Domini 220. sub Pontificatu Vrbani Papæ, & sub regimine Heliogabali Imperatoris prodijt: eius Auctor prorsus ignoratur; quiquis tamen fuerit, & ipse & eius Asseclæ turpissime errarunt, quòd filium Dei esse 91 minorem Patre defenderint. Verum turpior multo fuit error Sampsæorum, expresse affirmantium ipsum Dei filium esse meram creaturam. Istorum Secta ad annum Domini 249. non tàm incepta, quàm per quendam, qui eisdem Sampsæis nomen dedit, instaurata censetur; Cum iam prius initio secundi sæculi sub nomine Elcesaitarum extitisset.

---

92 OMnes breuissime tractant de Secta Metangismonitarum Sanctus Philastrius lib. de hæres. Sanctus Augustinus lib. de hæres. num. 58. Prateolus verbo Metangismonitæ, Alfonsus à Castro, verb. Deus, hæres. 6. & alij qui concordes sunt circa ista duo. Primo, quòd 93 nesciatur omnino, quis nam eam instituerit. Secundò, quòd ad vnā tantum hæresim se extenderit, nempe tenuisse istos, vt nomen ipsum Metangismonistarum sonat, attenta eius compositione ex Græco *Aggeion*; idest, Vas, Filium Dei in Patre esse, sicut vas minus in vas maius ingreditur, & continetur intra illud; ac consequenter Patrem esse maiorem Filio; con-94 tra id, quod de fide certum habemus in Symbolo Sancti Athanasij: In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sunt, & coæquales. Atque hæc de secta ista Metangismonistarum.

95 Plura circa alteram Sampsæorum adducunt ijdem Doctores Baronius, & Prateolus verb. Helchesaitæ; discordant, vt solent, in circumstantia temporis non minus quam per decennium. Nam hic huiusmodi Sectam in anno 179. reponit: Ille verò, cui adhęremus, in 249. suorum Annalium Ecclesiasticorum. Atque 96 ibi num. 8. cum D. Epiphanio hęres. 53 cum D. Philastrio lib. de hæres. cap. 82. & D. Augustino de hæres. num. 32. agit ex professo de ea, & tradit id, quod in Regula dicimus, nimirum fuisse tunc talem sectam Sampsæorum de nouo non institutam, sed instauratam à quodam Sampsæo, qui ipsis nomen indidit, & qui se insolenter offerret Elcesaitarum dogma se posse defendere. Contra quem à Conuentu Episcoporū non exiguo electus, & rogatus fuit Origenes, vt disputationem susciperet, ac ipsum conuinceret; vti suscepit, et conuicit, 97 teste eodem Baronio. Dicti autem Sampsæi, qui perstiterunt in instauratione huius Sectę, vocati sunt etiam Elcesaitæ, seu per adspirationes, vt vult Prateolus vbi supra Helchesaitę, accepto nomine ex Eleo, vt ex Græco affert S. Epiphanius hæres. 19. Elxeo aut Elxai, qui cum fratre suo Iexeo institutor fuit multo ante huius diabolicæ Sectæ, vt tradit ipse Baronius anno Domini 105. & nos cum ipso, & alijs tradidimus initio secundi seculi, cap. 6. Regula 218.

98 Sed quid iam de erroribus in particulari talis Sectæ renouatæ?

Primò, vt expressum in Regula, Sampsæi, nimis impuro, & blasphemo ore protulerunt filium Dei esse puram creaturam, Ita ex Epiphanio hæres. 53. Gualterius seculo tertio, cap. 9. n. 7.

Secūdò, error fuit Elcesaitarum in eo, quod duos statuerint Christos. Vnum quidem sursum, 99 & alterum deorsum: huncque in multis prius post verò etiam in Iesu Mariæ Filio inhabitasse asserebant. Quod postremum erroneum dogma ad doctrinam falsam, alibi à nobis adductam, de transmigratione animarum alludere videtur, ita idem Gualterius ex Nicephoro, lib. 5. cap. 24.

100 Tertiò, vt testatur S. Epiphanius hæres. 538. errarunt Elcesaitæ in eo quòd tenuerint Christum primum quidem formatum esse in corpus Adam, & rursus induere, quando vult. verba sunt ipsius Epiphanij.

101 Quartò, Cum summa instabilitate, & manifesto spiritus contradictionis affectu circa Christum Dominum Sampsæi se gesserunt, nūc con-

ceonfintes, nunc negantes eum à Deo exiuisse, & ex Beatissima Virgine Maria natum esse, ex eodem Nicephoro ibidem Gualterius.

102 Quinto, Cõtra Spiritum sanctum pari modo ausi sunt Elcesaitæ blasphemias hæreticales proferre, dum vocabant ipsum sororem Christi fœminea figura præditam. Ita eisdem verbis Epiphanius citatus, & cum eo idem Gualterius.

103 Sexto, Idem similiter tam de Christo, quam de Spiritu sancto, errando nugati sunt, quod vnusquisque ipsorum altitudinem nonaginta sex milliarium, & latitudinem viginti quatuor habeat, adiunctis alijs multis huiusmodi deliramentis. Affert idem Epiphanius dicta hæresi 13.

104 Septimo, Secta Elchesaitarum sequaces rẽ iudicarunt indifferentem, & absque vlla culpa posse fieri, negare scilicet fidem tempore persecutionis, aut vrgentis necessitatis, dummodo quis eam mente retineret. Ita Eusebius lib. 6. cap. 31.

105 Octauo, Nimis se extollebant Sampsæi iactando, quod per Astrologiam iudiciariam multa diuinare solerent. Tradit Nicephorus lib. 5, cap. 24.

106 Nono, Elchesaitæ librum quendam à Cœlo, vt inter ipsos dicebatur, acceptum circumferebant, cuius verba quicunque audiret, remissionem peccatorum dissimilem ab ea, quæ per Christum fit, facile assequeretur. Idem Nicephorus loco citato, & Prateolus in suo Elencho verb. Elchesaitæ.

107 Decimo, Secundum eundem Nicephorum, & Gualterium dict. cap. 9. vt prædictum suum librum pretensum cælestem, magis venalem proponerent, veras scripturas sacras truncabant, & Sancti Pauli epistolas, immo alia ex Prophetis, & ex Apostolis reijciebant, vt auctor est Sanctus Epiphanius d. hæres 53. & cũ eo Nicephorus ibidem.

108 Vndecimo, Valde celebre fuit in hac secta Elcesaitarum, quod isti duas fœminas, quarum nomina fuerunt Maiolus, & Macdana, ex genere Elxei Pseudoprophetæ oriundas vti Deas adorarent. Ex eis altera tempore Sancti Epiphanij adhuc viuebat, vnde ipse non sine magno fundamento de eorum hoc errore loquitur dict. num. 53. & in anaceph. cuius etiam meminit Sanctus Augustinus lib. de hæresibus num. 32.

109 Duodecimo, Tandem tribuitur à Nicephoro lib. 5, cap. 24. ex iisdem Sampsæis, quod inuocationibus, & incantamentis Demonum veteretur. Vnde sine dubio diuersa contra fidem Diuinam exequebãtur, Atque ex prædictis satis explicata manet secta Sampsæorum cum erroribus suis.

Quid de Nouatianis, seu Catharis Nouati, & Nouatiani sequacibus? Quid item de Hydroparastitis, seu Aquarijs.

REGVLA CCXXXI.

110 SEcta Nouatianorum admodum celebris fuit, ob auctorem eius duplicem, Nouatum scilicet, & Nouatianum, vtrumque veteratorem, & Ecclesiæ Catholicæ infensissimũ hostem. Nam ille priùs in Africa, vnde oriundus, cum ad gradum Episcopatus ascendisset, vt Fœlicissimi cuiusdam, qui iuberat Sanctus Cyprianus, partes defenderet; vna cum alijs multis illi tanto Presuli in diuersis se opposuit, ac ibi horrendum, & inextinguibile schisma excitatũ à dicto Fœlicissimo pro-
111 pagauit. Post, Romam veniens, & Nouatiano in ea noto se coniungens, hunc ad summam Papæ dignitatem promouere curauit, qui promotus Antipapa extitit, horribiliori in tota Ecclesia excitato schismate contra Cornelium, prius ad eam legitimè electum, sub prætextu quod iste ad pœnitentiam malè admisisset eos, qui tempore persecutionis à fide idololatrando defecissent, dum ipsos
112 non posse admitti, illi erroneè docerent; sicque ex hoc, & ex alijs erroribus, Nouatianorum secta ab vtroque fundata mansit. Sectę autem Aquariorum sola aqua in consecratione calicis vtentium, quisnam inuentor, auctorue fuerit, non constat.

113 PRo explicanda faciliùs doctrina huius Regulæ, præmittendum Primo id quod opportunè notat Baronius anno 254. vbi de rebus Nouati, & Nouatiani copiosissimè tractat: nimirum ex similitudine nominum prouenisse, vt aliqui ex antiquis scriptoribus alterum pro altero aliquando susceperint, & quod istius est proprium, illi inconsideratè tribuerint. Vide peculiares casus apud ipsum
114 Baronium num. 62 dicti anni. Quanquam benè addit, interdum id errore librariorum factum, vt patet apud Eusebium, quia cum in eius Chronico rectè distinguãtur, in historia tamen ipsius confunduntur, & gradus Presbyteri, quem priùs tantùm habebat Nouatianus, tribuitur Nouato, qui iam erat Episcopus.

115 Est etiam secundo præmittendum cum eodem Baronio ibidem, tametsi Nouati à Nouatiano, vt principaliori denominati fuerint, vt videre est apud Diuum Cyprianũ epist. 73. vbi ad maiorem distinctionem vtitur vocabulo Nouatianenses; vsu tamen iam diù receptum esse, vt eiusdem schismatis & hæreseos tam à Nouatiano, quàm à Nouato excitati, æque ab omnibus Nouatiani appellentur.

116 His sic pro euitanda æquiuocatione circa nomina præmissis: iam quod ad rem ipsam, seu historiam in regula indicatam attinet, ex

Diuo

Diuo Cypriano, & ex alijs cum citato Baronio breuissimè attingo. Qui à numero trigesimo secundo ex epist. 40. illius sic ad nostrum

117 institutum prosequitur. Quod Fœlicissimus Presbyter Africanus cum electioni Cypriani ad Episcopatum magnopere aduersatus fuisset, & post eam fœliciter absolutam, ille, & alij ecclesiasticam disciplinam cum fide, & quiete iuxta præcepta Dominica, minime continentes, à S. Cypriano merito corriperentur, ob hanc correptionem, etsi leuem pro quantitate delictorum, turbas vndique contra suũ Episcopum diu cientes, ab eius obedientia tandem se exemerint, excitato schismate, & arrepta fuga ad montes. In eo autem excitando, cum Fœlicissimus cæteris præstitisset, ideo ab omnibus primus eius auctor assigna-

118 tur. Sed postea Nouatus Episcopus ei adhærens, seu defensionis ipsius partes contra Cyprianum suscipiens, adeo idem schisma propagauit, vt Fęlicissimi nomine velut obscurato, schismaticæ factionis antesignanus ab omnibus haberetur. Hæc decerpta à nobis ex Baronio, qui num. 38. de dicto schismate profert sequentia verba.

119 Hinc cœpta, inquit, omnium malorum origo: conflatum enim hoc tempore schisma in Ecclesia Africana, tam altas fixit radices, vt nec multis seculis valuerit quouis studio, atq;

120 arte conuelli. Quin sæpe ramis excissis ex veteri trunco nouis germinibus pullulatibus, in dies magis magisque infęlicius fuerit propagatum. Vides hinc Montensium schismaticorum primam originem, ac nominis primum ortum, nempe à Fęlicissimo, qui colligere cœpit suos in montibus, eisque esse nominis prima hic elementa formata: quod & illi sunt æmulati, qui postea ex Donati schismate, temporibus Constantini, ac filiorum, Montenses sunt appellati, quòd sicut isti in montibus de-

121 legerint habitare.] Hæc ille, & statim addit. Ex hac, inquit, pariter Fęlicissimi infęlicissima officina impius Nouatus primus auctor malorum prodijt, qui eandem dissensionis pestem in Vrbem inuexit.]

122 De hoc prout in Regula immediatè, ac opposite sequitur agedum, omissis pluribus, quæ videas apud Baronium dicto anno 254. ex S. Cypriano epist. 49. pro maiori cognitione status, conditionis, ac qualitatis prædicti Nouati, vt quod certò fuerit Episcopus, sed ignoratur omninò cuiusnam diœcesis: quòd fuerit rerum nouarum, cupidus, auarus, rapacitate inexplebili, furibundus, stupore superbi tumoris inflatus, fax, & ignis ad conflanda seditionis incendia, curiosus semper, vt prodat; ad hoc adulator, vt fallat, nunquam fidelis, vt diligat, ac reliquis, quibus ibi graphicè depingitur Nouatus.

123 Mortuo Decio Imperatore, crudelissimo Christianorum carnifice, & pace aliquantulum restituta Ecclesiæ, (quæ diu post gloriosissimum martyrium Fabiani Papæ, viduata manserat, nempe per quinque menses, ac dimidium, secundum Chronologiam Panuinij, & non per biennium, vt absque fundamento, teste Baronio relato volunt aliqui) actum est Romæ inter habentes ius suffragij de eligendo aliquo ad supremam dignitatem Pontificiam; quam licet Nouatianus, Romanus Presbyter vehementer ambiret, maior tamen pars suffragiorum in Cornelium Presbyterum similiter Romanum, hominem dignum, & nequaquam illius ambitiosum, li-

124 benter statim inclinauit. De qua electione audiens Nouatus in Africa, & quòd iam à Diuo Cypriano, & à reliquis ipsius factionis approbaretur, illico ad Vrbem conuolauit, ibique vafro homini Nouatiano se coniungens omnem lapidem mouit, vt hunc ad summum Pontificatum promoueret, vbi breui tempore fuit non sine fraudibus promotus, seditque vt Antipapa contra Cornelium, qui adhuc vt verus Pastor à contraria factione agnosceba-

126 tur. En monstrum horrendissimum in tota Ecclesia Catholica. En primum schisma ob supremam eius dignitatem Pontificiam à Nouatiano, & Nouato cum maximo Christi fidelium scandalo excitatum. En origo nouæ hæreseos Sectæ Nouatianorum perniciosissimæ dicto anno 214 pluribus numeris, apud quem videas.

127 Nobis superest, antequam huius sectæ peculiares exprimamus errores, vnum adijcere verbum de prætextu, sub quo ausi sunt Nouatus, & Nouatianus Cornelio obsistere. Circa hoc egregiè ipse Baronius num. 66. per

128 sequentia verba. Illud in primis, inquit, de Nouato, eiusque gregalibus præmittendum, quod peculiare omnium hæreticorum, atque schismaticorum semper fuit, nunquam perstare in eadem sententia, sed pro loco, & tempore nouas induere formas, & contrarias ab ijs, quæ antea egissent, noua emergente occa-

129 sione statuere. Qui enim in Africa, (vt vidimus) lapsos aduersus Cyprianum concitabant, quòd non reciperentur in Ecclesiam, sed ex decretis Ecclesiasticis promulgatis iuberentur, pacis tempora expectare, & interim admissa deflere, hacque eadem de causa eosdem lapsos schismate ab ea separare conati essent, modò mutata facie negotium facessunt Cornelio, qui fratrum suorum consilio pœnitentes lapsos reciperet in Ecclesiam; sicque qui olim durę nimis austeritatis redarguebant Episcopos, modò facilitatis nimiæ incusant Cornelium Romanum Pontificem, calumnias addentes, eumdemque eiusdem cum illis Apostasiæ criminis participem mentientes] Hactenus ille.

130 Sententia itaque primo erronea Nouati, & Nouatiani fuit, lapsos in Idololatriam tempore persecutionis, immo in quoduis mortale (sic extendit Prateolus verbo Nouatiani ex Diuo Cypriano per ipsum citato) non esse recipiendos in Ecclesiam, nec medicamento pœnitentiæ saluari posse; sed absque spe salutis vti præscitos relinquendos. Atque in hac præcipue hæresi Nouatianorum secta

131 fundatur. Cuius auctorem, quamuis Prateolus ibi solum Nouatum diminutè assignet, vocans etiam male ipsum Romanæ Ecclesiæ Pre-

Presbyterum, ex æquiuocatione sine dubio similitudinis nominum, de quo iam supra; Gualterius tamen cap. 11. ad annum 300. bene ait sectam Nouatianorum partim à Nouato Antipapa, partim à Nouato Episcopo originem ducere, cum vtrique fuerit com-
132 munis error prędictus. Pro cuius completa refutatione eruditos scripsit libros Sanctus Ambrosius Ecclesię Doctor de pœnitentia lapsorum contra Nouatianum.

133 Secundo, Fuit error Nouatiani, quod baptismum suscipere distulerit, quousque in lecto iaceret ægrotus, qua dilatione occasionem præbuit dubitandi ficto nè animo ba-
134 ptismum susciperet. Neque in tali eius susceptione adhibitæ fuerunt cærimoniæ per sanctos Ecclesiæ Canones iniunctæ: ex quo etiam dicta dubitatio augmētum sumpsit. Ita Eusebius lib. 6. cap. 35. & Baronius anno 254.
135 num. 71. 72. & 106. Qui ibidem addunt non fuisse Nouatianum sanctæ confirmationis sigillo consignatum ad accipiendum Spiritum sanctum.

136 Tertio, Secundum Diuum Epiphanium hæres. 59. Nouatiani in fide ad Arianismum, de quo infra, inclinarunt, atque secundum Diuum Cyprianum apud Baronium dicto anno 254. num. 140. doctrinam Stoicorum in Ecclesia spargere curauit Nouatianus, ac peculiariter suis asseclis suadere, quæcunque peccata, aut crimina esse æqualia, & consequenter eiusdem pœnæ condigna.

137 Quarto, Tum pro damnandis, & prohibendis secundis nuptijs, tum pro intercludendo penitus lapsis in peccata post baptismum pœnitentiæ aditu, Montanistas, & Tertullianistas, Nouatianus, & gregales eius secuti sunt. Affert primum cum Alfonso a Castro verb nuptiæ, hęres. 2. & secundum cum S. Epiphanio ibidem, ac cum Sancto Augustino de hęres. nu. 38 Baronius dicto anno 254. num. 14. & 107.

138 Quinto, Ad talem effectum intercludendi aditum pœnitentiæ lapsis, Nouitiani Symbolū Apostolorum mutilarunt, negantes remissionem peccatorum, & Claues Regni cœlestis in Ecclesia reperiri. Ita idem Baronius dicto anno num. 107.

139 Sexto, Circa baptismum dupliciter errarunt Nouatiani. Primo, quòd ipsum iterare solerent in locum pœnitentiæ à se exclusæ: tradit Baronius anno 258. num. 21. & ex Diuo Cypriano epist. ad Iubaianum. Secundo quod rebaptizarent illos, qui in Ecclesia no-
140 stra baptismum suscepissent, iudicando non fuisse ritè, & validè susceptum: idem Baronius anno 254. num. 106. & anno 258. nu-
141 mer. 21. Hinc forte secutum quod vnus ex sequacibus Nouatiani, nimis impudenter, S. Petrum fuisse baptizatum pernegauerit, teste D. Augustino epist. 108. quo cum Baronius dicto anno num. 106.

142 Septimo, Nouatiani nominari voluerunt Cathari, idest, mundi, seu puri, & suam munditiam, siue puritatem prætensam ea maiorem affirmabant, quam docuerunt Apostoli,
143 Hinc illi candidis sese vestibus induebant, vt quales se prædicabant, tales exterius apparerent. Tradit Baronius anno 254. nu. 100. & 107. cum Diuo Augustino lib. de Agon.
144 Christ. cap. 31. Vbi sic ait: Super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores, quia nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quam mundos vocarēt. Hæc ille.

145 Octauo, Nouatianus in communione suos vi inducebat ad iuramentum promissorium, quod nunquam se ipsum desererent, ac nunquam ad Cornelium Papam redirent. Affert Baronius dicto anno 254. numer. 75. & ex eo Gualterius vbi supra.

146 Nono, Nouatiani tandem Antipapæ sequaces, ducem suum Martyris nomine, vt valdè honorifico appellabant, vtvt à Concilio Romano vna cum omnibus illis excommunicatum. De qua excommunicatione Eusebius libro 6. cap. 35. & Baronius anno 255. nu. 2. ac de appellatione Martyris, anno 261. num. 50.

147 Adiungo ad calcem præsentis Regulæ, sectam Hydroparastitarum, seu Aquariorum, quia pauca admodum circa eam dicenda occurrunt, haud sufficientia ad peculiarem regulam dimidiatam, ne dum completam. Vocati sic isti Hydroparastitę, seu Aquarij, eo quod in consecratione Calicis, solam aquam adhiberent: & hoc tantum grauissimo errore eorum secta fundabatur, quę instituta fuit, seu potius instaurata circa annū Domini 257.
148 Dixi, seu potius instaurata, quia error iste consecrationis Calicis cum ista aqua, iam multo ante apud Enereticas viguerat, vt vidimus suo loco. Talis autem nouę institutio-
149 nis, seu instaurationis prędicti vsus adhibendi solam aquam in consecratione Calicis quisnam fuerit primus auctor, prorsus ignoratur: legendi circa dicta de ista secta Prateolus verb. Aquarij, Baronius anno 257. & Gualterius cap. 12. sect. 3.

Secta Noetianorum, seu Sabellianorum, Paulianistarum, & Millenariorum qualiter se habent.

REGVLA CCXXXII.

150 NOetianorum Sectam, quę blasphemo ore diuersitatem Personarū in Deo negauit, Noeta vir impius circa annum Domini 260. instituit. Sabellius vero inter discipulos eius impietate excellentior ipsam auxit, ac valde propagauit, Hincq; eius asseclę Sabel-
151 liani vocati. At non multo post eundem errorem negandi distinctionem Personarū Trinitatis, sed diuerso modo indicando, tenuit Paulus Samosatenus, homo vafer, Episcopus Antiochen. & adiunctis alijs heresibus sectæ
152 Paulinistarum auctor extitit. Circa idem ferè tempus prodijt secta Chiliastarum, seu Millenariorum, ponentium post resurrectionem, Regni Christi cum Sanctis, mille annos in

in voluptatibus corporis: quam priùs extinctam, denuò tunc Nipos Episcopus Aegypti Coracita, Apollinaris Laodicenus, & alii postea excitarunt.

---

153 PAuca admodũ de hæresiarca Noeto tradunt Scriptores, & ex his in aliquibus concordant. Sunt concordes in natione, quod fuerit Asianus; discordes tamen in Patria: Nam S.Epiphanius hęres. 57. eum Ephesium facit; Sanctus Theodor.lib.hęret.fabul.Smyr- 154 nensem. Item Epiphanius, & alij communiter tradunt, quòd Noetus ad maiorem fastum, & amentiam elatus, seipsum affirmauerit esse Moysem, & fratrem suum Aaron. Discrepat tamen in eo Sanctus Philastrius à D. Epiphanio, quod Noetũ fratrem non Aaron sed Eliusa ab eo fuisse dictum asserat.

155 Præterea, Idem Sanctus Epiphanius, (vt iam enormissimum Noeti errorem exprimamus) de eo agens testatur, neminem ante Noetum dicere ausum, Patrem esse passum. Verum meritò ab hac sententia Epiphanij recedendum, benè ait Baronius anno 260.n.63. quia diu ante Patripassionorum hęresis emerserat, & à D.Cypriano epist.73.atque à Tertulliano de Præscript cap. vltimo, & contra Praxeã, cap.1.ipsi Praxeæ, & Hermogeni antiquioribus Hæresiarchis, vt vidimus capite prace- 156 dente secundi seculi, tribuitur. Qui cum tres personas Sanctissimę Trinitatis confunderent, seu Christum Dominum eamdem esse personam, quam Patrem, & Spiritum sanctum asseuerarent, inde erronee inferebant Patrem pro humano Genere hypostaticè vnitum, natum, ac passum. Noetus itaque sentiens idem prorsus, quod illi senserunt, non nouæ Patripassionorum Sectæ, sed priùs extinctæ de nouo, excitatæ Auctor censetur. Vide Prateolum verbo Noetitæ, & verbo Patropassiani, & Gualterium in tertio seculo, cap.13.pag.240.

157 Sequitur agendum de Sabellio, quòd hic fuerit ex Ptolemaide Libyæ oriũdus, & Noeti excellens, ac peruersissimus discipulus, prædictique erroris negandi distinctionem Personarum in Deo non auctor, sed maximus propagator, adeo vt Magistrum suum superauerit, ac nouis erroribus additis nomẽ hæresiarchę acquisierit, atque eius sequaces vocati sunt Sabelliani, docet ex alijs præcipuè ex D. Epiphanio de hęresi, cap. 53. & Eusebio lib. 7. cap.5. Baronius dict. anno. 260. à num.2. Cuius pauca accipe verba, quibus per ipsum nu.67. pręcipua ad Sabellium spectantia egregie exprimuntur.

158 Ex dictis, inquit, Noeti discipulis, qui impietate reliquos excelluit, Sabellius ex Ptolemaide Libyę oriundus. Factus hic potentissimus impij dogmatis propugnator, multos sibi Sectarios citò coniunxit, vsque adeo, vt non Ptolemaide tantum, aliisque proximis locis impiam hæresim proposuerit, sed longius in Macedoniam quoque diffuderit, immò, & in Vrbem se quoque furtim immiserit. Porrò 159 hi (eo quod non possunt diuinis Scripturis mẽdacia omni ex parte fulcire) Aegyptiorum pseudoeuangelio, & alijs apocryphis libris vtebantur, vt de illis scribens Epiphanius hæ- 160 res.62.tradit. Miratur Sanctus Augustinus de hęres. num.41.cum ijdem esse videantur Noetiani, & Sabelliani, cur tam Epiphanius, quàm Philastrius eos ab inuicẽ distinctos posuerint. Planè accidit sępe, vnius hæresis diuersa solere esse nomina: quod de Mõtanistis, Donatistis, Pelagianistis, & alijs euenisse idem tradit] Hęc Baronius: ex quibus apparet predictum errorem negandi diuersitatem personarum in Trinitate communem fuisse Noeto, & Sabellio, peculiariter tamen de isto, vt sequitur.

161 Secundò, Errauit Sabellius, quòd Christum Saluatorem nequaquam esse Patris antiqui filium, & primogenitum omnis creaturæ blasphemo ore asseruerit. Ex Dionysio Episcopo Alexãdrino in epistola ad Sixtum Romanum Pontificem affert Eusebius lib.7. cap.5. & ex vtroque Baronius anno 260. num.61.

162 Tertio, Sabellius, & Sabelliani Spiritum sanctum intellectu, & cognitione carentẽ affirmarunt. De quo errore fit mentio in epist. Dionysij Episcopi Alexandrini, teste Baronio ibidem, & meminit Prateolus verbo, Sabellius.

163 Quarto, Sabelliani, vt tradit Gualterius cap.13. seculi tertij ex D. Basilio epistola 63. Catholicos eo, inter alia, damnabant, quod multi eorum Monachi fierent. Atq; hactenus de erroribus Sabellianorum.

164 Quid iam circa sectam Paulianistarum, in primo præcedentis errore aliqualiter ei consimilem, ideoque ipsi hic coniunctam? eo tempore, nempe circa annum Domini 265. quasi monstrum horrendissimum, seu quasi pestis perniciosissima gregi Christiano, (multo perniciosior illa, quæ teste Baronio citando, corporaliter tunc vniuersum pene depasta Orbem periodo decennali præcesserat.) Prodijt Paulus Samosatenus, natione Syrus, multum arrogans, & nullatenus prope sapiens, vt tradit Prateolus verbo Pau- 165 lus Samosatenus. Non indicatur à Scriptoribus, quod inuenire potuerim, quanam via hic sceleratissimus homo ad sublimem gradum Episcopatus Antiocheni ascenderit (nisi forte fauore Zenobiæ, cui Persæ victis Romanis Syriæ regimen tradiderant.) Expri- 166 mitur tamen copiosè, & eruditè à Prateolo citato ex Nicephoro libro sexto cap.27. & à Baronio dicto anno 265. & 66. diuersis numeris, ex alijs auctoribus per eum relatis, qualiter in tali gradu collocatus non tardauerit venenum suorum errorum euomere, & apud Ecclesiam Antiochenum spargere.

167 Verùm primo loco videamus, quatenus ipse Sabellij dogma de negãda diuersitate personarum in Deo secutus fuerit, diuerso tamen modo, quod clarè à Baronio dicto anno 266. num.4. per sequentia verba percipe- 168 re possumus. Quod vero, inquit, ad eius impia improbataque ab omnibus dogmata per-

pertinet, videtur aliqua ex parte à Sabellio Paulus mutuatus esse venenum, dum nullam admittens in diuinitatis substãtia personarum distinctionem, sed sicut vnum Deum, ita pariter vnam personam in Diuinis statuens, totum Sanctæ Ecclesiæ traditum cultum, atque doctrinam Sanctissimæ Trinitatis penitùs auferebat. Sapiebat hæc namque Paulus cum Sabellio, atque Iudæis. Sed à Sabellio discrepabat in eo, quod ille cum vnam tantum affirmaret Diuinam esse personam, hac assumpta propositione, mendacij illud falsissimum sequeretur, Patrem simul, & Spiritum sanctum cum Filio carnem humanam sumpsisse, ac etiam crucifixos esse: Paulus vero omnem prorsus diuinæ naturæ cum humana coniunctionem Christum hominem tantum, sed iustitia præditum fuisse, impudentissime diceret] Hæc Baronius, quibus de primo, & præcipuo errore Pauli Samosateni hæresiarchæ manifestissimè constat.

170 Secundò, Prædictum errorem clariùs paulò aliter ex S. Epiphanio hæres. 65. videtur explicare, ac extendere Gaulterius, cap. 17. tertij Seculi. Sic quod Paulianistæ affirmauerint Verbum, & Spiritum sanctum semper esse in Deo; non tamen substantialiter, aut personaliter, sed eo pacto, quo proprium verbum habet homo in animo suo, hoc est non vt personam æternam, sed vt verbum, quod profertur, & quasi quendam aerem] Ita ille cum extensione expressa ad Spiritum sanctum.

171 Tertio, Consequenter imitatus Ebionem, & Artemonem, de quibus supra, negauit Paulus Samosatenus Christum de Cœlis descendisse, & existere ab omni æsperitate; sed esse cæpisse ex eo tempore, quò vti simplex homo ex Maria Virgine natus est. Ita S. Epiphanius hæres. 65. Eusebius lib. 7. cap. 22. S. Augustinus de hæres. num. 44. Alfonsus à Castro verbo Christus, hæres. 1. & Prateolus ibidem ex Nicephoro lib. 6. num. 30.

172 Quartò, Non vtebantur Samosatenus, & eius sequaces Paulinistæ forma Baptismi à Christo Domino instituta, in nomine sanctæ Trinitatis.

173 Propterea à Concilio Niceno statutum uit, vt rebaptizarentur quicunque per Diuinam gratiam, à Samosateni disciplina euocarentur, & in viã Ecclesiæ Catholicæ redirẽt, & afferunt, loco citato, D. Augustinus, & Alfonsus à Castro verb. baptis. hæres. 2.

174 Quintò, Tenuit ac docuit Paulus Samosatenus, Sanguinem Christi Domini in Sacramẽto Eucharistiæ esse corruptibilem, eo quòd illic diuidatur, ac fundatur, vt ipse aiebat. Constat ex epistola illa Dionysij Episcopi Alexand. aduersus Paulum Samosatenum, de quo Baronius anno 265. num. 5. & 6.

175 Sextò, Per dictum Samosatenum abrogati fuerunt Psalmi, qui in Ecclesia ad honorem Christi Domini cani solent, & statutum per ipsum, vt fœminæ etiam die magno Paschatis proprias ipsius laudes in medio Ecclesiæ canerent. Adducit ex Nicephoro lib. 7. cap. 30. Prateolus vbi supra.

176 Septimò, Præ alijs sui Magistri Encomijs Paulianistæ eum de Cælo venisse affirmarunt, & Angelum vocare consueuerunt. Ita ex præd. Nicephoro Gualterius, cap. 17. Seculi 3. Qui addit cum S. Epiphanio hæres. 65. S. Philastrio lib. de Hæresibus, & Prateolo relato, quod Paulus Samosatenus Hæresiarcha in multis iudaizaret.

177 Tandem contra hunc Samosatenum, & contra prædictas eius hæreses, bis Antiochię congregatum fuit Concilium ex pluribus Episcopis Orientalibus, cui interfuit Sanctus Gregorius Thaumaturgus Neocesareæ Põti Episcopus; ei interesse non potuit Dionysius Alexãdrinus Episcopus, ob ægram corporis valetudinem, scripsit tamen egregiam epistolam, de qua paulo ante.

178 Quamuis autem in primo Concilio ille se Catholicum finxerit, & sub iuramento solemni testatus fuerit à fide Christiana nequaquam se vllo modo recedere; Cui attestationi iuratæ tunc acquieuerunt dicti Præsules, & in suas

179 Ecclesias reuersi sunt: Postea tamen, cùm peruersissimus Samosatenus non erubesceret dogmata sua hæretica magis propalare, eaque perfricta fronte docere, in secundo Consilio illi adunati ipsum declarantes iuridicè hæreticum, dignitate Episcopali priuauerunt; sicque damnatus per ipsos ab Aureliano Imperatore expelli meruit, atque statim fuit expulsio executa.] Hæc multis pertractata legas, si lubet, ad satietatem apud Nicephorum & Baronium citatos.

180 Restat vltimo loco explicanda Secta Millenariorum, seu Chiliastarum: (Chile enim Græca appellatione, idem significat, quod Latine mille,) quæ merito à nobis in hac Regula præcedentibus Sectis adiungitur, tum quòd eodem fere tempore de nouo emerserit, quo illa prodierunt: tum quòd de ipsa pauca occurrant dicenda, cum vnico, etsi grauissimo fundetur errore iam à nobis in ipsa regula iu-

181 dicato. Pro cuius maiori expressione audiamus Baronium initio anni 264. num. 1. sic narrantem. Nepos, inquit, Episcopus in Aegypto professor Religionis Catholicæ sentẽtiam illam de millenario à Papia olim, Ireneo, Iustino Martyre, Tertulliano, atque alijs quoque assertam, nec dum ab Ecclesia omnino præscriptam, adeo vehementer scriptis ea de re voluminibus, propugnare conatus est, vt complures sibi adsciuerit Sectatores. Qui ipso quoque (ex hac vita sublato, nihilominus eius dogma adeo pugnaciter stabilire conati sunt, vt à recto tramite veritatis tuendæ deflexe-

182 rint. Quorum ea de re sententia iam in hæresim erumpentem, Dionysius Episcopus Alexandrinus, tùm scriptis, tùm etiam viuæ vocis oratione compressit, & penitus confutauit.] Hæc Baronius, à quo statim inter Sectatores dicti Nepotis, vt præcipuus reponitur Coracion, palam etiam ab ipso Dionysio conuictus.

183 Dogma verò istud de Regno Christi post resurrectionem vniuersalem cum Sanctis super terram in delicijs corporum, & voluptatibus sensualibus per annos mille duraturo, fundatum

datum in locis Scripturæ sacræ, maximè Apocalypsis, perperam intellectis, (ibi potius promissio facta à Deo de delitijs animarum, & voluptatibus spiritualibus continetur) adeo antiquum censetur, vt merito Cerinthus Hæresiarcha dignus Millenariorum Parens in primo seculo à Gualterio, cap. 8. seculi 1. constituatur. Excusandi autem erant ab errore formali viri illi insignes, nimirum Papias Hieropolitanus Episcopus, S. Ioannis Euangelistæ discipulus, Sanctus Ireneus, Sanctus Iustinus martyr. & alij qui circa id videbātur clarè cum illo sentire, eo quod tunc temporis huiusce rei exigua valde esset cognitio: at nullo modo excusari poterant Nepos, & Coracion alijque Nepotis sequaces, tempore magni illius Damasij Alexandrini in tota lucis perspicuitate contra prædictum dogma erroneum, tamque efficaci, & completa eiusdem confutatione, quæ per ipsum porrecta.

184 … 185 (marginal numbers)

186 Atque multo minus fuit locus excusationis postea, quãdo Sanctus Damasus Papa conuocato Concilio, illud dogma hæreticum cōtra Apollinarem definiuit, ac prorsus Millenarios condemnauit, vti videbimus seculo quarto agentes de Apollinaristis: nunc circa sectam istam Millenariorum præter Baronium citatum, legendi sunt præcipue Eusebius lib. 7. cap. 19. & Prateolus verbo Chiliastæ.

De Secta Manichæorum, & de annexis ipsi aliquomodo quid? Item, quid de alia si qua est, tertij seculi?

REGVLA CCXXXIII.

187 Præcesserunt Manichæis Scythianus, & Buddas, eius discipulus; istorumque Secta dua naturas, seu principia contraria admittens, ad Sectam illorum viam clarè aperuit.

188 Hæc autem à Cubico, seu Manete homine vilissimo, & superbissimo adeo artificiose fuit instituta, vt & multitudinem errorum, iunctis simul nouis, ac veteribus, & duratione temporis per spatium maius ducentorum annorum, quascunque præcedentes superarit. Ex

189 ipsa item tamquam ex arbore rami aliæ diuersæ processerunt, nempe Apocharitarum, Dicartitarum, Brachitarum, Abstinentium, &c. qui diuersimode suis hæresibus fidem

190 Catholicam vehementer oppugnarunt. Tandem claudit tertium seculum Secta Hieracitarum, cuius Inuenror quidam Hierax, natione Aegyptius assignatur; quanquam ab alijs hic inter germina Manetis reponitur.

191 De Scythiano illud primo omninò certum, quòd fuerit Natione Saracenus in Arabia nutritus; post descẽdēs in Aegyptum, Alexandriæ philosophicas litteras Græcorum

192 didicerit. Dein pari modo certum, ipsum Scythianum Hierosolymam profectum, se totum ibi Magiæ studio mancipasse, composuisseque quatuor libros, multis plenos erroribus, contra fidem Catholicam, & contra veram Philosophiã, inscriptos, de Euangelio, de The-

193 sauris, de Mysterijs, & de Capitibus. Atque ibidem hæresim de duobus principijs contrarijs, amicitia scilicet, & discordia ex Pythagoreis haustam cœpisse promulgare. Ita ex D. Cyrillo Episcopo Hierosolymitano catech. 6. & ex D. Epiphanio hæres. 66. affert Baronius an-

194 no 277. num. 6. & 7. Qui benè addit, haud facile posset quis assentiri Epiphanio asserenti Scythianum circa tempora Apostolorum vixisse. Cum huic proximè in schola impietatis successerit Terebinthus, eius discipulus, & mox huic Manes suffectus fuerit, vt statim magis explicabitur.

195 Secundum eosdem Scriptores Cyrillum, Epiphanium, Baronium, ex alijs præcipuus Scythiani discipulus fuit Buddas, & ex mente Gualterij eius famulus, (non inuenio quo fundamento id asserat) præstigiator etiam, sicut ille, quippe quatuor prędictos libros præstigijs refertos Scythiano ante mortem hæreditate Buddas acceperat, vt refert Gualterius c. 18.

196 seculi tertij, Idem Buddas priùs vocabatur Terebinthus; sed postea in Perside, quò à Palestina, & Iudæa exclusus, transierat, teste Cyrillo citato apud Baronium ibidem num. 8. ne illic cognosceretur, nomen mutauit. Deni-

197 que hoc de se Buddas falsò aiebat, quòd de Virgine natus, sicut Saluator noster Christus, & in montibus enutritus fuisset; vt cum Suida adducunt Prateolus verbo Buddas, et Gualterius dict. cap. 18.

198 (Qui benè ibi hos duos Scythianum, & Buddam fuisse præcursores Manetis affirmat,) vt iam de Secta Manichæorum incipiat sermo noster,) non solum quia, vt attingitur in Regula, admittentes duas naturas, seu duo principia contraria, nempe Amicitiam, & Discordiã, strauerint viam ad Sectam Manetis constituentis duos Deos, vt illico dicetur: sed etiam quia ipse Manes ex citatis Cyrillo, & Epiphanio, atque ex D Augustino de hæresibus n. 46. tradit Baronius dicto anno 277. num. 2. cum fuisset seruus ereptus à quadam anu, (quæ Buddam apud se receperat, ac mortuum sepelierat) postea per eam libertate donatus, ac bonorum ipsius hęres constitutus, inter illa recepit etiam bona eidem anui à Budda relicta, & libros illos quatuor à Scythiano compositos; atque hinc in vtriusque præstigiatoris stultis delirationibus Manes successit.

199 Originem huius Manetis, ac progressum breuiter indicat Gualterius, cap. 19. seculi tertij, copiosè verò Baronius ibidem à num. 10. cum dictis Cyrillo, & Epiphanio cum Eusebio lib. 7. cap. 28. Nicephoro lib. 6. cap. 31. & alijs, ex quibus aliquid decerptũ attingam. Fuit natione Persa, & cum priùs vocaretur Cubricus, siuè Vrbicus, aut secundum alios Curbicus, ne seruus agnosceretur, vt ait Sanctus Cyrillus loco citato, mutauit illud in Manetis nomen, quod lingua Babylonica idem est, quod *humilis*, Persica verò, vt notauit Sanctus Epiphanius, idem quod *Vas*: quippe homo superbissimus alludere tacitè cupiebat, teste Gualterio,

rio, ad præclarũ nomen Sancto Paulo à Christo Domino impositum, Vas electionis. Act.9.

209 Sed dum nomen Manetis elegit, attenta eius deriuatione ex græco, cum Mania insaniam significat, aut certe, auctore Fausto, turpem laruam se insanum & mentecaptum, seu turpiter lauatum ostendit, & talem se qualis reuera erat, repræsentauit, ac ipse dum appellatus Manichæus, quasi dictus insaniam fun-

201 dens, vel seminans. Hoc autem dedecus eius discipuli ægrè ferentes litteram, n, nomini addiderunt, vt deriuatam appellationem habēs à Manna, vocaretur, Mannichæus, quasi manna seminans. Verum non mannæ, sed somniorum plusquam phreneticorum, & zizaniæ contra fidem seminator hic hęresiarcha perniciosissimus potiùs ab inferis, quā à Perside circa annum 277. prodiens, perpetuo mã-sit; Atque hæc de eius origine, & nomenclatura libuit attingere.

202 Quid iam de eiusdem inseminatione dicta, progressu, & sectæ ipsius duratione. Vtrumq; Prateolus verbo Manichæi complectens, tum quod Manes per se ipsum; tum quod per sequaces ac ministros suos præstitit, paucis sic præstringit. Tam latè, inquit, primum apud Arabas, deinde in Africa virus suum sparsit, idque tanto successu propagatum est, vt postea per annos ducentos sopiri non potuerit.]

203 Hæc ille. Peculiariter vero quidam Acuas insignis, & satelles, & discipulus Manetis Eleutheropolim primus Manichæismum inuexit. Hincque Manichæi appellati etiam sunt Acuani, vt cum Sancto Epiphanio hæres. 66. & in anaceph. testatur Baronius dicto anno 277. num. 43. apud quem multo plura inuenies.

204 Quod si de progressu Sectæ Manetis quæras quoad multitudinem, & grauitatem errorum, audi quid circa hoc in communi senserint Sãctus Leo Magnus sermone 5. de ieiunio 10. mens. & Sanctus Thomas Aquinas 2. 2. q. 10. art. 6. nempe Manichæismum omni errore impietateque antecedente priorem esse. Immo contractam errorum impietatumq; omnium colluuiem, vt totidem verbis affert Gualterius cap. 19. secundi sæculi. Sed iam in specie errores eius inspiciamus.

205 Primo loco vti præcipuum fundamentum Sectæ Manichæorum, errorē omnes ferè scriptores assignant, quod illi duos Deos æquè æternos constituerint, vnum bonum, alterum verò malum: illum bonorum quorumcumque Auctorem; hunc è contra Auctorem malorum. Ita Sanctus Epiphanius hæres 66. Sãctus Augustinus de hæres. nu. 46. & Prateolus ver-

206 bo Manichæi. Hanc autem hæreticam doctrinam de duobus Dijs oppositis, vt diximus in secundo seculo, priùs tenuerunt Gnostici,

207 Cerdonistæ, & Marcionistæ. Quod verò eadem vsque nunc extat in Perside, in Indijs, alijsque Prouincijs Oriētalibus, tradit ex Genebrardo in Fœlice I. Gualterius sub finem dict. cap. 19. seculi tertij. Hinc miseræ illæ nationes suis in Templis, teste eodē Genebrardo, Idolum habent formæ illius, quā apud nos solent Pictores effingere, Diabolum, scilicet nigrum, cornutum, simum, cum dentibus aduncis, ab ore exeuntibus, &c.

208 Errauit Manes, quod duo ingenita esse docuerit, Deum, & Materiam, ex quibus illum Lucem, hãc Tenebras vocauit, & lucem quidem bonam, tenebras verò malas, & vtrumque expressit sub nomine arborum congruētes fructus ferentium. Deum item longè abesse à Materia, & hic rursus longiùs à Deo; hinc quod Deus orientalem, septentrionalē, & occidentalem plagam obtineat; Materia verò Australem; & alia plura deliramenta, ijs similia, silentio digna, quæ de dictis Deo, & Materia portentosè confixit, inuenies apud Prateolum citatum ex Nicephoro lib. 6. c. 31.

209 Tertio. Taliter se Manes Apostolum Christi Domini esse iactabat, vt sibi instar Montani fuisse datum Paracletum, seu esse seipsum Paracletum affirmarit. Ita Sãctus Epiphanius hæres. 66. Augustinus de hæres. nu. 46. Eusebius lib. 7. cap. 25. & Baronius anno 277. num. 21.

210 & 26. Quia omnes Manichæi gloriabantur se de Cœlo illuminatos esse, & habere Spiritum sanctum, impsumque impertiri. Ita Prateolus verbo eodem.

211 Quarto. Ad imitationem Christi Domini Manes, vt suam sectam promoueret, duodecim elegit, quos nō Apostolos, sed Magistros vocauit, decimustertius erat ipse vocatus Princeps. Fuerunt itē electi septuaginta duo, tũ Episcopi ordinati à ministris, tum Presbyteri ab Episcopis ordinati, cum Diaconis, quos ipsi Episcopi habebant; reliqui illius Asseclæ vocabantur Electi. Præter Augustinum

212 citatum, affert Eusebius lib. 7. cap. 25. Addit autem Nicephorus lib. 5. cap 32. ex illis duodecim fuisse tres magis insignes, Addam scilicet, Thomam, & Hermam, seu Hermeam, hosq; peculiariter missos à Manete ad propugnandam hæreticam doctrinam, Addam in Syriam, Thomam in Indiam, & Hermam in Aegyptum: (Sanctus Epiphanius ait Thomã missum fuisse in Iudæam) qui inde reuersi, vt auctor est idem Nicephorus, testificati sunt, se post multos exantlatos labores neminem ad suam fidem adducere potuisse.

213 Diabolum esse ex sua natura malum, tenuerunt Manichęi; idem affirmarunt de alijs creaturis, ac nominatim de homine, & quod hic non à Deo bono, sed à malo fuerit creatus, saltem quoad partem materialem, seu corpoream. Ita Alfonsus à Castro, verbo, Diabolus, & verbo Creatura, ac Prateolus ibidē.

214 Sexto, fuisse conditum hominem in forma bestiæ, atque Euam inanimatam, ac immobilem esse creatam, asseruerunt Manichæi, vt refert idem Prateolus, & Feuard. in Append. verb. Adam.

215 Septimo. Multa nugati sunt Manichæi circa Solem, & Lunam, præcipuè quòd Solem, contra euidentes demonstrationes de globosa eius forma, triangularem duxerint: quòd sibi suaserint Christum Dominum esse Solem materialē: quòd cum Ethnicis idololatrando Solem, & Lunam adorauerint: quod semper stantes orarent: etsi oratio fieret interdiù

diù ab eis, ad Solem quacumq; ex parte esset, se conuertere consueuerint: Ad Lunam verò si noctis tempore fieret, dummodo ipsa appareret: alioqui in parte septentrionali, qua Sol ad Orientem rediturus erat, oculos defigebât. Ita Sanctus Epiphanius hęres. 66. Sanctus Augustinus de hæresi num. 46. & contra Faustum lib. 19. cap. 12. ac Baronius ibidem nu. 32.

216 Octauo. Delirium fuit maximum Manichæorum, quod confingerent Patrem in aliquo lumine occulto habitationem habere, Filium verò quandam esse virtutem in Sole habitantem, Sapientiam in Luna habitare, & Sanctum spiritum in aere, tradit cum Sancto Augustino lib. 21. cōtra Faustum Manichęum cap. 6. Baronius d. anno 277. nu. 34.

217 Nono. Secundum Epiphanium hæres. 66. Manichęi hunc mundum Paradisum esse censebant, & Christum vocabant Paradisi arborem, qui bonum fuit cognitum; quanquam secundum Augustinum de hęres. nu. 46. magna pars discipulorum Manetis affirmauit Christū Dominum esse arboris serpentem.

218 Decimo. Tenuerunt Manichęi creatū esse totum hominem à duobus principijs, seu Dijs; à bono scilicet quoad animā, & à malo quoad corpus; hinc ipsi deducebant in cōtemptum, & contumeliam, corpus omni esse turpitudine

219 coinquinandum. Atque sic re ipsa exequi solebant. Nam in solemnibus suis vigilijs noctu conuocatis suis electis, & extinctis luminibus, cum fœminis, quæ aderant, belluarum more indifferenti commixtione copulabātur, illata aliquando vi honestis fœminis, illic inopinato inclusis repertis, vt constitit ex attestatione cuiusdam, quæ inde sui præsidio clamoris euaserat, cuius meminit S Augustinus lib. de moribus Manichæorum cap. 19. & affert prædicta Baronius dicto anno 277. num. 28.

220 Vndecimo. Docuerunt Manichæi vnam, & eandem esse animam in quibuscunque hominibus, animalibus, & plantis. At simul huius doctrinæ immemores, apparentes in vnoquoq; homine esse duas animas tenuerunt, vnā à bono Deo, alteram à malo infusas, atque hos Deos toties inter se pugnare, quoties caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus

221 aduersus carnem. Hinc ipsi Manichęi concupiscentiam, vt Deum adorabant. Ita Epiphanius hæres. 66. de vtroque, de secūdo Augustinus de hęres. num. 46. & Baronius dicto anno num. 31.

222 Duodecimo. Circa animam errauerunt etiā Manichæi, quod asseruerint, bonas animas eiusdem esse naturæ, cuius est Deus; malam verò animam ex duabus, quas in homine cōstituebant, esse ipsam carnis concupiscentiam. Primum expresse adducit S. Augustinus de hæresibus num. 46. secundum tamen solummodo, iunxit, vtrumque verò clarè Gualterius dicto cap. 19. seculi 3. num. 26. & 27.

223 Decimotertio. Renouauerunt Manichæi antiquum errorē de transmigratione animarum, à Pythagora olim traditum, & à diuersis, vt vidimus supra, Hæresiarchis postea receptum. Addiderunt autem illi peculiariter, quod anima homicidæ statim post mortem in corpus hominis occisi migraret. De hoc Diuus Epiphanius citatus, & D. Augustinus de

224 hęresi num. 46. Item & omnes qui carnem manducauerunt in easdem animantis transmutarētur, quarum carnes comederant; atque idem indicarunt de comedentibus plantas, vel fructus aliquos. Hoc etiam præter relatos Epiphanium, & Augustinum agit D. Cyrillus. Catech. 6.

225 Decimoquarto. Circa eandem transmigrationem animarum errarunt illi, quòd ex affeclis Manichęismi intra prætensā eorum Ecclesiam comprehensis, quos in Auditores, & Electos distinguebant, animas auditorum tempore mortis in ordinem electorum ingredi dicerent; animas verò reliquorum hominum in belluas transirent, cum adiunctione tamen his, & illis concessa, transmigrandi post mortem mares in fœminas, & è contra fœminas in masculos. Cum D. Augustino de hęres. nu. 46. & D. Epiphanius hęres. 66. affert Gualterius ibidem num. 32. & 33.

226 Decimoquinto. Stulti nimis, & ridiculi fuerunt errores illi Manichęorum affirmantium belluas quascunque intelligentia, ratione, & iudicio esse prędiras, plantis quoque sensum, ac dolorem tribuentium. Hinc ipsi Manichęi iudicarunt rem esse illicitam, & vti homicidium, agros colere, & purgare: fieri tamen hoc licitè, si inde quis eorum electos aleret. Ipsi autem electi ex magna superstitione, neque agros colere, neq; vllum fructum colligere, nec minimum arboris folium auellere audebant, id sibi illicitum existimantes, & expectabant quousque fructus sibi ad propriam vsum à suis Auditoribus darentur. Hęc omnia S. Augustinus numer. 66. & vltimo. Diuus Cyrillus Catech. 6.

227 Decimosexto. Vt refert D. Augustinus ibidem, & lib. de moribus Manichæorum, isti tenuerunt suos electos à malo expiari per cibum corporum. Ipsi verò ciborum Creatorē calumniabantur; cum nihilominus optimos quosque cibos deuorarent. Ita Diuus Cyrillus Catech. 6. & ex eo Baronius anno 277. nu.

228 Decimoseptimo. Manichęi tonitrua audiētes, aut cernentes fulgura, eorum auctorem blasphemare consueuerunt. Adducunt ijdem Cyrillus ibidem, & Baronius nu. 20.

229 Decimo octauo. Existimantes Manichęi legem esse malam, & negantes verè à Deo fuisse datam, eius institutorem plurimis cōtumelijs afficiebāt. Ita Epiphanius in Anaceph. Diuus Augustinus d. num. 46. & Alphonsus à Castro verbo, lex, hęres. 2. & verb. scriptura, hęres. 1.

230 Decimonono. Reijciebant Prophetarum scripturas Manichęi, eo quod non à Deo, sed ab aliquo dęmone edoctos fuisse tenerent. Mutilabant etiam nouum Testamentum: adulteratum enim arbitrabantur. Quin, & nouo Testamento impudenter anteponebant quasdam scripturas apocryphas, & pręcipuè Pseudoeuangelium secundum Thomam, à quodā Thoma Manetis discipulo editum. De hoc

vltimo

vltimo meminerunt D. Cyrillus Catech. 6. & S. Augustinus d. nu. 46. De primo verò, & secundo prçter Augustinum, etiam Epiph. hæres. 66. & Baronius anno 277. numero vigesimo septimo.

231 Vigesimo. Diuersimodè errarunt Manichçi circa Christum Dominum. Primo, quod tenuerint nō esse vnam eamdemque Iesu Christi, & Patris æterni substantiam; sed illius substantiam partem esse substantiæ Patris æterni: de quo Baronius ann. 277. num. 37. Item errauerunt, quod consequenter tenuerint, posito suo falso fundamento, vt iam dictum de fabricatione corporis humani per malum Deum, nempe dçmonem, nequaquam Christum Dominum fuisse verè incarnatum, vereque natum ex Virgine, sed solum apparenter, simili modo passum, & suscitatum appa-

232 renter cum ludificatione hominum. Ita idem Baronius num. 27. cū D. Epiphanio hæres. 66. D. Augustino de hæres. nu. 46. & Alphonsus à Castro, verbo Christus hæres. 2.

233 Vigesimoprimo. Redemptionem per Christum animarum tantum, & non corporum admiserunt Manichæi, resurrectionem verò quoad ista, & Iudicium vniuersale fore quoad illas, prorsus negarunt. De priori circa resurrectionem S. Augustinus num. 46. citat; de posteriori, Epiphanius hæres. 66. Castrus verb. iudicium hæres. 1. & Baronius anno 277. numer. 29.

234 Vigesimosecundo, Sanctum Ioannem Baptistam esse damnatum, ac in Christum Dominum nequaquā ipsum credidisse peius criminati sunt. Ita Alphonsus à Castro, verbo Ioannes Baptista.

235 Vigesimotertio. Blasphemo, & impijssimo ore affirmarunt Manichæi in odium Martyrum, quoties honore debito sanctos Martyres, ac ipsorum reliquias prosequimur. Atque indignari consueuerunt contra Catholicos, quod festa illorum, ac quæuis alia sacra etiam Pascha, & Pentecostes in memoriam misterij vniuscuiusque, illic representati concelebrēt. Hoc vltimum affert S. Augustinus lib. 32. c. 11. & 12. contra Faustum: Primum verò ipse Augustinus lib. 20. contra eundem Faustum Manichæum epist. 21. & ex eo Baronius anno 277. nu 30.

236 Vigesimo quarto. Errarunt Manichçi circa Baptismi Sacramentum, dupliciter. Primo quod existimarunt baptismum aquæ nullius esse fructus; tametsi ipsum in praxi seruabant. Secundo, quod Christianorum baptismum quocunque modo collatum, vt quid execrabile censerent. Adducunt primum D. Augustinus de hæres. num. 46. & Alphonsus à Castro, verb. Baptismus hæres. 4. secundum verò solus Augustinus ibidem.

237 Vigesimoquinto. Magiæ dediti fuerūt Manichçi, & in suis prçtensis mysterijs inuocatione dçmonum vtebantur, ipsosque dçmones adorabant. Ita Epiphanius hçres. 66. & Cyrillus Catech. 6.

238 Vigesimosexto. Vt refert Prateolus verbo Manichæi, isti negarunt ex pane fieri corpus Christi, & mutata Eucharistiæ mysteria in semen humanum (horrendum factum à Gnosticis inuentum, vt supra vidimus,) hocque in farinam effuso suos electos compellere consueuerunt, communionem inde accipere. Afferunt S. Cyrillus Catech. 6. & S. Augustinus

239 de hæresi, nu. 46. Qui ibidem addit enormis illius fœditatis auctores, ac promotores; cum inde erubescere deberent, illinc ansam arripuisse Catharistas, hoc est, Purgatores, seu Purificatores se appellandi; constituta secta, à duobus alijs distincta, quarum vnam Macharianorū, alteram Manichæorū specialiori denominatione vocitabāt. Ita totidem ferè verbis Gualterius d. cap. 19. seculi tertij n. 57.

240 Atque adiungit num. 58 cum eodem D. Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 4. quod Manichæi, altaria damnarant.

241 Vigesimoseptimo. Contra Matrimonium, etiam errauerunt Manichæi, ipsum ex peculiari odio auersantes, ac leges eius diabolicas esse sibi suadentes. Quod si contingeret ali-

242 quem ex auditoribus eorum matrimonium contrahere, conceptum, & generationem impedire iniungebant. Vtrumque tradit Diuus Augustinus de hæres. num. 46. primum tantū lib. 15. contra Faustū c. 5. & 6. Prateolus verbo Manichçi, & Cardin. Baronius anno 277. numer. 30.

243 Vigesimo octauo. Vti damnabilem vituperijs prosecuti sunt Manichæi Polygamiam Patriarcharum, & antiquorum Patrum veteris testamenti, etiamsi illis à Deo permissa fuerit, vt aduersus illos abundè docet Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 5. 30. 49. & 50.

244 Vigesimo nono. Quamuis Manichçi in Catholicis dignitatem vituperio haberent, prorsusque damnarent, ipsi tamen Virginitatis amatores existimari cupiebant. Ita D. Augustinus lib de moribus Manichæorum cap. 18. & cum eo Baronius dicto anno 277. numer. 41.

245 Trigesimo. Secundum D. Athanasium epistola ad solitarios, multo post mediū, & Theodoretum lib. 1. hæret. fabul. ex quibus adducit Baronius ibidem num. 29. Manichæi detestebantur illos qui, eleemosynam pauperibus largirentur.

246 Trigesimoprimo. Peculiariter reijciebant Manichçi legis decalogum, eo quod per ipsum cuiuis iniungatur vnum Deum colere; cum ipsi non vnum tantum, sed plures admodum Deos adorare solerent. Ita Augustinus lib. 15. contra Faustum cap. 7. & Baronius anno 287. num. 37.

247 Trigesimo secundo. Fuit præterea duplex error Manichæorum. Alter, quod politica, & temporalis dominatio sit despicienda: alter quod bellum sit malum, & illicitum; proinde ipsi Manichçi Moysen ob impugnationem, & spoliationem Aegyptiorum, inculpabant. De vtroque simul agit D. Augustinus cōtra Faustum Manichæum cap. 64. & de secundo Prateolus verbo Manichæi.

250 Tri-

250 Trigesimotertio. Errauerunt præcipuè Manichæi affirmantes omnia fato, seu absolutæ necessitati subiecta esse, atque ideò peccata euitari non posse, neque originem eorum sumi à libero arbitrio, sed à dæmone. Quin etiã 251 ipsum liberum arbitrium abstulerunt homini, sic clariùs circa istud suum errorem ostendentes. Tradunt partim Prateolus verbo Manichæi, & partim Sanctus Augustinus de hæres. num. 46. & Alfonsus à Castro verb. peccatum hæres. 3. ac verb. libertas hæres. 1.

252 Trigesimoquarto. Quamuis racemos manducarunt Manichæi, nec vinum, nec mustum vllo modo bibebant, asserentes istud esse fel Principis Tenebrarum. Ita D. Augustinus de hæres. 46. & fusius lib. de moribus Manichæorum.

253 Trigesimoquinto. Dein ipsi Manichæi panem, vel aliud alimentum à quouis oblatum animo sane hilari recipiebant; sed antequam ori apponerent, in Creatorem, apparatoremque ciborum maledicta, & blasphemias in corde male affecto eructabant. Adducit ex Cyrillo catech. 6. Gualterius cap. 19. seculi tertij num. 74.

254 Trigesimosexto. Graue crimen reputauerunt Manichæi, carnes quouis tempore comedere: quin, & eorum quidam appellati Catharistæ (diuersi isti quidem à Catharis, seu Nouatianis supra memoratis) illicitum omnino esse tenebant, etiam quacunque vrgente necessitate, aut lac, aut caseum manducare. Ita D. Augustinus lib. de moribus Manichæi, & de heresi numer. 46. & Alphonsus à Castro verbo Cibus, hæres. 1.

255 Trigesimoseptimo. Dicti Catharistæ, seu Catharialiani, vt ex Manichæis magis reformati haberentur, quoduis iuramentum Christianis, etiamsi Iudex compellat ipsum emittere, esse prorsus illicitum, ac vetitum tenuerunt. Tradit Prateolus suo in Elencho verb. Catheristæ, & Gualterius cap. 19 seculi tertij nu. 76.

256 Trigesimo octauo. Hæresiarcha Manes tres ex suis discipulis Hierosolymam misit pro emendis sacris libris, quibus mysteria, & res omnes Christianitatis addisceret; sicque suum falsum dogma de duobus principijs, seu dijs, si posset, magis stabilire conaretur. Ita Sanctus Epiphanius hæres. 66 & Baronius anno 277. numer. 11.

257 Trigesimo nono. Valde intentus fuit semper Manes in alliciendis quibuscunque hominibus ad suam sectam; nec sinebat præterire occasionem vllam illaqueãdi Sathanæ animã aliquam, vt patet exemplo, cuius meminit Sanctus Augustinus tract. 1. in cap. 1. Ioannis, vt refertur à Gualterio vbi supra num. 78. se-258 quentibus verbis. Inuentum, inquit, à Manete quendam Catholicum, qui tędium à muscis patiebatur, & adductum esse, vt diceret muscas non à Deo, sed à Diabolo factas esse, dein verò à muscis ad apes, ab apibus ad locustas, à locustis ad lacertas, à lacertis ad aues, ab auibus ad pecora, à pecoribus ad boues, à bobus ad elephantes, ab elephantibus deinque ad hominem gradum faceret. Sicque tandem persuaderetur hominem non esse à Deo conditum, sed à diabolo. Affert etiam Cardinalis Baronius anno 277. nu. 45.

259 Quadragesimo. Recusauit Manes cum hominibus doctis, vt cum Episcopo Archelao, disputationem inire; libenter tamen disputabat cum indoctis, vt cũ Presbytero Tryphone magnæ probitatis viro, sed parum diserto. Ita Sanctus Epiphanius hæres. 66. & Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catech. 6.

260 Quadragesimo primo. Hanc differentiam assignabant Manichæi inter se, & nos Catholicos, nimirum nos iuberi priùs credere, quam rationem audierimus; se verò è contrario à nemine constringi, vt quis credat, quin veritatem priùs discusserit, & seruatus fuerit. Cum 261 autem hoc hominibus dicerent, ac pollicerentur se modo quodam mirabili, & tamen simplici ad Deum introducturos, erroribus omnibus liberaturos, & similia, pro quiete, ac bono animæ, De hoc artificiosè se iactantes, tali hamo multos sic inescatos capiebant, sectæque suæ adunabant, sicut inescatus, captus, & adunatus fuit S. Augustinus, dum adhuc adolesceret; quod ipsemet tradit, & fatetur, de vtilitate credendi cap. 1. & lib. 1. confess. cap. 6. & lib. 5 cap. 6, & cum eo Cardinalis Baronius anno 277 num. 43 & Gualterius dicto cap. 19. seculi tertij nu. 81.

262 Qui duo addunt, ille num. 44. & hic nu. 82. solitos fuisse Manichęos euulgare libros sui Magistri Manetis pręclaris titulis ornatos, mellito sermone fucatos, & persuasibilibus verborum aculeis fraudulenter interpunctos.

263 Quadragesimosecundo. Maximus error fuit Manichæorum, quod tenuerint, vt quid indifferens, posse vnumquemque libere amplecti Religionem, quam velit. Quippe sentiebant Christianos, Iudæos, ac Ethnicos vnum quid esse, vnumque Deum adorare. Ex Epiphanio hęres. 66. adducit Gaulterius d. cap. 19. 264 seculi tertij. Et quidem videtur coincidere cum eo errore, quod vnusquisque saluetur in sua Religione, siue secta, Iudæus in Iudaismo, Christianus in Christianismo, Mahometanus in Mahometismo, &c. de quo alibi nobis sermo.

265 Quadragesimotertio. Perpetuò ex ore Manetis solum Christi nomen audiebant, vt ait ibidem S. Epiphanius, cum nihil penitus de Christianismo haberet: (nunquam enim fuit Christianus, nec baptizatus, teste Baronio anno 277. num. 6.) Et tam ipse, quàm sui sequaces Manichęi, Græcis impuritate, Samaritanis Atheismo, Iudæis impietate æquales cẽserentur, vt Author est D. Cyrillus catech. 6.

266 Quadragesimo quarto. Tandem cum gloriaretur Manes se habere Paracletum, & consequenter dona eius, peculiariter donum sanitatum; cumque Regi Persarum promisisset se filio eius grauiter ægrotanti sanitatem restituturum: stante hac promissione, dimissis omnibus Medicis, non solum non restituit, sed mæ etiam ipsum necauit; ob quam causam Manes in vincula coniectus, cum propter ipsum etiam interfecti fuissent custodes, Regis tandem

dem sententia iuxta legem Persicam, excoriatus fuit arundine, & corpus reliquum traditum bestijs deuorandum, cutis verò paleis expleta vtris instar ante portas Vrbis suspensa. Ita cũ Epiphanio hęres. 66. & Cyrillo catech. 6. affert Gualterius citatus, num. 85. & ex parte Baronius d. anno num. 4.

267 En Manetem impijssimum hominem, Manichęorum ducem horrendo mortis genere demortuum, & extinctum; Sed numquid cum ipso demortua etiam, & extincta eiusdem secta? nequaquam sanè, imò aliæ ab ipso tamquam germina quędam statim pullularunt, præcipuè illæ tres Apocratitarum, Dichastitarum, & Barchitarum, de quibus Gualterius

268 cap. 20. seculi tertij breuissimè sic: Erant, inquit, hi omnes quasi Maneris propagines, multisque in rebus cum Gnosticis sentiebant, in [illegible] cum Manichęis. Vnde ex simi[illegible] sunt cum Caluinianis colligati. [illegible]ntum ille, adiuncta etiam cum Caluinismi collatione more suo. paululùm extensius de his tribus sectis agit Prateolus verbo Apocratitæ, verb. Barchitæ, & verbo

269 Dichastitæ. Quibus adiungit ipse tres alias, vti germina etiam procedentia ex secta Manichęorum verb. Targodrogitę, verb. Thesalitę, & verb. Tarraditę: de quibus omnibus sex fit mentio C. de hęreticis, & Manichęis, nobis attigisse sit satis; cum solum quoad denominationem à Manichęis differre videantur. Pe-

270 culiariter ex Manete, & Manichęis, ac simul ex Gnosticis, ducit originem secta Abstinentium, teste S. Philastrio, quo cum ait Prateolus verb. Abstinentes, istos viguisse in Gallia, Hispania, & Aquitania circa annum Domini 289. fuisseque insignes his tribus pręcipuè erroribus. Primo, Spiritum sanctum esse creaturam, & non Deum, tenuerunt. Secundo, cibos quasi à diabolo creatos condemnarunt. Vnde aliqui ex ipsis cibum cum alijs hominibus sumere renuebant. Tertio, Coniugia omnino improbarunt. Propterea iam inita consueuerunt disiungere. Ita Auctores citati.

271 Vltima secta seculi tertij fuit illa Hieracitarum, seu Hierarchitarum, quorum dux fuit quidam Hierax, aut Hierarchi vocatus, secundum D. Augustinum de hęres. nu. 47. Hos Baronius anno 288. permiscet cum Abstinētibus proinde ex eius mente probabile est vtrosq;

272 ex Manichęorum colluuie deriuari. Hieracitis tamen isti errores, vt magis proprij tribuuntur. Primo, errarunt circa æquam Filij Dei natiuitatem, & circa vnitatem essentiæ cum Personarum distinctione, vt Auctor est

273 S. Hilarius lib. 6. de Trinitate. Secundo, Sacramentum extremę Vnctionis reiecerunt, vti inutile, & non à Deo institutum. Ita Prateo-

274 lus verb. Hieracitę. Tertio asserebant excludi Regno Cœlorum infantes, eo quod nihil promeriti essent, ac nihi decertassent.

275 Quarto, despexerunt matrimonia: hinc in suam prętensam Ecclesiam nullum coniugatum, sed solũ Monacos, & inconiugatos admittebant. Affert hunc, & pręcedentem er-

276 rorem S. Augustinus de hęres. 67. Quinto, Carnis resurrectionem negarunt, vt ait Sanctus Epiphanius hęres. 67. & cum eo Baronius num. 288.

277 Hactenus de sectis aliquo modo deriuatis tempore seculi tertij à Manichęorum secta, cuius famosi propagatores in quarto, & quinto seculo varij extiterunt, pręcipuè illi duo Faustus scilicet, & Manichęus, circa annum Domini 407. natione Afer, contra quem S. Augustinus multas habuit concertationes, & varios tractatus scripsit. Alter fuit Fœlix Manichæus Afer, similiter, homo versutus admodum, sed ineruditus, prodijt circa annum 405. Contra hunc etiam D. Augustinus duos

278 libros conscripsit. Hic peculiariter asseruit suum Magistrum Manetem, ex promissione Spiritus sancti Apostolum Christi fuisse. Atque hæc de vtroque obiter sint dicta; fortè alibi plura de eis dicentur. Interim vide Prateolum verbo Faustus Manichęus, & verbo Fœlix Manichęus, vt iam prędictis contenti finem tertio seculo, & capiti septimo imponamus.

CAPVT VIII.

De sectis Hæresiarcharum, deque eorum hæresibus, quæ totius Quarti Sæculi decursu contra fidem Catholicam in diuersis Orbis partibus prodierunt.

PROŒMIOLVM.

1 Bellum ingens, & atrocissimum, vt vidimus pręcedenti capite, fuit perpetuo illatum tempore Sæculi tertij Ecclesię Catholicæ pro destruenda eius fide. Diutinà ab hęresiarchis potentissimis, & perniciosissimis, vel per ipsosmet immediatè, vel per eorumdem sequaces, seu discipulos. Verùm, quod Deo sit gratia, non defuerunt tunc Viri Catholici, omni virtutum, & scientiarum genere valdè insignes, qui illis incessanter obstiterunt, fidemque nostram sartam tectam conseruarunt, vt testantur, & exprimunt in præcipuis eius veritatibus Genebrardus, & Gualterius sub finem tertij centenarij; nimirum in pręcipua fidei veritate circa Baptismi Sacramentum, ex Diuo Cypriano lib. 1. epist. 12. & de duplici Martyr. ac lib. 1. de baptis. ex Cornelio apud Eusebium lib 6. cap. 43. Pari modo circa Confirmationis Sacramentum, ex eodem Cypriano de Vnctione

2 Chrismatis, & epist. ad Stephanum Papam. Item in magis præcipua fidei veritate circa augustissimum Missę Sacrificium, & Eucharistię Sacramentum, ex Clemente Alexandrino Stromat. lib. 1. ferè

ferè initio,& lib.4. prope finem. Ex S.Cornelio Papa, & martyre epistola ad Cupicinum Viennensem, apud Baronium anno 255.num.47. Ex D.Cypriano lib.de Cœna Domini,& sæpius alibi. In veritate dein fidei circa liberum arbitrium,ex Clemente Alexandrino lib.4. stromatum paulo
3 ante medium,ex S.Methodio in sermone de Resurrectione, ex S.Cypriano epist.ad Corneliũ, &c. Atque sic de reliquis fidei dogmatibus tempore seculi tertij impugnatis, ac defensis, legas si lubet, apud citatos authores: nobis hic sufficiat qursi digitos ad fontes intendisse, vt iam qualiter prædictum bellum ab Hæresiarchis quarti seculi sæpius instauratum, hoc cap.8. inspiciamus.

Secta Donatistarum, et aliæ ab ea deriuatæ, aut quouis modo annexæ, qualiter se habent?

REGVLA CCXXXIV.

4 EX Nouatianis in tertio seculo iam expositis tamquam ex trunco, seu prima radice prodijt Ramus iste Donastitarum, seu Donatianorum, qui nomen istud non à Donato dicto ex loco Casis nigris, primo schismatis contra Cęcilianum Episcopum Auctore, sed ab illo Donato eiusdem schismatis, eiusdemq; Donati Hęreseon insigni, & perni-
5 ciosissimo propagatore sumpserunt. Ab vtroq; itaque ortum, & progressum suum habuit secta Donatistarum antiquis, & nouis errori-
6 bus statim indicandis coadunata. Ex tali autem ramo variæ propagines in quarto seculo pullularunt. Nimirum sectę Assuritanorum, Circumcellionum, Campatium, Rogatistarũ, & Parmeniastarum, & si quæ sunt aliæ, illico expendendæ.

7 NVllum dubium, quòd Donatistæ germina sint Nouatianorum,seu in erroribus contra fidem catholicam ipsorum hęredes, vt eos vocat cum S.Augustino pręcipuè lib. aduersus Donatist. post Collat. cap. 1. Baronius anno 303. num.66. per sequentia verba. Ecce,
8 inquit,tibi cuiusnam sectę,cuiusnam communicationis sit auctor, qui hęc scripsit: se iam palam prodit, & quam intelligit Sanctam Ecclesiam, quam seruare tradit Martyrum sanctionem, de non communicando cum Traditoribus, vel cum ijs, qui illis communicassent,aperte significat: nimirum Conuentum Donatistarum, qui penes se esse Ecclesiam arrogabant, quique eos quos arguebant lapsos, traditione librorum, ac denique omnes, qui illorum fuissent sententię, vel leui communicatione coniuncti, ideo execrabantur, vt nec per pęnitentiam expiatos dicerent admittendos: vt planè ex ijs intelligas (quod S.Augustinus sæpe in eos inuehens inculcat) Nouatianorum fuisse Donatistas hęredes, ab illisque mutuatos esse venenum.] Ita ille alludens ad præcedentia aliqua, quę omisi, quod non sint nostri instituti, & attingens aliquos eorum errores, illico magis exprimendos.

Est autem non nihil dubij circa denominationem sectę Donatistarum. Pro cuius decitione, vt facilius de origine, & progressu eiusdem sectę simul pateat, pręmittendum primo id, quod ex Optato Mileuitano lib. 1. contra Parmen. & Zosimo Histor lib. 2. Euseb. lib. 8. cap. 25. D.Augustino contra Crescon. lib[illegible] cap. 27. & ex alijs affert copiosè Baroni[illegible] no 306. à num. 28. concessa scilicet E[illegible] vbique pace, in locum demortui Me[illegible] Cęcilianum Diaconum, suffragio totius po[illegible]puli, vt dignum electum ab Episcopis [illegible]nioribus, non expectatis procul existentibus Numidis, Episcopum Carthaginensem tunc
10 ordinatum. Quod ægrè ferentes diuersi, præcipuè Brutus, ac Celesius, qui ambitionis ardore flagrabant, ingens. ac immane schisma excitarunt, nam conuocatis ex toto Numidi[illegible] Secundo Tigiritano Primate, ac [illegible] Pręsulibus, vrgente efficaciter vi pe[illegible] Lucilla fœmina potentissima, & di[illegible], vt ait Theodoratus hęretic. fabul. lib. 3. quod ei dictus Cęcilianus esset inuisus, contra hunc Carthagine fuit coactum Concilium fermè
11 70. Episcoporum. Qui citantes ipsum, & intra terminum non comparentem, ob varia crimina falsò eidem attributa, maximè quod Martyribus in custodia constitutis victum afferri prohibuisset, iniustè condemnarunt, ac deposuerunt, seu altare contra altare erexerunt, Maiorinum quendam Pseudoepiscopum creantes, sicque prædictum schisma maiores vires sumpsit.

12 Eius autem sectatores non Maiorinitæ à Maiorino, vt notauit Baronius d. anno 306. num. 44. nec Tigiritanitæ à Tigiritano Primate, nec Brutitæ à Bruto, nec Cęlesiani à Cęlesio, (vt videbatur magis congruum appellari debere, quandoquidem primi exercitatores dicti schismatis, & hæreseon explicandæ fuerunt,) sed à Donato Donatistæ appellati
13 sunt. At à quonam Donato? Hoc punctum difficultatis, pro qua expedienda præmittendum secundò, plures fuisse Donatos atroces Sanctæ Ecclesiæ hostes, (vt taceam nunc de alijs, virtute, & scientia pręditis, eiusdem strenuis defensoribus,) præcipuè duos ad rem præsentem spectantes: quorum alter ex loco, vbi natus, dictus Casensis, seu à Casis nigris, accersitus ex Numidia in illo Conciliabulo 70. Episcoporum, se animosiorem, & crudeliorem contra Cæcilianum præbuit, & institit magis præ cæteris pro eo deponendo, & Maiorino Pseudoepiscopo creando; hinc Auctor dicti schismatis, & erroris communi-
14 ter est habitus. Alter verò Donatus post mortem Maiorini ad Pseudoepiscopatũ ascēdit, qui summa, quia pollebat, eloquentia, & efficacitate, ipsum schisma, & errorem longè
15 lateque propagauit. Hoc sic pręmisso, ne in æquiuoco laboremus, sicuti aliquando laborauit S. Augustiuus, vt ipsemet fatetur Retract. lib. cap. 21. affirmans id de vno Donato, quod

quod est proprium alterius, & affert Baronius anno 306. num.41.

16 Prateolus verbo Donatistę, asserit fuisse indifferenter ita nominatos, vel à primo, vel à posteriori Donato. Donatistę, inquit, seu Donatiani, à Donato quodam Casensio, qui contra Cęcilianum bellum mouit, primum [illegible]cti sunt; vel ab alio Donato Carthaginis [illegible]iscopo, qui tempore Constantini Impera[illegible], & Liberij Papę floruit. Verùm Baro[illegible] qui multo exactius res huiusmodi ex[illegible], duplicem assignat causam, cur non à [illegible] sed à secundo Donato sint appellati [illegible]: vtramque proprijs ipsius verbis ac[illegible]riori, anno 306. num.42. sic habet. [illegible]giebant, inquit, Donatistę denomi[illegible] Donato, quem constaret (teste [illegible] in breuic. collat. d. cap. 18. à Mel[illegible] esse damnatum. Vnde potius [illegible]tea Episcopo Carthaginensi no[illegible]isse dicebant, quem pro magno [illegible]que ab omni labe purissimum [illegible] Quanti autem fecerint hunc D.Au[illegible] fragment. cap.6. edit. Plantin. tomo [illegible] verbis significat; Donatum Donatistę [illegible] Christo habent: si audiant aliquem Pagan[illegible] detrahentem Christo, forsitan patien[illegible]rant, quàm si audiant detrahentem [illegible].] Hactenus cum Augustino Baro[illegible]i ita de secunda causa: Sic igitur, inqui[illegible]onatus à Casis nigris, ac proinde filius [illegible]brarum, primus auctor habetur schis[illegible] Donatistarum. Quod verò Donatus Epi[illegible]s Carthaginensis nomē potius schismaticis dederit, illam afferunt causam, quod scilicet viribus eloquentię, qua pollebat, errorem labentem firmiùs stabilierit, sicque non à priore Donato auctore, sed à posteriori propagatore secta illa nomen fuerit consecuta: & cum de vtroque agit Augustinus de heres. numer. 69. testatur sic dicens. Huius hæresis

21 Principem accepimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cęcilianum Christianissimum diuidens plebem, adiunctis sibi eiusdem factionis Episcopis, Maiorinum apud Charthaginem ordinauit Episcopum, cui Maiorino Donatus Episcopus alius in eadem diuisione successit, qui eloquentia sua sic confirmauit hāc heresim, vt multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari.] Hęc

22 cum D.Augustino Baronius Quę tradita à nobis non tam pro decidendo dubio, à quonam Donatistę nomen acceperint, cum parui momenti sit, quàm pro exprimendis qualitatibus, & conditionibus vtriusque Donati, origineque, ac progressu sectę eorum.

23 Verum iam in particulari dicti Donati, suū schisma in quasnam hereses, iuxta morem schismaticorum conuerterunt? Prima heresis sectę Donatistarum fuit, quod nulli essent mali in Ecclesia, sed tantum boni. Ita S. Augustinus de heres. num.69. Alphonsus à Castro verb. Ecclesia, heres. & Baronius anno 309. num.29. & sequentibus.

24 Secunda fuit, quod ex nimia cæcitate, illi vt certum tenuerint, Ecclesiam vbique terrarum esse extinctam, preterquam apud se, negantes etiam loco, ac tempore vniuersalem esse, vel duraturam vsque ad finem mundi; sed quandiù solum authoritas Donati in suis sequacibus vigeret. Patet ex D.Gregorio in Psal.4. penit. Optato Mileu. initio lib.3. & Sād. heres.55.91. & 115.

25 Tertia. Affirmabant Donatistæ Filium esse minorem Deo Patre, ac Spiritum sanctum minorem Filio, nequaquam vnam, eandemque esse trium Personarum substantiam admittebant. Ita D.Augustinus de heresi num. 69. & Prateolus verbo Donatistę.

26 Quarta. Ex predicto errore inequalitatis Diuinarum Personarum, vt referunt ijdem Augustinus, & Prateolus, locis citatis, deducebant illi perperam alium, nempe baptismū Christianorum esse irritum, ac nullum, (ideo credo, quod forma nostri baptismi, æqualitatem illarum videatur exprimere) vnde solebant iterare baptismum quibuscunque, qui à nobis ad ipsos deficerent.

27 Quinta. Secundum eundem Augustinum lib.2. contra lit. Petiliani Donatistę. cap.32 & Feuard. in Appēd. verbo Baptismus, heres.3. Christi Domini Baptismum Donatistę cum Baptismo Ioannis confundebant.

28 Sexta. Cōtemptui semper habuerunt Donatistę sanctum Chrisma, imo conspuendum, ac pedibus conculcandum iudicarunt. Vnde extat cōtra hanc heresim insigne miraculum apud Sanctum Optatum Mileuitanum lib.2. aduersus Parmenianum Donatistam, quod eius verbis refert Gualterius seculi quarti c.11.

29 num.5. sic. Ampullam quoque, inquit, Chrismatis per fenestram, vt frangerent iactauerunt: & cum casum adiuuaret abiectio, non defuit manus angelica, quę ampullam spirituali subuectione deduceret, proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente illesa inter saxa consedit] Ita Gualterius, qui cum Prateolo citato dictum errorem exprimit.

30 Septima. Teste eodem Gualterio ibidem num.8. Ex S.Optato Mileuitano lib.2. contra Parmen. Episcopi Donatistę iusserunt Eucharistiam (verba sunt ipsius Optati) canibus fundi, non sine signo diuini Iudicij. Nam ijdem canes accensi rabie, ipsos dominos suos quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos, & inimicos la-

31 niauerunt.] Ex tali autem iussione manifestè apparet illos Episcopos habuisse heresim cōtra realem presentiam Christi Domini in Sacramento Eucharistię.

32 Octaua. Donatistę non solum corporalia, vela, libros, & alia Diuini cultus instrumenta, quibus Ecclesia vtitur, eripiebant, Altariaq; radentes deturbabant; sed etiam Calices Christi sanguinis portatorios (sic eos vocat S.Optatus) frangebant, ac vendebant. Ita Gualterius citatus num.15. 16. & 17. ex ipso S.Optato Mileuitano lib.6. initio, ante medium, & post medium.

33 Nona. Hæresis Donatistarum fuit, secundū D. Augustinum epist. 119. cap.18. & Gualterium relatum num.14. quod assererent Catho-

licos

licos malè facere quando concinunt diuina cantica ex Prophetis desumpta, ideoque ipsos reprehendebant.

34 Decima. Vt tradit Optatus Mileuetanus lib.2. contra Parmen. Donatistę consueuerunt Presbyteris caput radere, vt eos hoc modo 35 sacra Vnctione denudarent. Et sacris Virginibus, ac Sanctimonialibus caput reuelare, vt istarum professionem ea ratione irritam redderent. Ita cum dicto Optato Gualterius num.9 & 10.

36 Vndecima. Quamuis Donatus, vt adduximus supra cum Prateolo, & Baronio, à Melchiade Papa fuisset condemnatus, & ipse ad Imperatorem appellasset, vt notarunt ijdem Baronius anno 313. num.30. & Sanderus lib.7. 37 de visibili Monarchia hæres.55. Nihilominus Donatistæ adeo perstiterunt, & multiplicati sunt, vt etiam Romæ extra muros cauernam quandam haberent, gradibus circundatam, in quam statis temporibus conuenire solebãt; Hinc ipsi Romæ Montenses vocati sunt. Ita 38 Optatus Mileuitanus lib. 2. Qui ibi duo pręcipuè exprobrat, & opponit Donatistis: alterũ quod ante ipsorum dissidium, vna extiterit Ecclesia in Africa, sicut & in alijs prouincijs: alterum, quod in sua secta quinque solos haberent Episcopos, qui illos antecessissent. Adducit Gualterius ibidem nu.12. & 13.

39 Duodecima, & vltima hæresis Donatistarũ, *præcipuè* Petiliani adnumerati inter eos, fuit, quod tenerent eos esse veros martyres, qui se ipsos præcipites darent, vt mortem sibi aliquo modo inferrent, vel ab alijs, vt à viatoribus armatis, à Iudicibus per publicos carnifices, aut à similibus sibi inferendam curarẽt, maxime si id facerent pro defensione, vel ob-40 seruatione suæ sectæ. Hanc hæresim, quæ tempore D. Augustini valde viguit cum tali inhumano facto, ipse crebro impugnat; vt affert Alphonsus à Castro verbo Martyrum hęres.2. Vide plura circa hoc apud Prateolum citatũ, ex Osio lib.1 de Hęres.

41 Restat nunc exprimamus, quæ & qualiter germina aliarum sectarum ex secta Donatistarum pullularint decursu quarti seculi. Pullulauit primo secta Assuritanorũ. His Prateolus verbo Assuritani, tres tribuit hæreses; sed non diuersas à declaratis cum proprijs Donatistarum, nempe prima, tertia, & quinta. Eo-42 rum meminit Sanctus Augustinus lib.3. contra epistolam Parmeniani, nullum ipsis assignans peculiarem errorem, neque vllus scriptorum tradit, vndenam Assuritani talem denominationem sumpserint: Gualterius tãtum ait eorum sectam esse ramum Donatismi. Vnde non est cur hic amplius immoremur.

43 Dein pullulauit germen sectæ Circumcellionum, qui & Circelliones, aut Circuitores dicti sunt. De his agit S. Augustinus super psalmum 132. atque inde indicat etymologiam nominis, quod circum cellas vagarentur; additque lib. de heres. num.60. eos pertinere ad Donatistas, & sub istis militare. San-44 ctus verò Philiastrus in Caten. hæretic. vt refert Prateolus, verbo Circuitores, sic de ijs loquitur. In Africa, inquit, sunt, qui Circuitores dicuntur. Hi circumeunt terras, & quos inueniunt in via cognoscunt, vt interficiantur ab illis, dicẽtes se desiderare pati martyrium, & sub hac causa multi latrocinantur interdũ. Quidam autem ex his Birthenati metiuntur, sese dantes in præcipitium, diuersumque subeunt calamitatis interitum.] Hactenus Sãctus Philiastrus tribuens illis peculiariter hæresim Donatistarum à nobis loco vltimo expositam.

45 De eisdem item Circumcellionibus cum Sancto Optato Mileuitano lib.3. Baronius anno 331. num.9. sic loquitur. At de eo, inquit, quod spectat ad nomen, eos tamen à Donato Agonistrios, & eorum Præfectos, Duces Sanctorum nominatos esse Optatus testatur lib.3. Erant hi sectæ defensores, qui auderent Pręfectis quoque resistere, quique per nundinas, villas, vicosque circumuagantes, præferebant, se esse publicæ iustitiæ Vindices, quo prætextu, & seruos vocabant ad pileum, & oppressos ære alieno à creditoribus liberabãt, minaces litteras ad eos scribentes, quibus mortem minarentur, ni expungerent eorum debita, atque chirographa delerent, quibus tenebantur adstricti.] Omnia hæc ex Optato 46 Baronius. Gualterius de ipsis Circellionibus asserit, quod fuerint etiam appellati Scotopitæ, sed non adducit fundamentum talis appellationis, nec eius assertionem apud alium scriptorem potui hactenus inuenire.

47 Originem etiã sumpsit ex Donatistis secta Campasium. Isti vix differunt à præcedentibus, & Romæ peculiariter Montenses appellabantur, vt ait Prateolus verb. Campases: addens sic fuisse appellatos à D. Hieronymo in epistola aduersos Luciferianos; vbi eorum 48 meminit. Idem Prateolus tres errores ipsis tribuit ex varijs per nos sectæ Donatistarum propositis. Primum de martyrio, inferendo sibi, aut procurando mortem, proprium sectæ præcedentis. Secundum, de eo, quòd in Ecclesia nulli essent mali, sed boni tantummodo. Tertium, quòd pęnes ipsos solos Ecclesia, & verus Baptismus maneret.

49 Pręterea fuit progenies Donatistarum secta Rogatianorum, seu Rogatistarum, qui ducem habuerunt Rogatum quendam, vt ait Prateolus verb. Rogatiani. De hoc ramo Donatismi Baronius anno 394. num. 41. simul attingens 50 alios eiusdem ramos, sic testatur. Vides, inquit, ex his, Schismaticos ab Ecclesia Catholica primitus separatos, inter seipsos pluribus esse partibus scissos, & ab Auctoribus scissionũ nomine nuncupatos, vt qui primo à Donato dicti sunt Donatistæ, eorundem alij à Primiano nuncupati fuerint Primianistæ, & à Maximiano Maximianistæ: sed & (vt in recitata sententia vidimus) alios à Claudio appellatos Claudinistas, & rursum alios à Rogato Rogatistas, de quibus S. Augustinus contra litter. Petil. lib.2. cap.47. ait: Multa has passos esse ab alijs Donatistis, quod cum alijs conuenire noluissent, de quibus idẽ pluribus in epist.48. ad Vincentium.] Ita ibi Baronius.

51 Tandem viguit in Africa vt germen Donatismi, secta Parmenianistarum, quorum antesignanus fuit Parmenianus Carthaginēsis Episcopus, homo non tam doctrina, quam seditione, & ambitione excellens, circa annum Domini 389. vt affirmat Prateolus verb. Par-
52 menianistæ. Quibus tribuit ex erroribus Donatistarum supradictis, solos quatuor præcipuos: nempe illum de inęqualitate diuinarũ Personarum, licet sub eadem substantia. Secundum de extinctione totius Ecclesiæ, nisi penes ipsos: Tertium de puritate sequacium talis sectæ, quod nulli sunt in ea máli, sed omnes boni, ac innocentes, seu Cathari, sicq; appellari volebant, vt diximus seculo præce-
53 denti de Nouatianis. Quartum circa vilipendium rerum sacrarum cum fractione altariũ, [illegible] etiam Calicibus Sanguinis Christi po[illegible]s. Vide plura de Parmenianistis apud [illegible] Philiastrum lib. de hęres. apud Sanctum Hieronymũ in Chronicis, vbi eos vocat Monte[illegible], seu Montanistas, & apud D. Augustinum contra Cresconium cap. 3. & 4. Nobis dicta [illegible]tis pro eis, & pro præsenti regula, nec diutius in hac immoremur.

Quid de sectis Arianismi, Semiarianismi, & Meletbianismi. Quid de alijs ab Arianismo deriuatis, vel ei coniunctis.

REGVLA CCXXXV.

54 CIrca annum Domini 315. prodijt vti mõstrum valde horrendum, ac suis hæresibus toti Ecclesiæ perniciosissimum, Arius Presbyter Alexandrinus, cum priùs interpretationem sacrarum litterarum Alexandriæ publicè professus fuisset: quem tametsi Concilia, pręcipuè Nicenum, sæpius hęreticum declararint, doctrinamque ipsius erroneam condemnauerint; secta tamen Arianismi adeo in dies pręualuit, vt duratione, & propagatione omnes præcedentes, ac subsequentes su-
55 perasse videatur. Ex parte autem aliqui hæresim Arij circa consubstantialitatem diuinarum Personarum secuti, Semiariani hinc vocati sunt, sectamq; peculiarem constituerunt.
56 Adhæsit etiam Ario Meletius, & ab hoc secta Meletianorum producta. Diuersi item riuuli
57 ex mari Arianismi dimanarunt, nimirum sectæ Aracianorum, Campensium, Marcellianistarum, & aliæ, statim aliquantulũ indicandę.

---

58 QVis, & qualis fuerit Arius, antequam laberetur in hęresem, & post lapsum, occasionemque labendi, in primis egregiè pertingit Theodoretus lib. 3. cap. 2. & 3. vt refert Baronius anno 355. num. 24. adductis proprijs
59 eius verbis in hunc modum. Arii verò, inquit, lapsus occasionem repetens Theodoretus hęc ait: Per idem tempus Arius, qui in numerum Presbyterorum adscriptus erat, cuique sacrarum litterarum interpretatio concredita, cum videret Alexandrum ad Episcopatus gubernacula designatum inuidię flammam, qua incendebatur, minime reprimere, sed ea vehementius inflammatus materiam contentionis, & discordiæ in dies aucupari laborauit: ac tametsi in pręstabilem, eximiamque Alexandri viuendi rationem aciem acriter intendendo, nihil ad falsam criminationem contra eum confingendam potuit omnino reperire, tamen æstus inuidiæ eum quiescere
60 non siuit. Istum igitur cum hostis veritatis diabolus nactus esset, eius conatibus Ecclesiam procellis miscere exagitareque instituit. Nam persuasit illi, vt Apostolicæ Alexandri doctrinę apertè resisteret.] Hæc cum Theodoreto Baronius: at quibus hęresibus restiterit doctrinę Apostolicę, paulo post indicabitur.

61 Perniciem autem ingentem toti Ecclesię Catholicę ab hoc horrendissimo mõstro Ario fuisse certo illatam, innotescit clarè vel ex verbis illis Christi Domini ad Sanctum Petrũ martyrem Episcopum Alexandrinum. Cum enim ad hunc iam capitis à Maximino damnatum in carcere Alexander, & Achilles presbyteri deprecatores pro Ario venissent, vt hic denuo ad communionem fidelium admitteretur, quibus cum fingebat bene sentire; respondit ille, noctu apparuisse sibi Iesum veste discissa, causamque rei sciscitanti dixisse, Arius vestem meam, quę est Ecclesia, dilacerauit. Ita de hac Christi apparitione, & responsione in illius vita, & affert ex Surio tom. 6. die 25. Nouembris, Baronius anno 310. nu. 5.

62 Nec miretur quis, quod deprecatores pro eo accesserint Alexander, & Achilles; quia tunc tantum agebatur de Ario reconciliãdo, & absoluendo non ab aliqua hæresi per eum inuenta, aut propalata, sed ab excommunicatione incursa, eo quòd cum Meletio Schismatico, (de quo plura infra) communicasset, & cum isto in excitato schismate conuenisset, vt bene notauit idem Baronius num. 4 cum ci-
63 tato Surio. Verum Alexandro post Achillē ad Episcopatum Alexandrinum assumpto, sicuti Sanctus Petrus martyr vtrique prædixerat, fore sibi in eo successores, vbi primum Arius venenum suorum errorum euomuit, dicta dilaceratio, seu scissura indumenti Christi Iesu magna apparere cæpit; ad quod non solum resarciendum, ne scissura excresceret, sed etiam omnino reparandum vigilantissime, ac
64 citissime manum admouit. Nam illico post præmissam multoties monitionem, Arium hęreticum declarauit, & à gradu presbyteri deposuit; post, coacto Alexandriæ Concilio cētum fere Episcoporum per ipsum, maiori cum auctoritate idem præstitit, vt testatur Baronius anno 315. nu. 19. & 23.

65 Dein congregata sunt alia diuersa Concilia, præcipuè duo illa celeberrima, nempe Nicenum. 318. Præsulibus constans, instante dicto Alexandro, & concurrente auctoritate Sancti Siluestri Papę, præsenteque Imperatore Constantino; ac Romanũ, in quo interfuerunt 284. Episcopi ad condemnandum Arium, doctrinamque eius reprobãdam, vti fidei Catholicæ

66 licæ omnino oppositam. Conspirarunt etiam multi ex Sanctis Patribus cōtra Arianismum, quà libris editis; in quo valdè excelluerūt Sā-ctus Athanasius, & S. Hilarius, qui duodecim scripsit libros de Trinitate cōtra Arianos; quà disputationibus publicis, quas ipsi Ariani ex timore aliquando refugiebant, vt contigit tunc, cum idem Hilarius Vrsacium, & Valentem Episcopos Arianos coram Constantino Imperatore, qui iam ad Arianismum declinauerat, & ipsis contra Catholicos valdè fauebat, ad disputandum prouocauerat, vt habetur in eius legenda: aliquando verò disputatio iam designata, præuisa, non profutura Christianis à Deo Opt. Max. miraculosè impediebatur; vt euenit, quando prædictus Sāctus Alexander Episcopus Alexandrinus coram eodem Constantino cum ipso Ario disputatu-67 rus erat. Nam præmissa ab illo per totam noctem feruentissima ad ipsum Deum deprecatione; mane dum sub horam constitutam ad locum designatum pergerent, cœpit Arius inter eundum, ventris dolore laborare, & exonerandæ alui causa, latrinam ingressus est, vbi præter omnium opinionē fataliter illico obijt, & animam diabolo reddidit. Ita Prateolus verb. Ariani.

68 En infelicissimum, & monstruosissimum Arij finem: nihilominus tam ante, quam post eius mortem, perniciosissima Arianismi secta profundiores misit radices, in diesque multo maior scissura indumenti Iesu apparuit. Quampri-69 mum enim ille prima vice ab Alexandro fuit condemnatus, & Sacerdotij depositione punitus, ad Eusebium Nicomediæ Episcopum perfugit, qui Arij partes, & primus, & vsque eo peruicaciter amplexus est, vt Ariani nominati etiam fuerint Eusebiani, quod totidem verbis refert Gualterius cap. 3. seculi 4. Ex Diuo Epiphanio heref. 68. & 69. ac ex Baronio anno 315. numer. 19. Vbi eiusdem Epiphanij verbis indicat modum, quo Arius ad suam peruersam doctrinam homines attrahebat, & initium, ac progressus in tali attractione ex quouis eorum statu.

70 Dulcis, inquit, erat in colloquio, persuadens semper animos, ac blandiens: quapropter valdè cito septingētas virginitatem professas in vnum contraxit, & fama est ipsum etiam presbyteros septem, & diaconos duodecim abstraxisse. Sed & venenum ipsius, statim vsque ad Episcopos peruenit. Secundum enim Pentapolis Episcopum, & alios persuasit, vt simul cum ipso adducerentur.] Hæc ille, addens intelligenda de tempore, antequam dictus Alexander Arium agnosceret hereticum, & damnaret.

71 Verùm decursu temporis, etiam post Arij obitum, adeo excreuit Arianismus, vt teste S. Hilario lib. contra Constantium Augustum relatione Prateoli verb. Ariani, 103. Episcopi fuerint, qui Arij perfidiam sequerentur, atqui fine dubio multo plures huiusmodi extiterūt; quandoquidem vt ex D. Hieronymo refertur in lectionibus Sancti Damasi Papæ, ingemiscens Orbis terrarum se Arianum esse miratus est, & non solum totum Orientem Arianismus peruasit; sed ad partes etiam quascunque Occiduas, Africæ, Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, &c. 72 ramos suos extendit, Hispali penè vltima Occidentis Vrbe, S. Hermenegildus iussu Regis Leouigildi Ariani patris sui crudeliter interemptus, & gloriosissimo martyrio coronatus; eo quod nollet Arianismum amplecti, & communionem in festo Paschali ab Episcopo 73 Ariano accipere. Quamquam postea frater Sanctissimi Martyris Reccaredus Regni successor, tali perfidia abiecta, fidem Catholicam amplexus, Episcopos Arianos, eorumque sequaces persequi numquam cessauit, vt refert 74 Cardinalis Baronius tom. 7. ad ann. 185. Ex quo clarè deduco, hanc pestiferam sectam sub nomine Arianismi maiori trecentorum annorum spatio perdurasse, cum ipse singulis tomis suorum annalium Ecclesiasticarum à tertio vsque ad octauum diuersa de Arianismo pertingat.

75 Sed videamus iam in particulari, quænam, & quales sunt hereses, quibus Arius per se ipsum, & per suos successores sponsam Christi Domini Sanctam Ecclesiam, tamdiù, ac tam 76 longè, lateque vastauit. Prima, ac præcipua hæresis fuit circa consubstantialitatem diuinarum Personarum, negabant enim prorsus Patrem, Filium, & Spiritum sanctū esse vnius eiusdemque naturæ, substantię, seu essentiæ, quæ à Græcis vocatur οὐσία nec amittere vllo modo volebant Sanctissimam Trinitatem esse ὁμοούσιον idest consubstantialem, sed Filium esse Creaturam, ac Spiritum sanctum esse Creaturam alterius creaturæ, videlicet creatum à Filio affirmabant. Ita Sanctus Epiphanius heref. 68. & 69. ac in anaceph. S. Augustinus de heresi num. 49. & Alphonsus à Castro verbo Deus, hæresi 6.

77 Secunda. Crediderunt Ariani Filium solūmodo esse seruum Patris æterni, & ob hanc causam sic credentes appellati sunt Duliani cū Theodoreto lib. 4. hæref. fabul. affert Gualterius vbi supra.

78 Tertia. Posuerunt illi distinctionem inter Verbum, & Filium, ita vt dicerent aliud esse Dei Verbum, aliud Dei Filium; quem volebāt nōn esse Verbum, sed qui sit factus per verbū ipseque non nisi abusiuè sit Verbum. Ita ex epistola quadam dicti Sancti Alexandri Episcopi, quam affert Socrates lib. 1. cap. 3. & ex D. Ambrosio de Incarnatione Domini cap. 6. contra heref. Arianor. doctè deducit Baronius 79 anno 318. num. 61. Addens ibi in hunc modum: Ad hec, inquit, spectat, quod Athanasius postquam plura Verba Dei poni ab Arianis demonstrauit, sic ait: At illi porrò quis sit Dei Verbum, non inficiantur, sed id pro Dei Filio non agnoscunt, &c. Aliud nimirum iactantes esse Filium Dei Christum, à Verbo Dei.] Hactenus Baronius.

80 Quarta Arianorum heresis fuit, Filiū Dei carnem solam assumpsisse absque anima, & loco huius illam habuisse informationem, & vitam à Diuinitate, vel ab alio, quod venit in consequentiam, licet ipsi non exprimant. Ita

Sanctus Epiphanius, & Sanctus Auguſtinus locis citatis.

81 Quinta. Cum maxima diminutione æſtimationis debitæ Dei Filio, hunc multa ignoraſſe, & noſtro more prout ætate creſcebat didiciſſe, tenuerunt perfidè Ariani. Afferunt S. Athanaſius ſermone 4. contra Arianos, Sãctus Hilarius lib. 9. de Trinitate, & Feuard. verbo Chriſtus, hereſ. 4.

82 Sexta. Ablato honore, & gloria prouenięte Chriſto Ieſu ex huius nominis appellatione, Ariani conſueuerunt non Ieſum Chriſtum, ſed Chriſtum ſolummodo appellare. Ita cum Nicephoro lib. 9. cap. 13. Gualterius d. cap. 3. num. 5.

83 Septima. Ariani tenebant Concilia Generalia, ne dum Prouincialia aut Nationalia, etiam legitime congregata, quãtumcumque approbata fuerint, errori fuiſſe obnoxia, ac re vera erraſſe, maxime Concilium Nicenum. Idem Gualterius nu. 6. & Alphonſus à Caſtro verb Concilium.

Octaua. Tandem ſolebant Ariani rebaptizare Catholicos, qui ad ipſos transfugientes Arianiſmũ amplectebantur; & in hoc conueniebant cum Donatiſtis. Ita cum D. Auguſt. de hereſibus num. 49. Gualterius ibidem nu. 4. Atque hactenus de heręſibus in particulari Arianorum. Quibus tribuit cum S. Alexandro dicto Baronius anno 518. num. 62, exprimens magis primam, & ſecundam hæreſim, quod interrogati, Vtrum Dei Verbum poſſit mutari, quemadmodum diabolus mutatus eſt, non ſint veriti reſpondere: Certè poteſt. Verba ſunt ferè omnia ipſius Baronij.

86 Sed quid iam de Semiarianis? Iſti ſic appellati tamquam non planè Ariani, ſed quaſi Ariani, vel quod, ſecundum Sanctum Philaſtrium in Catena, & Prateolum, verbo Semiariani: quamuis admitterent Filium eſſe Patri conſubſtantialem, negauerint nihilominus Spiritus ſancti conſubſtantialitatem: vel quod ſecundum D. Auguſtinum de hereſ. numer. 51. licet abnuerint Sanctiſſimam Trinitatem eſſe ὁμοούσιον conſubſtantialem, ſeu eiuſdem ſubſtantiæ admiſerint; tamen eã eſſe, ὁμοιούσιον ideſt, ſimilis ſubſtantiæ, quod veri

87 Ariani nullo modo concedebant. In quocunque autem fuerit differentia inter hos, & illos, certum eſt vtroſque conſpiraſſe ad conſubſtãtialitatem Sanctiſſimæ Trinitatis impugnandam. Vide circa Semiarianos Baronium anno 351. num. 27. vbi in particulari aliquos ex ipſis nominat, nempe Baſilium Ancyræ Epiſcopum, & Theodorum Epiſcopum Heracleę.

88 Cum Semiarianis miſcent nonnulli, teſte Gualterio cap. 12. ſeculi quarti, Macedonianos, ſeu Pneumachomachos, quorum anteſignanus fuit Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Diuinitatis Spiritus ſancti hoſtis infenſiſſimus. Vnde eorum pręcipuus error fuit, quod licet admiſerint Filium eſſe Patri conſubſtantialem, Spiritum ſanctum tamen Creaturam crederent: aut ſecundum alios, quod Macedoniani affirmarent Spiritũ ſanctum non eſſe Deum, ſed Patris, & Filij Deitatem, nullaque propria ſubſtantia preditum. Preter Sanctum Auguſtinum de hereſibus num. 52. & Sanctum Epiphanium in anacephal. & hereſ. 74. legẽdus Baronius anno 351. num. 41.

89 Agẽdum ſequitur de ſecta Meleſianorum; qui ducem habuerant in excitato ſchiſmate circa annum 306. aduerſus S. Petrum Alexandrinum Patriarcham, & Martyrem, Meleſium Lycopolitanum Epiſcopum in Aegypto, à quo merito depoſitus fuit, vt referunt Socrates lib. 1. hiſtoriæ tripartitæ cap. 18. & Nicephorus Calliſtus lib. 8 cap. 5. Cauſæ talis depoſitionis variæ fuerunt, præcipuè illa, quòd tempore perſecutionis, fide negata, ſacrificaſſet.

90 Hinc ipſe in ſuperbiam elatus, præter excitationẽ dicti Schiſmatis Sectam hereſeos inſtituit, cuius ſequaces vocati ſunt Meleſiani; & in eo præcipuè errauerunt, quod nollent orare cum conuerſis, ſeu cum ijs, qui vrgente perſecutione lapſi fuerunt, licet idoneam exinde

91 pœnitentiam egiſſent. Sed multo magis in eo errauerunt, quod poſtea Arianiſmum amplexi fuerint, quamuis ſub appellatione Meleſianorum permanſerint. Vtrumque affert D. Auguſtinus de hereſibus num. 48. Lege plura de hac ſecta, & rebus Meleſij apud Prateolum verb. Meleſiani, & apud Baronium anno 306. num. 44. & 45.

92 De Aracianis breuiſſimè dicimus, quod iſti originem duxerint ab Aracio Euſebij Pamphili in Epiſcopatu Ceſarienſi ſucceſſore. Hic in profeſſione, ac propagatione Arianiſmi, aut Semiarianiſmi, vt videtur ſentire Sanctus Epiphanius hereſ. 73. valde celebris extitit. Vnde quamuis nullus peculiaris error tribuatur, qui nõ ſit inter illos pro Arianis, ac Semiarianis explicatos, nomen tamen hereſiarchæ obtinuit, quaſi inſtitutor nouæ hereſeos ſectæ; circa dicta videndus Baronius anno 359. numer. 70. & ſeq.

93 E contra verò neſcitur à quonam orti ſint Campenſes, ſic vocati à Campe, quod flexum ſignificat, vt ait Prateolus, verbo Campenſes. Hi flexi ſunt in Arianiſmũ, vt ex D. Hieronymo in Epiſtola ad Damaſum Papam, quæ incipit, Quoniam vetuſto &c. afferunt idem Prateolus, & Gualterius cap. 44. ſeculi quarti.

94 Qui vt ipſorum proprium addit per ſequentia verba. Nihilominus, inquit, mirum in modum expetebant Eccleſiæ Romanæ communionem pretexere, ad tuendos ſecundum veterem quorundam errantium ſenſum tres in Sanctiſsima Trinitate ſubſtantias, ſeu eſſentias, cum catholicè credere deberent vnam eandemque ſubſtantiam, ſeu eſſentiam in tribus Diuinis Perſonis, quas ſecundum communem Eccleſię vſum tres hypoſtaſes, ſiue ſubſtantias nuncupamus.] Hactenus Gualterius, adiungens ſtatim de more collationem ſuorum Campenſium cum Caluinianis, quas nos rationabiliter omittimus.

95 Repetendus pręterea hic Felicianus Arianiſmi Sectator, & defenſor famoſus, D. Auguſtini coæuus, teſte Prateolo verbo Felicianus: contra quem ipſe D. Auguſtinus librum ſcripſit

scripsit in octodecim capita distributum. Cuius titulus est, de Vnitate Trinitatis contra Felicianum Arianum, vt tradit idem Prateolus. Hic præter Arianismum, peculiariter errauit in eo, quod ex immoderata arrogantia teneret, de rebus fidei potius rationibus esse agendum, quam scripturæ testimonijs: quod ad Manichæismum accedit, iuxta dicta seculo præcedenti. Remitto lectorem ad 6. Tomum operum S. Augustini.

96 Secta item Callutianorum aliquo modo cũ Arianismo coniuncta reperitur, sicut Calluthus eius auctor cum Ario, saltem ratione tẽporis, loci, muneris, est, attestante Baronio, anno 315. num. 28. sic. His ferè, inquit, temporibus, quibus Arius hęresiarcha prodijt, Calluthus presbyter Alexandrinus, cum non esset Episcopum gerens, cępit ordinare presbyteros, conflare sectam, docere hęresim, & suo nomine ea imbutos propagare Calluthanos 47 hæreticos.] Hæc ille. Error peculiaris Calluthi fuit, malum pœnæ à Deo non infligi; fortè ita crediderit, eo quod nesciret distinguere malum pœnæ à malo culpæ. Addit autem ibi-98 dem Baronius, Calluthi sectam in Concilio Alexandrino fuisse condemnatam, ac ipsum depositum à gradu presbyteratus, & consequenter priuatum administratione Parœciæ eiusdem, eidem commissæ, sicut fuerat commissa alia Ario in eadem Ciuitate Alexandrinæ, ac postea ei ablata.

99 Coniuncti etiam sunt aliqualiter cum Arianis Marcelliani, quia Marcellus Ancyræ in Galitia Episcopus, eorum auctor, applicans animum ad scribendũ contra Asterium Arianum, nequiuit Sanctissimæ Trinitatis consubstantialitatem tueri, quin ad oppositum Sabellianorum realem trium personarum distinctionem negantium extremum laberetur, secundũ Epiphan. hęres. 32. & Baroniũ anno 347. num. 55. & seqq. aut secundum Nicephorum lib. 8. cap. 53. ad hęresim Samosatensium Christum Iesum pro homine puro iudicantium. Vide Prateolum verbo, Marcellus.

100 Denique varios riuulos ex Arianismo dimanantes, cum Sancto Ambrosio de fide ad Gratian. lib. 1. cap. 4. attingit in communi Baronius anno 378. num.... in hunc modum. Itaque nunc, inquit, in plures sese diuisere formas: alij Eudoxium, alij Eunomium, vel Aetium, alij Palladium, vel Demophilum, atq; Auxentium, vel perfidiæ eius hæreses sequun-101 tur; alij diuersos.] Ita cum Diuo Ambrosio Baronius de vna Ariana hæresi diuersis capitibus sibilante. Similia affert idem Baronius anno 360. num. 43. infra adducenda. Atque hactenus de Arianismo, & de ramis eius, à nobis satis dictum pro pręsenti regula: plura in sequentibus attigentur.

De Sectis Eustachianorum, & Aetianorum, ac Permianorum, de ipsorumque institutionibus, quid dicendum occurrit.

REGVLA CCXXXVI.

102 EVstachius, siue Eustatus, ex minore Asia oriundus, non monasticæ vitæ auctor, sed peculiaris tantum Monachus, libros quosdam scripsit confectos hæresibus, quas eius discipuli, ipso e vita sublato sparserunt. Hincque Secta Eustachianorum, siue 103 Eutactorum ortum duxit. Aetius item prędicti Eustatij condiscipulus, cum in Episcopali dignitate fuisset pręuentus, inde liuore, & indignatione arreptus, pręter Arianismum, plures errores excogitauit, nouamque Sectã 104 instituit. Aetius tandem Eudoxio Episcopo Ariano adhęrens, proprijs hęresibus adinnẽtis Sectam Aetianorum, siue Eudoxianorum parturiuit. Dicti præcipue isti Eunomiani: causa illico patebit.

105 TRes istæ Sectæ Arianismum quoquomodo sapiunt, vt ex singularum explicatione innotescet: & quamuis poterant adiungi regulę pręcedenti; visum est tamen ne nimis in ea prolixi essemus, peculiarem pro ipsis explicandis regulam proponere.

106 Magnum est dissidium inter Scriptores circa institutorem primę Eustatianorum. Ex cis non pauci affirmant, pręcipuè Nicephorus lib. 9. cap. 16. Sozomen lib. 3. cap. 33. ac lib. 4. cap. 23. & Prateolus verb. Eustachiani, fuisse Eustachium illum Sebestę Armenię regionis (hęc Sebasta Ponti vocatur) Episcopum Arianum, qui varijs in Concilijs, maxime in Gangrensi, & Cæsariensi damnatus, & ab Ec-107 clesia sua Sebastensi depositus. At postea coram Liberio Papa fingẽs se Catholicũ, fidemque Nicenę Synodi tenere, ex vi litterarum ipsius, ad eam restitutus est. Quæ, & alia plura de eo affert Baronius anno 365. & alibi sępiùs de eodem agit tom. 3. & 4. Annalium Ecclesiasticorum.

108 Nihilominus ipse Baronius anno 361. n. 45. & seqq. ex mente S. Epiphanij hęres. 40. non admittit à dicto Eustachio Episcopo Sebastẽsi Arianimi sectatore fuisse institutam hanc Eustachianorum Sectam, de qua agimus: ac primo reijcit, vt falsum, & sine fundamento dictum id, quod ei Socrates lib. 2. cap. 33. Sozom. lib. 3. cap. 15. & alij Historici tribuunt, nempe ipsum fuisse primum monasticę vitę auctorem in Armenia, Ponto, & Paphlagonia.

109 Atque inde efficaciter ostendit, quia Sanctus Basilius (hunc idem Baronius primum in dictis regionibus Monachorum institutorem assignat) epist. 64. & 82. vitam illius ferè ab incunabulis retexens, qualiter Alexandrię sub magisterio Arij fuerit, & post reuersus in patriam, quas abdicationes, vel factus iam Episcopus, vel antea, passus sit ob Arianismum, nusquam

nusquam tamen mentionem fecit de suscepto ab eo monastico instituto; ne dum de iacto ibi per ipsum cœnobiticę vitę fundamento: quod certè minime prętermisisset Basilius, si ita se haberet.

110 Sed, & illud vt multo magis falsum reijcit Baronius ibidem num. 52. quod nimis temere aliqui asseruerunt, illum scilicet insignem cõmentarium Sancti Basilij Ecclesię doctoris, de regulis, quibus Monachi simul victuri essent, instituendi, fuisse à dicto Eustachio, & non à Sancto Basilio elaboratum: cum contrarium ex attestatione omniũ ferè, pręcipuè Sancti Gregorij Nazianzeni, vt ait ipse Baronius, exploratissimum habeatur, atque hoc in dubiũ reuocasse, summa stultitia iudicetur.

111 Quis igitur dictę Sectę Eustatianorum originem tribuit? Respondet primo Baronius num. 53. Id sanè remanere incertum: deinde addit (hęc additio valdè mihi placet) per sequentia verba. Moueor, inquit, interim cõiectura, vt loco Eustachij Eustactus reponendus sit; facilè enim in scribendo error potuit irrepsisse, vt pro Eutacto, quod esset nomen exoticum, sciens, volensque librarius Eustatium pręscripserit. Mentio namque est de Eustato Monacho Armeno apud Epiphanium heres. 40. quem vixisse ait Constantij Imperatoris temporibus, ipsumque educatum refert in Palęstina à quodam Petro professione Anachoreta, reuera autẽ impostore. Qui, inquit, reuersus ad suam patriam, multos eiusdem paruę Armenię polluit, corruptis quibusdam diuitibus, & quondam Senatorij Ordinis, & multis spectabilibus viris, per quos illustres homines multos illic perdidit. Verum Dominus citius ipsum è vita sustulit: relictos autem ab eo esse libros, vt confectos heresi-

113 bus, &c. Illas post eius obitum ex Eutacti libris ipsius discipulos promulgasse, &c.] Hęc cum D. Epiphanio, Baronius, ex quibus, iam clare constat de origine, & de auctore Sectę Eustachianorum, siue Eutactorum.

114 Superest vt ex dictis aliquos ex eius heresibus, quę à Scriptoribus asseruntur, breuiter exprimamus, maxime cum citatis S. Epiphanio, & Baronio. Primo Eutactus, & discipuli eius damnarunt nuptias, virosque cum vxoribus dormientes execrabantur. Pręterea interdicebant, ne in domibus coniugatorum oratio fieret, & coniugia multa legitimè inita dissoluebant. Ita ex Socrate lib 2. cap. 23. & Sandero heres. 59. tradũt Baronius anno 361. num. 55. & Gualterius cap. 15. seculi quarti. Eundem errorem, vt vidimus, tenuerunt Marionitæ, & Manichæi.

115 Secundo, Ijdem Eutactei secũdum Epiphanium heres. 40. quamplures homines præcipuè simpliciores, habitu solitario decipiebãt, quod declarat Baronius num. 54. nempe nouum quemdam amictum sanctitatem præseferentem eos gestare consueuisse; vnde fiebat, vt circumspecti cooperti pallio huiusmodi contemnerent alios, qui breuioribus vterentor indumentis, birris scilicet, velaliter variatis.

116 Tertio, De illis dicto num. 54. Ipse Baronius sic. Quod insuper, inquit, ijdem sectarẽtur instituta Petri illius Palęstini Eutacti magistri, quem Epiphanius refert, quotidianas erogasse eleemosynas; inde potuit accidisse, vt ijdem oblationes ad erogandas in pauperes sibi dari, Populo persuaderent; aduersus quos hæc decernentes sanciti fuerint in synodo Gangrensi canones septimus, & octa-

117 uus.] hæc ille. In quibus licet non appareat error aliquis, aut quid vitiosum, suberat tamen fortè aliqua superstitio contra vsum Ecclesię, quandoquidem prohibitio dictę Synodi subsecuta est, vel eo quod absque scientia Episcopi fiebant, vt exprimit idem Baronius numer. 55.

118 Quarto, Tenuerunt Eutacti Sectatores, esse contemnendos, & inculcandos illos presbyteros, nec oblationem ab eis accipiendam, qui cum adhuc laici existerent, vxorem legitimè duxerant. Ita cum Socrat. & Sander. citatis, ibidem, Baronius, & Gualterius cap. 15. seculi quarti num. 20.

119 Quinto, Hortari solebant fœminas sub cõtinentię pretextu, mutare habitum, ac induere virilem vestem, capillos amputare, atque relinquere viros suos. Afferunt Niceph. lib. 9. cap. 16. Prateolus verb Eustachius, seu Eustactus, & Baronius vbi supra.

120 Sexto, Sanctorum Martyrum Sepulcra, & Ecclesias detestabantur, immo quascunque Ecclesias, in quas fideles promiscuè conueniřẽt, contemptibiles esse censebant, suadebãtque suis sequacibus, vt in domibus proprijs orarent, ac communionem acciperent. Ex Socrat. & Sander. relatis adducunt ibidem Baronius, & Gualterius num. 8.

121 Septimo, Tuebantur etiam posse filios sub prætextu diuini cultus præferendi, & religionis obtentu, parentibus suis esse ingratos, & eis vicem non rependere; similiter posse, ac debere à seruis, sub eodem pretextu ipsorum dominos contemni. Ferè totidem verbis adducit Baronius dicto num. 45.

122 Octauo, Ex præscripto Eustacti, sequaces eius propter continentiam die dominico ieiunare consueuerunt. Ieiunia vero ab Ecclesia vniuersali seruari solita, omnino contemnenda, & non seruanda indicarunt. Cum Socrat. & Nicephor. locis citatis tradunt Baronius ibidem, & Gualterius cap. 5. seculi quarti num. 4.

123 Nono, Tandem memorias sanctorũ Martyrum execrabantur, & quosuis Sanctos nullo modo esse venerandos, neque inuocandos cẽsebãt Eutactiani. Ita Prateolus vbi supra, & Baronius dicto anno 361. & num. 55. Qui ibi-

124 dem concludit, hos omnes errores Eutacti, & discipulorum eius, per Concilium Gangrense fuisse damnatos.

125 Sequitur dicendum de Aerianorum Secta, & qualiter ab Aerio instituta, indicandum. Huc fuisse discipulum Eustatij in schola Arij, & in perdiscendo Aerianismo, ex D Epiphan. heres. 75. tradunt Baronius anno 361. nu. 49. & Prateolus verb. Arriani, seu Aerij, qui de

6 eo sic asserit. Hic porrò, inquit, teste Augustino lib. quem de hæresibus inscripsit c. 53. cum esset presbyter, ægrè ferens, non posse se Episcopi dignitatem, quam modis omnibus ambiebat, assequi, in Arianorum ea de causa lapsus hæresim, propria quoque dogmata illi addidisse dicitur.] Hæc ille; sed quænam ista dogmata?

7 Primo, Aerius cum suis Asseclis errauit in eo quod teneret non esse orandum, neque offerendum sacrificium pro defunctis, neque Missas applicandas pro peccatis, pro satisfactionibus, aut pro alijs quibusuis Ecclesię necessitatibus. Contra id, quod disponitur in cap. animæ, & cap. pro obeuntibus, distinc. 13. quæst. 1. & Eccles. 7. habetur: Mortuo non prohibeas gratiam. Ex Epiphanio hæres. 75. S. Augustinus de hæres. num. 53. & ex Osio lib. de Sacramentis cap. de Sacramento Pœnitentiæ affert ibidem Prateolus.

9 Secundo. Nullam differentiam inter Episcopos, & simplices Sacerdotes reperiri, sed prorsus esse æquales, Aeriani affirmabant. Prēter D. Epiphanium, & D. Augustinum citatos meminerunt huius erroris Alfonsus à Castro verb. Episcopus, hæres. 1. Sander. hæres. 69. & Prateolus verbo Aeriani.

10 Tertio, De Aerio ex Epiphanio hæres. 65. sic ait Gualterius cap. 16. seculi quarti, nu. 5. *Pascha, inquit, non esse celebrandum prædicabat, eo quòd Pascha nostrū Christus immolatus est;* inde nimirum ansam arripiens amoliendi hoc mysterium, vnde id fundandum, & stabiliendum est,] ita ille.

131 Quarto, Concordantes ex parte cum Eustateis, ieiunia iniuncta ab Ecclesia, prēsertim diebus Mercurij, Veneris, & Quadragesimæ contemnebant Ariani, eligentes potius Dominicum diem ad ieiunandum, quam alium.

132 Quinetiam ieiunium in illud tempus, quod vnicuique placeret, ne lege astrictus videretur, remittendum esse voluerunt. Ita cum citatis Epiphanio, & S. Augustino de hæresi numer. 53. & Alphons. à Castro verb. ieiunium hæres. 1. Gualterius cap. 16. seculi quarti nu. 3. & 4.

133 Quinto, Vt testantur Philastrius in catech. S. Augustinus de hæres. num. 53. & Alphonsus à Castro verbo cibus hæres. 1. Aeriani se se à carnibus abstinebant, idque non veteri Ecclesiæ Catholicæ consuetudine; sed noua superstitione, vt ipsius Ecclesiæ decretis se opponerent. Ita Gualterius cap. 16. seculi 4. num. 7.

134 Sexto. Aeriani denique nolebant vllo modo admittere ad suam communionem, nisi continentes, & qui se Mundo, omnique possessione, & proprietate abdicassent: in quo etiam errarunt, vt vidimus supra Encratitæ, & Apocatici. Cum S. Epiphanio, & S. Augustino relatis adducit ibidem Gualterius nu. 6.

135 Restat explicanda tertia secta Aetianorum, seu Eudoxianorū, seu potius Eunomianorum, pro qua triplici nomenclatura, & origine, ac qualitate sectæ huius, auctorisque eius complete ostendenda, affert plura Baronius anno 360. num. 34 & seqq. vsque ad 43. ex Sancto Basilio, Theodoreto, S. Epiphanio, Sancto Hieronymo, S. Augustino, & a'ijs citandis.

136 Summa omnium est, quod Aetius cognomento Impius, homo sordidissimè auarus, vt ait Gualterius cap. 17. seculi quarti, oriundus ex Syria, & loco Cælesyriæ, disputator admirandus, teste Nicephoro lib. 9. Histor. cap. 17. & affert Prateolus verb. Aetiani, maxime in altercationibus, ac fallacijs ludificantibus extiterit; eo quod Episcopo Eudoxio Arriano (ab isto Valens Imperator baptismum suscepit) vt ait Gualterius cap. 17. seculi 4. se se adiungens, sic Arianismo, & alijs erroribus excelluerit: quod item ille in discipulum, & & Secretarium susceperit Eunomium, & tales huius progressus in schola illius fecerit, vt Magistrum suum in omnibus, præcipuè in inuentione nouarum hæresum, valde superarit.

137

138

139 Hinc factum vt eorum sequaces diuersis sint nominibus appellati, nimirum Eudoxiani, Aetiani, & Eunomiani, seu Eunomei, sed prēualuit semper appellatio Eunomiorum.

140 De hoc pessimo homine Eunomio ita Sanctus Basilius lib. 1. aduersus Eunomium, vt affert Baronius anno 360. num. 25. Eunomius, inquit, iste Galata, qui e rebus sibi ipsi turpissimis factus illustrior, cum futuris pietatis præmijs eum honorem prætulisset, qui ipsum consequeretur, si quæ nullus vnquam attigit, conscripsisset blasphemiam, quam pressis adhuc labijs aliqui obloquebantur splendidis his scriptis suis ausus est prēdicare, Princeps enim atque defensor totius hæresis appellari concupiuit. Ita ille.

141 Addit verò ad dicta Baronius. Cum Eunomium, inquit, appellat Galatam, erroris arguitur Sozomenus lib. 7. cap. 27. dum eum patria Cappadocem fuisse tradit, ex eo deceptus, quem, quod constat, vixisse in Cappadocia, natum ex ea Prouincia existimauit: homo certè nequissimus, & si quis alius vnquam immenso tumore mentis elatus; etenim quò eius processerit fastus, vel insania potius, vix credibile videtur. Nam de eo Theodoretus

142 lib. 4. hęret. fab. hæc ait: Ausus est enim dicere, nihil se ex rebus diuinis ignorare, sed ipsam etiam diuinam substantiam exactè nouisse; eamdemque de Deo se habere cognitionem, quam de seipso habeat ipse Deus. Hoc eius furore perciti, qui sunt execrandæ illius Sectæ participes, audent, & apere dicere se ita Deum nosse, vt ipse seipsum.] Hæc cum Theodoreto Baronius.

143 Verùm præter dictum, iam reliquos in particulari Eunomij, & Eunomianorum errores indicemus. Secundo, negarunt Eunomius, & eius asseclæ, Deitatem Filio Patris æterni, carnemque assumpsisse. Ita Sanctus Epiphanius hæres. 76. & exprimit Baronius anno 360.

144 num. 38. sic. Sed etsi, inquit, ad inferiora descendas, videas quid docuerit in Ecclesia homo scientia Deo non impar, qui Filium Dei negauit Deum; nec Verbum homine factum, Ioanne iste sapientior, affirmabat.] Hæc Baronius.

145 Tertio, Hostes infensissimi fuerunt Sanctissimæ

ctissimæ Trinitatis, non solum negantes Consubstantialitatem Diuinarum personarum, ac quidquam simile inter eos reperiri, sed etiam Filium, & Spiritum sanctum esse dumtaxat creaturas asserentes. præter Epiphanium citatum, affert S. Augustinus de hæres. 54.

146 Quarto, In eodem hostili animo procedebat, quod quælibet signa repræsentantia Sanctissimam Trinitatem amouerent, teste Baronio dicto anno num. 40. vt trinam in baptis-
147 mo fieri solitam immersionem. Hinc rebaptizabant isti quosuis etiam ex Arianismo ad sectam Eunomij trãseũtes, baptizatos prius vera Ecclesiæ Catholicæ forma in nomine
148 Sanctissimæ Trinitatis. Rebaptizabant autem forma quadam ab eis inuenta, nempe in nomine Dei increati, & in nomine Filij creati, & in nomine Spiritus sancti creati ab alia creatura. Ita ex D. Epiphanio hæres. 75. & 76. adducunt idem Baronius num. 39. & 40. atque Gualterius cap. 17. seculi quarti nu. 3. & 4.

149 Quinto, Circa baptismum etiam errarunt Eunomiani vtentes diuersis modis baptizandi ad hunc finem, ne aqua alia membra, quã quę supra pectus sunt, dum quis baptismum susciperet, abluerentur. Hinc hominem baptizandũ supra subsellium inclinatum ponebant, foras tantum capite prominente: vel hominẽ in baptisterio positũ totum pannis inuolutũ vsque ad vngues, parte superiori pectoris cũ capite nudo relicto baptizabant. Totidem ferè verbis affert ex Theodoreto lib. 4. hæret. fabul. Baronius dicto anno 36. num. 40.

150 Sexto, Cum S. Epiphanio hæres. 76. de Eunomianis, sic ait Gualterius dicto cap. 17. num. 5. Eorum, inquit, quos rebaptizant, caput quidem deorsum conuertebant, eosque sic constitutos iurare cogebant, nunquam se ab ipsorum secta recessuros.] Hæc ille.

151 Septimo, Duplicem errorem Eunomij, & sequacium eius assignat Diuus Hieronymus tom. 2. aduers. Vigilan. per sequentia verba, vt habetur apud Baronium dicto anno 40. Rides, inquit, de reliquijs Martyrum cum auctore huius hæreseos Eunomio, Ecclesijs Christi, calumniam struis, nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ illa contra Ecclesiam loquitur: omnes enim Sectatores eius basilicas Apostolorũ, & Martyrum non ingrediuntur, licet nostrum adorent Eunomium, cuius libros maioris æstimationis arbitrantur, quam Euangelia, & in ipso credunt esse lumen veritatis.] Ita
152 Sanctus Hieronymus, qui infra de eodem Eunomio addit, teste eodem Baronio, quod scilicet Porphyrius impiè detraxerit miraculis Sanctorum Martyrum, dixeritque esse pręstigias dæmonum.

153 Octauo. Quod de origine item, & creatione animæ malè senserint Eunomius, & Eunomiani, testis locupletissimus Sanctus Gregorius Nissenus lib. de anima cap. 6. ipsos quoad hoc redarguens, vide Baronium num. 39.

154 Nono, De vita, & doctrina hæretica Eunomij, & Magistro eius Aetij, sic testatur Baronius ibidem num. 49. Sed qualis, inquit, doctrinę Eunomius, talis, & vitæ moribus fuit, quippe Discipulus Aetij asserentis absq; peccato licere se carnis libidinibus quomodocũque polluere, sicque omni ex parte turpissimus, à quibusnam putandus se temperasse impudicitijs, quas censeret sibi perpetrare fas esse? Hæc ille.

155 Decimo, Eunomius cum suis asseclis secretos conuentus cogere consueuit, atque hinc Eunomiani appellati fuerunt Troglodytæ, vt cum Theodoreto lib. 4. hæretic. fabul. addu-
156 cit Baronius dicto numer 41. Quamquam Gualterius cap. 18. seculi 4. cum Prateolo, verbo Troglodytæ existimat hos fuisse Iudeos, quorum error in eo versabatur, quod in quibusdam occultis speluncis residentes, & Idola colerent, & execranda facinora perpetrarent, vt habetur Ezech 8. Ita Gualterius ferè totidem verbis.

157 Vndecimo, Secundum D. Augustinum de hęres. num. 54. & afferunt Baronius anno 360. nu. 38. & Gualterius cap. 17. quarti seculi nu. 6. Eunomiani tenuerunt, & iactarunt sufficere fidem ad salutem æternam, etiamsi grauia, & enormia quis delicta perpetraret, atque in eiusdem diù perseueraret, modò crederet non
158 sibi ea imputari. Ab his magistris Hæretici Caluiniani, & alij nostri temporis talem doctrinam erroneam didicerunt, & quoad hos illorũ vestigia sectantur: hanc inter vtrosque collationem tam Baronius quam Gualterius ibidem proponunt.

159 Duodecimo, Verbis Ruffini lib. 5. cap. 25. & S. Hieronymi de Viris Illustribus, longæuũ Eunomij senium, & mortem depingit Baronius dicto anno 360. num. 41. Vir corpore, inquit, & anima leprosus, & interius exteriusque morbo regio corruptus.] Ita ex Ruffino
160 Baronius, addens immediate: Magno namque damno fidelium, vitã longius Eunomius propagauit. Siquidem anno decimo quarto Theodosij Imperatoris, adhuc superstes erat, quando Sanctus Hieronymus scribebat Commentariolum de Viris Illustribus; de quo cũ
161 meminit, ait: Vsque hodie viuere dicitur in Cappadocia, & multa contra Ecclesiam scribere. Respõderunt ei Apollinarius, Dydimus, Basilius Cęsariensis, Gregorius Nissenus. Hactenus ille.

162 Tandem de Secta Eunomij, & de alijs ramis Arianismi, ita concludit Baronius num. 43. Iam vides, inquit, lector, ex infelici radice Arianæ hæresis, tam praua germina propagata, nempe Eusebianos, Aetianos, Photianos, Eudoxianos, Acatianos, Eunomianos, Macedonianos, atque Prateyanos, quorum memi-
163 nit Theodoretus lib. 4. hæretic. fabul. Qui impiè dixerant, idem esse in Deo gignere, atque creare. Quibus adiungit Cyrtianos, atque Dulianos, qui Dei filium Patris seruum phanaticè dixerunt.] Hęc Baronius, quibus pręsenti regulę iam finem imponimus.

Quid de Sectis Eupsychianorum, Agnoitarum, & Antihomousiatarum? Quid de Iuliano Apostata, & Zaccheo Hæretico.

REGVLA CCXXXVII.

164 EX Schola, seu institutione prædicti Eunomij prodierũt duo hæresiarchæ, Eupsychius scilicet, & Theofronius: quorum alter ob certam quæstionem inter Eunomianos, ac ipsum ortam, ab eis recedens propriæ Eu-165 psychianorum sectæ auctor extitit. Alter verò ob peculiarem errorem ab ipso inuentũ circa Dei scientiam, à grege Eunomianorum expulsus separatam Agnoitarum sectam insti-166 tuit. Dux item Antihomousiatarum fuit Valens Mursianorum Episcopus, cum Arianismũ sequens, id quamuis non ita esse fingeret: ad abstinendum à nomine οὐσία, idest, substan-167 tia, alios induxerit. Tandem statum monachalem profitentes, duo lapsi sunt, Iulianus, & Zacheus, hic in pecu'iarem hæresim, ille in Apostasiam à fide, seu Idolorum cultum.

---

168 VErsamur adhuc in germinibus Arianismi, & Eunomianismi indicandis qualia sunt, triplicis sectæ Antihomousitarum Agnoitarum, & Eupsychianorum, quibus in præsenti regula adiungimus Iulianum Apostatam, & Zacheum hæreticum, eo quod pauca dicenda à nobis de vtroque, haud sint sufficientia ad constituendas regulas separatas, atque ob eandem rationem cogemur quandoque idem in sequentibus præstare, & varia ex seipsis separata coniungendo miscellanea proponere.

169 Quod Eupsychius, qui a nõnullis Eutychius appellatus, fuerit Eunomij assecla, constat ex Sozomeno lib.7. cap.17. & ex Nicephoro historiæ Ecclesiasticæ lib.12. cap.30. qui vt refert Prateolus verbo Eupsychiani, originem, & causam nouæ sectæ per illum institutæ hunc in modum ostendit.

170 Sectatores autem Eunomij, inquit, in diuersas post eius obitum discessere Sectas. Nam non multo post Eupsychius quidam nomine in Vrbe Constantinopolitana propter frigidã quandam quæstionem ab Eunomianis seiunctus, suæ ipse quoque hæresis auctor extitit.

171 Quum namque quæstio orta esset, an Filius extremam horam nouerit? & plurimi Euangelica dicta proferentes, ne ipsum quidem horam eum scire dicerent: Eupsychius sentẽtia sua in scriptum relata confirmauit Filium non expertem eius cognitionis esse, qui à Patre omnia locupletissimè acceperit.] Hæc Nicephorus: & ex eo Prateolus. Neuter tamen,

172 nec Gualterius cap.26. seculi quarti, vbi de Eupsychianis breuissime agit, neq; vllus alius quod sciam, aliquem peculiarem Eupsychij

173 errorem exprimunt. Vnde apparere videtur, quod fuerit auctor Sectæ distinctæ tãtùm quoad denominationem, nempe quod seiunctus ab Eunomianis ob causam dictam ex proprio suis sequacibus Eupsychianorum nomen dederit.

174 Progenitor item Agnoitarum fuit Theophronius quidã genere, & patria Cappadox, qui prius Eunomij institutione inter Eunomianos adnumratus, postea, vt auctor est Nicephorus lib.12. cap.30. eo quod nollet Magistri doctrinę acquiescere, sed proprio errori circa Dei scientiam firmiter inhæreret, suorũ etiam popularium odio expetitus, ab ipsis

175 Eunomianis reiectus est. Hinc origo Sectæ Agnoitarum institutæ à dicto Theophronio, quem citatus Nicephorus etiam Themistium vocat, quod affert Prateolus verbo Agnoitæ.

176 Sed qualisnam Theophronij error circa Dei scientiam? Accipe expressionem eius ex eodem lib.12. cap.30. vt refert Prateolus verbo Agnoitæ, & verbo Theophronius, vtrobique eadem repetens. Quod namque, inquit, curiosus maxime esset, ex omnibus, quæ in sacris scripturiipositа sunt, collegit, quod Deus id quod non extat, præsciens, id autem quod extat sciens, atque id quod ex titit memoria tenens, non, eodem semper modo se habeat, vtpotè qui cognitionem transferat ad præsentia, ad futura, & ad præterita.] Hæc ille: ex

177 quibus concludit Gualterius cap.27. ipsum tenuisse quod Deus in sua scientia sit mutabilis.

178 Notat autem benè citatus Prateolus verbo Agnoitæ, ex eodem Nicephoro lib.18. cap.50. Hanc sectam Agnoitarum tempore Valentis Imperatoris, quo excitata fuerat circa annũ Domini 365. fuisse equidem extinctam; postea tamen imperante Mauritio denuo productam per Seuerum quendam Arephalum, & Philoponum Alexãdrinum Grammaticum, plebemque imperitam pręcipue ea infectam

179 mansisse. Et hinc factum vt eius sequaces Seueritæ à Seuero etiam vocari consueuerint Similiter Theodosiani à Theodosio quodam inter ipsos famoso hęretico, & Consobalditæ à loco peculiariter denominati tali nomine.

180 Proprius, istorum maxime, est ille error expressus à Prateolo citato loco per sequentia verba. Hi verò, inquit, dicebant, Deum quidem Verbum omnia nosse: humanitatem autem secundum substantiam ei vnitam, multa ignorare: nescire tamen horam, & diem Mũdi totius cõsummationis, vtpote Patre minorem: propterea quod in Euãgelio Matthęi 24. & Marci 13. dicitur: De die autem illa, & hora nemo nouit, neque ipsi Angeli in cœlis, neque adeo Filius, præter quam Pater solus.] Ita Prateolus de tali errore illorum, ex quo voca-

181 ti sunt Agnoitæ. Quibus dicta verba [Euangelistarum petra scandali fuerunt, hinc affirmantibus Christum Dominum etiam quoad Diuinitatem, vt ex Isidoro addit idẽ Prateolus, ignorasse diem, & horam nouissimam Mũdi, & Iudicij vniuersalis: cum certissimum de fide sit, etiam quoad Humanitatem, cognouisse eam, iuxta illud Apostoli ad Colos. 1. In quo sunt omnes thesauri sapientię, & sciẽ-

tię

tię Dei absconditi, & illud Isai. 30. loquentis in persona Christi. Dies iudicij in corde meo: nec vllus Catholicorum contradicit.

182 Ad prædicta autem Euangelistarum verba in vero sensu intelligenda, diuersæ adhibentur ex sanctis Patribus, & Doctoribus interpretationes, quas videas apud nostrum Ioannem Maldonatum in cap. 24. Matth, per ipsum aliquas eorum reiectas, aliquas approbatas,

183 maxime illam, quod Particula, *neque filius*, possit connotare speciem, vel causam: si speciem, significabit, Christum humano intellectu nescire diem Iudicij, quod prorsus falsum est, & hęreticum, contra adductum textum ad Coloss. 2. vbi sine dubio loquitur S. Paulus de Christo quoad humanam naturam. Si causam cõnotet, sensus erit, & verus, ignorari à Christo diem Iudicij, eo titulo quod homo sit, nã causa sciendi illum est Diuinitas, & si homo fuisset tantum, quantumuis perfectus à Deo creatus, ignorasset ipsum, sicuti Angeli ignorant, quãuis perfectissimum, & gratissimi Deo

184 sint. Omitto aliam interpretationem veram, quam magis approbat idẽ Maldonatus, quod particula *neque filius* connotet officium proprium Patris æterni, & sit exponenda in eo sensu, quo exponuntur illa Christi verba, Sedere autem ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Matth. 10.

185 Alium item errorem tribuit Nicephorus lib. 11. cap. 11. suæ historię Ecclesiasticę dictis Agnoitis in collatione baptismi, & sequacibus Theophronij, quod non in Trinitatem, sed Christi mortem, baptizandi sint homines. Affert Prateolus verbo Theophronius, addolens

186 ibi circa idem errasse Eupsychium, & eius asseclas Eupsychianos, tametsi ipse in proprio loco nempe verbo Eupsychiani, nequaquam

187 huius erroris meminerit. Nihilhominus si verè eis competit secundum Prateolum, retracto ad quod paulò ante dixerã, fuisse institutam ab Eupsychio separatam sectam Eupsychianorum, tantum quoad denominationem.

188 Sequitur agendum de Antihomousijs Dux eorum, inquit Gualterius, fuit Valens Arianus Mursianorum Episcopus, qui coram Episcopis in Concilio Ariminensi congregatis, ad eos facilius decipiendos, se nequaquam esse Arianum contestatus, illis in animum induxit abstinendum esse à nomine οὐσία, idest, substantia, siue essentia: tum (aiebat) quia non extat in scriptura, tum ad habendam pacem

189 in Ecclesia. Qui tamen postea dolo perspecto, & sententiam mutarunt, & Liberio Romano Episcopo se se adiunxerunt. Hactenus Gualterius cap. 25. seculi quarti cum D. Hieronymo in Dial. contra Luciferum. Sand. hæres. 77. & Baronio anno 365. num. 13. Quibus propago ista Arianismi satis manifesta apparet, nec quidquam amplius addendum.

190 Verum quod de Iuliano Apostata ex Sozomeno lib. 4. Nicephoro Calix. lib. 10. Sancto Gregorio Nazianzeno orat. 1. in Iulianum; & ex alijs antiquis scriptoribus, eius natalem, progressum vitæ, res gestas, atque infœlicissimum obitum, retexunt Prateolus verbo Iulianus Apostata Imperator, & Baronius to. 3. annalium Ecclesiasticorum anno 337. ac 345.

191 & sæpius in sequentibus. Genitus scilicet ex Constantio fratre Constantini Magni, & ex Theodora Maximiliani filia, vna cum Gallo eius fratre natu maiore, crine deposito, clericatu iussu Patris initiatus, quo vtrique spes omnis affectãdi Imperium amputaretur. Immo ipse Iulianus monasticam vitam amplexus, ad occultandam magis prauam animi sui

192 intentionem. Postea à patre Constantio Cęsar creatus, & in administratione Imperij, socius ei coniunctus post mortem, seu occisionem fratris Galli, eadem Cæsaris prærogatiua prius insignito, iubente patre inflictam. Dein

193 Dux magni exercitus contra Gallos à Constantio missus, ab eodem exercitu mortuo Patre, Imperator acclamatus, tandem à militibus miserrimè interfectus. Hæc fusius expressa apud citatos auctores inuenies, nobis attigisse sit satis, vt iam pauca nostri instituti propria breuiter etiam expendamus.

194 Primo, Valde deditus fuit Iulianus magicis disciplinis, & imbutus eis, pręcipue dæmoniacis, per magistros suos Mardonium, & Maximum Philosophos Gentiles, & alios, quos Pater Constantius ad petitionẽ filij ipsi concesserat sub honesto addiscendæ Philosophiæ naturalis pallio, eisq; sæpius adhibebat, ad edẽda vestigia pro captãdis respõsis de futuro, quod

195 vehementer ambiebat, Imperio. Neque peculiaris vigilantia Patris, qui Iuliani custodiam adhibuerat, ne à Christiana pietate deflecteret, & curam educationis Eusepio Episcopo Nicomediensi commiserat, impedire vllo modo potuit, quin progressu ætatis semper ad dictum finem cum Magicis, & Necromanticis versaretur. Ita ex Ammiano lib. 22. & ex Theodoreto lib. 3. cap. 3. ex Gregorio Nazianzeno citato affert Baronius annò 345 à num. 8. & anno 351. à num. etiam octauo.

196 Secundo, Cum à prædictis suis Magistris Mardonio, & Maximo, Iulianus ethnicismo imbutus fuisset, vt auctor est Eunapius Sardianus in vit. philos. apud Baronium an. 345. num. 8. & animum ad ipsum applicasset; non solum à vita monastica recessit, sed à fide etiã Catholica totaliter apostatauit, Idolisque, seu dęmonibus incantationibus exercẽs, honorẽ, & cultum exhibere cœpit. Primo occulte, &

197 sub silentio, tum ob metum Constantij, sub patria dum adhuc esset potestate; tum ab ea iam liber, mortuo patre, ob stabiliendum collatum sibi à militibus, nuper Imperium, finxit se Catholicum esse, ac Religioni Christianæ fauere. Postea vero, vt ait Ammianus lib. 21. quod clanculum paucis arbitris sibi amicitia, & superstitione coniunctis, agere solebat, iam palam facere nou erubuit, vt ipsemet Iulianus fatetur in epist. ad Maximum suum præceptorem, teste Baronio anno 360. numero 5.

198 Deos, inquit, publicè & palam colimus, & totus meus exercitus pietatẽ amat. Nos apertè

boues

boues immolamus dijs, gratias agentes multis hecatombis. Hæc, & alia ibi Iulianus, qui 199 magnus extitit idolatriç Propagator, & eam quoad potuit in integrum restituit. Ita Prateolus citatus.

200 Tertio, Tametsi Iulianus signo Crucis dæmonem apparentem, dum inuocatio eius à præstigiatore fieret, inopinato abegerit, vt ex Theodoreto refert Baronius anno 355. numero 9. Sanctam nihilominus Crucem, & eius signum, & imaginem hostiliter insectatus 201 fuit. Nam Crucis signum in capite Vrbis Constantinopolitanæ à Constantino positum, à Iuliano obrutum, & destructum; crux item erepta ab eo vexillis, Labaro Ethnico in pri-202 stinam formam restituto; Sanctæ etiam Crucis, & Sanctorum veneratio ab ipso Iuliano Apostata damnata, Christianisque exprobrata, de his cum Diuo Cyrillo Alexandrino lib. 6. in Iulianum, ex lib 10. Cardinalis Baronius anno 362. num. 27.

203 Quarto, Imaginem Iesu Christi Pancode Vrbe Phoeniciç ab Euãgelica Hemorrhoissa ad honorem illius erectam, ad cuius pedes, vt testatur Eusebius lib. 7. cap. 17. nascebatur herba incognita, & inusitata, quæ perueniens ad fimbriam vestimenti imaginis, virtutem habebat curandi omnes morbos; Iulianus Apostata abstulit, ac suam statuam in locum eius reposuit. Sed ecce illico ignis de cœlo descendens statuæ Imperatoris Iuliani caput à trunco, non secus atque olim Idolo Dagon 1. Reg. 5. discidit, ex Sozomeno lib. 5. c. 10. adducit Gualterius noster c. 19 quarti seculi n. 3.

204 Quinto, Quanto propensius, & affectuosius Iulianus Apostata adhesit Ethnicismo, & adorationi falsorum Deorum, tanto maiori odio, ac despectui cultum Christi Iesu veri Dei habuit, crudeliusque Christianos omnes di-205 uersimode persecutus est. Primo, ab aulæ dignitatibus, & Reipublicæ administratione 206 eos remouit. Secundo, ab ipsis sub prætextu Persici belli ingentem pecuniarum sum-207 mam extorsit. Tertio, eosdem per Prouin-208 ciarum Præfectos maximè vexauit. Quarto, iuuentuti Christianæ liberalibus Græco-209 rum studijs interdixit. Quinto, libros Christianorum despexit, & damnauit. Sexto, Fi-210 dem Christianam, scriptis etiam libris oppugnatam, peruersus Iulianus reiecit. Ita ista ex Nicephoro Calix. lib. 10. cap. 24. 25. & 34. colligit Prateolus vbi supra.

211 Sexto, Nomen denique Christianorum adeo execrabile Iuliano Apostatæ erat, vt eos semper non Christianos, sed Galilæos nominaret in vilipendium eorundem, publicoque edicto sanxerit, vt simili modo ab omnibus nominarentur Galilæi, vt patet ex Gregorio Nazianzeno orat. 1. in Iulian. & ex D. Chrysost. contra Gentil ibi sic dicente, vt re-212 fert Baronius citatus: Adeo Christianum nomen, tunc vt extingueretur, quoad eius fieri poterat elaborabat, Galilæos pro Christianis nos in edictis, tunc ipse appellans, tum 213 Principes, vt id factitarent adhortans] Qui etiam Dominum nostrum Iesum, non Christũ, sed Galileum nominare consueuit, cum eodẽ vilipendio, idque seruauit vsque ad vltimum tempus infelicissimæ suæ mortis. Nam tradunt, inquit, Prateolus relatus, eum ex inflicto vulnere cum iaceret, vt animam ageret, manum sanguine plenam ad Cœlum proiecisse, & dixisse: Vicisti tandem Galilæe, Christum 214 significare volentem. Proinde factũ est impietate Iuliani, vt Imperium à Nobilissima Constantini familia translatum sit. Hæc ille de Iuliano infensissimo hoste Christi Domini, cui honor, & gloria &c.

215 De Zaccheo Hæretico, vltimo loco, cum D. Epiphanio hæres. 80. & in Anaceph. & cum Baronio anno 361. num. 42. & tom 3. breuissime agendum. Ad tria capita reducuntur, quæ de eo dici possunt huc spectantia. Primo, quod non iuxta vitam monasticam, quam diu pro-216 fessus fuerat, viueret. Secundo, quod ex arrogantia quadam diabolica, cum nullo mortalium orare vellet, sicque expedire ex mentis 217 errore iudicaret. Tertio, quod in statu laicali cum esset, officium proprium Ecclesiasticorum sibi assumeret, nec formidaret sacra mysteria, & sacrificia tractare. Ita cum citatis Epiphanio, & Baronio Gualterius cap 20. seculi quarti. Atque hactenus de contentis in titulo Regulæ.

Vndenam origo sectis Messalianorum, siue Euchitarum, Seleucianorum, seu Hermianorum, & Proclianitarum?

REGVLA CCXXXVIII.

218 DVo Messalianorum genera à pluribus assignantur (quidquid S. Augustinus contradicat, vnum tantum admittens) alterũ deriuatum ab Ethnicis, plures Deos admittentibus, sed vnum solum vti omnipotentem adorantibus: alterum originem ducens ab Adelphio, Seleucho, Herma, & ab alijs Christianis, maxime Monachis, qui peculiarẽ, antiquis erroribus adiungendo nouos, sectam cõstitue-219 runt. Prædicti item Herma, & Seleuchus simili via alterius sectç Seleucianorum, seu Her-220 mianorum progenitores censentur. Quorũ etiam ramus pari modo est secta Proclianitarum, statim cum illis magis declaranda.

---

221 PRæcipuus auctor assignans duo genera Messalianorum, fuit Sãctus Epiphanius hæres 80. ex quo alij sumpserunt præcipuè Recentiores, vt Baronius, & Gualterius citandi.

222 Nec contradictio D. Augustini de hæres. n. 57 quidquam vrget. Nam ibi, cum attente legerim, nõ inuenio ab eo negari, quod alij distinguunt, & affirmant, sed tantum adduci secundum genus.

223 Ad exprimendũ primũ Messalianorũ genus, nihil oportunius occurrit, quã si vtamur verbis Baronij anno 361. n. 35. Sed hic primum, inquit, altiùs est repetẽda ex Epiphanio Messalianorum origo. Secta illa erat non ex Christianis, vel Iudæis Samaritis comparata, dicta

Euphemitarum, sed ex Gentilibus, qui cum plures Deos assererent, non nisi tamen vnum adorarent, quem dicerent Omnipotentem, hique solerent in publicis à se ædificatis oratorijs, conuenire precum causa. Os
224 quoque se ipsos nominasse Martyrianos, quod cum Gentiles à Prouinciarum præsidibus persecutionem sint passi, & complures eorũ occisi à Lupicino pretore, idem Epipha-
225 nius tradit: sed & Satanianos se appellasse, propter cultum, quem exhibebant Satanæ, ne ab eo læderentur; idem affirmat] Hæc Baronius, & vix superest quidquam dicẽdum de
226 his Messalianis primi generis, qui à precibus sic dicti sunt, teste eodem Baronio, sicut & alij statim explicandi.
227 De Messalianis secundi generis, ex quibus præcipuè constat secta communiter Messalianorum dicta, affert idem Baronius numero 34. diuersa cum dicto Epiphanio citato, & Theodoreto hæretic. fabul. lib. 4. capite 3. quorum aliqua proprijs ipsius Ba-
228 ronij verbis accipe. Penetrauit, inquit, eiusdem quoque serpentis virus monachos, qui erant in Mesopotamia, dum per Pseudomonachos quosdam, quorũ nomina refert Theodoretus. Daodem, Sabbam, Adelphium, Siconem, Hermam, & alios quosdam, inter eos heresis spargitur Messalianorum, qui ijdem Euchatitæ sunt dicti, latine autẽ Precatores sunt nominati, quos, & se spirituales dicere solitos,
229 idem Theodoretus affirmat. A temporibus namque Constantij hanc hæresim coaluisse in Mesopotamia author est Epiphanius, cui maiorem fidem præstandam putamus, prope hic viuenti, & aduersus eam scribenti, quã Theodoreto affirmãti temporibus Valentiniani, atque Valentis Imperatoris prodijsse] Hæc il-
230 le: quibus, iam de hac secta Messalianorum circumstantia personarum, loci, ac temporis innotescit; sed de erroribus eorum in particulari consequenter dicendum.
231 Primo. Errarunt Messaliani, quod tenerent solam orationem sufficere ad salutem animæ, nec vllo tempore ab oratione esse desistẽdum adeoque rigorosè id exequebantur, vt teste Augustino, de hæres. num. 57. credi non possit quantum temporis orando consumeret, perperam intelligentes illud Christi Domini, Oportet semper orare, & non deficere, Luc. 18. Præter sãctum Augustinum, afferunt Alphonsus à Castro verbo Oratio, heres. 1. Prateolus verb. Euchitæ, & Baronius anno 361. num. 35.
232 Vbi sic addit: Ijdem quoque, inquit, ad preces coibant permixti mulieribus, quod à sanctis Christianorum institutis penitus abhorrebat.
233 Secundo. Messaliani ieiunia instituta, & iniuncta ab Ecclesia despiciebant, seu potius ignorabant; & cum semper intenti essent orationibus, vt dictum, fame adueniente edebant, etiam dum orarent, quauis hora diurna, imo, & nocturna, ex D. Epiphanio hæres. 80. affert Gualterius cap. 21. quarti seculi num. 10.
234 Tertio. Cum D. Hieronymo Dial. aduersus Pelagium in præfat. docet Baronius anno citato num. 38. errasse Messalianos in eo, quod tenuerint posse hominem ad perfectionem, atque ad similitudinem, & æqualitatem Dei humana virtute, & scientia peruenire, ita vt assererent se ne cogitatione quidem, & ignorantia, cum ad consummationis culmen ascenderit, posse peccare.
235 Quarto. Eo superbiæ, & arrogantiæ elati sunt iugiter orando, vt affirmarent capaces se esse corporeis oculis videndi sanctissimam Trinitatem. Hinc visionibus, & reuelationibus à dæmone immissis, quibus maxim opere delectabantur, iactabant se fieri ita perfectos, vt induerent naturam Angeli, immo, & Christi Domini; tum se esse Prophetas, reliquos autem homines prorsus esse indignos Christiano nomine. Ita Baronius num. 36.
236 Quinto. Hæreticum dogma fuit Messalianorum, Sacramenta Ecclesiæ non prodesse, nec obesses; maxime id affirmarunt de augustissimo, & fructuosissimo Eucharistiæ Sacramento, sed oratione tantum peccata laxari, dæmonemque fugari habitantem in quouis homine, atque in Apostolis etiam ipsum habitasse. Ita Theodoretus hæretic. fabul. lib. 4. Sanctus Damascenus hæres. 80. Alphonsus à Castro verbo Eucharistia hæres. 8. ac verbo baptismus hæres. 4. Prateolus verb. Messaliani, & Baronius dicto num. 36.
237 Sexto, Iuxta prædictum dogma hæreticum matrimonia tamquam inutilia dissoluere Messaliani consueuerunt. Cum Sandero hæres. 85. tradit Gualterius capite 21. seculi 4. numero 7.
238 Septimo, Circa baptismi sacramentum peculiariter, ita illi errarunt: nẽpe ipsũ se habere instar nouaculæ, quę pilos corradit, & tamẽ ijdem ex radicibus iterum pullulant. Ita post baptismum manere peccatum originale; huius tamen radicem euelli perpetua tantum oratione. Per hancque posse hominem effici impassibilem, & participem diuini Spiritus. Ita cum citato Theodoreto Baronius vbi supra.
240 Octauo, Teste D. Damasceno, tenuerunt Messaliani licitum sibi esse periurium, cum ex communi doctrina sancti Thom. 22. quæst. 49. art. 8. & aliorum, iusiurandum directè ad homines referatur, votum autem ad Deum. Vide Gualterium num. 8.
241 Nono, Secundum D. Epiphanium hæres. 8. & Alphonsum à Castro verb. labor hæres. 1. affirmabant ijdem, illicitum esse Monachis, imò secundum D. Damascenum ibidem, omnibus Christianis, opus vllum manuale etiam prosu-
242 stentanda vita facere. Hic error damnatus fuit in quarto Concilio Carthaginensi, cui interfuit, & subscripsit sanctus Augustinus Concilio 51. Ita Gualterius dicto capite 21. numero 2.
243 Decimo, Antiquum errorem iam supra à nobis expressum innouarunt Messaliani, asserentes, duas vnumquemque hominem possidere animas, & earum alteram esse supercælestem. Affirmat Baronius eodem numero 36.
244 Vndecimo. De Messalianis, S. August. lib. de

de hæresi,num.57. sic loquitur. Nonnulli dicunt eos de purgatione animæ, nescio quam phantasticam, & ridiculam fabulam narrare: per eam, scilicet cum porcellis suis videri exire de ore hominis, quando purgatur, & in eum visibili similiter specie ignem, qui non comburat intrare). Hæc Augustinus, & refert Baronius anno 361. num.38. Vbi addit ex Theodoreto citato, tali dæmonis illusione fuisse illos deceptos, vt futurorum reuelationes se habere gloriarentur.

245

246 Duodecimo, prædictum ignem absque combustione intrantem in pectus hominis ipsi Messaliani interpretari videntur esse Spiritum sanctum, quia hunc, vt testatur D. Damascenus hæres. 80. & Sanderus hęres. 85. ad se ipsos sensibiliter accedere affirmarunt, vt in eisdem causaret varios effectus: atque hinc Enthusiastæ tunc appellati, ita Gualt. num.9.

247 Decimotertio, Effectus prędictos Theodoretus, apud Baronium dicto anno 361. numer.36. sic exprimit. Multa quoque alia, inquit, faciunt quæ eorum phrænesim arguunt, nam repente saltant, & super dęmones se saltasse iactant, & digitis sagittantium speciem præferunt, se in dęmonem iaculari affirmantes, & quædam alia faciunt simili furore plena, & ideo, Enthusiastarum, hoc est Ecuinorum furore correptorum nomen sortiti sunt. Hæc ille,

248 Decimoquarto, Tandem circa hos Messalianos legendus Baronius, tom. 4. Annal. Ecclesiast. anno 383. num. 35. & sequitur, ex Theodoreto hęret. fabul. lib.4 cap.10. Vbi narrat qualiter peculiari industria præstantissimi viri Flauiani Antiochiæ Episcopi decepto Adelphio admodum sene, vno, ex principibus sectę Messalianorum, errores istorum, quos callidissimi occultabant detecti fuerint. Vnde agit idem Baronius, num.39. de condemnatione dictorum errorum per Synodum, Sydecosij actam.

249

250 De secta Seleucianorum, seu Herminianorum sermo nobis nunc habendus. Istorum duces, sicut & præcedentium Messalianorum fuisse Seleuchum, & Hermam, seu Hermiam ex Galatia oriundos, testantur Prateolus, verbo Seleuciani, ac verbo Hermas, & Gualterius cap.33. quarti seculi, ex Nicephoro Eccles. histor. lib. 11. cap. 14. quibuscum, ac cum alijs Scriptoribus, præcipuè cum S S. Philastrio, & Augustino huius sectæ errores, siue ipsius, siue renouatos ex antiquis, breui recensebimus.

251 Primo, Proprius, & præcipuus error Seleucianorum, seu Hermianorum fuit, quod tenerent conferendum esse baptismum, non aqua, sed igne, adductis verbis illis male intellectis, Sancti Ioannis Baptistæ, Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne, Matth.3. Nam, hoc loco nomine ignis significatur idem Spiritus sanctus, cùm particula, *&* *in*, in textu non sit copulatiua, sed explicatiua, vt perdocte notauit ibi Ioannes Maldonatus. Et addit fuisse appositam explicationem istam, vt innotesceret loqui S. Ioannem, non de qualicunque Spiritus sancti communicatione, sed de illa adeo celebri, quæ die Pentecostes specie ignis fuit facta. De hoc errore agunt Sanctus Philastrius, in Catalog. hęret. S. Augustinus de hęres. num.59. & Prateolus loco citato.

252

253 Secundo, Auctores, & sequaces huius sectę asserebant animam non esse à Deo, ex nihilo creatam, sed ex igne, & spiritu ab Angelis existimabant productam. Ita cum D. Augustino relato Gualterius c.33. num.3.

254 Tertio, Errorem antiquum Anthropomorphitarum, de quibus à nobis dictum supra innouarunt Seleuciani, dum ausi sunt affirmare Deum esse corporeum, cum S. Philastrio citato adducit Gualterius, ibidem n.1.

255 Quarto, Similiter innouatus est ab eis pristinus error, circa materiam Elementorum, ex qua mundus coagmentatus est, quod nequaquam Deus eam condiderit, sed increata, & coeterna ipsi Deo existat. Ita sanctus Augustinus de heres. num.19. Alphonsus à Castro verbo mundus, hęres. 1. Prateolus verbo Hermes.

256 Quinto, Teste D. Augustino, vbi supra, vt refert Gualterius dicto c.33. quarti seculi n.8. non admiserunt Seleuciani Paradisum visibilem, intelligentes sine dubio de celesti, in quo animę beatę, vna cum sanctissima vmanitate Filij Dei resident.

257 Sexto, Ab antiquis Hæresiarchis desumpserunt illi hunc errorem, iam alibi à nobis adductum, quod non sit admittenda alia resurrectio futura, quàm quotidiana filiorum generatio. Sic asserunt sanctus Philastrius, sanctus Augustinus, & Prateolus locis citatis.

258 Septimo, Secundũ prędictos tres errores. Gualterius ibidem, num.6. sic loquitur de Seleucianis: Volebant, inquit, fateri Saluatorem in sua humanitate ad Patris dexteram sedere, sed illum ea se spoliasse, eamque cum sole collocasse pugnabant. Ad somnium perperam aptantes illa Psalmistę verba psal.18. In sole posuit tabernaculum suum. Hactenus ille.

259 Octauo, Tandem eisdem S. Philastrio, & Prateolo testibus, Seleuciani, siue Hermiani inficiabantur spiritum hominis factum esse à Deo per Filium, sed profectum à terra descendebant.

260 Verum, quid vltimo loco de Proclianitarum, seu Prodianitarum secta? Hanc fuisse ramum pręcedentis sectę Seleucianę affirmant, sanctus Augustinus de hęres. num.60. Alphonsus à Castro verbo Christus hęres. 2. & Prateolus verb. Proclianitę, qui prædictis octo erroribus adiunxerunt istum antiquum nempe Christum Dominum in carne non venisse. Ita præter citatos tres Auctores Gualterius cap.35. seculi quarti.



Quid de Luciferianis, Collyridianis, Hypristiariis, Paquinianis, & Rhetorianis quoad originem, & statum uniuscuiusque istarum sectarum.

REGVLA CCXXXIX.

261 LVciferianorum secta à Lucifero Calaritano Episcopo, saltem quoad denominationem progenita, & postea à sequace eorum Hilario, addito errore Anabaptis-
262 mi ampliata. Origo verę sectæ Collyrianorum sumpta à quibusdam mulieribus in Arabia, ritu idolatriæ sanctissimam Virginem vti
263 Deum adorantibus. Nullus item specialis progenitor sectæ Hipristiariorum assignatur, sed iam è Iudaismo, & paganismo constasse, à
264 doctoribus profertur. At sectæ Paquinianorum à Patrianis iam supra expositis parum differentium, quidam nomine Paquinus erexit in-
265 stitut a. Denique Rhetoriani ortum habuisse dicuntur à Rhetore quadam docēte omnes hæreticos cuiusuis sectæ tuto ambulare, & à veritate minime recedere.

266 PRorsus certum habetur, Luciferum Calaritanum Episcopum, & Luciferianos, nomenclatura hac ab eo sumpta, fuisse Schismaticos, & excitatum Schisma ob dissensiones inter ipsum Luciferum, & Eusebiū Vercellarum Episcopum, diuisa Ecclesia Antiochiæ, & in duas factiones octoginta quinque annos cum maximo scandalo perdurasse,
267 Auctore Theodoreto lib. 3. cap. 5. inuenies, ex mente omnium scriptorum egregie id relatum à Baronio anno 362. à numer. 214. discutiente ibi causam, seu occasionem talium inter illos dissensionum, quæ non est explorata, nec à nobis hic discutienda, cum sit omnino extra nostrum institutum.
268 Dein vti magis certum traditur, dictum Luciferum nequaquam fuisse hareticum, nec tantillum quidem à fide Catholica vnquam discrepasse, multis Patrum testimonijs Baronius ibidem id ostendere conatur: tum negatiue, ex Sancto Epiphanio, & Sancto Philastrio, qui cum ex professo Catalogum hæreticorum contexerint, inter eos Luciferum non repo-
269 suerunt; tum positiue, ex D. Ambrosio orat. in funere fratris, ex D. Augustino de agon. Christian, cap. 30. t. 3. & ex D. Hieronymo aduersus Luciferian. vbi virtutem ipsius Luciferi valde commendat, vocans eum beatum, & à calumnijs aliorum defendit, etsi aliquantulum ipsum accuset: sed verba S. Doctoris non grauabor hic referre.
270 Ventum est, inquit, ad asperrimum locum in quo aduersus voluntatem, & propositum meum cogor de beato Lucifero secus quicquam, quam & illius meritum, & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? veritas os reserat, & inuitam linguam consciū pectus impellit. In tali articulo Ecclesię, in tanta rabie luporū segregatis paucis ouibus, reliquā gregem deseruit bonus quidē ipse Pastor, sed multam prædam bestijs relinquens. Prætereo
271 illa, quę quidā ex maledicis quasi satis firma defendunt: Hoc illum amore gloriæ, & nominis in posteros transmittendi fecisse, nec non & pro simultate, quam aduersus Ecclesiā propter Antiochenam dissensionē susceperat. Nihil istorū de tali viro credo. Hęc Hieronymus.
272 Qui sine dubio similia de Lucifero credidisset, si hic hæresi infectus mansisset: & est dispar ratio de Schismate, quia hoc tunc, ex bono zelo, & amore defendendi Ecclesiam Catholicam à peste hæreseon prouenire videbatur; iudicante Episcopos lapsos in Arianismum non esse recipiendos cum dignitate, à qua depositi fuerunt, propter ipsum; quod similiter alij multi iudicabant, Eusebio supradicto, & alijs aliter sentientibus: atque hæc præcipua causa prædictarum dissensionum inter illos, teste Baronio citato.
273 Dixi cum limitatione, vti magis certū, quia de opposito aliquis forte dubitabit, cū Theodoretus lib. 3. cap. 5. vt est apud Baronium, vbi supra, expressè asserat Luciferum post reditū, (scilicet ad Sardinię partes) nouam quandam excogitasse doctrinam, quam sectati sint, qui ab eo nomen sunt consecuti: atque S. Ambrosius pro eo adductus, non ita clarè in fauorem
274 ipsius loqui videtur. Nam & si, inquit, fidem erga Deum tenerent (sermo est ibi, simul de Lucifero, & Luciferianis) tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ex his exhiberi Christo fides, à quibus euocatur eius passio, corpusque distrahitur.] Hęc ille, relata à Baronio ibidem.
275 Circa Luciferianos verò est aliqualis cōtrouersia, fuerint hæretici, nec ne; non desunt teste Gualterio cap. 22. seculi quarti, qui eos ab omni hæresi immunes faciant, & videtur ipsis facere argumētum illud negatiuum, quod scilicet S. Epiphanius, & S. Philastrius non reposuerunt Luciferianos in Catalogo hæreticorum, quem exactè contexerant. Item D. Augustinus de agon. Christi cap. 30. eos simul cū Lucifero prorsus liberos facit ab errore iterādi baptismum, vt refert Baronius dicto anno
276 362. n. 223. Nihilominus communiter receptum est, Luciferianos fuisse hæreticos, & accepto nomine à Lucifero instituisse sectam Luciferianam, ex varijs erroribus, vt cum auctoribus citandis affert Gualterius, vbi supra.
277 Primo, Errarunt Luciferiani circa animam rationalem, defendentes eam transfusione esse genitam à carne, & substantia carnis deriuatam. Ita Sanctus Augustinus de hæresi num. 81. Alphonsus à Castro verb. anima, hæres. 5. & Gualterius dicto capite 22. quarti se-
278 culi num. 1. Vbi benè notat, prędictam erroneam doctrinam ad Epicureismum inclinare, eoque tendere, vt hominis animā mortalem faciat, non secus atque animam porci, alteriusue animantis.

Secun-

279 Secundo. Cum magna pertinacia tenuerint Luciferiani non esse recipiendos cum honore episcopali in Ecclesiam eos Episcopos, qui tametsi in Arianismum, vel aliam hęresim lapsi fuissent, debitam pro tali peccato satisfactionem expleuerant: manseruntque in ea pertinacia, etiam postquam Concilium Nicenum decreuerat oppositum, ac præstiterat, vt testatur S. Hieronymus cōtra Luciferianos post medium, Sander. hęr. 68. & cum eis Gualte-
280 rius ibidem num. 2. dicto autem Concilio teste Baronio relato se summisit Lucifer, alioquin hęreticus fuisset.

281 Tertio. Propter receptos dicto modo Episcopos lapsos, Luciferiani, nullam aliam nisi suorum Commilitonum Ecclesiam admittebant, Veterem Ecclesiam factam esse meretricem ore blasphemo affirmantes. Ita S. Hiero-
282 nymus, Sanderus citati. Gualterius verò more suo benè his confert Luciferianos cum Caluinistis dicens. Qui vel minimum salis cum Caluini discipulis comederit, frequenter obseruabit nihil eorum linguæ esse suauius, quàm vt Ecclesiam Romanam vocitent
283 meretricem. Prędictum denique errorem exemplificat Baronius anno 361. num. 223. in quodam Luciferiano vocato Helladio, sequentibus verbis.

284 Cęterum, inquit, adeo pertinaci animo sētentię de nō recipiendis cum dignitate lapsis *Episcopis* insistebant, vt (quod testatur de his *S. Hieronymus*) inter eos Helladius quidam *in Ecclesiam* eò contumeliæ, & blasphemiæ prolapsus fit, vt cum videret tot Episcopos lapsos in hęresim, vel in cōmunionem hęreticorum restitutos, diceret mundum esse Diaboli, & Ecclesiam in Lupanar esse conuersam. in quem idem S. Hieronymus scribens aduersus Luciferianos spiculum orationis intorquet. Hactenus sic ibi Baronius.

285 Qui immediatè post num. 224. loquens de quodam Hilario Anabaptista, & ostendens qualiter hic sectam Luciferianorum ampliarit per additionem erroris rebaptizandi, hæc
286 adducit; Sed cunctis, inquit, procacior habitus est Hilarius Ecclesię Romanę diaconus, qui non tantum cum Lucifero schismate, sed ob eā causam ab Ecclesia Catholica se segregauit, sed & addidit etiam hæresim cum diceret nullatenus baptismum hæreticorum recipiendum esse: ad quam adstruendam sentē-
287 tiam Commentarios scripsit. Hunc fuisse iunctum Lucifero collegam in legatione ad Constantium Imper. à Liberio Romano Pōtifice, superius dictum est; ipse enim tunc, & verbera expertus & vincula, & carceres, eadē tandem sententia, qua Lucifer ab eodem Imperatore damnatus, atque proscriptus, in
288 exilium missus est. Sed infelix gloria nobilis confessionis elatus spernens eos, qui ceciderant, non solum vnà cum Lucifero schismate, se ab Ecclesia separauit, sed plusquam ille pręsumens hęresim ad schisma superaddidit, quem, & Sanctus Hieronymus aduersus Luciferianos ob rebaptizationem Deucalionem Orbis appellat, qui quidem nec ex Schismaticis ipsis aliquem habere potuit Sectatorem, adeo vt cum homine interierit pariter & secta. Hęc ille: & quod ait de interitione sectę, intelligitur quoad errorem rebaptizationis, & non quoad alios Luciferianorum.

289 De Collyridianis sequitur agendum. Circa huius sectæ denominationem, & originem ex S. Epiphanio hęres. 78. & 79. Sandero hęres. 92. & ex Prateolo verbo Collyridiani docent Baronius anno 373. numer 30. & Gualterius cap. 32. seculi quarti, hoc nomen eis inditum à voce græca κολλύρα, seu κολλύριον per quem placenta, vel torta significatur, quippe mulieres quædam ex Thraciæ partibus oriundæ Idolatriam in Arabia exercere cœperūt, certo anni die sacrificantes, & per cultum supremum soli Deo tribuendum, placentam San-
290 ctissimæ Deiparę Virgini offerentes. Quod factum hæreticum teste eodem S. Epiphanio ad partes Scythię superioris fuit propagatum circa annum Domini 395.

291 In prędicto autem facto benè distinguit, & refutat duos errores contra fidem idemmet Epiphanius, vt notat ibidem Baronius. Alterum, quod mulieres sacrificarent: & cū, addit, inhabiles prorsus sint, munus sacrum, propriū
292 virorum sibi assumerent. Alterum, quod sacrificio, & honore latriæ Deo soli debitę puram creaturam, nempe Beatissimam Virginem Mariam, tanquam Deum veneraren-
293 tur. Atque vterque error non solum inter fœminas emisit, sed ad quosuis etiam masculos de torta illa taliter oblata participantes, aut eiusmodi actui Idolatrię assentientes, se extendit, vt cum eodem Epiphanio refert Prateolus vbi supra.

294 Tertio loco occurrit sectę Hypporitariorū breuissima explicatio, quę ex solis S. Gregorio Nazianzeno oratione de funere Patris, Sādero hęres. 86. & Gualterio c. 24. seculi quarti, apud hos tantum quidquam de ea inuenire potui desumenda, qui nullum eius peculiarē auctorem assignant, nec nomenclationem ipsius explicant, sed tantum asserunt esse conflatam ex Iudaismo, & Paganismo, seu ex pau-
295 cis vtrius erroribus. Primo Hypporitarij Paganorum more ignem adorarunt. Secundo
296 vestigia Iudæorum secuti Sabbathum, & non diem Dominicum obseruare consueue-
297 runt. Tertio, in abstinentia à cibis se potius Iudęos quam Christianos demōstrarunt: nec de hac secta quidquam aliud dicendum restat.

298 Dein Paterniani (istos Venustianos etiam vocat S. Augustinus de hęresi num. 83.) à Paterno quodam, & appellationem, & originē sumpserunt, vt cum Alphonso à Castro verbo Caro hęres. 1. adducit Prateolus verbo Pater-
299 niani. Quidquid ad istorum sectam dicendum spectat, clarè innotescet explicata differentia inter eos, & Paternianos iam seculo præcedenti à nobis adductos. Nam isti vt tūc vidimus, carnem prorsus damnabant, non à Deo, sed à Dęmone factam affirmantes. Paterniani verò nonnisi de inferioribus corporis nostri partibus id asseruerunt, hinc sumentes occasionem quouis turpitudinis genere se coin-

300 coinquinandi. Vide Prateolum citatum cum dicto Castro ostendentem ex sacra Scriptura, corpus hominis quoad omnes eius partes à Deo, & non à Diabolo esse factum.

301 Sectę denique Rethorianorum progenitor fuit pessimus homo nomine Rethorius, qui præ cęteris longius à ratione, & à veritate fidei Catholicæ aberrauit, affirmans omnes hæreticos cuiuscunque sint sectæ, via recta incedere, & à veritate nequaquam discrepare in his quæ docent. Ita S. Philastrius in Catal. hæretic. Sanctus Augustinus de hæret. num. 72. Alphonsus à Castro verbo hæreticus hæres. 1. Sanderus hæres. 75. & Gualterius

302 cap. 28. seculi quarti. Qui post relatũ prædictum errorem cum illis sanctis Patribus sic de eo ait: Somnium, inquit, vsque adeo obscurum, vt S. Augustinus dum id refert ex Sancto Philastrio, videatur sibi persuadere non posse illud vnquam hominibus in mentem, quasi credendum venisse. Hæc ille: quibus præsenti regula finis imponitur.

Qualiter Secta Apollinaristarum ortus, & extinsio contingit? Qualiter alijs Priscillianistarum, & Discalceatorum?

REGVLA CCXL.

303 Circa annum Domini 373. in Laodicea Syrię duo extiterunt famosi Apollinares, Pater, & Filius, ambo, Græcis disciplinis eruditi: vterque prius de fide Catholica bene sensit, eamque defendit, maxime Pater conscriptis libris contra Porphyrium Chri-

304 stianorum hostem. Postea ad hæresem inclinauit præcipuè filius, & sectam Apollinaristarum instituit, ad cuius institutionem, & augmentum, Vitalium quendam Antiochenũ sibi associauit. Dein ad idem accessit Timotheus eius discipulus, ex quo Timotheani orti

305 cum secta distincta. Priscillianistarum item nomen, & originem sumpserunt à Priscilliano Gnostico, qui in diuersis contra fidem erra-

306 uit. Tandem Discalceati sic dicti, quod ex errore perpetuo nudis pedibus incedendum esse sentirent.

307 De vtroque Apollinare copiosè agunt antiqui Scriptores, vt S. Gregorius Nazianzenus aduersus Apol. epistola 1. ad Cledoniũ, sacros. histor. tripartit. lib. 5. cap. 44. Nicephorus Ecclesi. histor. lib. 11. cap. 12. & Vincentius Lirinẽsis lib. de Cathol. fidei antiquitate, & veritate aduersus hæreses, ex quibus multa adducit Baronius tom. 4. Annaliũ Ecclesiast. diuersis annis, & numeris. Quod

308 attigimus in Regula de eorum in Gręcis disciplinis magna eruditione, exprimit Socrates asserẽs quod cum pater esset genere Alexandrinus, veniens Laodiceã, duxerit ibi vxorem, filiumque genuerit Apollinarem, qui ad statum Ecclesiasticum applicuit animum sicut etiam applicauerat pater: hic enim presbyteri dignitate functus est, ille vero lectoris officium habuit, vt idem Socrates ait.

309 Quod item ambo Apollinares prius de fide Catholica bene senserint, eamque defenderint, pręcipue pater, libris scriptis Ecclesiæ vtilibus, tradit citatus Nicephorus, cuius verba ad id clarius capiendum apud Prateolum verbo Apollinaristę relata, tibi trado. Apollinares, inquit, duo fuerunt, Pater, & filius. Isti permultos, & vtiles Ecclesię libros edidere. Nam Pater sua ætate omnium facilè doctissimus, atque eloquentissimus Porphyrij væsanię, qua in Christianos incredibili petulantia debacchabatur, triginta volumini-

310 bus respondit. Denique cum Iulianus Cæsar fidei Christianæ desertor, interdixisset Christianis disciplina Græcorũ, ne nihil ageret, Hebræorum Historias vsque ad Samuelis Regis tempora heroico carmine conscripsit, in viginti quatuor Tomos iuxta litterarum Græcarum numerum, opus illud, vti ferunt partitus. Hactenus Nicephorus.

311 Sed quænam postea occasio à vera fide recedendi, instituendique nouam errorum Sectam? Eam attingit Socrates loco citato dũ affirmat, quod Scholam cuiusdam Epiphanij Sophistæ Gẽtilis inita amicitia cum eo ambo frequentarent, ac ipsum valde fouerent. Atq;

312 quod quamuis Theodorus Episcopus Laodicensis hinc timens eorum lapsum in Paganismum, eis talẽ Magistrum adire prohibuerit, non curarint de hac prohibitione, paruipendẽtes Episcopum, ac pari modo eius successorem in Episcopatu Georgium nomine idem ipsis prohibentem, qui ad hanc causam ambos communione priuauit. Quam priuationem Apollinaris filius incuriam reputans, fratres eloquij timoroso Sophistici nouitatem introduxit hæreseos, quę nũc refertur, nomen ab inuentore gerens. Ita ille, &c.

313 At Nicephorus vbi supra multo compendiosius, & paulo aliter inculpans etiam Apollinarem Patrem, adducit per sequẽtia verba ab eodem Prateolo relata immediatè post illa à nobis iam proposita. Cæterum inquit postea ingenij, ac eloquentiæ fiducia fratres (loquitur nunc de patre) nouum nunc, ac perniciosum dogma in Ecclesiam inducere voluit, potissimumque Apollinaris filius.

314 Qui multis ab Ecclesia abductis sibi concursus egit, sociumque constituendi dogmatis sui Vitalem accepit Antiochenum, ex eorum numero, qui Meletij Ecclesiam frequentabant, presbyterum. Hactenus ille.

315 Sed quonam dogmate, seu quibus erroribus Apollinaris suam sectam instituit? Primo errauit, & cum eo sequaces ipsius, quod propter malam intelligentiam illorum verborum Ioannis 1. Et Verbum caro factum est, affirmauerint corpus esse coessentiale Verbo, eo quod (vt ipsi aiebant) aliquid Verbi in carnem conuersum est. Ita S. Epiphanius hæres. 77. & in Anaceph. S. Augustinus de hæresibus num. 55. Alphonsus à Castro, verbo Christus hæres. 2. & Prateolus verbo Apollinaristæ, & verbo Dimetiristæ.

316 Se-

316 Secundo. Ex præcedenti errore consequẽter tenuerant Apollinaristæ, Verbum Patris non assumpsisse carnem ex Beatissima Virgine Maria afferunt ibidem S. Epiphanius, Sanctus Augustinus, & Prateolus, quibus adiunge Gualterium cap. 29. seculi 4.

317 Tertio, tenuerunt etiam illi Iesum Christum corpus sine anima assumpsisse, ac in eo Verbum ipsum munere animæ fungi. Quem errorem ipsi ab Arianis sumpserunt iuxta iã supradicta. Ita Sanctus Epiphanius in Anaceph. Sanctus Augustinus loco citato, & Sander hæres. 86.

318 Quarto. Aliqui Apollinaristæ licet annuerẽt, quod Christus Dominus assumpserit animam vna cum corpore, negarunt tamen eam assumpsisse intellectum, negarunt etiam esse perfectum hominem; similiter Verbum perfe-

319 ctè fuisse incarnatum. Atque hinc isti appellati sunt Dimeritæ, teste Prateolo citando, eo quod Christo Domino duas tantum partes tribuerent, corpus scilicet, & animam; ntellectũ verò, qui est quasi animæ pars ipsi Christo pernegarent. Tradunt hæc S. Epiphanius, & S. Augustinus locis relatis, & ille hæres. 78. initio, & Prateolus verbo Dimeritæ.

320 Nonnulli item ex Apollinaristis asseruerunt pertinaciter, quod Christus Dominus corpus suum de Cœlo attulerit, & consequẽter à Beata Virgine, Dignitas Matris Dei per eos ablata fuit. Ita idẽ S. Epiphanius hæres. 77. & Gualterius cap. 31. seculi quarti.

321 *Sexto.* Secundum eosdem Epiphanium, & Gualterium, Apollinaris in senecta ætate prolapsus fertur in Millenariorum Hęresim iam supra à nobis explicatam. Circa Apollinaris errores, & circa cõdemnationem eius, legendus præcipuè Cardinalis Baronius anno 372. num. 1. & seqq. vbi omnia perdoctè, & exactè prosequitur, nequicquam hùc spectans intactum relinquens.

322 Cæterum, neque ego relinquam id quod ipse adducit de Vitale Antiocheno socio Apollinaris in institutione, & propagatione ipsius sectæ, qualiter ad tempus suam hæresim occultauerit, & coram S. Damaso Papa se Catholicum finxerit, cum tamen intrinsecus esset lupus rapax: ad quod capiẽdum facilius, & completius conducunt verba ab eodem Baronio anno 373. num. 4. relata ex Elia Creten. apud Sanctum Gregorium Nazianzenũ epist. 2. ad Clodon.

323 Audiamus, inquit, ab Elia Cretensi totam hanc de Vitali Romæ causam actam, cum eã his verbis enarrat. Hic igitur Vitalis cum apud Beatissimum Damasum tanquam Apollinaris sectator accusatus fuisset, poscente illo sanctissimo Episcopo, vt fidem suam exponeret, eam scriptis mandatam edidit. Et quia prima fronte, recta, & sana visa est; idcirco, & Damasus, & item Diuinus hic Magister, nempe Gregorius Theologus, eam admiserant, quod abditam, & occultam fraudem nullo modo deprehẽdissent, nec venenatam malignitatem sub verbis latentẽ animaduer-

324 tissent. Etenim in suo de fide libello diuinæ Scripturæ verba sine vlla deprauatione collocabat, nihil prorsus immutans, nec orationis seriem adulterans. At verò pietatis sensum apud eos, qui sincero erga ipsum animo erant, peruertere minime desinebat, effingens videlicet, & inuertens, atque ad hęresis suæ sententiam obtorto collo trahens. Quid

325 igitur? statim vt dolum senserunt, fraudulentum, ac vetustum hominem, vt merebatur ab Ecclesia proscribunt: quo nomine cum ab ijs, qui mutationis eorum causam minime cognitam habebant, in crimen vocarentur, idcirco vix Sanctus adductus est, vt pro Damaso Romæ Episcopo, & pro seipso causam dicerent. Hæc ille.

326 Prodijt item ab Apollinare quasi ramus quidam, secta Timothenatistarum, quorum dux fuit Timotheus eius discipulus, qui supposito illo imperfectæ Christi Domini Incarnationis fundamento, consequenter in hoc errauit, affirmauit scilicet imperfectam etiã esse generis humani reparationem, extendentem se ad corpus tantum, & nullo modo ad

327 animam: Hancque propterea expertem curationis manere in terra, peccato ignominiosè oppressam, corpus verò in Cœlo, honore, & gloria exornatum, eo quod illud solum à verbo fuerit assumptum. Ita cum Nicephoro lib. 12. cap. 4. Prateolus verbo Timotheus Apollinaris discipulus, & Gualterius cap. 31. seculi quarti.

328 De hoc Timotheo per Sanctum Damasum Papam condemnato in Cõcilio Romæ coacto simul cum prædictis Apollinare, & Vitali, sic loquitur Baronius anno 373. numer. 7. Qui

329 igitur, inquit, damnauit Vitalem Apollinarem, eius auctori, & primario hæresis inuẽtori Damasus nequaquam pepercit, sed & in hoc Cõcilio Timotheum alium eius discipulum pariter condemnauit, testatur id quod quidem ex eiusdem Damasi litteris Theodo-

330 retus lib. 5. cap. 10. cum ait: Damasus item vir omni genere laudis florentissimus, simul vt hanc sectam exortam accepit, non Apollinarem solum, verum etiam Timotheum eius discipulum abdicauit. Quam rem Episcopis etiam Ecclesias Orientales gubernantibus significauit per litteras. Hactenus Baronius, qui ibi dictas litteras proponit.

331 Sed quid de secta Priscillianistarũ, tametsi tam quoad institutionem, quam quoad denominationem immediatus eius auctor Priscillianus quidam Hispanus Abilæ Episcopus, teste Prateolo citando, communiter assignetur: Prima tamen ipsius origo, desumitur ex Marco illo hæretico Metaplus nato, qui ex Aegypto nauigauit primo in Gallias, deinde in Hispanias, & vtrobique erroribus Gnosticorum, ac Manichęorum, quamplures vtriusq; sexus, præcipue dictum Priscillianum, infecit, vt cum S. Hieronymo in Isai. cap. 44. & Seuero histor. lib. 1. docet copiosè Baronius anno 381. num. 98. & seqq.

332 Verũ errores huius sectæ breuiter assignamus, desumptos quidem non solum ex dictis Gnosticis, & Manichęis, sed ex Arianis etiã

Marcio-

Marcionistis, Simonianis, imo ex omnium hęreticorum sentina, vt cum Leone Papa in epistola ad Asteriensem Episcopum, & Sancto Augustino in libro de hæresibus num. 70. tradit Prateolus verbo Priscillianus, &c.

333 Primo, secuti Gnosticos, & Manichęos posuerunt Priscillianistæ duos Deos, vnum bonum, à quo nihil harum rerum creatum fuerit: alterum malum nempe Diabolum, qui omnes huius Mundi creaturas produxerit. Ita præter Prateolum relatum, Gualterius cap. 34. & seculi quarti, &c.

334 Secundo. Cum Origenistis asserebant Priscillianistæ animas peccasse, antequam in corpora infunderentur, atque in pęnam peccati vnamquamque in corpus aliquod tanquam in carcerem fuisse inclusam, cum D. Augustino vbi supra, Alphōso à Castro verbo Anima, hęres. 9. adducunt Sanderus hęres. 84. ac 103. & Gualterius loco citato num. 12.

335 Tertio. Cum Noetis, & Sabellianis, tres Sāctissimę Trinitatis personas Priscillianistę permiscebāt: & licet diuersis eas appellarent nominibus, eundem tamen esse Patrem, quę

336 Filium, & Spiritum sanctum. Hinc erroneè deducebant Patrem fuisse passum, sicut & Filium, Ita Sanctus Augustinus, Prateolus, Sanderus citati, & Gualterius cap. 34. seculi quarti num. 2.

337 Quarto. Cum Arianis Priscillianus, & sequaces eius tenuerunt à Deo procedere virtutes quasdam essentia diuina posteriores, atque hinc asseruerunt Filium esse Patre posteriorem, Vnicum vocantes, quod solus ex Virgine natus, vt ibidem tradunt Sanderus, & Gualterius num. 3.

338 Quinto. Cum Manichęis animam hominis esse eiusdem naturæ, ac substantię, cuius est Deus, corpus vero suapte natura esse malum atque a malo Principe, seu à Diabolo procreatum, ausi sunt affirmare Priscillianistę.

339 Inde etiam inferentes corpora minime resurrectura, sequendo in hoc Simonianos, & Cerdonistas. Ita ibidem D. Augustinus, & ex parte Alphōsus à Castro verbo caro, hęres. 1. & Gualterius loco citato nu. 7. & 11.

340 Sexto. Cum Hęreticis Abstinentibus, de quibus à nobis supra dictum, sentiebant Priscillianistæ ab esu carnis, vti ex se malo, esse prorsus abstinendum, vt peccatum euitetur, adducunt Alphonsus à Castro verbo Cibus hęres. 1. & Gualterius vbi supra num. 8.

341 Septimo. Valde abhorrebāt Priscillianistæ à contractione matrimonij, & à generatione, & natiuitate prolis interueniente ab ipso, atq; ad impediendam talem generationem matrimoniacum contractū, separando viros ab vxo-

341 ribus, facile dissoluebant. Hinc affirmabant Filios promissionis, etsi ex fœminis nascerentur, tamen de Spiritu sancto esse conceptos, hosque solos ad hæreditatem Dei pertinere, & nullo modo ex carnali semine ortos. Ita S. Augustinus verbo Priscillianus Episcopus, & Gualterius nu. 9 & 10.

343 Octauo. Cum Bardesanistis defendebant Priscillianistę, homines esse fatabiles, stellis alli-gatos, referunt Sanderus citatus, & Prateolus ibidem, qui in contrarium definitionem adducit Cōcilij Bracharensis cap. 9. approbati per Sanctum Leonem Papam in epistola 71.

344 & est huiusmodi. Si quis, inquit, animas, & corpora humana fatali signo credit astringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.] Hæc ibi, & similia cap. 10.

345 Nono. Cum Montanistis testati sunt Priscillianus, & eius asseclæ, Prophetas dęmoniacos fuisse, & ea, quæ prophetabant nequaquā intellexisse. Tradunt Prateolus dicto verbo Priscillianus, & Gualterius cap. 34. seculi 4. num. 15.

346 Decimo. Circa Scripturam sacram errabāt Priscillianistæ, quod omnia eius loca suis erroribus contraria allegorizarent. Pro scripturis item canonicis, habebant quosdam libros corruptionibus scatentes. Ita Sanctus Augustinus ibidem, Sāderus citatus, & Gualterius dicto cap. 34. num. 16. & 17.

347 Vndecimo tandem, Priscillianistę ad sordes, & contaminationes suas occultandas, hoc inter sua dogmata, valde commēdatum habere consueuerunt, nimirum *iura, periura, secretum perdere noli*, pręter D. Augustinum relatum asserunt Alphonsus à Castro verb. Iuramentum, hęres. 2. & Gualterius num. 18.

348 Superest de secta Discalceatorum vnum verbum dicere, cui nullus peculiaris institutor assignatur à D. August. lib. de hęres. nu. 68. Sandero hæres. 74. Prateolo verbo discalceati, & ab alijs auctoribus, qui de eo agunt, sed solum asserunt errorem Discalceatorum in hoc consistere, quod crederent esse omnino

349 illicitum vti calceamentis, sicut ex parte credunt Turcæ, & Saraceni, qui magnum nefas ducunt ingredi Mesquitas suas certis horis quotidie ad Mahometum adorandum, nisi

350 nudis, & lotis pedibus. Quod si aliquando Deus dixit Moisi Exod. 3. Solue calceamētum pedum tuorum, &c. & Esaias iussus fuit spatio trium annorum absque calceamentis ambulare; Apostolisque iniunxit Christus Dominus Matth. 10. cum eos ad prædicandum Euangelium misit, ne calceamenta deferrent: nequaquam inde prohibitum omnibus eorū vsum; imo potius, præter illos, reliquis concessum, pluribus benè Prateolus citatus ostēdit. Atque hactenus de hac, & de alijs sectis huius regulæ.

Quid de sectis Heluidianorum, Iouinianistarum, & Agapatarum? quid de alijs anonymis?

REGVLA CCXLI.

351 PRodijt circa annum Domini 382. Heluidius homo nequissimus institutor sectæ Heluidianorum, qui etiam appellati sūt Antimasiani, seu Antidicomarianitæ, eo quod blasphemo ore Beatissimæ Virgini Deiparæ

352 bellum horrendum inferrent. Hoc idem fere eodem tempore sunt acerrimè prosecuti Iouinianistæ, duce Iouiniano, qui Romæ Monachatu

nachatu reiecto, quem prius amplexus fuerat additis alijs erroribus, sectam distinctam ab illa Heluidij progenuit. Sectæ item Agapetarum progenitrix, extitit fœmina quædam Hispana nomine Agape, cooperante ad hoc viro eius Elpidio. Claudendum tandem quartum seculum, aliquibus sectis Anonymis explicandis.

353

354

---

355 QVoad Heluidium, aut secundum alios sine adspiratione Eluidium, à quo secta Eluidianorum originem duxit, ex Gennadio notat Prateolus, verb. Eluidius, quòd hic fuerit discipulus Auxentij hęresiarchę Mediolanensis Episcopi, & coquus D. Hieronymi; idque secundum sine dubio ex peculiari prouidentia Dei, vt ab hoc tanto Ecclesiæ Doctore talis ipsius hostis expugnaretur, de qua expugnatione oportunius à nobis dicetur post explicatos contra Fidem Catholicam errores, qui licet pauci, grauissimi tamen sunt.

356 Primò. Errarunt Eluidius, & eius sequaces, quòd negarent Sanctissimam Virginem Mariam esse Dei Genitricem, vnam tantùm naturam, sicut & vnam personam in Christo Domino cum Adamęis hæreticis admittentes. Ita cum Hosio, & Lindano, Gabriel Prateolus citandus statim.

357 Secundo. Heluidiani perpetuã insectantes virginitatẽ purissimę Dei genitricis Marię, hãc post Christum Dominum, alios ex Ioseph peperisse filios ausi sunt affirmare, ob verba Euãgelistæ perperam intellecta, Matth. 1. Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto; Et iterum, non cognouit eam Ioseph, donec peperit Filium suum primogenitum. & Matth. 13. dicunt Iudæi Christo, Ecce Mater tua, & fratres tui foris

358 stant, quęrentes te. Ex quibus errando deducebant, quod S. Ioseph Beatissimam suam sponsam Mariam carnaliter cognouerit, & filios ex ea fratres Domini habuerit; non aduertentes, in Scriptura sacra aliquando vocari fratres. Vt Gen. 13. Lot vocatur frater Abrahæ, cum esset huius nepos. Afferunt S. Epiphanius hæres. 78. S. Augustinus contra Heluidium, & Prateolus, verb. Heluidiani, ac verb. Antidicomarianitæ.

359 Prædicto autem erori opponitur manifestè Scriptura sacra, præcipue tex. ille Ezech. 42. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus per eam, eritque clausa Principi] Quam portam ita clausam, de intacta, & perpetua Virginitate Dei genitricis Mariæ sanctissimæ, interpretantur Sancti Patres, Hieronymus, Ambrosius, Cyrillus Hierosol. Cyprianus, & alij, quos citat Cornelius à Lapide, in Ezech. etiam iuxta sensum litteralem, secundum aliquos: ad quod affert ipse Cornelius verba hæc Græci Scholiastis,

360 Solus, inquit, Christus portam hanc nondum apertam, supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter seruauit; atque D. Ber-

361 nard. hom. 2. super Missus est: Deum, inquit, huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceretur: talis congruebat & Virgini partus, vt non pareret, nisi Deum] Ergo falso, & canino ore oblatrabãt Heluidiani affirmantes, quod ipsa ex S. Ioseph alios

362 filios pepererit. Et ob hanc causam S. Epiphanius citatus eos Antidicomaritas, seu Antimarianos appellauit, idest hostes infensissimos Virginis Mariæ.

363 Tertio, Errarunt Heluidiani asserentes cũ duce suo Eluidio, Virginitatem non esse apud Deum maioris meriti, quam coniugium, sed pares esse nuptias statui virginali. Ita Alphonsus à Castro, verb. Virginitas, Sander. hæres. 93. Prateolus verb. Heluidius, & Gualterius cap. 36. sæculi quarti, num. 2.

364 Verùm, quòd S. Hieronymus edito libro contra Eluidium, hunc eius errorem, sicut & præcedentem refutauerit, audiamus ab ore Baronij anno 382. n. 28. sic de hac re loquentis. Insuper, inquit Romæ cũ esset S. Hieronymus, inter alios exantlatos labores oblatrantẽ canẽ Heluidium hominem imperitum, sed blasphe-

365 mijs pollentem compescuit. Fuit hic hostis Virginitatis, vt pote, qui diceret eiusdem esse gloriæ virgines, & maritatas; eoque sceleris, atque dementiæ prolapsus est, vt Sanctissimæ Deiparę negare scelestus virginitatem post partum auderet. Quem tam sacrilega audentem Hieronymus non confutauit solũ, sed & derisit, contemptuique vt par erat, illum exposuit, qui ex blasphemia sibi comparare gloriam studuit. De eo enim hęc inter alia ipse Hieronymus,

366 Quis te, inquit, oro, ante hanc blasphemiam nouerat? Quis dupondij supputabat? Consecutus es, quod volebas, nobilis factus es in scelere. Ego ipse, qui contra te scribo, cum in eadem tecum Vrbe consistam, albus, vt aiunt, an teter sis, nescio.] Hęc ille, qui epist. 50. ad Pammachium, sic ait. Dum

367 adhuc viueret sanctę memorię Damasus, librum contra Heluidium de Beatę Marię Virginitate perpetua scripsimus, in quo necesse fuit nobis ad Virginitatis beatitudinem prędicandam multa de molestijs dicere nuptiarum. Nam vir egregius, & eruditus in Scripturis, & virgo Ecclęsię virginis Doctor aliquid in illo sermone reprehendit. In libro quoque ad Eustochium, Multo duriora de nuptijs diximus, & nemo super hac re læsus est. Hactenus D. Hieronymus,

368 De eodem item argumento prosequitur Baronius ibidem in hunc modum. Porro tractationem illam, inquit, de custodia Virginitatis ad Eustochium, Romæ itidem scripsit (Hieronymus scilicet) post editum Commentarium aduersus Heluidum, quod ipsemet

369 tradit, epist. 22. Simulque addit, S. Damasum eodem argumento, carmine, & prosa scripsisse libellos, ac S. Ambrosium alios: quod ipsum in Oriente Basilius, nec non Gregorius Nazianzenus paulo ante, Chrysostomus verò postea pręstiterunt; vt plene intelligas instinctu diuino sanctissimos, atque doctissimos Patres, tam in Oriente, quam in Occidente

in

in eadem versatos esse materia, cum diabolus sua monstra erat in medium producturus, impios, qui nobilem Ecclesiæ Thesaurum voce Domini commendatum, oreque Apostolico prædicatum, maiorum omnium denique præconijs celebratum, terræ infoderent, nulli vsui profuturum] hactenus Baronius in fauorē Virginit. contra Heluidium, & sequaces eius.

370 Verum iam gradū faciamus ad magis horrendum monstrum, ad hæresiarcham Ecclesiæ Catholicæ perniciosiorem; Iouinianum scilicet, progenitorem Sectæ Iouinianistarum, de cuius Monachatu, & Apostasia à Religione, de lapsu in hæreses, & progressu in eis, etiam per libros scriptos, deque ipsius condemnatione, multa ex Auctoribus antiquis præcipue ex D. Hieronymo citando affert Baronius anno 382. à num. 29. & anno 390. à num. 28. ex quibus pauca à nobis pro nostro instituto attingentur.

371 Circa statū eius in vita monachali, & qualiter inde vna cum socijs prodierit, sic depingitur ab ipso Baronio dict. anno 382. num. 30. At Iouinianus, inquit, cum collegis impietatis sub catholico nomine, & habitu monastico, aliquandiu delituit in Monasterio Mediolanensi, illo nimirum sacrosancto spectatæ disciplinæ, laudatæque obseruantiæ habitaculo, cuius cum S. Augustinus meminit, ait confess. lib. 8. cap. 6.

372 Erat Monasterium Mediolani plenum bonis Fratribus, extra Vrbis mœnia, sub Ambrosio nutritore; quod instar maris, expuit latentia ibi cadauera, nempe Leuinianum, ac socios, Deo quidem mortuos, & ventis iam concupiscentiæ turgidos: hæc ille.]

373 Extra Monasterium autem, quam turpem, & lasciuam, quam horrendam, ac detestabilem Iouinianus vitam gessit? vix ac ne vix quidem exprimi potest. Ex parte cum D. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum describit idem Baronius, & infra, lib. 2. inducit S. Do-

374 ctorem cum ipso sic loquentem. Ante nudo eras pede, modo non solùm calceato, sed & ornato; tunc pixa, tunica, & nigra subucula vestiebaris sordidatus, & pallidus, & callosam opere gestans manum, nunc lineis, & sericis vestibus, & Atrebatum, ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis: rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium, frontemque ornantur, prætensus est æqualiculus, insurgunt humeri, turget guttur, & de obesis faucibus, vix suffocata verba promuntur]. Hæc ipse de monstruosa metamorphosi Monachi in Sardanapalum]. Ita Baronius.

375 Qui ibidem addit, quod Iouinianus, quamuis à legibus Monachorū penitus abhorruerit, nomen tamen Monachi non abiecerit, sed eo potius magnopere gloriari consueuerit, vt sub forma aliqua Monachatus facilius suos errores in mentibus aliorum exprimeret. Primo, ac præcipue illum, quod Virginita æqualis sit meriti apud Deum cum coniugio; atque in hoc Heluidium fuisse præcursorem Iouiniani, bene ait Baronius anno 382. num. 20. Cu-

376 ius hæc sunt verba, num. 34. Nec aliter inquit, sentire poterat, qui ex Stoicis, meritorum æqualitatem acceperat, & ab Epicuro lasciuiam. De quo ita Hieronymus lib. 2. eleganter elusit: Lubricus serpens, & Proteus noster in variarum se mutat portenta formarum. Qui enim in coitu, & saturitate Epicurus est, subitò in retributione meritorum, Stoicus efficitur. Ita ille de Iouiniano cum D. Hieronymo. Vide D. Thomam, lib. contra detrahentes Religioni, cap. 8.

377 Dictus autem error de æqualitate in merito Virginitatis, & nuptiarum, quàm valde à Iouiniano fuerit Romæ sparsus, accipe ab Augustino lib 2. retract. cap. 22. sic dicente: Io-

378 uiniana, inquit, hæresis, sacrarum Virginū meritum æquando pudicitiæ coniugali, tantum valuit in Vrbe Roma, vt nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, deiecisse in nuptias diceretur, hoc maxime argumento; cum eas vrgeret, dicens: Tu ergo melior quam Sara, melior quam Susanna, siue Anna? & cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fęminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum, sanctū cęlibatum, commemoratione Patrum coniugatorum, & prædicatione frangebat. Huic

379 Monstro sancta Ecclesia, quæ ibi est, fidelissimè, ac fortissimè restitit] Damaso nimirum, & Sancto Hieronymo ex aduerso pugnantibus, declarat Baronius.

380 Secundo, fuit etiam Heluidius præcursor Iouiniani in altero errore, quòd ipse, & eius asseclæ tenuerint Beatam Virginem Mariam fuisse à S. Ioseph carnaliter cognitam, & ex copula cum eo, violata virginitate peperisse filios, Christi Domini fratres. Ita S. Augustinus lib. de Hæresi, num. 82. Alphonsus à Castro, verbo Maria Virgo, hæres. 1. Prateolus verb, Iouinianus, Gualterius cap. 37. sæculi

381 quarti. Quin etiam Sanctus Ambrosius, teste Baronio anno 382. num. 35. non referente locum, vbi ille id asserit, & quidem in epistola 82. qua Sanctus Ambrosius Vercellensem Ecclesiam de erroribus Iouiniani tunc prodeuntibus admonuit, talis erroris non meminit, neque S. Hieronymus in duobus libris, quos contra Iouinianum scripsit, vsquam ipsi hunc errorem impingit.

382 Tertio; Affirmabant Iouinianus, & eius sequaces, cibos omnes omnibus, omnique tēpore esse licitos, reprobantes Ecclesiæ prohibitionem, aliquos ipsorum certis diebus comedendi, addentesque nullius esse vtilitatis ieiunium, vel abstinentiam à certis cibis: Adducunt S. Hieronymus lib. 2, contra Iouinianum, S. Ambrosius, & S. Augustinus citati, S. Thomas vbi supra, Alphonsus à Castro, verb. cibus, hæres. 2. Baronius ibidem, num. 34. & alij.

383 Quarto, Cum Stoicis sentiebant Iouinianistæ omnia peccata esse paria, & consequenter pęnam pro eis debitam in Inferno cunctis damnatis æqualem assignari. Ita S, Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum post medium,

San-

Sanctus Augustinus lib. de hæref. num. 82. & Gualterius dicto cap. 37. num. 6.

384 Quinto. Tenuerunt Iouinianistæ, virginibus, viduis, & maritatis, quæ semel in Christo per sacrum Baptismum sunt lotæ, si non discrepent cæteris operibus, sicut in via, idem respondet meritum, ita & in Cœlo æqualem tribui mercedem. Tradunt D. Hieronymus ibid. S. Thomas in cit. libro cap. 6. Sander. hæref. 87. Baronius dicto anno, ac num. & Gualterius cap. 37. seculi 4. num. 7.

385 Sexto. Iouinianus simul cum suis asseclis pertinaciter defendebat, eos, qui plena fide in baptismate renati sunt, non posse à diabolo subuerti, nec in peccatum labi, neque gratiam in baptismo perdere. Ita S. Hieronymus, S. Augustinus citati, Prateolus verb. Iouinianus, & Baron. ibidem.

386 Prædictos autem errores Iouinianus non solùm proprio ore, & viua voce docuit, sed multis etiam scriptis à se elaboratis varijs in locis defendit, de quibus sic Baronius anno 390. num. 37. At qualia, inquit, essent eiusmodi Iouiniani scripta, accipe ex S. Hieronymo

387 lib. 1. aduersus Iouinian. Pauci, inquit, admodum dies sunt, quod sancti ex Vrbe Roma fratres, cuiusdam mihi Iouiniani commẽtariolos transmiserunt, rogantes, vt eorum ineptijs responderem, & Epicurum Christianorum Euangelico, atque Apostolico rigore contererem. Quos cum legissem, & omnino non intelligerem, cępi reuoluere crebrius, & non verba modo, atque sententias, sed singulas pene syllabas discutere, volens prius scire, quid diceret; & sic vel probare, vel redarguere, quod dixisset.

388 Verum Scriptoris tanta barbaries est, & tantis vitijs spurcissimus sermo confusus, vt nec quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare, quod loquitur, potuerim intelligere. Totus enim tumet, totus iacet, attollit se per singula, & quasi debilitatus coluber, in ipso conatu frangitur: nõ est contentus nostro, id est humano more loqui, altius quiddam aggreditur.] Ita Baronius cum D. Hieronymo, apud quos plura videas.

389 Tandem de condemnatione Iouiniani, ac sociorum eius, vnum verbum proferendum: & initium sumpsit à Pammachio nobilissimo Senatore Romano, qui simul cum alijs fidelibus teste Baronio, anno 390. num. 38. Siricio Papæ Iouinianum, iam de certis eius erroribus detulit, curauitque, vt Apostolica auctoritate damnaretur, vti dictus Siricius discussa causa ipsum, ac sequaces eius condemnauit.

390 Atque iussit, vt Mediolani Synodus multorum Episcoporum, cui præfuit S. Ambrosius, cogeretur ad condemnandum pari modo Iouinianum, & asseclas eius; vt vbi hæresis Iouiniana spargi cęperat; ibi iam condemnata iuridicè omnibus innotesceret. Legendus

391 circa hoc Baronius dicto nu. 38. & seqq. referens ibi epistolas Siricij Papæ ad Ecclesiam Mediolanensem, & Sancti Ambrosij ad ipsum Siricium. Atque hæc de Iouiniano.

392 Circa Agapetarum Sectam id solùm notandum, quod ipsa originem duxit ab Agape fęmina Hispana, cum cooperatione viri eius Elpidij per ipsam dementati, & quod Agapetæ, spiritualis consociationis prætextu, simul absque matrimonio habitarent, ac impudicè viuerent: idque esse licitum huius Sectæ professores sentire, esset magna præsumptio. Ita Sanctus Hieronymus epist. ad Ctesiphontem aduersus Pelagium, & lib. de custodia virginitatis ad Eustochium. Sanderus hæref. 79. Prateolus verbo Agapetę, & verbo Elpidius, & Cardinalis Baronius anno 398. num. .

393 Denique finis imponitur à Gualterio, & pariter à nobis quarto sęculo, explicatis quibusdam Sectis anonymis, seu sine nomine alterius progenitoris, aut alterius originis singularum, eo quod non extet.

394 Primo. Fuerunt aliqui, qui tenuerunt, primos Parentes Adamum, & Euam ante peccatum cæcos extitisse, & tunc videre cępisse, quando ex fructu prohibito manducare ausi sunt. Ita cum Alphonso à Castro, verb. Adam hæref. 5. tradit Gualterius capit. 48. sęculi quarti.

395 Secundo. Sanctus Augustinus lib. de hæresibus num. 67. Sanderus hęref. 72. & Gualterius ibidem mentionem faciunt Sectæ illorum hæreticorum, qui defendebant hunc mũdum etiam post resurrectionem vniuersalem permansurum in eodem statu, in quo nunc est. Contra illud Apocalip. 21. Vidi Cœlum nouum, & terram nouam; & infra. Ecce noua facio omnia.

396 Tertio. Cum D. Augustino de hæref. n. 73. de alia Secta hęreticorum, sic ait Gualterius citatus: Nec defuerunt, inquit, qui dicerent tempore crucifixionis Saluatoris Diuinitatẽ eius laborem pertulisse.

397 Quarto. Secundum eosdem D. Augustinum num. 8. & Gualterium, alij affirmarunt Filium semper fuisse cum Deo Patre, sed non semper fuisse Filium, sed ex quo tempore natus est.

398 Quinto: Tandem tenuerunt alij mundos esse innumerabiles: sic idem Sanctus Augustinus num. 77. & Gualterius: sicque clausum seculum quartum.

CAPVT IX.

De Hæresiarcharum Sectis, & Hæresibus, quæ toto quinto seculo aduersus Fidem Catholicam in diuersis Mundi partibus extiterunt.

PROOEMIOLVM.

1 QVod dictum à nobis ex Baronio in præcedenti regula, num. 369. multos scilicet ex Sanctis Patribus, & Doctores humanarum, diuinarumque scientiarum notitia præexcellentes, tam in Oriente, quàm in Occidente, vt Damasum isthìc, Hieronymum, atque Ambrosium: illic verò Basilium, Gregorium Nazianzenum, & Ioannem Chrysostomum, arma potentissima accinxisse contra errorem Eluidij hæresiarchæ de æquali merito virginitatis, ac coniugij; ipsumque debellasse, victrice remanente veritate Catholica; hoc idem se habere pari modo quoad reliquos Hæresiarchas, erroresque eorum totius quarti seculi decursu expressos, & quoad veritates fidei nostræ ipsis oppositas, constat manifeste ex ijs, quæ tradunt copiosè Genebrardus Chronograph. lib. 3. sub finem 4. seculi, & Gualterius in tabula Chronographica confirmat, vt solet, duodecim præcipuas veritates Catholicas testimonijs Sanctorum Patrum, & insigniorum scriptorum, qui 2 per spatium quarti seculi floruerunt. Exprimamus breuiter de aliquibus, vt de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia, transubstantiationis, & sacrificij missæ ex D. Athanasio lib. de Christi imagine, ex S. Cyrillo, in Mystagogicis, ex Niceta lib. 18. Orthodoxiæ, Eusebio Cæsariens. cap. 10. de demonstratione Euangelica, & ex alijs. De veritate item partium Pœnitentiæ, nempe exomologesis, contritionis, & satisfactionis, ex S. Ephrem lib. 2. de compunctione cordis cap. 3. & ex S. Hilario in psal. 118. Præterea de inuocatione Sanctorum, ex S. Athanasio de Incarnatione Verbi, ex Prudentio in Hymno Laurentij, de 18. Martyribus, ex S. Basilio oration. in 40. Martyres, & ex S. Gregorio Nazianzeno oratione, in Cyprian. Vbi & Virgo quædam amata à Cypriano tunc Mago, inuocatione Beatissimæ Virginis Mariæ ab eius amore seruatur. Atque sic de alijs fidei dogmatibus oppugnatis per hæresiarchas quarti seculi, ac defensis per viros sanctitate, & doctrina Catholica præstantes eodem tempore existentes. Vide, si lubet, apud dictos Genebrardum, & Gualterium: in præsenti à nobis tradita tibi sufficiant, ne diutius à transitu ad quintum seculum, & ad hæresiarchas eius, erroresque istorum retardemur.

Origo, & propagatio sectarum vtriusque Hæresiarchæ, Secundini, & Vigilantij, qualiter se habent?

REGVLA CCXLII.

3 VNus ex præcipuis discipulis Manichæi fuit Secundinus, qui ex mente Prateoli citandi floruit circa annum Domini 405 Hic nouam sectam instituit, seu potius institutam à Manete latius propagauit. Hinc ipse 4 per litteras D. Augustinum, qui veram fidem Catholicam amplexus, iam à Manicheismo totaliter recesserat, ad illud denuò attrahere 5 conatus est; haud tamen obtinuit. Vigilantius autem non ex Gallia, sed ex Hispania oriundus, venenum hæreseon, quod diu in corde eius latuerat, vtrobique spargens, ex præcedentibus hæresiarchis erroribus aliquibus desumptis, & alijs ab ipso inuentis, propriæ sectæ institutor, & propagator extitit; sed non diu durauit.

6 COgimur oculos vertere saltem obiter, vt patebit ex dicendis, ad sectas explicatas Manicheismi, Donatismi, & Arianismi, quarũ aliqui rami, seu discipuli institutorum ipsarum in decursu quarti seculi se prodiderunt, vti se prodidit Secundinus Manetis discipulus famosissimus, tantumque in secta eius innouanda, ac propaganda elaborauit: vt nomen hæ7 resiarchæ obtinuerit. Ad quam propagationem ipse oportunum duxit conari, vti per epistolam conatus fuit, vt S. Augustinus sectam Manicheorum, à qua lumine veræ fidei instructus, omnino defecerat, denuò amplecteretur. Ita referunt Prateolus verb. Secundinus, & Gualterius cap. 1. seculi quinti.

8 Verum frustranei, & inanes fuerunt conatus Secundini in reductione ad Manicheismum tãti viri à Deo iam electi ad Ecclesiam Catho9 licam cælesti doctrina illuminandam. Imò hinc sumpta occasione ipse Augustinus, librum, inquit Gualterius, egregium aduersus illum conscripsit, in quo phreneticam eiusmodi sectæ delirationem mire depingit, ipsumque Secundinum vehementer adhortatur, vt ad fidem Catholicam redeat. Ita ille, aduertens, quod tom. 6. operum D. Augustini extet dictus liber.

10 Preter errores ex Manicheismo, & Arianismo sumptos, nullum alium peculiarem, quod sciam, Secundinus adidit, sed in aliquibus eorum valdè excelluit, quos paucis exprimunt citati Prateolus, & Gualterius, quorum ve11 stigia sequemur. Primo asserebat pertinaciter Secundinus, Augustinum, ac reliquos Catholicos in fide errare. Secundo affirmabat Deum esse mutabilem. Tertio docebat Christum Dominum non esse Vnigenitum Patris secundum naturam. Quarto, asseuerabat malum

malum esse quandam substantiam. Quinto, tenebat carnes non esse edendas, vti à malo principio creatas. Atque hic de Secundino satis dictum.

12 Multo plura adducuntur ab Auctoribus de Vigilantio; quoad originem eius, conditionē & statum antequam in hæresim laberetur, & suos errores spargeret, quidquid dicant Gennadius lib. de Script. Ecclesiæ cap. 35. & Prateolus verb. Vigilantius, *circa* eius ortum allucinati, non in Gallia, (tametsi eam iam maioris ætatis frequentarit,) sed Calagurij in Hi-
13 spania natus. Presbyteratus gradu insignitus Barcinonensi Ecclesiæ inseruiuit, cū D. Hieronymo lib. 1. contra Vigilantium testantur, vt certum omnino, Baronius anno 406. n.39. & Iacobus Gualterius cap.2. seculi quinti.

14 De identitate autem hominis, vt lectori innotescat, sublata omni æquiuocādi occasione, audiat eundem Baronium, n.40. cum D. Hieronymo citato, sic eam indicantem. Et ne, inquit, putes hunc alium ab illo Vigilantio fuisse, qui postea in hæresiarcham erupit, habes, quæ de hoc ipse Hieronymus aduersus ipsum scribens exprobrat, quid egerit, cū Hierosolymis esset, & terra ingenti motu quateretur, cum ipse nudus perspicuus omnibus in publicum prodijt; qua impudentia indiciū aliquod edidit futuræ scriptis etiam detegendæ omnibus turpidinis.] Ita ille.

15 *Circa* tempus item, quo se hæreticum, seu *hæresiarcham* propalauit; & qualiter ipse primus ante quemcumque alium in regionem illam Galliæ Christianissimam, errores contra fidem inuexerit, claram notitiam idem Baronius num. 42. sic nobis porrigit.

16 Quid tandem? inquit, quas multo tempore congesserat Vigilantius hæresum sordes, & pallio obuoluerat sanctitatis, impetu vno profudit, cum reuersus ex hypocrisis nundinis, falsis mercibus sanctitatis onustas, in Gallia eas primum venum exposuit.] Ita ibi, & infra num 45.

17 Ingemuit S. Hieronymus, inquit, huius temporis infelicem Galliæ statum, quo cœpit Prouincia Christianissima, portenta conspicare, quæ hactenus ignorasset, cuius sincera fides ab Apostolorum temporibus illibata, pureque seruata (vt ostendimus superius testificatione S. Hilarij) numquam, vel næuum quidam contraxisset hæreticæ prauitatis, nunc primum
18 stupratore Vigilantio tentaretur. Hinc dolor, & gemitus. Etenim cùm post recensita diuersa, quæ diuersis tēporibus, & regionibus in orbe terrarum visa sunt monstra: Sola (inquit ipse Hieronymus) Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis, & eloquētissimis abundauit. Exortus est subito Vigilātius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum.] Huc- usque Baronius.

19 Qualitatem iam dictarum mercium Vigilātij, seu quinam fuerint eius errores contra fidem, in particulari inspiciamus. Primo reputabat eos Idolatras, qui sanctorum sepulcra, & sacras reliquias venerantur. Ita Alphonsus à Castro verb. reliquiæ sanctorum, Sanderus hæres. 95. Prateolus verb. Vigilantius, & Gualterius dicto cap. 2. num. 2.

20 Secundo. Meritò à D. Hieronymo, vt hæreticus cōdemnatur Vigilātius ea de causa, quòd Sanctorū venerationem, & inuocationē reijciendam esse censeret. Tradunt præter S. Hieronymū lib. cōtra Vigilantiū, Alphonsus à Castro, verb. Sancti, Sanderus, & Prateolus citati.

21 Terio. Vigilantius, & eius sequaces, Sanctorū vigilias repudiandas esse tenuerunt, eò quod nimis crebrę proponerentur, atq. ipsi vnā tan-
22 tum Paschæ vigiliam admittebant. Hinc ille à D. Hieronymo Dormitātius potiùs, quam Vigilantius appellatur. Ita S. Doctor lib. contra Vigil. Sanderus, & Prateolus relati, ac Gualterius dicto cap. 2. num. 4.

23 Quartò. Idem Gualterius n. 8. sic: Animum, inquit, habebat Vigilantius in terrenis facultatibus ita defixum, vt voluntariæ professionē paupertatis ferre non posset, eique diuitiarum vsum vel æqui poneret.] Hæc ille cum D. Thoma opusc. 17. & Sander. ac Prateol. relatis.

24 Quintò. Vigilantius, & Asseclę eius virginitatem, & cælibatum Sacerdotū omni studio, & contentione impugnantes, ab omnibus cōtrahendum esse matrimonium defendebant. Ex D. Hieronymo, & Sandero locis citatis affert idem Gualterius, num. 7.

25 Sextò. Ieiunia ab Ecclesia iniuncta Vigilantius contemnebat ex mentis errore, de quo D. Thomas lib. contra impugnātes religionē, sic ait: Vigilantius hic veritatem Fidei impugnabat, pudicitiam odio habens, & in conuiuio secularium contra ieiunia declamabat.
26 Nulla quippe hæresis vnquam constituta est, nisi propter gulam, & ventrem, seducens mulierculas oneratas peccatis.] Hæc S. Doctor Angelicus, vt refert Prateolus verb. Vigilātius.

27 Septimò. Cereos à Christianis accensos ad sepulcra Sanctorum Martyrum Vigilantius, & sequaces eius deridere consueuerunt. Ita S. Hieronymus lib. aduersus Vigilantium. Sāderus hæres. 95. & cū vtroque Gualt. d. c. 2. n. 5.

28 Octauò. Nolebat, imò prohibebat Vigilātius quidquam mitti Hierosolymā in subsidium, & solatium eorum, qui illic eo valdè indigebant, penuria magna diuexati, ex D. Sandero citato affert idem Gualterius, num 9.

29 Nonò. Cū ipsis Sādero, & Prateolo vbi supra, de alio errore Vigilātij, Gualt. ibid. n, 3. sic ait: Censebat, inquit, quę in Ecclesijs Martyrū fiūt miracula, nihil prodesse fidelibus; sed incredulis dumtaxat, vel vt alij referūt, pro præstigijs, illusionibusque diabolicis illa habebat.] Hec ille.

30 Decimò. Tandē Vigilantius malè sentiens de statu Religionis, auertebat Monachos à sancto eorū proposito, atq. instituto. Cum S. Thoma opusc. 17 & cum Sandero ibid. adducit Gualterius sub finem dicti cap. 2.

31 Superest aliquid vltimo loco dicendum de breui duratione, & totali extinctione Vigilātij Sectæ, saltem in partibus Galliæ, vbi magis viguit: circa vtrūq. audiamus Baroniū anno 406. num. 51. egregiè nobis sic indicantē: Porrò, inquit, quod postea siluerit infamis hæresis, nec āplius ad multa secula audita fuerit, haud scias bre-

breuē illā Hieronymi scriptionē esse veritā, vt caput tollere amplius ausa nō fuerit. Nō enim ea est natura hæreticorū, vt victi cedere sciant, & dent manus ratione conuicti; sed prostrati licet, pertinaciori audacia surgant, restituantque acriora certamina.

32 Sed vnde accidit, vt sileret? Audi: Terribilis Deus in consilijs super filios hominum, vocauit gentes ab extremis terræ, immisitque in Gallias, in eamque potissimum partem grassati fuit in qua hæresis nefanda plantata est (à Vigilātio scilicet) adeo vt sub barbaro gladio, magis de vita tuenda contendere, quam de dogmatibus licuerit disputare.

33 Hactenus Baronius, ex cuius mente hæreses Vigilantij vix vltra duos annos durarunt; aut ex mente Prateoli citati, vix vltra ferè sex, vel septem; si illę, vt ipse vult, exortæ fuerunt circa annum Domini 402. atque extinctæ modo dicto circa 407. quò gentes illæ vocatæ ab extremis terræ, nimirum Vandali, & Alani, transito Rheno, Gallias inuaserunt, & deprędati sunt, vt ibi ipse Baronius multis ostendit; nobis attigisse, sit satis, quod sit extra nostrum institutum.

Quid de Sectis Pelegianorum, & Semipelagianorum, quid de alijs à Pelagio deriuatis?

REGVLA CCXLIII.

34 VTi Monstrum horrendum Pelagius ex Anglia ortus in Syriam dein profectus monachatu ibi assumpto, diuersos habuit suorum præcursores errorum, qui circa annum 405. prodiens ferè omnes Orientis, & Occidētis regiones, tùm per se ipsum, tùm per alios Ministros, priùs clanculo, postea palam perfricata fronte in fide valdè corrupit, & non obstantibus multis Sanctorum Patrum scriptis, editis, ac varijs definitionibus sententijsque Pontificum, & Conciliorum contra eos latis, Sectę Pelagianorum in immensum excreuit.

35 Semipelagianorum autem Secta in aliquibus statim indicandis ab illa diuersę, quidam Cassianus Massiliensis progenitor censetur. Vnde

36 eius asseclæ Massilienses nuncupati. A Pelagio etiam Cœlestius, & Vitalis præcipuè inter hæresiarchas repositi, originem duxerunt.

37 QVadrat haud dubiè Pelagio illud Hierem. 1. Ab aquilone pandetur omne malū, quandoquidem à regione Aquilonari, seù à magna Britannia oriundus, diuinæ gratiæ hostis, & oppugnator acerrimus existens, inenarrabilem Ecclesiæ Catholicæ perniciem intulit; quod vt facilius, & abundantius præstaret, ad partes Orientales, nempè ad Palęstinæ Syriā proficiscens, ibi statum monachalem amplexus est, vt refert Prateolus, verbo Pelagius.

38 Verùm rem paulò altiùs repetendo à prima origine ductam, exprimēdæ statim à nobis Pelagianæ hæresis præcursores, seu patriarchæ, vt eos merito vocat D. Hieronymus in Hierem. lib. 4. præf. teste Baronio, anno 410. numer. 19. Sed ante, inquit, de Ruffino agendum, quem hoc anno defunctum subobscurè S. Hieronymus iure præcursorem Pelagij nominat.

39 Et infra num. 60. coniungens Ruffino alios: Idem S. Hieronymus, inquit, scripturus aduersus Pelagium in eius operis præfatione, vna cum alijs hæresum earundem auctoribus Ruffinum ponit, vt qui ex Origenis cœnoso fonte in Ecclesiam eiusmodi deriuarit errores: recensentur ibi ab eodem Auctore reliqui Pelagianæ hæresis Patriarchæ, nempè ante Ruffinum (hunc sub nomine Grunnij ipse S. Hieronymus aliquando exprimit.) Euagrius, Ponticus, atque Iouinianus. Hæc Baronius, ex quibus clarè vides, qualiter etiā ab Origenismo adeo antiquo Pelagianismus fuerit deriuatus.

40 Quod item Pelagiani secta tacitis eius, & assectarum nominibus, clanculo aliquando viguerit; accipe ab eodem Baronio nu. 2. egregiè id exprimente per sequentia verba; Quod verò, inquit, timeret Pelagius hæresis condēnari, atque eam ob rem clanculo cum suis ageret, idcirco hæc vbi supra Hieronymus. Cui respondere diu tacens, & dolorem silentio deuorans, crebra fratrum expostulatione compulsus sum; næc tamen huc vsque prærupi, vt Auctorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quam infamari, non enim hominum, sed errorum inimicus sum. Hæc, & alia ille cum D. Hieronymo in dicta præf. lib. 4 in Hierem, quibus occulta quoad nomina extendentium Pelagianismi, extensio, manifestè innotescit.

41 Sed multò manifestius illis, quę ipse Baronius n. 63. ex D. Hilario citando, adducit cū peculiari eruditione. Talis, inquit, hoc tempore status erat hæresis Pelagianæ, vt cum propalarentur errores, autores tamen latere cuperent, hacque de causa insulas ad docendum elegerint, duasque simul pestilentiæ cathedras erexerint, alteram in Sicilia ad docendum elegerint, (vt habet idem H) ad decipiendos Occidentales; In Rhodo Insula, alteram, ad corruptionem Orientalium Populorum. De Siciliæ cathedra

42 præter citatos superius, S. Hieronymi obscure nominibus, alijs inuolutas sententias, accedunt his, quibus hæc toto cœlo prospicias, ea quæ habet Sancti Hilarij epistola his temporibus scripta ad Sanctum Augustinum, qua eum de omnibus reddidit certiorem occisis tamen auctorum nominibus, quod adhuc res ceu modò tractaretur.] Ita ille, nihil peculiariter exprimens de cathedra in Rhodo Insula erecta. In prædicta autem Hilarij epistola hæc extat apud S. Augustinum estque 89.

43 Ad finem autem dictum corrumpendi suis erroribus vtramque Regionem Orientalem & Occidentalem, vniuersamq; Ecclesiā Catholicam, diu Pelagius in Hierosolymitana præcipuè Ciuitate habitauit, atque huius habitationis istam causam reddit Baronius anno 417. numer. 2. Quod enim, inquit, ipse Pelagius Hierosolymis habitare tandem elegerit, id eius consilium fuisse creditur, vt ibi moraretur, quò ex toto Orbe Christiano concurrerent gentes, vt ibi errores suos docens, vniuersam simul totius Orbis Ecclesiam macularet.] hæc ille.

Quid

44 Quid quod per multum temporis in Vrbe ipsa Romæ demoratus est Pelagius docens, & spargens suam hæresim, adeo clanculũ sub ouina pelle, seu monastico habitu, cum esset lupus rapax, & taliter veram fidem, religionem, ac pietatem simulans, vt apud insignes viros, & Ecclesiæ Patres, vt apud S. Paulinum Nolanum Episcopum, & apud S. Augustinum præexcellentem Doctorem valdè acceptus, & 45 & cõmendatus haberetur. De vtroque qualificatum habemus testimonium ex Baronio anno 415. num. 52. De priori sic. [Quod verò, inquit, adloca spectat, vbi Pelagius docuit, dictum est superius, ipsum in Aegypto versãtũ inter Monachos, quum ante omnes deploratum à Chrysostomo, & Isidoro vidimus: in Occidentem verò se conferentem, in Vrbe primum quarundam quæstionũ prætextu hæresum venena sparsisse, S. Augustinus affirmat cap. 21. de peccato orig. vbi ait, eum diutissime Romæ vixisse, ibique in disputationibus, contentionibusque versatum, captantem vndique occasionẽ hæresis propagandæ, & propugnandæ.] Hactenus sic ibi.

46 De acceptione item, & condemnatione illius apud SS. Paulinum, & Augustinum, in hunc modum idem Baronius num. 51. Sed vnde, inquit, Augustino, vt aliquando tanquam virum probum Pelagiũ laudauerit? Equidem id ipse excellẽtissimi viri Paulini Nolani Episcopi testificatione; latens enim sub monastico habitu lupus rapax, nouus Proteus pro loco, & tempore, atque personis, sermonem mutans, cum sanctis, sanctus æque apparere conatus est. Et sicut de Vigilantio eidem Paulino accidisse diximus, vt eum dum adhuc tegeret pietate blasphemias, litteris ad Hieronymum datis, laudibus celebrarit: Ita planè de Pelagio ad S. Augustinum scribens eum ex-47 tulit præconijs sanctitatis. Quamobrem idem Augustinus, cũ iam Pelagius qualis esset perspicuè ob oculos omnium fuerit demõstratus, quid iam de ipso Paulinus sentiat, litteris interpellat his verbis epist. 105. Pelagium, quem vidimus (vt ab illo distingueretur, qui Pelagius Tarenti dictus, Britonem fuisse cognominatur) & quem vt seruum Dei dilexeris, nouimus; nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus. Nam & nos non solum dileximus, verum etiam diligimus. Tunc enim, quia nobis rectę fidei videbatur; nunc autem vt ab ijs, quæ inimica, & aduersa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordia liberetur. Ita ille.

48 En qualis affectus S. Augustini circa Pelagium, dum hic occultus Ecclesiæ hostis mãsit. En qualis postquam peruersissimus hæresiarcha innotuit. Sed petes, quandonam illi Doc-49 ctor hæreseon innotescere cępit? Contigisse id anno 413. affirmat Baronius ibid. num. 26, exprimens prius cum D. Hieronymo occasionem innotescendi: nempè fuisse ab ipso Pelagio scriptam epistolam ad viduam Demetriadem, vt hæc ad amplectendum Pelagianismũ induceretur: sed prestat verba vtriusque referamus.

50 Præterea autem, inquit Baronius, scripsit & idem Pelagius ad viduam quandam, blanditijs eam, atque adulatione demulcens; ex qua epistola, hæc S. Hieronymus lib. 3. contra Pelagium recitat, atque subsannat: Eidem adulãs viduæ, non erubescis dicere, pietatem, quę nusquam reperitur in terra, ac veritatem, quę vbique peregrina sit, in illa potissimum commorari? Et paulò post: Docere hoc est, an occidere? leuare de terra, an præcipitare de cœlo? id mulierculæ tribuere, quod Angeli non audent vsurpare? Si autem pietas, veritas, atq; iustitia non inuenitur in terris, nisi in vna mulieres, vbi erunt iusti tui, quos absque pec-51 cato in terris esse iactabas? Quòd igitur hoc anno Pelagius qui hactenus per Cælestium, (Scelestium potius dicendum) hæresim, vt vidimus, aggressus fuerat promulgare, iam quid sentiret, vulgata ea ad Demetriadem epistola, penitus innotuerit; inde accidit, vt sub anni huius, Lucio Consule, idem qui supra S. Prosper in Chronico tradat, Pelagij hæresim hoc anno innotuisse. Hactenus Baronius cũ SS. Hieronymo, & Prospero.

52 Verum iam quinam in particulari Pelagij errores fuere? Primò, anteponens Diuinæ Gratiæ liberum arbitrium suadebat ipse, naturalibus huius viribus, absque Dei gratia, propter Christum, remissionem peccatorum posse hominem obtinere, ac iustificari, vitamque æternam mereri ex proprijs operibus, ac conatibus, & non ex Fide, ac merito Christi 53 Domini. Quanquam postea hanc hæreticam doctrinam modificauit ipse Pelagius dicens, dari quidem gratiam, non quasi ad dictos effectus remissionis peccatorum, iustificationis, &c. absolutè necessariam; sed ad eos dumtaxat facilius consequendos. Hunc vti præcipuum Pelagianorum errorem assignat D. Augustinus lib. de hæres. num. 88. Alphonsus à Castro verb. meritum hæres. 2. Prateolus verb. Pelagius, & Sanderus hæres. 99.

54 Secundò, Tenuerunt Pelagius, & sequaces eius, nõ esse determinatum numerum electorum, neque reproborum; contra illud S. Apostoli 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; Cognouit Dominus, qui sunt eius. Ita Sanderus citatus, & Gualterius cap. 3. seculi quinti, num. 55.

55 Tertiò, Asserebant illi, liberum arbitrium post susceptum reipsa legitimè baptismum, nequaquam posse ampliùs peccare, neque gratiam in eo susceptam amittere. Afferunt citati Prateolus, & Gualterius, num. 8.

56 Quartò, Consequenter ad primum errorẽ docebant Pelagiani, omnia Dei præcepta posse absque Diuina gratia obseruari, solis naturæ viribus. Ita cum S. Augustino, & Sandero relatis Gualterius vbi supra num. 2.

57 Quintò, Defendebant illi, eam Dei gratiam, sine qua nihil boni potest facere homo, sitam esse in solo libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo natura humana accepit, ad hoc tãtum ipso Deo adiuuante per suam legem, & doctrinam,

vt discamus, quę facere, & quæ sperare debea-
58 mus, Qui error est incidens cum primo, manifestè est contra illud Christi Domini: Sine me nihil potestis facere, Ioan. 15.] quasi dicat iuxta expositionem sancti Augustini, ibi, se ad hoc etiam per donum sui sancti Spiritus adiuuare, vt quæ didicerimus esse facienda, faciamus; ferè totidem verbis cum ipso D. Augustino lib. de hæres. num. 88. adducit Gualterius dicto cap. 3. num. 3.

59 Sexto, Tenuerunt Pelagiani, quemuis hominem iustum, dum in hoc mundo viuit, esse peccati prorsus immunem. Ita idem S. Augustinus num 88. Alphonsus à Castro verbo gratia, hæres. 2. & Gualterius ibidem num. 5.

60 Septimo, Docebat Pelagius, quòd homini secundum merita ipsius, concedatur ea gratia per quam à peccato liberatur: ex quo errore deducitur alius, quod idem homo dum est in peccato mortali, possit mereri. Vide citatos S. Augustinum, & Gualterium num. 4.

61 Octauo, Tradiderunt Pelagiani scientiam esse donum Dei, haudquaquam verò charitatem, etiamsi, vt ait S. Paulus 1. Corin. 8. scientia absque charitate inflet: Charitas autem ædificat, ne scientia inflet Cum S. Augustino ibidem, Gualterius num. 6.

62 Nono, De veritate orationis sic sentiebat Pelagius, quod sit prorsus inutilis ad impetrãdam peccatoribus conuersionem, aut fidei augmẽtum, ac perseuerantiam fidelibus, atque ad hæc omnia, quod sufficiat liberum arbitriũ affirmabat. Ita D. Augustinus lib. de hæres. numero 88 Alphonsus à Castro verbo oratio hæres. 3. & Gualterius vbi supra num. 7.

63 Decimo, Nequaquam dari peccatum originale, & infantes absque eo nasci docebant Pelagiani. Affirmabant tamen esse baptizandos ipsos infantes, vt à bono in melius promoueãtur. Ita citatus S. Augustinus, Alphonsus à Castro verb. baptis. hæres. 9. & verbo peccatum hæres. 1. atque Gualterius dicto c. 3. n. 9 & 10.

64 Vndecimo, Pertinaciter asserebat Pelagius, Infantes sine baptismo vita functos manere quidem semper extra Dei regnum, fruituros tamen vita, ac beatitudine æterna. Adducunt S. Augustinus loco citato, & lib. de baptismo paruulorum, Alphonsus à Castro verb. baptis. hæres. 9. & Gualterius ibidem num. 11.

65 Duodecimo, Adiungit cum eodem Alphonso à Castro verb Adam hęres. 4. ipse Gualterius sic: In ea, inquit, erat opinione Pelagius, vt diceret Adamum, tametsi non peccasset, moriturum, neque ipsa non merito culpæ esse mortuum, sed naturæ conditione.] Hæc ille.

66 Decimotertio, Pelagiani magno prosequebantur odio vsum habitus, ornamentorumque Ecclesiasticorum, atque in quibusuis ministris, siue Episcopis, siue Presbyteris, ac Diaconis sacrosanctum Sacrificium celebrantibus vestitum album reprobabant. Ita S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagium; Sanderus hęres. 99. & Gualterius dicto cap. 13. num. 15.

67 Decimoquarto, Denique cum eodem D. Hieronymo lib 3. contra Pelagianos, & Sandero citato, Gualterius ibid. n. 14 de Pelagio, & eius sectatoribus ait, quòd sese tam sanctos, tamque de sua iustitia securos existimarent, vt fruitionem cælestium bonorum post hanc vitam sibi certo promitterent.

68 Aduersus prædictos Pelagianorum errores ex antiquis Patribus, & Doctoribus, plerique arma sumpserunt, ac eius præstantissimis scriptis eos perpetuo impugnarunt, confutaruntque, præcipuè sancti Hieronymus, & Augustinus. Audiamus Baronium de hoc vltimo (de primo videat quicũque voluerit in eius libris citatis, & in alijs) anno 416. num. 15. sic lo-
69 quentem. Quod autem, inquit, spectat ad Africanos Episcopos, adeo vehementi studio ad expugnandam Pelagianam hæresim incubuerunt, vt post duo hæc Concilia, eodem hoc anno Carthagine, & Mileui in Numidia congregata, S. Augustino delegauerint opus, vt suis scriptis, nefandã hæresim penitus insectaretur. Testatur id quidem ipse Augustinus epist. 110

70 Qualiter verò id pręstiterit, eodem num. 15. tradit infra idem Baronius. Porrò, inquit, iniunctum sibi ab Episcopis duorũ Conciliorũ opus, quam nauiter, atque acurate impleuerit, sua ipsius scripta argumento edita fidem faciunt, vt nihil vberius, doctiusue, & eloquentius dici potuerit; appareatque cùm in alijs scriptis, alios superet, in tractatibus contra Pelagianos se ipsum penitus superasse.] Hæc ibi Cardinalis Baronius.

71 Confirmatur, imo augetur ex traditis ab ipso Baronio anno 418. num. 28. S. Augustinus inquit, qui (vt ait Possidius) decem annos aduersus Pelagianam hęresim infatigabili studio laborauit, præter alias complures lucubrationes aduersus eum editas, hoc anno, nempe post damnatam Romę eandem hæresim, duos edidit libros, alterum de gratia Christi, alterum verò de peccato originali, ambosque ad Albinum Pinianum, & Melaniam iuniorẽ, sibi notos, Hierosolymis degentes misit, vt vbi Pelagius de sua purgatione securus sedẽ constituerat, quo maiori facilitate hæresi sua Orbem inficeret, ibi ad salutem omnium paratũ aduersus venena distraheretur antidotum. Illuc enim Religionis ergo Christiani fre-
72 quenti cœtu concurrere soliti erant. De iisdem vero libris hæc ipse D. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 50. Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis Auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo cooperantibus, Conciliorum Africanorum litteris conuicta, atque damnata est, scripsi duos libros aduersus eos, vnum de gratia Christi, alterum de peccato originali. Hactenus Baronius ex parte cum ipso D. Augustino.

73 Prædicta iam manifeste ostendunt qualiter per Sanctos Patres, per Summos Pontifices, ac per duo Concilia, Pelagiani errores expugnati, confutati, condemnatique fuerint. Nihilominus perniciosissima Pelagij secta in dies magis magisq; preualuit, ac se se ad omnes ferè Orbis Christiani regiones extendit
74 præcipuè ad regionem Angliæ, vnde ipse Pelagius oriundus, ibique adeo radices misit, vt necesse fuerit implorare auxilium ab

ab Episcopis Gallicanis, qui, vt testatur Beda lib. de ratione temporum, & ex eo refert Prateolus, verb. Pelagius, miserunt illuc Germanum, & Lupum Episcopos fidei Catholicę egregios defensores, ac per ipsos à Pelagianismo insula Britannica expurgata mansit.

75 Sed quid de secta Semipelagianorum? Nihil circa eam inuenio apud Baronium, nihil apud Prateolum, quos citare soleo, quod valde mirum: præstringam breuissime quidquid spectat ad ipsam, ex communi, & recepta doctrina, quam cum sanctis Patribus, & Auctoribus citandis adducit Gualterius c. 19. seculi

76 quinti. Ac primo, quoad institutorem huius sectæ Semipelagianorum, affirmat ibi Gualterius cum Cassiano, collat. 13. & lib. 12. de institutis Cœnobiorum, cap. 11. 12. 13. ac 14. fuisse quendam Presbyterum nomine Cassianum, & Patria Massiliensem. Atque hinc eius Asseclæ in erroribus Semipelagianorum Massilienses nuncupati sunt, secundum Faustum Regiens. lib. 1. & 2. de gratia, & libero arbitrio, extatque tom. 4. Biblioth. Pat.

77 Communiter tamen sequaces dicti Presbyteri Cassiani appellantur Semipelagiani, inde quod partim cum Pelagianis concordarent, in extollendo admodum libero arbitrio, ac deprimenda diuina gratia, vt vidimus supra in declaratione errorum Pelagij; partim à Pelagianis differunt in eo, quod ipsi Semipelagiani Christi Domini gratiam concederent non externæ tantum prædicationis, sed internæ etiam inspirationis, atque eam non solum, vt vtilem, verum etiam vt necessariam iustificationi, perseuerantiæ, ac merito vitę æternæ, fatentes ingenuè ad hæc peragenda nostros conatus esse irritos, nisi tali gratia ful-

78 ciantur. Errarunt nihilominus Semipelagiani. Primo, quod tenerent inesse in nobis nostro labore proprio, & sine vlla Christi Domini gratia intrinsecùs existente, quædam initia, per quæ nobis ipsis inchoantibus diuina Dei inde gratia tribuatur, vt nostris (sic ipsi loquuntur) conatibus præsto sit, nostraque pro-

79 moueat desideria. Circa dictum errorem, ac sequentis Semipelagianorum, legendi ex recentioribus præcipuè Bellarminus lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 2. 3. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. Molina prima parte, quæst. 23. art. 4. disp. 1. memb. 2. & in Concord. disput. 6. Valen. 1. part. disp. 1. 9. 23. punct. 4. §. 10. Vasquez 1. part. quæst. 23. art. 3. disp. 89. cap. 4. & Suarez lib. 3. de auxilijs cap. 2. num. 6. & alij magis recentiores.

80 Tria hic notat ex mente cæterorum Gualterius scitu digna. Primum, quod illi gratiæ nomine, nec remissionem peccatorum præcisè, nec gratiam habitualem, per quam homo formaliter iustificatur, intellexerint, sed vniuersaliter quæuis gratiæ auxilia, quibus ad iustificationem disponitur, & deducitur.

81 Secundum, quod ipsi Semipelagiani illa exigua initia, quæ in nobis præcedere asserebant, non assignarint, vt meritoria de condigno (quemadmodum Pelagiani sibi suadebant merita liberi arbitrij condignè efficere, vt gratia ad facilius operandum nobis tribuatur, nostrasque vires proprias ad gloriam condignè promerendam sufficere.) Sed tantum, vt meritoria impetratoriè, seù dispositoriè, aut iuxta modum loquendi scholasticorum ponentium gratiæ auxilium, vti meritoria de congruo. Quamquam circa hoc non omnes Semipelagiani inter se concordes fue-

82 runt. Nam alij voluerunt talia initia nostra debere semper esse priora Dei gratia. Affirmarunt verò alij gratiam esse aliquando priorem; & alij admiserunt omnia hominis opera ad salutem æquè pertinentia, initium à gratia sumere, exceptis fide, voluntate salutis, & oratione.

83 Tertium, nullam fuisse factam de præcedenti Semipelagianorum errore mentionem in Concilijs Carthaginensi, & Mileuctano, eoque tempore, quo fuerunt congregata, adhuc non innotuerat; factam autem exprese in Concilio Arausicano secundo. Quippe constat hoc celebratum fuisse potissimè ad finem condemnandi prædictum errorem.

84 Errarunt item Semipelagiani in eo, quod tenerent primam gratiam conferri à Deo hominibus vsu rationis præditis, ob aliqua bona opera ab eis facta, & consequenter defenderent ex his prætensis bonis initijs liberi arbitrij, homines Diuina gratia ad gloriam prædestinari, & à numero damnatorum seiungi.

85 De confutatione, & condemnatione huius, & præcedentis erroris extat Tom. 1. Conciliorum epist. 5. Cælestini Papæ ad Episcopos Galliæ: circa idem legendi sunt S. Augustinus epist. 101. 106. & lib. 1. de prædestinatione sanctorum cap. 12. 13. & lib. 2. de perseuerantia cap. 9. & 10. S. Prosper Aquitanus lib. contra Collatorem, & lib. 1. de vocatione gentium cap. 22. Item S. Hilarius Arelatensis in epist ad August. de prædestinatione sanctorum, atque præ ceteris D. Thomas p. 2. q. 109. art. 6. & quæst. 114. art. 5.

86 Tandem errarunt Semipelagiani, quod cum viderent se adstringi exemplo infantium, qui absque proposito merito prædestinantur, falso affirmauerint, etiam tales paruulos fuisse prædestinatos ex bonis operibus liberi arbitrij, quæ morte præuenti non potuerunt perficere, & erant perfecturi, si ad vsum rationis peruenissent, atque ob eadem opera factam illis esse à massa perditionis secretionem; quia ob talia opera asserebant ipsi, vel concessa fuit illis, ac prædestinata baptismi gratia, aut sanè

87 denegata. Hanc hæreticã doctrinã confutauit S. Augustinus lib. 1. de prædestinatione sanctorum cap. 12. Firmissimo testimonio S. Pauli 2. Corinth. Si omnes enim nos, inquit, manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum] vbi bene notat Augustinus, quod non fuerit ab Apostolo dictum: *prout gesturus fuit*, sed tantum prout

88 gessit: & statim subiungit: Sed vnde hoc de talibus viris in mentem venerit, nescio vt futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita paruulorum. Hæc S. Augustinus,

stinus, quæ ex doctrina Vasquez citati disp. 19. c. 2. confirmat Gualterius ibidem sic dicens. Et verò, inquit, vt crudelitatis esset, plusquam tyrannicę, pœnas ab aliquo sceleris minimè patrati repetere; Ita neque iustitiæ est, nihil merenti mercedem tribuere.] Ita ille; atque hactenus de Semipelagianis vere Pelagiji descendentibus.

89 Tres alij præterea extiterunt famosi descendentes, seu ministri eiusdem Pelagij, qui cum præ ceteris in docendo, & propagando Pelagianismo diu, multumque laborarint, meritò inter hæresiarchas enumerantur. Primus fuit quidam vocatus Cælestius, Pelagij primum discipulus, vt ait Gualterius cap. 4. seculi 5. postea vero magnus cohortis satanæ An-

90 tesignanus. De hoc affert Baronius anno 473. num. 26. per sequentia verba: Sanctus Prosper in Chronico tradit Pelagij hęresim hoc anno innotuisse, quam tamen in Cælestio scimus Carthagine fuisse damnatam.] Ita ille ibi.

91 Meminit eiusdem Cælestij Baronius anno 410. num. 49. vbi post ostensum Ruffinum Pelagij præcursorem, vt supra vidimus, ita subiungit. Et ne quis, inquit, existimaret nostram sancti Hieronymi verborum interpretationē perperam factam, ipsumue pati calumniam; accipe in primis, quæ Pelagij collega Cælestius publicè, cum in Concilio Carthaginensi hæresis argueretur, libera voce his verbis professus est; S. Presbyter Ruffinus Romę, qui mansit cum S. Pammachio, id dixit. Ego enim audiui illum dicentem, quod tradux peccati non sit] hæc Baronius contra Cælestium, & habentur apud S. Augustinum, lib. 2. contra Pelagium, cap. 2. Atque hactenus de Cælestio Carthaginensi.

92 Secundus vero Pelagianismi acerrimus defensor, & propagator, fuit Iulianus Episcopus Capuanus, cuius vehementissimus impugnator extitit D. Augustinus, qui contra eum, ac reliquos Pelagij asseclas, Hypognosticorum volumen, & libros complures scripsit. Ipse verò Iulianus contra D. Augustinum, & contra Ecclesiam aliquos etiam libros composuit. De hoc Hæresiarca vide Prateolum verbo Iulianus Episc. Capuan. & Baronium anno 419. à num. 37.

93 Alius denique famosus Pelagij Minister, seu Promotor eius sectæ, fuit quidam Vitalis Carthaginensis, qui cum ab illius nomine se abhorrere simularet, ipsi tamen valde addictus erat. Audiamus Baronium anno 409. n. 54. quæ ad hunc hæresiarcham spectant, paucis comprehendentem; postquam enim in com muni ostendit Alypium Episcopum fuisse missum ad Honorium Imperatorem pro extirpandis latentibus in Aphrica Pelagianis, ad-

94 dit sequentia: Sit in exemplum, inquit, quod ex sancto Augustino litteris exploratum habetur de Vitali Carthaginensi, qui licet Pelagij nomen fugere videretur, ex eius tamen doctrina dogma illud impium deducebat, vt diceret non esse orandum pro Idolatris, vel alijs non credentibus, vt crederent; sed tantummodo illis esse proponendam doctrinæ veritatem; cęterum credere, vel non credere, ex eorumdem pendere arbitrio, non autem ex præueniente eos diuina gratia. hæc ille] quæ totidem ferè verbis adducit Gualterius cap. 12. seculi quinti. Extat S. Augustini epistola 207. ad eundem Vitalem, pro quo, & pro contentis in titulo Regulæ, hactenus dicta sufficiant.

Secta Nestorianorum, & aliæ Nestorio, Donato, Manichæo, Ario, Origeni, & Rogato coniunctæ, qualiter se habent?

REGVLA CCXLIV.

95 ANno circiter Iesu Christi 428. en tibi monstrum prę ceteris horrendissimum, Nestoriū scilicet, ex campo Antiocheno prodeuntem, & ad summum Ecclesiæ Constantinopolitanæ gradum ascendentem, qui eo crudelius bellum Catholicis intulit, quo maiori arte statim cunctas hæreticorum sectas tunc vigentes persequi instituit; vno excepto Pelagianismo, cui occultè fauens, tandem nouis erroribus inuentis, se hæresiarcham pro-

96 palauit. Theodorus autem, & Diodorus Magistri fuerunt Nestorij, & hinc huic in hære-

97 siarchatu coniuncti. Eodem fere tempore ex antiquis hæresiarchis varij tanquam rami pullularunt, ex Donato Petilianus; ex Manicheo Fortunatus, Felix, & Faustus, ex Ario Maximinus, & Deuterius; ex Origene duplex Auitus; & ex Rogato Vincentius Victor, statim declarandi.

---

98 RES Nestorij vti hęresiarchæ famosissimi, & hostis Ecclesiæ Catholicę infensissimi abunde admodum, & curiosè pertractant Scriptores, pręcipuè ex antiquioribus, vt Socrates, Nicephorus, & Sozomenus lib. histor Ecclesiast. Cyrillus Alexādrinus, & Theodoretus Episcopus Ancyranus, Casśianus presbyter, septem libris contra eum editis: ex non ita antiquis, vt Prateolus verb. Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, & Baronius anno 428. quorum testimonijs, in primis huius vltimi, relatis de more eius verbis, quęcunque huc spectantia solita breuitate comprobabimus.

99 Quoad genus, & originem, ac educationem eius, ita ille dicto anno 428. num. 20. Si Nestorij, inquit, maiorum genus spectes, certè quidem ab impijs impius prognatus est. Etenim testatur de eo Suidas esse nepotem

100 Pauli Samosateni nefandi hęresiarchę; cuius errores iam penitus obliuioni mandatos ipse instaurare conatus est, tempus opportunum opperiens. Dum enim in suo Monasterio S. Euprepij apud Antiochiam sito versatus est, nihil antiquius habuit, quàm vt simulata sanctitate, magnam, sibi apud omnes conciliaret gratiam, & aucuparetur inde, quem est consecutus, honorem.] Hęc Baronius.

101 Verum quando, & qualiter, ac cur talis honoris

noris consecutio ei contigerit, accipe ab eodem Baronio numer. 19. eiusdem anni 428. Quod verò, inquit, ad Orientalis Ecclesiæ statum spectat, sub iisdem Consulibus Felice, & Fausto, quarto Idus Aprilis suffectum in locum Sisinij Constantinopolis Episcopo Nestorium presbyterum Antiochenū ex Monacho, 102 Socrates tradit lib. 7. cap. 24. Quod enim olim ab eadem Ecclesia Antiochena sanctissimum, atque doctissimum nacta fuisset Antistitem S. Ioannem Chrysostomum, Constantinopolitana Ecclesia, inde alium illi similem acceptum post aliquot annorum spatium omnium consensione Nestorium delegit; eiusmodi enim illorum fuisse consilium testatur Cassianus suorum temporum scriptor lib. 7. de Incar. cum ait hæc in Nestorium. Quis de Antiochena Ecclesia te sibij sumere Sacerdotem, ex qua illum (nempe Ioannē) ante preelegerat, accepturam se in te credidit quidquid in illo habere desijsset: quod præcipuè factum scias Theodosij Imperatoris impulsu.] Hæc Baron.

103 Post quæ immediate sic idem cum Socrate lib. 7. cap. 29. Sed quomodo, quandouè electio Nestorij facta sit, Socratem audiamus ita dicentem. Post mortem Sisinij visum est Imperatori, propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesia, (licet multi Philippum, complures Proclum designatum cuperent) ad Episcopatum illum eligere, sed aduenam Antiochia accersere constituit Erat namque illic Nestorius ex Germanicia oriundus, voce in primis sonora, linguaque diserta, & ob eam causam tanquam ad docendum populum admodū accōmodatus; de eorum sententia accersitur.] Hactenus cū Socrate Baron.

104 Ad tantam euectus dignitatem Nestorius statim animum, & promptitudinem persequendi hereticos ostendit, ad huncque effectum ab Imperatore auxilium petiuit, teste Baronio 105 d. anno 428 num. 21. sic dicente. Nam simulans, inquit, Episcopus quarto Idus Aprilis ordinatus fuit, Felice, & Tauro Consulibus: ex templo cum orationem apud Imperatorem haberet, hanc sententiam, quæ multis in ore est, coram vniuerso populo pertulit: Mihi ò Imperator, terram hæreticis, tu purgatam tribue; & ego tibi cælum tribuam: tu mihi in profligādis hæreticis subueni; & ego tibi in profligandis Persis subueniam.] Ita ille.

106 Hæc autem verba Nestorij ad Imperatorem Socrates lib. 7. cap. 29. & alij in malam partem interpretati sunt, quod ea tam cito, nulla interposita mora, temerè ex animi leuitate, & gloriæ inanis cupiditate protulerit. At Baronius num. 22. è contra ipsum ab huiusmodi vitio in ea actione immunem facit, & talium verborum prolationem ex Episcopali libertate vigoreque Sacerdotali, ac zelo puritatis fidei processisse affirmat.

107 Verum quidquid sit de hac differentia Scriptorum circa locutionis Nestorij cum Imperatore interpretationem: illud omnino certū habetur, statim ab eo contra Arianos, & Nouatianos fuisse diuersimodè excitatam persecutionem.

108 Quoad Arianos, accipe ab ipso Baronio ibidem nu. 23. quid acciderit. Quinto die, inquit, postquam erat Episcopus designatus; dum Ecclesiam Arianorum, in qua clam, & ex occulto preces fundebant, demoliri instituerat, eos ad tantam adegit vecordiam, vt cum Ecclesiæ vastationem cernerent, ipsi etiam facibus iniectis eandem succenderent. Quod quidem incendium ædes vicinas depascēs penitus ab-109 sumpsit. Ex qua re tumultus in Ciuitate cōcitatus est, Arianique ad vlciscendum parati; verum Deus Vrbis Conseruator non passus est malum longius serpere.] Hæc ille, & paulo 110 post de Nouatianis sic. Quin etiam Nouatianos diuexare aggreditur. Inde impulsus, quod Paulus eorum Episcopus ob pietatem tantæ famę celebritate fuit. Ita idem de persecutione Nestorij contra vtramque sectam Arianam, & Nouatianam.

111 Similitr persecutus est Paschatitas, seu eos, qui festum Paschatis ad decimum quartum diem mensis celebrabant. Item Macedonianos, Apollinarianos, Montanistas, Valentinianos, Eunomianos, Sabbatianos, Priscillianistas Phryges, Borborianos, Euchitas, Messalianos, Marcianistas, Audianos, Donatistas, Photinianos, Hydroparastatas, Ascodrogi-112 tas, Paulianos, & Marcellianos. Quę omnes hereticorum sectæ tunc temporis alicubi, adhuc vigentes expressæ fuerunt in l. 65. C. Theod. per Imperatorem Theodosium præscriptis pęnis contra eas, curante, & vrgente Patriarcha Nestorio talis legis sanctionē, & dictarum sectarum expressionem, ac punitionem sicut & aliorum scelerum, pręcipuè lenocinij l. 2. de lenon. Cod. Theod teste Baronio nu. 27.

113 De intentione autem praua Nestorij, & de naufragio eius circa fidem, inde cępit inditiū non leue insurgere, quod inter predictas hæreticorum sectas haud curarit apponi Pelagianam; imò hinc clarè deducit, & ostendit Baronius dicto anno 428. num. 27. ipsum Nestorium fuisse Pelagianorum fautorem. Accipe 114 verba illius. Sed illud, inquit, diligenter obserua, in eo nuper recitato catalogo hereticorum, nullam penitus haberi mentionem Pelagianorum, qui in primis vtpote his temporibus vigentes, & sub Attico Episcopo ante damnati Constantinopoli, fuerant nominandi, & acriori supplicio coercendi; vt ex his probè intelligas Nestorium ipsum fauisse Pelagianis.

115 Confirmatur id quidem ex eo, quod Cælestinus Papa in epist. post sequentem annum ad ipsum Nestorium data, queritur de ipso, quod Pelagianos hereticos à se Roma expulsos receperit Cōstātinopoli.] Ita ibi Baronius, addens, Nestorianos ex Pelagianis esse propagatos.

116 Verùm non diù tardauit Nestorius suum venenum publicè vomere, ac se hostem infensissimum Ecclesiæ Catholicæ, heresiarchamq; famosum, paucis quidem erroribus, sed his grauissimis propalare. Primus fuit, quod tenuerit, ac defenderit vna cum suis sequacibus, Christum Dominum ex sanctissima Maria natum nequaquam esse Deum; sed solùmodo homi-

hominem, dignum postea pro sanctæ vitę merito iudicatum, qui Diuinitati coniungeretur, non personaliter per vnionem hypostaticam; sed tantum, quod ex speciali prærogatiua Diuinitas in ipso habitaret: ita S. Augustinus lib. de hæres. num. 89. Socrates lib. 7. cap. 32. & Sanderus hæres. 100.

117 Circa dictum errorem audi Baronium anno 428. nu. 29. ex S. Prospero in Chron. sic loquētem: Sed iam, inquit, de Nestorio lugubrem aggrediamur enarrare tragœdiam, hoc anno ordiri cœptam, de qua hæc S. Prosper sub eisdem huius anni Consulibus. Nestorius Constantinopolitanus Episcopus nouum Ecclesijs molitur errorem inducere, prædicans Christū ex Maria hominem tantum, & non Deum natum, eique Diuinitatē collatam esse pro merito. Huic impietati pręcipuè Cyrilli Alexandrini Episcopi industria, & Papæ Cælestini repugnat auctoritas.] Hactenus ille.

118 Quod ait de nouitate erroris S. Prosper, qualiter hoc intelligi debeat, accipe à Ioanne de Lugo nostræ Societatis viro doctissimo, quæ disp. 10. num. 1. de myster. Incarnationis præ cæteris magis declarat. Secūdus error, inquit, principalis circa hoc mysterium fuit eorum, qui negarunt, naturam humanam fuisse vnitā vera, & physica vnione Verbo Diuino, ita vt vna & eadem persona verè esset Deus, & homo.

119 Qui error licet fuerit antiquior Nestorio, quippe à fontibus Ebioneis manatus, ipsi tamen principaliter tribuitur, quia ipse illum non solum renouauit, sed clariùs explicuit, & pertinaciùs defendit, ponens duas personas Deum, & hominem; ita tamen, vt Deus specialissimo affectu, & gratia homini coniungeretur, & ratione illius coniunctionis homo diceretur aliquo modo Deus; præsertim propter auctoritatem Dei in ipso peculiariter inhabitātis, atque adeo licet reipsa essent duæ personę,

120 auctoritate tamen esset vna. Vnde inferebat, Deum non esse passum, nec mortuū, nec Beatam Virginem esse Dei genitricem, quia ex ipsa purus homo natus fuerat, qui postea vitæ eximia sanctitate meruerit, quod ipsi Diuinitas specialiter coniungeretur.] Hæc ille: qui post hęc scripta ad supremam Cardinalitiam dignitatem assumptus pro meritis doctrinæ, & virtutis.

121 Ex tali errore sequebatur quod ipse Nestorius Christum Dominum haud appellaret Θεὸν, idest Deum, sed solum, Θεόφορον, idest deiferum; neque matrem eius vocaret θεοτόκον, idest Deiparam, seu Dei matrem, sed tantum χριστοτόκον, idest Christiparam, seu Christi matrem.

122 Tandem sic sentiebat, vt quemadmodum duæ sunt in Christo naturę, Diuina, & Humana, ita in illo duas personas reponeret, ex quibus vna vocabat Filium Dei, alterā filium hominis, seu filium Mariæ. Circa hoc vide Prateolum, verb. Nestorius, & Gualteriū cap. 8 seculi quarti.

123 Secundo, consequenter errarunt Nestoriani, quod pręd icta personarum multitudine in Christo Domino posita, asseruerint in Sacramento Eucharistię contineri veram carnem, non Dei, sed puri hominis iusti, & sancti, qui sit Templum, & habitaculum Dei, ita ibidem Prateolus, & Gualterius.

124 Tertio, tenuerunt, ac docuerunt Nestoriani, Christum Dominum non tam benè sub vna specie, quam sub vtraque contineri; propterea omnibus siue grandioribus, siue paruulis, Eucharistiam in vtraque specie tribuebant, eamque ex pane fermentato conficiebant, & necessario conficiendam ex eo iudicabant. Afferunt ijdem Prateolus, & Gualterius citati.

125 Quarto, tandem Nestorius veterum Patrū scripta fastidiosè contemnebat, & ad Scripturæ sacrę expositiones ab illis traditas legēdas, tum ex negligentia, tū ex præsumptione, quod se eis omnibus anteponeret, nequaquam animum applicabat. Ita cum Socrate lib. 7. c. 22. & Sandero hæres. 100. adducit Gualterius loco citato.

127 Ad diffiniendos autem, & condemnandos prædictos Nestorianorum errores, diuersa Concilia generalia coacta fuerunt, pręcipue Ephesinum sub Cęlestino supra adducto, vt notat relatus Ioannes de Lugo; & Calcedonense sub S. Leone primo; sed de hoc iterum regula sequenti opportunius.

128 Duo præterea hic attingenda, scitu digna circa Nestorium. Primum, quod huius lingua propter horrendas blasphemias contra Christum Iesum, & Beatam Virginem prolatas, fuerit post eius morem primo loco à vermibus depasta, ex Sozomeno in Ecclesiast. Historia affert Prateolus, vbi supra.

129 Secundum adducit Gualterius d. cap. 16. sub finem num. 4. per sequentia verba. Porrò hic, inquit, omittendum non est, quod sapienter obseruarunt Cardinalis Baronius anno 431. numer. 179. & Henricus Spondanus in epitome Baronij anno 431. num. 23. post insignem illam, quæ per Nestorij, Nestorianæque hęresis damnationē Ecclesiæ obtigit victoriam, vbique locorum sanctissimam Virginem Mariam, quæ vt canit Ecclesia, (cunctas hęreses interemit in vniuerso mundo) Matrem Dei, Christianorum omniū

130 ore cantatam esse, ac prædicatam. Tuncque Salutationi Angelicæ accessisse additamētum illud, *Sācta Maria mater Dei ora pro nobis, &c.* Ac factum esse, vt licet frequens antea fuisset ipsius cultus, post hæc tamen diuino excitante spiritu, frequentior, atque celebrior, existeret, vixque vllus reperiretur, qui absque Dei genitricis titulo sanctam Mariam nominaret.] Hactenus Gualterius, atque hactenus de Nestorio hæresiarcha, eiusque sequacibus à nobis sufficienter dictum.

131 Sectæ Nestorianæ antecedenter coniuncta est illa Theodori, Episcopi Mopsuestiēsis, quippe hic cum S. Ioannis Chrysostomi in schola Libanij condiscipulus fuisset, postea Nestorij hæresiarchæ Magister extitit, & deserto Monachatu, quem profitebatur, adeò vitijs luxuriæ se tradidit, vt inde nullo modo eum exuere potuerit D. Chrysostomus, qui propterea duas ad ipsum dedit epistolas, quintā, & sextam, quæ extant tom. 5. Operum ipsius.

132 Error cōtra fidem dicti Theodori hæresiarchæ, præcipuè fuit in negando quicquam reperiri,

periri, in veteri Testamento, quod de Christo Domino expresse sit dictum, lege S. Thomã in prologo Psalmorum, Alphonsum à Castro verbo Christus, heref. 5. & Baronium anno 428

133 numer. 33. Fuit similiter Magister Nestorij Diodorus Tarsensis Episcopus, qui inter hæresiarchas adnumeratur à Baronio anno 478. num. 35. & à Gualterio cap. 15. Seculi quarti, quia præter dictum Theodori errorem, quem ipse admisit, sensit etiam, & docuit alium fuisse filium Mariæ, alium verò filium Dei; quod postea discipulus eius Nestorius magis explicuit, & pertinacius defendit vt diximus; neque aliud occurrit exprimendum circa hanc Diodori sectam.

134 Assecla præcipuus Nestorij fuit Timotheus Aelusus Episcopus Alexandrinus intrusus. Huic præter errores Nestorij illud peculiare tribuitur, quòd corrupta ab eo fuerint, & varijs mendacijs conspersa multa S. Cyrilli scripta non dum in lucem edita. Ita Prateolus verb. Timotheus Aelusus, & Gualterius c. 22. seculi quarti.

135 Ramus item arboris pessimi Donati extitit circa idem ferè tempus Petilianus, qui vt refert Baronius anno 411. num. 16. vna cum alijs sex Episcopis Donatistis in concertatione prodijt aduersus totidem Episcopos Catholicos, quorum vnus fuit S. Augustinus, qui etiam

136 contra ipsum Petilianum scripsit. Huic duos tribuit errores Prateolus verb. Petilianus. Primò, quod tenuerit esse verè Martyres illos, qui se ipsos pro peccato commisso interimũt, eo quod in se puniant, quod se commisisse dolent, atque inter tales martyres præcipuè

137 reponebat Iudam Iscariotem. Secundo, quod affirmarit, à malis Sacerdotibus non cõferri vera Sacramenta, & malorum turpitudinem bonis obesse. Præter citatum Prateolum, affert Gualterius cap. 11. seculi 5.

138 Eodem ferè tempore pullularunt tres propagines Manicheismi, nempe Faustus, & Felix, de quibus iam satis à nobis supra dictum; atque Fortunatus: contra quem S Augustinus celebrem inijt disputationem, & composuit librum, qui in tom. 6. operum eius extat: agit item aduersus eundem in sermone quinto ad

139 fratres in Eremo prope finem. Nullus peculiaris error huic Fortunato assignatur; sed omnes proprij Manicheorum, sunt ipsi communes, vnde nomen hæresiarchæ obtinuit, quod sectam Manicheismi valdè radicarit, ac propagarit. Vide Prateolum verb. Fortunatus, & Gualterium cap. 5. quinti seculi; nec quidquam aliud circa dictas tres propagines attingendum occurrit.

140 Ab Arianismo originem ducunt Maximinus Episcopus, & Deuterius similiter Episcopus. De illo ait Prateolus verb. Maximinus, quod erroneè, ac pertinaciter defenderit cum Ario Patrem æternum esse potentiorem Filio, eo quod ille filium, qui Deus Creator est, genue-

141 rit; nequaquam autem filius. Contra hunc errorem S. Augustinus ipsum strenuè confutãs tres scripsit libros, qui in tomo eius sexto extant. Magister etiam sententiarum lib 1. distinct. 7. contra eundem errorem insurgit. Vide Gualterium cap. 7. seculi quinti.

142 Error verò peculiaris Deuterij Episcopi Ariani fuit, teste Niceph. lib. 16. cap. 33. quod cùm Constantinopoli quendam, nomine Barbam baptizaret, contra receptam consuetudinem, formam baptismi sic mutarit: Baptizetur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto: eodem autem tempore, quo eam protulit, ecce tibi (verba sunt ipsius Nicephori) vnda, quæ in sacro lauacro erat, de

143 repentè disparuit, & Barbas inde profugiẽs, miraculum id omnibus promulgauit. De hoc hæresiarcha, præter dictum Nicephorum, agunt Prateolus verb. Deuterius, qui ait ipsum vixisse circa annum 493. & Gualterius cap. 27. seculi quinti.

144 Qualiter autem duo Auiti peregrinantes Origenis errores complexi fuerint, traxerintque eos in Hispaniam: Audi Baronium anno 414. num. 10. sic de hac re loquentem. Hoc eodem anno, inquit, contigit Pauli Orosij legatio ex Eutropio, & Paulo in Hispania Episco-

145 pis ad S. Augustinum in Africam. Huius autem decernendæ legationis in causa fuere hæreses, quæ tunc temporis dire Hispanias infestabant. Nam præter Priscillianistarum errores, quos singulos idem Orosius in libello consultationis Augustino oblato enumerat, nouas addit hæreses nuper inuentas, ex Origene, & Victorino prognatas; allatas verò in Hispanias à duobus Auitis Hierosolymis, atque Roma profectis.] Hæc ille: nec est cur dicti errores hic exprimantur, cum iam alibi fuerint à nobis de Origene loquentibus expressi.

146 Tandem sectæ Rogatistarum adhæsit Vincentius Victor, qui aliam peculiarem instituit, docens contra S. Augustinum, animam non ex nihilo, sed ex Dei substantia esse conditam. cui errori se opposuit idem D. Augustinus, scri-

147 bens contra ipsum. Vnde circa hoc legendus est S. Doctor, tùm in libris de origine animæ, tùm lib. 2. Retract. cap. 56. legendus item Baronius anno 420 n. 8. & seqq. Atque prædictis omnibus contenta in titulo præsentis Regulæ pro nostro instituto satis explicata manent.

Quid de secta Eutychetis, & de alijs ab Eutychete dimanantibus? quid de Abeloitis, & de Acephalis.

REGVLA CCXLV.

148 EVtyches Constantinopolitanus in Statu Ecclesiastico Monachus Presbyter, quin & Archimandrita, cùm Nestorij hæresis prædictæ acerrimus confutator priùs extitisset, hinc postea sumpta occasione in oppositum extremum declinauit, & vnam tantum in Christo naturam defendit, sicque famosam

149 sectam Eutychianorum instituit. Dioscorus dein Alexandrinus Episcopus manifestata huius hypocrisi, quæ diu latuerat, non solum Euty-

Eutychianæ hæresi adhæsit, eamque propagauit; sed ipsius etiam Eutychetis vti prorsus innocentis, se perpetuum defensorem exhibuit; ideoque inter hæresiarchas reponi meruit.

150 Hæresiarcha item censetur Zeno Imperator, sectam Eutychetis amplexus ob edictum ab ipso conditum, Honoticum vocatum, ex quo 151 Pacificatorum secta manauit. De sectis denique Abeloitarum, & Acephalorum aliquid postea dicetur.

---

152 De Eutychete quoad statum eius, & felicia primordia in persequenda secta Nestorij, atque quoad lapsum ipsius in hæresim, instruit nos complete, & erudite Baronius anno 448. num. 19. in hunc modum. Sed quid, inquit, inter hæc funestum accidit, dum in desolationem Nestorianæ hęresis Catholici impelluntur; plane contigit, vt vnus ex illis rapido cursu terminum imponeret, & sibi citra terminum pręlabenti habenas inijcere nescius, improuidè ferretur in hostes; dumque pugnat aduersus Ecclesiæ perduelles, ipse infeliciter nouus veritatis Catholicæ impugna-153 tor insurgeret. Euenit id quidem deploratissimo Eutycheti Monachorum Cõstantinopoli agentium Patri, illorum, inquam, qui tempore Ephesini Concilij aduersus Nestorianos ceteris præstantius dimicarant. Cum igitur summo odio in Nestorij hæresim iste ferretur, eo prosilijt, vt non duas tantum esse in Christo personas omnino ex Catholicæ fidei præscripto negaret, sed etiam, nec duas in Christo naturas vellet asserere, eosque Nestoriano laborare morbo putaret, qui duas confiterentur in Christo distinctas, & inconfusè coniunctas esse naturas.] Hæc ille.

154 Ad confirmandum autem id, quod ait de solicitudine, & iugi labore Eutychetis in extirpanda hæresi Nestoriana, adducit idem Baronius dicto anno 448. num. 20. Epistolam S. Leonis Papæ, quæ ad verbum sic habet.

Dilectissimo filio Eutycheti Presbytero Leo Episcopus.

155 Ad notitiam nostram tuæ dilectionis epistola retulisti, quòd Nestoriana hæresis quorumdam rursus studijs pullularet: solicitudinem tuam hac ex parte nobis placuisse scripsimus; quoniam index animi tui est sermo, quem sumpsimus. Vnde non ambigimus auctorem Catholicæ fidei Dominum tibi in om-156 nibus affuturum. Nos autem cum pleniùs, quorum hoc improbitate fiat, potuerimus agnoscere, necesse est auxiliante Domino prouidere, quatenus nefandum virus, dudumque damnatum, radicitus possit extingui. Dat. Kal. Iunij Posthumiano, & Zenone viris clarissimis Consulibus.] Hactenus Epistola sancti Leonis.

157 En quàm bene affectus circa fidem Catholicam Eutyches tunc extitit; en quam ardenter stricto eloquentiæ, & doctrinę gladio contra Nestorianam sectam prodijt, vt à tantæ sanctitatis Summo Pontifice transmissis litteris laudari, & ad idem pręstandum induci 158 meruit. Sed inde multo turpior, & horribilior eius lapsus in prædictam oppositam hæresim, quæ iam ab illius ore prolata aliquandiù latuit, nec huiusmodi erroris Auctor sciebatur, & cum quidam eius susurri per Orientis Ecclesias spargi cœpissent, statim diuersi ex Præsulibus Catholicis excitati sunt ad se inuicem certiorandum de tali impietate, tūc 159 temporis orta; Ita certiorem fecit Theodoretum Basilius Seleuciæ Episcopus, vt patet ex responsione ad hunc eiusdem Theodoreti epist 85. quam Baronius eodem anno 448. numer. 21. per extensum adducit. Ibique sub finem num. 20. de prædictis agit.

160 Verum non diu distulit Eutyches blasphemam impietatem suā propalare, & errore contra fidem perniciosissimo publicè per se ipsum personas simplices imbuere, pręsente aliquādo Eusebio Dorilæi ciuitatis prouinciæ Phry-160 giæ Salutariæ dignissimo Episcopo. Qui cum esset (ait Baronius ibidem num. 24.) orthodoxus, & purus, & amicus, prohibuit eum talia sapere, & docere; sed pertinaciter Eutychete audire nolente, retulit Eusebius causam ad Flauianum Episcopum Constantinopolitanum, qui & ingressus est eius Concilium, quod collectum fuerat pro Florentio Sardorum Metropolita aduersus Episcopos sub eo constitutos Ioannem, & Cosenium, & data forma de aliquibus causis, eorum libellos obtulit Eusebius Flauiano, & omni Concilio, coniurans omnes aduenire, & Eutychetem presbyterum, vt sub eorum præsentia conuinceretur ab eo, hæretica dogmata sapere, & docere.] Ita ille cum Liberato Diacono cap. 11. tom 2. Conc.

162 Prosequitur num seqq. idem Baronius exprimere admodum copiose ex actis dicti Cōcilij synodalis, qualiter ab isto Eutyches fuerit ter iuridicè citatus, transmisis accusationis libellis per viros idoneos, qui eos illi legerent; & ipse noluerit comparere, allegans 163 friuolas excusationes. Qualiter item instante magis dicto Eusebio, transacto longo tempore post tertiam citationem, tandem comparuit, comitante tamen ex concessione Imperatoris Theodosij, Patricio Florentio, & magno Consiliario, qui, si opus esset, eius personam defenderet.

164 At talis comparitio nequaquam effectum optatum parturiuit, cum Eutyches multò magis pertinax, & obstinatus remanserit. Vide reliqua apud Baronium citatum, ex dictæ Synodi actis, quæ referuntur tom. 1. Concil. act. 1. Concilij Calced, per quod Eutyches damnatus est, vt paulo post dicemus. Nunc eius errores aliquantisper expendamus.

165 Primo, Circa præcipuum iam tactum, de vna sola natura in Christo, quomodo intelligatur, magna inter Doctores est controuersia: cuius decisionē, vt à prolixitate abstineam, accipe breuiter à Ioanne de Lugo sanctæ Ecclesiæ Eminentissimo Cardinali, vbi supra disp. 9. sect. 1. num. 6. sic dicente. Mihi ergo, inquit, verisimilius, est Eutychetem ita in Christo negasse duas naturas, vt negaret re ipsa

ipsa post vnionem mansisse in Christo naturā diuinam, & humanam omnino integram. .]

166 Ita ille, addens in eo sensu fuisse confutatum hunc Eutychetis errorem a S.Leone Papa in epist. 10. ad Flauianum à S.Maximo relato, apud Euthymium in Panoplia part. 2. tit. 15. à Theodoreto epist. 125. & ab alijs.

167 Secundo, Defendebatur ab Eutychete, & à sequacibus eius error Manichæorum, & Apollinaristarum, nempe, quòd caro Christi Domini non esset nostræ similis, & quòd ipse verè haud fuerit natus ex Virgine sanctissima Mariâ: tametsi ita videretur. Quippe affirmabant illi corpus Christi de Cœlo in vterum Virginis descendisse, & in eum radiorum solarium instar penetrasse, ita vt in instanti Incarnationis fuerit mutata caro in diuinitatē, atque vna substantia ex duabus coaluerit.

168 Hincque consequenter deducebant Christi Domini diuinitatem fuisse passam, crucifixam, mortuam, & sepultam. Afferunt Prateolus verb. Eutychiani. Sander. hæres. 102. & Gualterius cap. 20. seculi quinti.

169 Tertio, Docuit Eutyches post resurrectionē corpus humanum fore impalpabile, atque omnino inuisibile, quin etiam vento subtilius. Ita ibidem Prateolus, & Gualterius.

170 Quarto, Tandem Eutychiani Concilium Ephesinum nihil facere, & Calcedonense deridere ausi sunt. Cum Sandero hæres. 102. adducit Gualterius vbi supra, num. 4.

171 Ex prædictis erroribus primum, & secundum sic exprimit Baronius dicto anno 448. num. 23. Quomodo autem, inquit, hoc anno mense Nouembris detecta est heresis Eutychetis, iam aggrediamur enarrare. Liberatus Diaconus tom. 2. Conc. cap. 11. hæc de primordijs eiusdem emergentis hæresis. Eutychus Presbyter, & Archimandrita præsidens Constantinopoli celeberrimo Monasterio, vrgente Satana prædicabat Dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem, sed de cœlo

172 corpus habuisse. Rursum varians dicebat ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem vnam factam esse.] Ita ille.

173 Inter Asseclas verò Eutychetis præcipuus extitit Dioscorus Episcopus Alexādrinus, qui eius defensionem nimis efficaciter suscepit, & ipsum omnino innocentem declarauit. De Dioscoro sic Gualterius cap. 31. seculi quinti. Hic ille est, inquit, qui data opera Eutychetis patrocinium suscepit, nullumque non mouit lapidem, vt eum innocentem esse persuaderet.] Ita ille, quibus paucis ab isto tanto hæ-

174 resiarcha se expedit. Plura de eo Prateolus verb. Dioscorus, & Baronius anno 448. & 449. passim ex Niceph. lib. 14. cap. 47. & lib. 15. c. 1. 8. & 30. Summa omnium est primo, quod cùm inter Orientales magna exorta esset dissensio, alios Eutychetem defendentes, alios vero, eum velut impium damnantes, iubente Imperatore Theodosio iuniore, Concilium

175 Ephesinum II. cōgregatum fuerit, (hoc prędatorium appellabatur, quippe ab omnibus Catholicis reiectum, vti non coactum auctoritate Summi Pontificis, nec ab eo approbatū) in quo ab ipso Dioscoro, & ab alijs fuit Eutyches innocens declaratus, & ad gradum honoris, quo priuatus fuerat, restitutus, eiusque hæretica doctrina à pluribus, maximè à dictis Conciliarijs recepta.

176 Dein, quòd idem Dioscorus in dicto Concilio Ephesino nō solum litteras sancti Leonis Papæ reiecerit, dimissis mandatarijs Romam versus, impetum illius adherentibus, sed etiam eo audaciȩ, ac temeritatis deuenerit, vt Alexandriæ ipsum S. Leonem caput Ecclesiȩ Catholicæ excommunicarit. Id relatis Liberato Diacono cap. 12. & Concil. Calced. Act. 1. affert sic Baronius anno 440. num. 189.

177 Sed quid interea, inquit, nefarius Dioscorus, cum reuersus est Alexandriam? Perinde ac se ad hoc vnū natus esset, vt mortales omnes peccando superaret, ac scelera perpetraret, quæ nullus prędictorum hactenus cogitasset, colligens paucorum Episcoporum Concilium (haud enim plures, quod facinus exhorrerent, valuit impudens suæ impudentiæ, atque dedecoris habere consortes) ausus est in S. Leonem Romanum Pontificem excōmunicationis sententiam iaculare.] Hactenus ille, apud quem plura inuenies.

178 Tandem quòd non tardauerit S. Leo Concilium Calcedonense congregare sexcentorū triginta sex Episcoporum, ex sentētia Niceph. lib. 15. cap. 2. magis recepta, & quod hi omnes præsente Marciano Imperatore, & præsentibus, ac cooperantibus Legatis Sedis Apostolicæ, Dioscorum condemnauerint, simulque hæresiarcharum Nestoris, & Eutychetis condemnationem confirmarint, legat acta dicti Concilij Calcedonensis, & Nicephorum, & Baronium citatos quicunque de rebus, seu delirametis Dioscori ad satietatem scire desiderat. Nobis hæc pauca, vel breuiter attigisse sit satis.

179 Sequitur breuis sermocinatio de Zenone Imperatore hæresi Eutychetis, & Dioscori imbuto, qui ideo inter hęresiarchas enumeratur, quod auctor fuerit sectæ Pacificatorum, (qui etiam Tepidi nuncupati) ob edictum ab ipso conditum, quo, vt ait Gualterius cap. 23. seculi quinti, inducti fuere tum Catholici ad aliquid de veritate fidei remittendum, tum hæretici Eutychiani ad aliquam suæ vanitatis partem abijciendam, vt ad commentitiam pacem vtrique peruenirent, hinc quidam Eutycheti anathema dicendo, illinc vero Calcedonense Concilium, in quo eius error damnatus fue-

180 rat, proculcando. Vnde res eo deuenit, vt vnusquisque Prælatus in sua faceret Ecclesia quidquid lubebat. Quam pretensam pacem vbi Anastasius Imperator amplexus est, neque promulgatum fuit in Ecclesijs Calcedonense Concilium, neque ab vniuersis reiectum.] Hactenus verba Gualterij sic asserentis cum Prateolo, verb. Zeno, & cum Baronio anno 482. num. 21. & seqq.

181 Quid de Abeloitis, (hi Abelonij etiam seu Abeliani vocati) dicendum occurrit? Huiusmodi appellationem sumpserunt ab Abele

Vir-

Virgine, quippe Virginitatem, seu Continentiam ex superstitioso errore profitebantur, existimantes se astringi omnino necessitate ineundi matrimonium, atque in matrimonio vna cum vxoribus degendi; aliunde verò copulam coniugalem tamquam illicitam detestabatur, & filijs adoptiuis hæreditates relinquebant.

182 Non diu durauit iste error, nec latiùs se extēdit, nempe in Africa per solam Hypponēsem regionem; de eo meminerunt S. Augustinus hæres. 87 & Prateolus verb. Abelonij, qui non exprimūt, nec alius ex scriptoribus, quod sciam, quisnam fuerit primus inuentor dictæ sectæ Abeloitarum.

183 Tandem addendum vnum verbum circa Acephalos, aut Diacrinomenos, siue Hæsitantes: de origine istorum diuersimodè sentiunt Auctores. Nam ex mente Liberati Diaconi apud Baronium anno 433. num. 21. dicti sunt Acephali illi, qui circa dictum annum, neque Ioanni Antiocheno Episcopo, neque Sancto Cyrillo Alexandrino inter se se dissidentibus adhærere voluerunt, sed seorsum absque capite in rebus ad Religionem spectātibus procedebant.

184 Verùm multo probabilius est, Acephalos, vel Hæsitantes adscribi debere ijs, qui, vt ex Leontio refert Baronius anno 482. numer. 42. cum prius Petri Magi hæretici Episcopi Alexandrini fautores fuissent, postea ab illo recesserunt, eo quod anathemate haud ferijsset Cōcilium Calcedonense; cuius hostes iurati erāt, ob condemnatum Eutychetis errorem, cui adhærebant. En verba ipsius Leontij de sect. act. 5. relata a Baronio.

185 Sed quid, inquit, actum? Comprehensus est astutus in astutia sua: dum enim ea vsus est arte Petrus ad Catholicos decipiendos, & hæresi addicendos: perdidit ex suis quamplurimos; qui seorsum ab ipso sine capite conuenere, de quibus scribit ita Leontius: Vnione facta, Petrus apud Alexandrinos in honore præcipuo erat, probatoque vnionis illo scripto, in solio ponitur Alexādrino, nec iam ampliùs in occulto, sed palam erat Episcopus. Quidam tamen nimio contra Synodum Calcedonensem odio impulsi, secessionem à Petro faciunt, nec cum illo communicabant ob eam causam, quod vnionis scripto probato synodum anathemate manifesto non fuisset execratus. Atque hinc vocantur Acephali, capite carentes; quod Patriarcham suum minime secuti, seorsum communicarent.

186 Hinc Petrus, qui populum multipliciter scindi videret, tandem synodum Calcedonensem palam anathematizare cogitur, quo fiebat, vt pariter, & vnionis scriptum reciperet, & palam anathemati synodum subijceret. Verùm nec sic quidem Acephali cum eo communicabant, quod ab initio scriptum vnionis approbasset, non anathematizata synodo.] Hęc Leontius, quibus nos iam præsentem regulam claudimus.

Vnde, & qualiter sect. Theopaschitarum, Iconoclastorum, Prædestinatorum, & alia, quinti seculi exortæ?

REGVLA CCXLVI.

187 Petrus Fullo, cognomento Gnapheus, Episcopus Antiochenus, institutor assignatur sectæ Theopaschitarum: inde isti sic vocati, quod ille diuinitatem faceret passibilem, adiunctis ab eo alijs erroribus ad huius

188 sectæ constitutionem. Ob peculiarem autem Petri Fullonis hæresim dictæ sectæ annexa est alia Iconoclastarum; quorum Princeps extitit Xenaias Persa; hic omnium primus nega-

189 uit imagines sanctorum esse adorādas. Dein ex scriptis S. Augustini male perceptis originē duxit secta Prædestinatorum tenentium, neque bona opera prodesse bonis, neque mala obesse malis; sed omnia ex prædestinatione pendere; inter eos Lucidus quidam magni no-

190 minis presbyter valdè excelluit. De Angelitis, & de Pseudomose, in fine aliquid dicitur.

---

191 Circa Petrum Fullonem sectæ Theopaschitarum auctorem, illud præcipuè attingendum obiter, quod Antiochiæ Sedem Episcopalem adiuuante Zenone Imperatore tyrannicè inuaserit, expulso Martyrio Episcopo, vt ex Liberato Diacono, Breu. cap. 18. adducit Baron. ann. 471. num. 13.

192 Vel secundum Theodorum lectorem Collect. lib. 1. apud eundem Baronium numer. 12. illo discedente, quod populum vilissimum, & iam hæresi infectum tumultuantem videret sponte se se Episcopatu abdicante, grauibus

193 illis verbis, *Clero rebelli, & populo inobedienti, & Ecclesiæ contaminatæ renuntio, Sacerdotalem mihi reseruans dignitatem*. Ita Niceph. Histor Eccles. lib. 15. cap. 28 & cum eo Prateolus verb. Petrus Gnapheus.

194 Sed accipe statim errores istius Petri Fullonis. Primus fuit, quod duas in Christo Iesu personas perperam distingueret, & ob hanc causam ad hymnum Angelicum, quem Gręci τρισάγιον idest, ter sanctum nominare solent, quartum addebat, dicens; Sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, sanctus, qui crucifixus es, nimirum vt sanctum crucifixum à sancto Forti, hoc est, à Filio Dei separaret.

195 Addit autem Nicephorus, & cum eo Prateolus locis citatis, vbi prædicti erroris meminerunt, quod in Ecclesia Antiochena, ad cuius supremum dignitatis gradū Gnapheus dicto modo ascenderat, eius iussu, seu potius coactione, adiunctio illius quartæ Inuocationis, *Sanctus, qui crucifixus es, pro nobis*, vsui ab omnibus recepta fuerit, maneatque adhuc apud Theopaschitas, seu Morphisitas.

196 Secundo, Errauit Petrus Fullo, Diuinitatem faciens passibilem, ac Deum passum, & crucifixum, quoad diuinitatem fuisse affirmās, hincque

hincque eius Sectatores Theopaschitæ sunt appellati; quibuscum ipse interim Conciliũ Chalcedonense multum carpere, & proscindere consueuit. Præter relatos Nicephorum, & Prateolum, tribuit ei hanc hæresim, Gualterius cap.24.seculi quinti.

197 Tertiò. Actionem admodum temerariam executus est Gnaphæus, ex qua sibi, & suis Asseclis occasionem errandi præbuit: nempe consecrauit Episcopum quendam Xenaiam Persam nondum baptizatum, & tunc, vt tãto crimini excusationem texeret, erroneè, & pertinaciter asseruit consecrationem inseruire illi, loco baptismi, nec amplius huius susceptionem requiri. Ita iidem Nicephorus lib. 16. cap. 27. & Gualterius vbi supra num.3.

198 Non plures tribus dictis Gnaphæo tribuũtur errores in specie; in communi tamen de eo ait Gualterius num. 4. quod partim cum Manichæis, partim cum Sabellianis, partim

199 cum Euthychianis conspirarit. Vltimo loco adiungo vnum verbum de infelici eiusdẽ Petri Fullonis obitu, & de successore in Episcopatu cum Baronio anno 486. num.3. sic asserente. Hoc eodem tempore, inquit, perditissimus ille Orientalis Ecclesiæ pestis, fidei Orthodoxæ demolitor, potentissimus diaboli minister Petrus, Fullo, inuasor Ecclesiæ Antiochenæ ex hac vita ad tremendum iustitiæ di-

200 uinæ tribunal, sera licet morte vocatur. At nec licuit tunc, adultero è medio sublato, Ecclesiæ Antiochenæ Catholici alicuius Antistitis consortio frui. Etenim præualente hæreticorum factione, fauore Zenonis Imperatoris, ex ipsorum sententia delectus est eiusdem hæreticæ prauitatis Antistes Palladius, qui communicationem retinuit cum nefando Episcopo Alexandrino, dum vixit.] Hactenus ibi Baronius.

201 Sequitur agendum de Xenaia heresiarcha: circa originem, conditionem, & statum vitæ eius breuiter tractat Prateolus verb. Xenaias, ex Niceph. lib. 16. histor. Ecclesiast. c.27. Sed ex vtroque breuiùs Gualterius c.25. seculi quinti per sequentia verba; Xenaias, inquit, Persa, conditione seruus, Eutychetis, & Dioscori assecla obfirmatus, à Domino, profugus in Ecclesiam se contulit, Clericum se esse mẽtitus, cum ne baptismo quidem lustratus es-

202 set. Qua de re certior factus Celendior Antiochenus Episcopus, illum de Ecclesia expulit. Verum Petrus Gnapheus in pristinam auctoritatem vendicatus, Xenaiam non modo in Ecclesiam recepit: sed & Episcopum Hieropolitanum creauit: quod scelus vt contegeret, cõsecrationem, quemadmodum paulo ante dixi, affirmauit, illi esse instar baptismi.] Hæc ille, nec plura huc spectantia tibi tradam.

203 Ad nouam Sectam constituendam, nouum, & nunquam retrò seculis auditum, errorem excogitauit, dum Imagines Christi Domini, & Sanctorum eius venerari prohibuit, quo maiori fama nouus Hæresiarcha existeret. De hoc errore Prateolus verb. Xenaias, ex Nicephoro relato, cuius hæc sunt verba. Xenaias, inquit, iste primus, (eò audacem animum, & os impudens!) vocem illam euomuit, Christi, & eorum, qui illi placuerunt, imagines venerandas non esse.] Ita Nicephorus.

204 Quoad sectam, seu hæresim Prædestinatorũ audi paulisper Baronium anno 490. nu. 17. sic loquentem: Acturi nos verò, inquit, de his quam accuratissimè, in memoriã reuocãdum putamus, post S. Augustini obitum prodijsse quosdam, qui ex eius scriptis malè perceptis, complures inuenerunt errores, quos S. Augustini nomine, & auctoritate defendere conabantur; sed eos pro defensione ipsius S. Augustini agens, Sanctus Prosper validè cõfutauit.

205 Dicebantur isti (vt Sigismundus in Chron. ann. Do 415. adnotauit) hæresis Prædestinatorum sectatores: qui idcirco eo nomine vocabantur, quia de prędestinatione, & diuina gratia disputantes assererent, nec piè viuentibus prodesse bonorum operum laborem, si à Deo ad damnationem pręsciti essent, nec impijs obesse, etiamsi improbè viuerent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitam: qua assertione boni à bonis auocarentur, & mali stabilirentur in malis: quæ quidem, vt diximus, ex scriptis S. Augustini malè perceptis, qui huiusmodi

206 erant, se accepisse iactabant. His autem detentus erroribus, fuit Lucidus quidã magni nominis presbyter, ad quem Faustus epistolam illam scripsit, &c.] Huc vsque Baronius.

207 Quamuis verò dictus Lucidus in ea secta, seu hæresi vti præexcellens agnoscatur, non fuit tamen primus eius institutor, aut talium Prædestinatorũ antesignanus, neq. scitur, quis nam fuerit, teste Prateolo verb. Prædestinati, cum Sigibertus loco citato ipsum non referat, nec alius, quod legere potuerim ex Scriptoribus antiquis, & recentioribus.

207 Originem sectæ Angelitarũ ex Nicephoro lib. 18. hist. eccles. c. 49. Prateolus verb. Angelitæ, sic explicat: Angelitæ, inquit, à quodam Alexandriæ loco, Angeli nomen habente, appellati sunt, in quo scilicet, qui primos apud

209 eos ferunt, conuentus cogebant. Hi porrò alio vocabulo, & Seueritæ, à Seuero quodam Acephalo, quem ferunt istius sectæ ducem primum fuisse: & Theodosiani à Theodosio, qui apud eos Alexandriæ Papa factus est; & Damianistæ à quodam Damiano nomine vocantur] hæc Prateolus, quibus multiplex eorum denominatio innotescit.

210 Vnus tantum error proprius hæreticorum Angelitarũ assignatur, in eo positus, quòd non nisi vnam subsistentiam in Patre, ac Filio, & Spiritu Sancto agnosceret. Ita breuiter Gualterius, c. 28. seculi quinti, cum citatis Nice-

211 phoro, & Prateol. Qui ibi prius de eis sic ait: Alium porrò, inquit, esse dicunt Patrem, aliũ Filium, & alium Paracletum, Spiritum Sanctum videlicet: non esse autem horum quenq. per se ipsũ natura, sed habere communẽ Deũ, siue Deitatem in eis existentem: atq. de ea Deitate indiuisibili modo participãtes, quẽlibet esse Deum] ita Prateolus de Angelitis.

212 Finem imponamus huic quinto seculo proposita secta, seu relata historia cuiusdam Iudæi Pseudomosis, quem Prateolus verb. Moses falsus, & Gualterius c. 17. seculi quinti inter hæreticos, seu Hæresiarchas reponunt: eam isti, sicut & reliqui Scriptores, præcipue Baronius anno 432. num. 85. eisdem ferè verbis ex Socrate, Eccles. histor. lib. 7. cap. 36. sic de-
213 sumunt. Eodem fermè tempore, inquit, multi Iudæi in Creta Insula, Christi Fidem receperunt, tali calamitate ad eam rem inducti. Iudæus quidam veterator se Moysen esse simulauit, deque Cęlo demissum dixit, vt Iudæos qui illam Insulam incolebant, per mare in continentem traduceret: se namque eundẽ esse, qui olim Israelem per mare rubrum ducens conseruasset. Ad annum verò integrũ nihil aliud moliebatur, quàm vt singulas Ciuitates totius Insulæ peragraret, Iudæos in illis habitantes ad illud credendum impelleret, hortareturq; vt omnes suas diuitias, & possessiones relinquerent. Nam eos per mare aquis exsiccatum, in terram promissionis
214 se traiectarum pollicitus est. Illi igitur eiusmodi vana & falsa spe in fraudem illecti, omnia opera, quibus vti solebant, deposuerunt, facultates, & fortunas neglexerunt, earumq; potestatem illis qui eas accipere vellent, permiserunt.

215 Vbi dies profectioni ab illo veteratore præstituta aduenit, ille præcedere, subsequi omnes cũ mulieribus, & pueris cęperunt. Eos ergo ad promontorium mari imminens deducit: ex eo in mare se præcipitare iubet. Proinde qui primi ad præcipitium accesserant, ita faciunt, & nisi diuina prouidentia illis prospectum fuisset, multo plures interijssent.
216 Nam fortè fortuna aderant Christiani, quorum alij piscatores, alij mercatores fuerunt. Hi nonnullos eorum aqua propè suffocatos (qui iam tum in calamitate constituti suam amentiam agnoscere cęperunt) extrahentes conseruarunt; alios ne se in mare deijcerent, prohibuerunt, exitio eorum, qui ante se præ-
217 cipites dedissent, commonstrato. Iudæi tamen fraude patefacta, cum temerariam ipsorũ crudelitatẽ cognouerũt, tum Pseudo-moysen illum occidere contenderunt. At eum nullo modo comprehendere poterant, quippè clam se ex eorum aspectu subduxerat. Vnde nonnullorum animo insedit opinio, eum exitialem dęmonem fuisse, qui in ipsorum gentis
218 perniciem, hominis speciem induisset. Quocirca multi Iudæi in Creta ea clade impulsi, Iudaismo derelicto, ad fidem Christi se trãstulerunt] hucusque Socrates citatus apud eundem Baronium; nec suppetit quidquam pro re presenti addendum.

CAPVT X.

De hæresibus, & Hæresiarchis diuersarum Sectarum contra Fidem Catholicam institutoribus, totius Sexti Seculi decursu prodeuntibus.

PROOEMIOLVM.

1 Contra horribilia, & admodum venenosa Hæresiarcharum, & hæresum monstra seculi Quinti, à nobis toto Capite præcedenti indicata, non defuerunt, quod Deo Opt. Max. sit gratia, in Ecclesia Catholica, salutaria valde, & efficacissima doctrinæ Fidei antidota, à viris sanctitate, & sapientia præstantissimis opportunè porrecta. Videlicet à S. Ioanne Chrysostomo homil. 9. in 1. cap. Ioan. & homil. 45. ac 46. in cap. 6. eiusdem, contra tollentes liberum arbitrium. A D. Augustino lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. & lib. de spiritu, & litera cap. 33. contra Pelagianos, Semipelagianos, ac alios nimis eidem libero arbitrio tribuentes, ac efficaciam gratiæ in hominis iustificatione negantes. Item à Cyrillo Alexan. lib. 10. cap. 18. in Ioan. & S. Leone serm. 3. de Epiph. contra asserentes non requiri bona opera ad salutem, sed sufficere solam fidem. A Theodoreto quæst. in Leuit. lib. 8. de curatione Græca, contra abominantes intercessionem Sanctorum, adorationemque Imaginum. Vide plura apud Genebrardum lib. 3. Chron. in fine seculi quinti, & ibi apud Gualterium. Hos dictis contenti sumus, vt iam ad qualitatem, & conditionem Hæresiarcharum, & hæresum sexti sæculi gradum faciamus.

Quid de Sectis Seuerianorum, & Gaianitarum à Seuero, & à Iuliano Halicarnasseo deriuatis?

REGVLA CCXLVII.

2 Seuerus Monachus, Magiæ deditus, & ex Monachatu ad Episcopatum Antiochenum, cooperante Anastasio Imperatore promotus, Acephalorum Eutychetisque hæresum se sectatorem acerrimum indicauit; sed postea vix vllis nouis erroribus adinuentis, sectam instituit Seuerianorum, seu Cor-
3 rupticolarum: Inde sumpto hoc secundo nomine, quòd interrogatus Seuerus à quibusdam, corruptibile Christi corpus dici deberet, nec ne? respondit, corruptibile dicendũ.
4 E contra verò cum Iulianus Halicarnasseus circa idem à Gaiano discipulo suo interrogaretur, affirmauit esse incorruptibile: atque hinc Gaianitarum, vel Incorruptibilium secta, illi opposita, originem duxit.

5 DE Seueri primorijs, de arte magica, ac de alijs audiamus Baronium anno 511. à num. 15. egregiè loquentem, cum auctoribus ab ipso citatis. De Seuero autem, inquit, monacho modò nobis agendum, qui fęx, lues, atque perditio totius Orientalis Ecclesiæ à prauo dęmone est productus in mediū, monstrum quidem omnium vitiorum deformitate compactum, vt planè intelligas huius exemplo, quales esse consueuerint, quos sibi diabolus in omnibus inueniens obsequentes per eos afflatos spiritu malo, loquitur contra Deum blasphemias. De Seuero igitur hæc deprompta ex Synodicis Actis accipe] Ita ibi, & num. *16.* prosequitur.

6 Quis nesciat, inquit, eorum (Seueri scilicet, & gregalium eius) vitam turpem admodum, & sceleratam ab ineunte ætate esse, & dęmonibus addictam? & quod in veneficijs Seuerus deprehensus est, in Ciuitate Berythorum dæmonijs seruiens] & infra. 7 Processit ad Acephalos hęreticos, qui ea, quæ Eutychetis sunt, sapiunt; vocantque sanctas Dei domos diuersoria hæresis, & impietatis.] Item num. 17. 8 addit. Quòd autem, inquit, & ipsam Acephalorum religionem simulauerit, ex consequentibus omnibus manifestum fuit. Præsidebat enim suę Acephalæ sectæ, quod Vnitiuum dicitur non admittens, sed Nouatiuum *ipsum*, & Diuulsiuum appellans, & in suis pro-9 *prijs* conscriptionibus anathematizans] hæc & alia ille ex actis Synodi Constantinopolitanæ: adducens plura de Seuero ex Euagrio lib. *3.* cap. *33.* ex Nicephoro lib. *16.* cap. *29.* & ex Liberato Diacono Breu. cap. 19. tom. 2. Concil. quę apud ipsum videas.

10 Sed non omittam id, quod attingitur in Regula, de promotione eius ad Episcopatum Antiochenum, circa quam idem Baronius anno 513. num. 1. Consulibus, inquit, Probo, & Clementiano præsens annus Domini 513. Fastis inseritur: quo, inquit Marcellinus in Chronico, Seuerus Euthychetis perfidiæ, Anastasio Cæsare volente, Sedem Antiochenā Flauiani Antistitis ex Monacho Episcopus oc-11 cupauit] hæc ipse. Mala malis maioribus incrementis adduntur. Qui enim monachus valuit tot tantaque comminisci scelera, quid ab eo faciendum putas, cum tantæ Ecclesiæ nactus est præfecturam, fultus præsidio Imperatoris? Simul ac igitur adeptus est Antiochenam Sedem, conatus est omnes Episcopos ad suam communionem pertrahere] hactenus ibi Baronius.

12 Quoad errores verò hæresiarchæ Seueri, præter expressos à nobis Eutychetis, & Acephalorum, quorum ipse Sectator fuit, & præter eos, qui præsumuntur in exercente magiam dæmoniacam, vti exercuit idem Seuerus, vix vllos alios in particulari Doctores assignant: in communi tanùtm Gualterius cap. 2. seculi sexti, cum Baronio citato, sic ait: Seuerus tametsi palam se pro Acephalo venditaret, noua tamen, diuersaque errorum monstra in sinu fouebat, exclusitque 13 tandem] hæc ille: Qui statim ibidem tria in particulari de eodem Seuero addit. Primum, quòd Ecclesiam parentem, & sacra Baptismi, quibus initiatus erat, mysteria negauerit.

14 Secundùm, quod crudelissimè in omne Catholicorum genus sæuierit, monachosque imprimis, quorum cœnobia religionis arces, fer-15 ro, ignique demoliebatur. Tertium quod in Concilium Chalcedonense tanto ferebatur odio, vt cum Iustinus Imperator illud ab omnibus Episcopis, nisi sedibus excidere vellent, promulgandum edixisset, noctu clàm omnibus elapsus ex Vrbe, Alexandriam fugerit. Totidem ferè verbis affert citatus Gualterius ex Baronio anno 535. num. 145.

16 Præ cęteris autem Seueri asseclis Theodosius quidam adeò excelluit, vt ab eo ijdem Seueriani, teste eodem Gualterio ibidem, num. *6.* appellati fuerint Theodosiani. Appellari etiam consueuerunt Agnoitæ, item Corrupticulæ, cuius appellationis rationem exprimit ipse Gualterius, indicans simul originem oppositæ sectæ per sequentia verba.

17 Non ab vno Seueri nomine, inquit, Seueriani dicti sunt, sed & Corrupticulæ, eo; quòd quibusdam Seuerum interrogantibus, corruptibile Christi corpus dici deberet, nec ne? respondit Seuerus, corruptibile dicendum. Quod idem quibusdam Alexandrinis percontantibus, ex opposito Iulianus 18 incorruptibile asseruit. Hinc duæ in diuersum abiere Sectæ, Seuero aduersus Iulianum, hoc in illum scriptitante.] Hucusque Gualterius.

19 De differentia autem, & contrarietate inter dictas duas Sectas, & inter auctores earū Seuerum, & Iulianum Halicarnasseum (hunc distinctum aduerte à Iuliano hæretico Episcopo Capuano, & Iuliano Apostata Imperatore) sectatoresq. vtriusque, multa ex Nicephoro lib. 17. cap. *29.* affert Prateolus, verb. Aph-20 thartodocitæ. Conclusio tamen est, quòd vtrorunque assertum sit manifestè contra Fidē Catholicam; cum illud Seueri, nempè corruptibile esse dicendum Corpus Christi, si intelligatur, etiam post eius resurrectionem, vti intelligit sine dubio, & absolutè affirmat ille; clarè repugnet testimonio Scripturæ sacræ Psalm. 15. Nec dabis, Sanctum tuum videre corruptionem, quod communiter exponunt sacri Interpretes de Corpore Christi Domini, liberum scilicet à corruptione mansisse post mortem, & nunc incorruptibile manere, ac mansurum in perpetuum.

21 At assertum Iuliani Halicarnassei, & sequaciū eius de incorruptibilitate Corporis Christi, quod iam ab instanti Incarnationis fuerit incorruptibile, inde facile apparet esse hæreticum, quod fundetur in alio grauiori errore Sectæ Eutychetis, à nobis iam supra expresso, de vnica natura admittenda in Christo, composita, seu resultante ex Di-22 uinitate, & Humanitate: Et consequenter ratione Diuinitatis, à primo instanti Incarnartionis, corpori eius obtigisse incor-

incorruptibilitatem, vt adducit Prateolus citatus cum Sanctis Patribus ab ipso relatis, vt Ireneo lib. 3. c. 33. & Cyrillo in Thesauro lib. 10 contra prædictum errorem Iuliani de incorruptibilitate Corporis Christi Domini insurgentibus, præcipuè tamen insurgit D. Thomas quodlib. 4. quæst. 1. art. 8. per sequentia verba.

23 Gainitæ, inquit, non solùm à corruptione putrefactionis voluerunt Corpus Christi esse incorruptibile, quod Fides Catholica tenet secundum illud Psalmistæ, Non dabis Sanctũ videre corruptionem: sed etiam alienum esse à corruptione mortis ante resurrectionem; quod est impium, vt dicit fusius Ioannes Damascenus lib. 3. cap. 13. Nam si indissolubile, inquit, factum est, & non consubstantiale nobis, non veritate, sed opinione facta sunt, quæ facta testatur Euangelium, vt pote famem, sitim, clauorum fixuras, lateris apertionem, & mortem; si autem opinione facta sunt, fraus igitur est, & deceptio, dispensationis mysteriũ, & opinione, & non veritate factus est homo: ideoq. opinione, & non veritate salui facti sumus. Sed hi facessant, & qui talia dicunt, salutis expertes fiant] hactenus S. Thomas.

24 A prædicto autem errore incorruptibilitatis Corporis Christi professores sectæ Iuliani appellati sunt Incorruptibiles, item Phantasiastæ, siue Aphtardocitæ, vt ex Prateolo citato

25 affert Gualterius cap. 3. seculi sexti. Verũ cũ inter discipulos Iuliani Halicarnassei quidam Gaianus, siue Gainus magister impietatẽ ardentius ebiberit, ac copiosius euomerit, communicandamq. alijs vigilantius curarit, ideò ipse quasi nouus eiusdem sectæ Iuliani auctor constituitur, sequacesq. eius Gaianitæ, seu Gainitæ sunt appellati: de hoc Gaiano, & de errore eius circa dictam incorruptibilitatem, plura Baronius ann. 535. à num. 66. ex Leontio scholastico Act. 10. de sect. tom. 4. Biblioth. & ex alijs apud ipsum.

Secta Petri Apameensis, & Anthimi, ac aliæ ab Eutychete, Dioscoro, Seuero, & Gaiano exortæ qualiter se habent?

REGVLA CCXLVIII.

26 EX pessimis arboribus, quandoq. pessimi pullularunt surculi, vt ex Dioscoro Petrus Apameensis homo sceleratissimus in Sedem Episcopalem intrusus, cui adeò illius doctrina, & norma viuendi placuit, vt ipsius si-

27 mulachrum, vti viri sancti veneraretur. Similiter ex Eutychete pullulauit Anthimus Episcopus Trapezuntinus: quamquam hic exterius catholicus videri studuit, maximè apud

28 Imperatorem Iustinianum. Ortum item suũ à Seuero, & Seuerianis ducunt Tetraditæ, & Cononitæ, istorum Princeps extitit Conon

29 quidam Archiepiscopus Alexandrinus. Secta tandem Barsanianorum originem à Barsanio quodam Gaianitarum assecla dicitur traxisse.

30 QVæ de sceleribus Petri Apameensis, de intrusione in Episcopatum, & de impietate hæreticali in venerando simulachro, negata veneratione imaginibus sanctorum Antistitum, prima pars præsentis Regulæ breuissimè attingit, & admodũ copiosè adducit Baronius anno 518. à num. 46. relatis auctoribus, & locis, vnde sumpsit, nempè libellis à Clero Apameæ, & à Monachis Syriæ, Synodo Constantinopolitanæ contra dictum Petrum oblatis, qui extant in ea Synodo contra Anthimum Act. 1.

31 Libellus clericorum Apameę sic incipit: Proprium Sacerdotij, & honestæ pollicitationis, &c.] quo quidem, inquit, prosequens Baronius, horrenda, nefandaque perpetrata à Petro scelera enarrant. Atque primùm sunt questi, sacrosancta Ecclesiastica dogmata, quæ à Sancta Romana Sede in alias deriuata sunt Ecclesias, opera nefandorum hæreticorum esse labefactata, penitusque corrupta per impium Seuerum (de hoc iam supra) Antiochenæ sedis inuasorem, & Petrum, qui se intrusit in Ecclesia Apameæ; quo auctore sicut Fidei Catholicæ, ita & sacrorum Canonum profligatio facta esset, atque destructio Paradisi, cum videlicet sanctos, qui ex hac vita migrassent, anathematizarit Episcopos, deleueritque eorum nomina ex sacro Ecclesiæ Albo, eorundemque imagines aboleuerit, pingique fecerit loco ipsorum Dioscorũ, & alios

32 hæreticos condemnatos] hæc ille, addens plura de inhonestate eiusdem Petri in aspiciẽdo mulieres, etiam dum sacram Missam celebraret, & de effrænata ipsius libidine cũ ma-

33 ximo omnium scandalo. Omitto contenta in altero libello à Monachis porrecto, cum sint ferè eadem, seu similia traditis, & cum ex his iam innotescat satis, qualis nam fuerit dictus Petrus.

34 Enumerat autem hunc inter hæresiarchas, eique peculiarem sectam assignat Gualterius cap. 4. seculi sexti, ob quatuor ista supra expressa, & nunc magis, per numeros diuisa. Primum, quod odio in Ecclesiam Romanam, & eius decreta, vt charactere gentilitio, hic Pseudopropheta à suis gregalibus agnosci vo-

35 luerit. Secundum quòd aduersus Sanctos in cælo agentes, horrenda anathematismi sui fulmina emiserit, & ex Ecclesiæ tabulis eorũ

36 nomina abraserit. Tertium, quod Sanctorum imagines exosus, viuis, ac spiratibus sãctitatis monumentis abolitis, vnius Dioscori, & cohæreticorum damnatorum simulachra reli-

37 giose veneraretur. Quartum, quod ei in more fuerit, in hominum religiosorum sacra Deo domicilia, vi effracta, captis, cæsis, fugatisq. incolis, meretriculas immittere, & cuiusuis luxuriæ generi laxare habenas] ita ille, ferè totidem verbis. Atque hactenùs satis de Petro Apameensi.

38 Sequitur monstrum magis horrendũ, Anthimus scilicet Episcopus Trapezũtinus in regione Ponti: de quo ita Baronius anno 535. à num. 61. Sic igitur, inquit, Epiphanius cùm sedisset annos quindecim, hoc ipso anno ex

ex hac vita decessit: quo e medio sublato, valido satis orthodoxæ fidei propugnatore, callidis, occultisque consilijs impiæ Theodoræ Augustæ Anthimus Episcopus Trapezuntius, qui foris licet Catholicam fidē profiteretur, intrinsecus tamen Eutychianam hæresim sectabatur, in Sedem Constantinopolitanam intruditur. Id quidem de se ipso publica sanctione (nempe Nouel.45.) anno sequenti edi-

39 ta Iustinianus testatus est] hæc ille. Addens immediatè post: Hinc, inquit, malorum origo, hinc ipsi Imperatori, atque vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ acerbissimarum cladium fons erupit, cùm videlicet Theodoram Augustam coniugem audiens Imperator, monstrum horrendum in regiæ Ciuitatis Pontificiam Sedem protegit] En quàm clarè ipse Baronius.

40 Sed clarius idem cum Liberato Diacono scriptore illius temporis de cauf. Nest. cap. 20. De studijs autem, inquit, Theodoræ erga Anthimum auctor est Liberatus Diaconus, qui ista ait: Ea tempestate mortuo Epiphanio Constantinopolitano Episcopo, Theodora Augusta Anthimum transtulit in Sedem, latenter Chalcedonense Concilium non suscipientem] hæc ille ex Liberato.

41 Quòd autem maximè apud Imperatorem Iustinianum, vt subiungitur in Regula, Anthimus studuerit Catholicus videri, testatur idē *Baronius* anno 535. num. 86. per sequentia *verba*. Ita se, inquit, comparauit vulpis ista, Anthimus inquam, vt cum nefandus hæreticus esset, studeret tamen in omnibus apparere Catholicus, probans Chalcedonense Concilium, & reliqua, quæ veri orthodoxi proba-

42 rent. Sed & adiecit, quod cum de eius hæresi sparsus rumor esset, se se homo callidus per purgauit, dum coram ipso Iustiniano Imperatore disertis verbis professus est, se in omnibus assensurum ijs, quæ Apostolica Sedes sentienda præscriberet: hoc enim nullum euidentius signum edi posse videbatur, quam si secuturum se polliceretur, quidquid Ecclesia Romana credendum ostenderet; cui assentiri, sit, se Catholicum demonstrare] hactenùs ille.

43 Verum quamuis hoc modo Anthimus Imperatorem deceperit; S. Agapetus tamen Papa, qui Roma discedens, eo tempore Cōstantinopolim venerat, haudquaquam ab eo decipi potuit: imò hic primo Anthimi præsētiam spreuit; dein cognita eius hæresi Eutychiana, maximè de vna tātùm natura in Chri-

44 sto Domino. (*Eam vigere hoc tempore, quo ista scribo, in Prouincia Mesopotamiæ, audio à Patribus Franciscanis per sacram Congregationem de Propaganda fide, iussu Sanctissimi Domini Vrbani Papæ VIII. illuc missis*) ipsū deposuit à Sede Constantinopolitana, tametsi Theodora valde obstaret, ad eamque Mennā

45 virum dignum induxit. Cum autem Anthimus in pertinacia suorum errorum maneret, non tardauit Agapetus eum vti pertinacem hæreticum sententia iuridica condemnare, atque omni dignitate priuatum relinquere.

46 Quin postea congregata fuit Synodus quinta Constantinopolitana, cui præfuit dictus Mennas, & ibi tributi sunt Anthimo plures termini ad resipiscendum: quibus transactis, cum nollet resipiscere; iterum per eam ipse cum se-

47 quacibus suis meritò fuit condemnatus. Quas condemnationes successor Agapeti, Vigilius Papa tandem confirmauit. Hæc omnia copiosè pertractata inuenies apud Baronium anno 535. & 536. passim; qui ea desumit partim ex citata Synodo quinta, partim ex Anastas. in Agapeto, & ex alijs.

48 Secundum Nicephorum lib. 14. cap. 49. quem sequuntur Prateolus, verb. Tetraditæ, & Baronius anno 535. num. 84. isti Tetraditæ in nullo prorsùs reperiuntur differre à Seuerianis, seu Seueritis. Vnde quæcumque supra diximus de Secta Seueri, & Seuerianorum, competunt huic Sectæ Tetraditarum, vti ab illis deriuatæ: qualiter autem ista deriuatio facta fuerit, egregiè indicat pro ea, & pro alijs Sectis Baronius dicto anno 535. num. 84. his verbis.

49 En in quos vepres, atque dumeta, inuia loca, scabra, abditosque recessus, per rupes, & præcipitia, præruptaque scopula, immanium ferarum latibula incurrerint, à recto fidei tramite aberrantes humanæ mentes! En quomodo monstrum monstro iunctum concipiat, pariatque horrenda spectra, atque deformia

50 simulacra. Vt ex his ipsis prudens quisque intelligere valeat (secundum illud Iob c.38.) vbi lux habitet, & tenebrarum quis locus sit; vt quisque ducat vnumquodque ad terminū suum, & intelligat semitas domus eius: cognoscat, scilicet, vbi sit Fides Catholica; vbi

51 verò hæreses habitent. At non hic finis portentorum: alia adhuc prodierunt ex cornuta bestia capita, vt longè ista superet tricipitia conficta à Gentilibus monstra, vel septem capitum Hydram: præter enim eas superius recensitas ex Seuero progenitas hæreses, ad eundem pertinere tradit Nicephorus (vbi supra) Caucobalditas à loco quodam ita denominatos hæreticos; Angelitas etiam, & Damianistas, ita dictos ab Episcopis, & locis ijsdem nominibus appellatis: nam Angelitas ab Alexandriæ loco, cui nomen erat Angelij, dictos tradit: quibus prǽterea addit, & Tetraditas, Petritas, atque Paulitas, quorum alij Petrum, alij Paulū Seuerianos, sed ab inuicem dissidentes, consectabantur] hæc ille.

52 Tritheitarum primum auctorem fuisse quēdam Ioannem Philoponum Alexandrinum Grammaticum, cum Nicephoro lib. 14. cap 50. testatur Prateolus verb. Cononitæ sub finem sic: Ioannes, inquit, iste Philoponus Alexandrinus, Tritheitarum hæresis præfectus fuit: perinde atque olim Themistius Philosophus sub Valente primum Agnoiëtarum Sectę prę-ijt] ita ille, attingens obiter aliam Sectam Agnoëtarum.

53 De Cononitis sic ibidem Prateolus cum citato Nicephoro. Insuper, inquit, alia quoque quinta Seueritarum, & Theodosianorum Secta est, & Cononitarum, qui Seuerum, &

Theodosium,& Episcopum præterea apud eos quendam Cononem,à quo etiam nominati sūt probant. Profitentur sanè & isti re vera Deū quidem esse, & naturam,& essentiam quamq; Patrem videlicèt, & Filium, & Spiritum Sanctum. Ad hæc tres quoque personas dicūt,ipsam nimirum Sanctam Trinitatem, & subsistē-
54 tias tres. Tres autem numero substantias, & naturas per omnia similes secūdum Deitatem dicentes,vnamque substantiam siue naturam, & vnam Deitatem siue Deum,Sanctam,& cōsubstantialem profitentes Trinitatem, non numero,sed per omnia simili Deitate,tres Deos, aut tres Deitates omnino dicere tergiuersanter.Hactenus ille,hæresim Cononitarum completè exprimens.

55 Quid tandem de Barsanianorum Secta, deque huius origine? Barsaniani, seu Semidalitæ vtroque modo vocati, teste S. Ioanne Damasceno lib. de hæresibus,verb. Barsaniani, errores Gaianorum, & Theodosianorum defende-
56 bant, addentes aliquid nouum. Nam similam eis, quæ à Dioscori discipulis offerebantur,admiscere consueuerunt, eamque summo digito apponere: atque farinam tritici degustabant,
57 idque pro Sacrificio probabant. Nec verò publicè fiebat eorum donarium, & oblatio: sed Dioscori symbolis relictis, similæ tantum admiscebant, quantum esset consumptum,idque ipsis in communionis parte numerabatur. ita cum citato D. Damasceno ferè totidem verbis Gualterius cap. 10. Seculi sexti, nec quidquā aliud circa hos Barsanianos addendum occurrit.

Quænam Sectis Tritheitarum, & Monophysitarum, seù Monothelitarum origo? quænam item Themistianorum?

REGVLA CCXLIX.

58 PRodijt circa annum Domini 535. Ioannes quidam Grammaticus Alexandrinus cognomento Philoponus; qui licet prius,vt Catholicus appareret, cōtra impium hæreticum Proclum scripserit,& magnam sibi laudem inde conciliauerit: postea tamē palàm tenacius præ cæteris errori de vna natura, & vnica voluntate in Christo Domino adhæsit, abundātiusque eum publicauit, Hinc sequaces illius Monophysitæ,seu Monothelitæ vocati sunt, &
59 ab ipso istorum Secta ortum duxit.Ex opposito autem errore, quòd idem Philoponus tres Deos admitteret, Auctor Sectæ Tritheitarum
60 agnoscitur. Secta denique Themistianorum à quodam Themistio, malè sentiente de sciētia Christi Domini dimanauit.

61 SEquamur in primis vestigia Card. Baronij in ostendendis ijs,quæ ad Philoponū pro nostro instituto spectant, sicut iam sæpius similiter in alijs secuti sumus, relatis verbis grauium Scriptorum.

62 Primò ex Suida sic ille ann.535. Ioannes,inquit,Grammaticus Alexandrinus cognomento Philoponus plurima scripsit grammatica, philosophica, arithmetica, rhetorica, sacras quoque litteras tractauit. scripsit & contra decem & octo Procli argumenta, & contra
63 Seuerum.Sed tamen ab Ecclesiæ Doctoribus, vt Tritheites, vt qui tres Deos asserat, reijcitur, & in Orthodoxorum Catalogo non admittitur. hæc de Philopono ex Suida, & prosequitur ita.

64 Quod verò pertinet ad eius scripta contra Proclum Lycium, magnam quidem sibi ex eo laudem conciliauit, quòd aduersus impium hominem, qui scripserat instar Porphyrij contra Religionem Christianam,stylum exercuisset. Suidas enim hæc ait, dum de Proclo agit: Hic est Proclus ille, qui alter à Porphyrio impuram linguam, & contumeliosam contra Christianos exercuit;sed Ioannes Philoponus præclarissimè eius propositiones refutauit,eūque in Græcis etiam, quibus afferebatur, eu-
65 dem, atque indoctum esse ostendit. Hæc Suidas de libris Procli, atque de redargutione Philoponi, ex qua sibi eximiam, vt diximus, gloriam comparauit: sed euanescens in cogitationibus suis,non Gentilium dumtaxat, atque Hęreticorum,verum Orthodoxorum dogmata confutare aggressus est. hactenus Baronius dict. ann. 535. num. 76.

66 Sed numero præcedenti 75. cum Leont. de Sectis, Act. 5. eundem audiamus: Hoc eodem, inquit, tēpore adhuc degente Theodosio Byzantij,denuò motum fuit dogma Tritheitarū, cuius Sectæ Princeps Philoponus fuit. Quoniā enim obijciebat Ecclesiæ, si duas in Christo naturas diceret; necessario esse duas hypostases confessuram. Respondebat Ecclesia: si natura, & hypostasis idem sint, necessarium quoque fatendum indiuiduum: sin aliud natura, & aliud hypostasis, quænam illa sortitio fuerit, vt naturas duas statuentes, omnino duas
67 quoque cōfiteamur hypostases? &c. Pluribus ipse inuicem aduersantia altercationum argumēta retexens,ita planè, vt Philoponū ad oppugnandam veritatem Catholicæ Fidei ex deliramentis hæreticorum mutuatum esse arma demonstraret. hæc cum illo Baronius, indicās vltimo loco Philoponi ignorantiam.

68 Vnde merito ipsum carpit Gualterius cap.7. sexti Seculi per sequentia verba: Philoponus, inquit, si se intra septa Grammaticæ, & Philosophiæ continuisset, næ consuluisset sibi sapienter: sed artis suæ limites trāsgressus, dum altiora se audaculus attentat, dum de augustissimæ Triadis personis tribus, dum de duarum naturarum in vna Verbi persona coniunctione imperitus disserit,cōfūdit cæcè,ac temerè, quæ sapientes, & orthodoxi in Deo verè
69 distinxerūt. Nam hinc quidem tres Deos fingit, illinc verò duas Christi Dei, hominisque naturas in vnam, Eutychianorum instar, permiscet, seque præcursorem præbet Monophysitis. hæc ille,quibus cōpendiose indicat duos præcipuos, & grauissimos Philoponi errores.

70 Tribuitur etiam ei ille error, quod pernegauerit corporum resurrectionem esse futurā: quem

quem ex Nicephoro lib. 18. histor. cap. 47. sic explicat Baronius ann. 535. num. 78. At quomodo, inquit, intelligendum sit, quod dictum est, Philoponum negasse resurrectionem mortuorum, erit ex Nicephoro declarandum: non enim, vt animas diceret sine corporibus cœlesti gloria fruituras, sed eas alijs corporibus induendas, illis quidem ex nihilo creatis.

71 Quòd videlicet assereret corpora nostra corrumpi secundum formam, atque materiam. Ita ille, & paulò post cum eodem Nicephoro addit plura de hac re, quæ apud ipsum videas si placet.

72 Præterea idem Philoponus librum scripsit contra Concilium Oecumenicum, vt ex eodẽ Nicephoro dict. lib. 18. cap. 46. affert Prateolus verb. Monophysitæ. Addens ibi cum ipso 73 Nicephoro, cooperatione Iustiniani Imperatoris, aduersus scripta, & errores Philoponi fuisse congregatum quintum Concilium Generale 175. Patrum.

74 Qualiter autem Philoponus auctor fuerit sectæ Monophysitarum, seu Monothelitarum, cum citato Prateolo, & Baronio ann. 535. nu. 79. paucis sic indicat Gualterius eiusdem sexti seculi cap. 8. De Tritheorum, inquit, som- 75 nijs prodigiosa hęc Secta emersit. Licet enim Philoponus duas in Christo naturas vnitas Orthodoxis daret, non dabat tamen, post vnionem duas eas stare, sed in vnam misceri asserebat: vnde Monophysitæ sunt appellati, nec non Monothelitæ, eo quòd vnicam in eodem 76 Christo voluntatem intelligerent. Eosdem verò tum Aegyptios, tum Schematicos dici solitos S. Damascenus tradit lib. de hæres. verb Aegyptij. ita ille.

77 Vt dictus error de vnica volũtate in Christo Domino firmiùs existeret, & magis spargeretur, finxerunt Monothelitæ, etiam post celebratum quintum illud Concilium Oecumenicũ, per quod penitus reijciebatur, quòd authoritate eiusdem Concilij scripserit Mõnas Episcopus Constantinopolitanus ad Vigilium Pontificem Romanum epistolam quandam ad effectum confirmandi doctrinam erroneã de vnica in Christo Domino voluntate; & talem epistolam, licet adulterinam, & suppositi- 78 tiam, diuersimodè vulgarunt. Verum in sexto Concilio statim coacto à Legatis Papæ dolus deprehensus est, & in lucem datus. Adducunt copiosè Baronius ann. 535. num. 247. & breuiter Gualterius dict. cap. 8.

79 Restat dicere de secta Agnoitarũ, seu Themistianorum (vtroque nomine isti vocari soliti) Eorum author fuit Themistius quidam Alexandrinus Diaconus, vt eum appellat Nicephor. lib. 18. cap. 50. à Prateol. verb. Agnoitæ, 80 & ab alijs vocatur Theophronius. Hic, teste eodem Nicephoro lib. 12. cap. 30. discipulus Eunomij hæretici fuit, seu huius sectatoribus se coniunxit; sed præcipue adhæsit erroribus Theodosianorum.

81 Ad constituendam autem peculiarem sectã hunc præcipuè errorem addidit illis Theodosij, quòd affirmaret, extremi iudicij diẽ Christo Domino fuisse incognitum; à qua tamen blasphemia Theodosius abhorruerat, vt ait Gualterius cap. 6. seculi sexti. addens ibi sic.

82 Inducebantur verò, inquit, Agnoitæ, vt id opinarentur, illis Christi apud Sanctum Marcum cap. 13. verbis. De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque 83 Filius, nisi Pater. Non errassent porro, si non ignorassent ipsi sincerum eius sententiæ sensũ esse, aut quem S. Ambros. lib. 5. de Fide cap. 8. & S. Augustinus 1. Trinit. cap. 12. perspexerũt, eum diem nescisse Christum, vt eum hominibus enuntiaret: aut quem intellexit S. Gregorius lib. 8. epist. 42. scire quidem Christum hominem, sed non à se homine didicisse. hæc ille cum Prateolo citato, & Baron. ibid. num. 71. atque pro hac Regula satis.

Quid de Iacobitis, & de Iacobo eorum Principe? Quid de Christolytis? quid de alijs sexti seculi?

REGVLA CCL.

84 Extitit circa idem tempus anni 535. aut secundum alios circa annum 584. Iacobus quidam, Syrus genere, obscurus prorsus, & nullius gloriæ homo: in hæresibus Eutychetis, Dioscori, Gnaphęi, & Seueri educatus: ex eis iam obsoletis, & ex nouis adinuentis statim indicandis sectam Iacobitarum instituit, eamque apud Syros maximè propagauit.

85 Christolytæ item sic vocati, quòd de Christi Domini Resurrectione, & Assumptione malè sentirēt: quis eorum antesignanus ignoratur.

86 Deniquè Tetraditæ à Seuero hæresiarcha propagationem ducunt, vixque à Seueritis differ- 87 runt. De Talmudistis aliquid hic dicetur.

---

88 Qvoad circumstantiam temporis, Prateolus verb. Iacobitæ, discrepat ab alijs, sic affirmans. Iacobitæ, inquit, siue Iacobini à quodam Iacobo genere Syro nuncupantur, qui tempore Mauricij Imperatoris, & Pelagij huius nominis Secundi Romanorum Pontificis emerserunt circa annum Domini 584. Baronius verò, & communiter reliqui reducunt eos, ac ipsorum auctorem Iacobum ad annũ 89 535. Discrepantia inde fortè prouenit, quòd Prateolus loquatur de eo tempore, quo secta Iacobitarum iam per regiones Syriæ propagata erat; Baronius, & alij de eo, quo propagari cępit, vt alias adnotauimus.

90 Concordant autem ijdem Prateolus, & Baronius, ac reliqui Scriptores circa omnia tacta in Regula, vt quoad originem, ex Syria, prædicti Iacobi, & quoad conditionem personæ eius, infimæ, & vilissimæ sortis. Verum audiamus Nicephorum lib. 18. cap. 45. de his sic loquentem.

91 Quis verò, inquit, fuerit hic Iacobus, vnde Iacobitæ nomen acceperunt, æquum esse puto, vt hic referam. Altius autem narrationẽ petam. Postquam Eutycheti, & Dioscoro à sancta IV. Chalcedonensi Synodo dignita ab-

abrogata est, qui illorum dogmata defenderunt, facta ab Ecclesia Catholica defectione, ἀπαχειρομένους, hoc est segregatos, siue ambigẽtes, seipsos appellarunt: neque vllo modo, vt quæ recte in Concilio sancto statuta essent, comprobarent, adduci potuere. Ij in duodecim Sectas dissecti sunt, ex quibus multa millia hæresum pullularunt. Ex quarum sectatoribus quidam Eutychianistæ vocati sunt, alij Acephali, &c.]

92 Pro duodecima, quæ est præsentis loci, & pro eius institutore, sic addit: Iacobus porrò, inquit, à quo nunc quoque, vt iam diximus, Iacobitarum hæresis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obscurus prorsus, & nulla

93 gloria vir. Qui etiam Zauzalus propter summam tenuitatem est cognominatus. Hic Eutychetis, & Dioscori, Gnaphæique prætereà Petri, atq. Seueri dogmate recepto, magnopere id apud Syros propagare studuit] hæc ille.

94 Peculiares iam errores Iacobi, & Iacobitarum breuiter exprimendi. Primò consueuerunt filios suos fronti, vel genis inusto cauterio circumcidere, existimantes peccatum originale tali stigmate auferri, teste Prateolo verb. Iacobitæ: tametsi Sanderus hæres. 113. Crucem eos solitos inurere fronti quorumcumque iam baptismo initiatorum affirmet.

95 Quibus Gualterius c.9. seculi sexti addit sic, Vt, vt, inquit, sit de re, stultum scelus, scripturæ verbis tutabantur illis Matth. 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne: quæ non viderunt imperiti referenda ad Sancti Spiritus igneis in linguis in Apostolos adlapsum] ita ille explicat cum Maldonato.

96 Secundò. Infantibus, & lactantibus sacrã Eucharistiam sub vtraque specie panis, & vini esse tribuendam, Iacobitæ docuerunt, sicque opere exequebantur. Affert Prateolus loco citato.

97 Tertiò. Confessionem, quæ ad aurem Sacerdoti fieri à Christianis solet, non esse vtilẽ, nec requisitam, illi tenuerunt, & satis esse, si homo peccatum suum soli Deo confiteatur. Ita Sanderus vbi supra, & Gualterius dicto cap. 9 num. 6.

98 Quartò. Vsu receptum erat apud Iacobitas, vt Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi adstarent omnes simul ad altare, communionemque reciperent, exemplo inducti, vt ipsi asserebant, illorum trium Regum, qui ad præsepe Christo Domino simul munera obtulerunt. Prateolus ibidem adducit.

99 Quintò. Iacobus deniq. eiusq. sequaces nihil penitus de ineffabili mysterio Sacrosanctæ Trinitatis crediderunt, vnam dumtaxat in diuinis personam esse docentes; ita ibidem Prateolus, & Gualterius num. 2.

100 Pauca de Christolytis apud auctores, Sander. hæres. 107. cum D. Damasceno lib. de hæres. verb. Christolytæ, vbi de eis sic loquitur. Christolytæ, inquit, sunt, qui Dominum nostrum Iesum Christum asserunt, cum excitatus est ab inferis, ibi corpore cum animo relicto, cum sola diuinitate, cælum, ac supera

101 petijsse] hæc ille. Et addit Gualterius c. 12. seculi sexti, quòd ex hac Christi Domini dissolutione nomen Christolytarum eis obtigerit; nullus tamen ex his tribus auctoribus, neque alius assignat primum prædictæ hæresis inuentorem.

102 Similiter à Secta Tetraditarum paucis nos expediemus, quæ secundum Nicephorum lib. 18. cap. 49. Prateolum verb. Tetraditæ. Baronium an. 535. nu. 84 & Gualterium c. 11. sexti seculi, quasi ramus est sectæ Seueritarum, seu nihil fermè reperitur, in quo ab his illi differant. Explicata itaque iam supra Seueri, & Seueritarum secta, constat inde manifestè, qualis sit præsens Tetraditarũ, nec quidquam his addendum occurrit.

103 Reponit initio huius sexti seculi noster Gualterius ob aliquas rationes, quas apud ipsum videas, errores diuersos Talmudistarũ, selectos ex pene infinitis, qui in perniciosissimo illo libro, non tàm humana, quàm diabolica industria elaborato, Talmud nomine, continentur, oppositis omnino veritati, non solum Religionis Christianæ, sed legis etiam naturalis, atque adeò Mosaicæ, quam ipsi Talmudistæ se ad vnguem profiteri testantur.

104 Nos ne rem prorsus intactam relinquamus, sub finem eiusdem sexti seculi, omissa collatione cum erroribus Lutheri, Caluini, &c. quã Gualterius de more prosequitur, eos tantùm quos ipse adducit, breuissimè percurremus.

105 Prænotandum tamen claritatis gratia, quòd liber Talmud duplex sit, alter Hierosolymitanus, alter verò Babylonius. Item, quòd vniuersum Talmud in sex ordines diuidatur, & quilibet ex istis in varios tractatus, ac vnusquisque tractatus in multa capita, seu distinctiones multiplices. Vocantur autem à Iudæis, nominibus huiusmodi: nimirum, Ordo, Seder: Tractatus, Massechet: & Caput, seu distinctio, PerKim. His sic prenotatis.

106 Primò errant Talmudistæ, affirmantes Deum ante mũdi creationem in diuersis mũdis construendis se se exercuisse, eisdem successiuè destructis, & instauratis, quoad vsque artem didicit hunc, quem videmus permanẽtem mundum fabricandi. O blasphemia horrendissima, de infinita Dei sapientia valde detrahens, & ignorantiæ capacem eum faciens. Habetur ordin. 2. tract. 4. dist. 3.

107 Secundò. Asserunt illi Deum in lectione legis Mosaicæ, primas tres cuiusque diei horas

108 expendere, ord. 2. tract. 1. distin. 14. Item, quòd Moses aliquando Cælum ascendens reppererit Deum accentus in Scriptura sacra inscribentem. Blasphema pari modo sunt ista, sicut multa ex sequentibus, cum maxima diminutione infinitæ sapientiæ Dei Opt. Max.

109 Notandus præcipuè ille error, quod Moses ante Messiæ aduentum, cælum conscenderit; ord. 5. tract. 6. dist. 5.

110 Tertiò. Tenent ipsi, quòd Deus primo nouæ lunæ Septembris die, vniuersum orbem iudicet, & decem sequentibus eiusdem lunæ diebus se applicet ad scribẽdos iustos in libro vitæ, ac malos in libro mortis, ord. 2. tract. 8. distin.

111 distin. 5. Declarat autem Gualterius vbi supra per sequentia verba: Ex duplici, inquit, constat cæcitate hic error; vna est, quòd actiones Dei, humanorum actuum instar, temporis successioni, lunæque motui subijciat. Altera, quòd vniuersalis Iudicij tempus præueniat, ac determinet. Ita ille.

112 IV. Quòd singulis diebus Deus magna cordis deuotione preces, & orationes fundat. Quin etiam quòd ad orandum quotidie genua flectat. ord. 1. tract. 1. distin. 1. & ord. 2. tract. 8 distin. 5.

113 V. Somniant Talmudistæ, quòd Deus maneat in loco quodam occulto, ibique certis temporibus multas lacrymas fundat, cum maxima cordis afflictione, propterea quòd se infensum Iudæis exhibuerit, Templum Hierosolymitanum destruendo, & populum suum

114 captiuitate durissima castigando. Addentes id quod magis ad fabulam, seu somnium accedit; nimirum, Deum quoties meminit earum calamitatum, quæ Iudæis à Gentibus inferuntur, binas lacrymas in Oceanum effundere, & dolore permotum sibi pectus vtraque manu tundere. Ita habetur ordin 1. tract. 1. distin. 9. & ord 2. tract. 8. distin. 5.

115 VI. Blasphemiam admodum insanam protulerunt illi, affirmantes, quòd Deus præceperit populo Iudaico, vt vnoquoque nouilunio, expiationis sacrificium offerrent, pro expiando scelere per ipsum Deum commisso, vbi lumen Lunæ iniquè ereptum Soli tribuit. ord. 4. tract. 6 distin. 1. habetur.

116 VII. Delirant sanè Talmudistæ, quando aiunt, quòd Deus ad relaxandum animum, per tres postremas diei horas cum magno illo pisce, Leuiathan vocato, aliquando luserit. ord.

117 2. tract. 1. distin. 14. & ord. 4. tract. 8. In qua delíratione, inquit citatus Gualterius, Talmudica duas aduerto horrendas blasphemias: vna est, quod Deum faciat relaxationis indigentē, & quod inde consequitur, lassitudinis capacē, ac passibilem; Altera quòd Deum lusorem cēseat. Hactenùs ingeniosè Gualterius.

118 VIII. Errarunt turpissimè illi dicentes Deum creasse elementum ignis ipso die Sabbathi.

119 ord. 2. tract. 3. dist. 4 Prædicto errori clarè opponitur Scriptura Sacra, Exod. cap. 20. vbi sic: Sex diebus fecit Dominus Cęlum, & Terram, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo, ideò benedixit Dominus diei Sabbathi, &c.

120 IX. Ridiculum quid, & plusquam stultum ord. 4. tract. 2. distin. 7. adducitur, quòd, cum Rabbini quidam cum Rabbi Eliezer cōtenderent, Deus voce cęlesti in fauorem Rabbi Eliezer contra illos sententiam tulerit; idque ipsi ægrè fęrentes, Deum pœna anathematis damnarint, & posteà, quòd Deus ipse subridens dixerit, Filij mei me vicerunt.

121 X. Ex Sixto Senensi lib. 2. Bibliothecæ sāctæ, verb. traditiones, adducit Gualterius c. 1. Seculi sexti de Talmudistis quid valdè ridiculum, seu potius lacrymabile, per sequētia verba. Scribunt veteres illi somniatores Rabbinum, quendam eousque prudentē olim extitisse, vt suo astu non Diabolum modo, verum etiam Deum fefellerit. Cum enim in articulo mortis positus, à Diabolo pro veteri, quæ inter illos intercesserat amicitia, postulasset, impetrassetque, se vt ad portas vsque Regni Cœlestis deportaret, quo Diuinæ locum mansionis inde intuitus, vitam lætior dimitteret: ecce protinus intra Cœli portas ipse irrupit, per Deum viuentem iurans nunquam se recessurum: ita vt coactus sit Deus hominem penes

122 se retinere, ne periurum faceret. Atque hoc dolo, inquiunt illi, homo prudentissimus Deum simul, & Diabolum decepit. Huc vsque ille.

123 XI. Error fuit Talmudistarū, quòd cùm aliquando Archangelus Gabriel graui peccato se se coinquinauerit, Deus illum flagello igneo cęcidit. Habetur Ordin. 2. Tract. 5. dist. 8.

124 XII. Dein Ordin. 3. Tract. 1. dist. 6. item ord. 4. & tract. 4. libri Talmud. impura, & impudica probra continentur in Adam, & Noe.

125 XIII. Cum errore maximo affirmant Talmudistæ, S. Iobum nusquam extitisse, atque esse planè ficta, & sine fundamento excogitata, quæ de eo communiter narrantur. ord. 4. tract. 3.

126 XIV. Testantur illi, Regem Dauidem commissis adulterio, & homicidio insontem, ac nullius criminis reum mansisse. Ita traditur ord. 2. tract. 1. distin 5.

127 XV. Multa protulerunt Talmudistæ, quæ manifestè sunt contra pudicitiam, & honestatem matrimonij. ord. 3. tract. 3. dist. 2. & ord. 2. tract. 1.

128 XVI. Ausi sunt ijdem asserere, illum inter Rabbinos nullo modo reponendum, nec tali dignum nomine existimandum, qui inimicum suum capitali odio non prosequitur, & quascumque vindictę occasiones, ac momenta nō inquirit. ord. 5. tract. 1. distin. 2.

129 XVII. Tenuerunt ipsi, grauioribus pœnis plectendos, tam eos, qui scribarum, quam illos, qui legis Mosaicæ verbis contradicunt.

130 Quinimo isti absolui possunt, nequaquam verò illi, sed vltimo supplicio affici debent. ord. 4. tract. 4. distin. 10.

131 XVIII. Circa testes falsos sic erroneè sentiebant Talmudistæ, quòd sint, peracto, damnatoque reo dimittendi, & ab omni pęnæ, aut mulctæ irrogatione liberandi. ord. 4. Tract. 4. Quid magis contra iustitiam, & contra legem naturalem?

132 XIX. Ridiculum est illud, & iniustitiam etiam sapiens, quod ipsi affirmarunt, nempe eum, qui plurium iudicio ad mortem damnatus est, neci esse tradendum; illum verò, in cuius mortem omnes nullo excepto consenserint, esse absoluendum. ord. 4. tract. 4. ita Gualterius vbi supra.

133 XX. Similiter ad iniustitiam spectat, quod traditur in lib. Talmud. ord. 4. tract. 2. dist. 5. crumenam scilicet alienam quisquis inuenerit in loco publico, si sciat illum ad quem ipsa pertinet, amisisse spem recuperandi eam, nullatenus obligari ad restituendum.

134 XXI. Disponitur ord. 1. tract. 1. distin. 4. vt

vt Iudæi omnes teneantur ter quotidie Christianos execrari, ac deuouere, atq; à Deo precari, vt eos, eorumque Reges, & Principes cō-
135 fundat, & exterminet. Atque id Iudæis, præcipuè Sacerdotibus, ter in die præstandum, quando in Synagoga orant, in odiū Christi Nazareni. Gualter. ferè totidem verbis.

136 XXII. Talmudicus error est apud Iudæos, quòd ipsis præceperit Deus, vt facultates Christianorum in suos vsus conuertant, & rem quā cumque illorum, suam faciant, quanuis via poterunt, dolo, vi, fœnore, furto, &c. Ita ord. 1. tract. 1. distin. 4.

137 XXIII. Turpius errant Talmudistæ asserētes, in mādatis Iudæos à Deo habere, vt Christianos omnes in numero bestiarum habeant, eosque perinde tractent, ac brutos animātes. Ita ord. 4. tract. 8.

138 XXIV. *Manifestè contra iustitiam*, & legē naturalem est illud, quod habetur in lib. Talmud. ord. 4. tract. 1. distin. 4. nimirum, si quadrupedem Christiani quadrupes Iudęi occidat, hunc non teneri pecudis occisæ valorem
139 persoluere. E contra verò si quadrupedē Iudæi quadrupes Christiani occidat, teneri Iudæum Christianum adigere ad reparandum damnum.

140 XXV. Respectu cuiusuis hominis Gentilis, nec benè, nec malè Iudæo esse faciendum asserunt Talmudistæ; respectu verò Christiani, omni ope Iudæo nitendum, vt illi mortem inferat, ordin. 4. tract. 8. distin. 2.

141 XXVI. Pari modo in odium Christianitatis ordin. 4. tract. 4. distin 9. sic habetur, quod si Iudæus animo occidendi Christianum interficiat casu Iudæum, sit dignus venia.

142 XXVII. In augmentum dicti odij, illud inhumanius, & crudelius additur ord. 4. tract. 8. vt Iudæus si videat Christianum præcipitātem, teneatur nulla interposita mora eum impellere.

143 XXVIII. Pergunt Talmudistę in ostendēdo, quam auerso sint animo contra Christianos, dum ord. 2. tract. 1. dist. 5. affirmant, ImperiumChristianorum execrabilius esse Imperio Ethnicorum, & multo grauius, ac molestius esse, Christiano, quam Ethnico Principi seruire.

144 XXIX. Dein prodierunt illi cōtra Templa, & loca sacra Christianorum, reputantes ea vti diuersoria perditionis, & domicilia idololatriæ, quæ à Iudæis euerti debeant, si possint, idque à Deo esse ipsis iniunctum asserunt. ita ord. 2. tract. 1. dist. 2.

145 XXX. Cum nimia audacia de Euangelijs Christianorū peruerse loquunturTalmudistæ, nempè quod sint, *Iniquitas reuelata, & peccatū manifestum*, ac propterea à Iudæis igni, & flammis esse tradenda, etiamsi nomen Dei in ipsis legatur. ord. 2. tract. 1. dist. 2.

146 XXXI. Talmudicus est etiā error ille Pythagoricus de transmigratione animarum ex vno corpore in aliud; ipsum tamen tradunt Talmudistæ sub ea conditione, vt si anima peccet in primo corpore, dimittatur in secundum; & si in secundo, rursus in tertium; in quo si peccare non desierit, tandem ad Inferos amandetur. Hinc illi deducunt animam Abelis in Seth, ac huius in Moysen transmigrasse, ita ord. 4. tract. 2.

147 XXXII. Errant item illi in eo, quod aiunt, animas indoctorum non redituras in corpus suum, quando à mortuis excitabuntur. ord. 3. tract. 2.

148 XXXIII. Vt virtutem creandi contra Fidē Catholicam tribuant creaturæ, ridiculum quid fingunt Talmudistæ: nempè quod duo Rabbini die Veneris cuiusque hebdomadis vitulos duos creent, quos pauló post penitus deuorent. Vah quanta latitudo stomachi Rabbinorum, vt vitulum integrum capiat. ita ord. 4. tract. 4. dist. 2.

149 XXXIV. Vt corpori seu ventri indulgeant, sic disponunt illi de acquisitione beatitudinis Cœli, vt quicumque ter die Sabbathi comederit, vitam æternam sit obtenturus. Habetur ord. 2. tract. 1 dist. 6.

150 XXXV. Prorsus superstitiosum est quod docent Talmudistæ ord. 4 tract. 3. dist. 2. Nihil scilicet edendum pari numero, sed omnia impari, eò quòd Deus impari numero gaudeat.

151 XXXVI. Ad superstitionem etiam accedit illud ex mente illorum valde superstitiosa dimanans, quod si quis oret conuersus ad meridiem, sapientiam sit adepturus; sin verò ad septentrionem, diuitias obtenturus. ita ord. 4. tract. 3. distin. 2.

152 XXXVII. Ad risū valdè excitat illud, quod pari modo superstitiosè Talmudistæ ordin. 4. tract. 10. distin. 1. tradiderunt; nimirum, quicumque sub Camelo, aut inter duos Camelos, vel duas inter fęminas transierit, fore vt nihil vnquam discat. ex Talmud his verbis exprimit Gualterius ibid.

153 XXXVIII. Vltimus error Talmudistarum in eo positus est, inquit idem Gualterius, vt si cui veniat in mentem libros Talmud, quibus præcepta iàm à nobis commemorata mandātur, quæ ipsi Sanctissima vocant, abnegare, deque illorum fide ambigere, Deum ipsum abnegare iudicetur. ita ille ex pręfatione to-
154 tius Talmud. De cuius origine, & auctoribus vide eundem Gualterium Sæculi 3. & 5. colum. 12. nobis dicta sufficiant, vt iam præsenti Sęculo, & Capiti Decimo finem imponamus.

CAPVT XI.

De Sectis diuersis hæresum, & Hæresiarcharum Fidem Christianam oppugnantibus, quæ per spatium totius septimi centenarij emerserunt.

PROOEMIOLVM.

1 TAmetsi hostes insensissimi Ecclesiæ Catholicæ, Hæresiarchæ scilicet seculi præcedentis, suis peruersissimis erroribus eam oppugnare nunquam destiterint, iuxtà firmissimam tamen, & omnino infallibilem Christi Domini promissionem, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; peculiari ipsius Domini prouidentia, haud defuerunt eo tempore viri sanctitate, & doctrina valdè insignes, qui dictis Hæresiarchis turpissimis Sathanæ ministris fortiter resistentes, in quacunque fidei diuinæ veritate, 2 ac præcipuè in opposita eorumdem hæresibus, stabilitam conseruauerunt. Recensent diuersos ex eis Gilbertus Genebrardus lib. 3. suæ Chronographiæ, sub finem 6. centuriæ, & Iacobus Gualterius in Seculo sexto Tabularum Chronographicarum: pro veritate Transubstantiationis Eucharisticæ, & sacrificij Missæ S. Felicem IV. Papam in epist. 1. ad omnes Orthodoxos, S. Gregor. Mag. homil. 26. in Euang. S. Gregor. Turonens. in lib. de gloria Martyrum cap. 86. Plures præsules in Concilio Agathensi celebrato ann. 506. cap. 21. & cap. 47. ac in Concilio Aurelianensi ad ann. 507. 3 conuocato cap. 28. Pro veritate etiam liberi arbitrij Seuerin. Boëtij lib. 5. de consolat. philosophica, prosa secunda, S. Anast. Sinait. lib. 8. Hexameron. & circa liberi arbitrij cum gratia concordiā, 4 Euod. in epistol. ad Constantinum, & Olympiod. in cap. 12. Eccl. Item pro veritate, quod fides sola non sufficiat ad salutem, nisi cum bonis operibus, ac diuinorum mandatorum obseruatione sit coniuncta, S. Fulgent. in Sermon. de Confessorib. & S. Gregor. lib. 7. Moralium, cap. 13. Olymp. 5 in 7. Eccles. & Cassiodor. in Psalm. 6. Dein pro veritate honoris, & inuocationis Sanctorū, S. Fulgent. in sermone in laudem Beatissimæ Virginis, Cassiod. in Psalm. 120. Benedict. Abb. cap. 14. Regulæ. Atque hæc sint satis, vt iam Hæresiarchas septimi Seculi perscrutemur.

Sectæ Monothelitarum primus ne auctor Cyrus Alexandrinus? Fautores verò eius qualiter Patriarcha Antiochenus, & alij?

REGVLA CCLI.

6 QVamuis vnam tantum naturam in Christo Domino admittentes, prout admittūt Eutychiani, Iacobitæ, & alij, vt supra à nobis traditum, consequenter vnam solam voluntatem, & operationem ei tribuant, sintque primi 7 inuentores Sectæ Monothelitarum: Cyrus tamen Patriarcha Alexandrinus duas eidem Christo naturas, & vnam tantum voluntatem concedens, nouæ Sectæ Hæresiarcha euasit, primusque Dux, & Auctor Monothelitis pe- 8 culiari modo assignatur. Dein Sergius Patriarcha Constantinopolitanus dicto Cyro se coniungens, pro inducendo Imperatore Heraclio in tantum errorem, non exiguum dictæ 9 Sectæ fomentum attulit. Denique non longè post Macarius Patriarcha Antiochenus, Pyrrhus etiam, & Theodorus Patriarchæ Constātinopolitani, eiusdem Sectæ fautores singulares, ac alijs Antesignani extiterunt.

---

10 CIrca primam nostræ Regulæ partem, quæ supponitur alibi resoluta, præcipuè circa deriuationem nominis Monothelitarum, audi Prateolum in suo Elencho Alphabetico lib. 11. verb. Monophysitæ, sic dicentem: Monophysitæ à *monos* quod est vnus, & *physis* natura, appellati sunt, quòd vnam illi Verbi, & Carnis naturam post ineffabilem vnionem in Christo esse sentiant, & doceant. Porrò qui hoc ita sentiunt, Monothelitæ etiam sunt vocati, ab vna tantum voluntate, & actione diui- 11 na, videlicet, quam Christo tribuebant. Vnde & Theopaschitæ appellantur, auctores primarios Gnapheum, Seuerum Antiochenū, Dioscorum, Gainum, Iacobum item, & Ioannem Philoponum habentes, de quibus vide locis suis. Hæc ille.

12 Nullam apud Prateolum inuenio mentionē de Cyro Patriarcha Alexandrino, duas in Christo naturas, sed vnam solam voluntatem, & actionem admittente. Syrus Alexandrinus nullum dubium, quòd sit diuersus ab illo; 13 Cum idem Prateolus huic Syro ex mente, & relatione Gennadij tribuat errorem Timotheanum, & quòd tenuerit filium Dei duabus post incarnationem naturis non constare; tametsi prius fuerit verus Catholicus, & ex Philosopho artem medicinæ profitēte monachus 14 effectus scripserit cōtra Nestorium. Quæ nullus dixit quòd competant Cyro Alexandrino, de quo nunc agimus, imò oppositum ex parte, nempe hunc tenuisse, & docuisse in Christo Domino reperiri quidem duas naturas, sed vnam tantùm voluntatem, testantur de eo auctores grauissimi, quos iam adduco.

15 Prodeat primo loco in huiusce rei testimoniū S. Ioannes Damascenus lib. de hæres. verb. Monothelitæ, quod istorum Sectæ sit dictus

Cyrus primus institutor expresse affirmans: Monothelitæ,inquit, à Cyro Alexandrino originem duxerunt: à Sergio autem Constantinopolitano confirmati sunt, & corroborati. Ij duas naturas, vnamque personam in Christo illi quidem prædicant, sed vnam voluntatem, vnamque actioné in eodem ponunt; quo posito, duplicem naturam tollunt, & Apollinaris decreta confirmant, atque defendunt.

16 Ab his Eustachius exortus est, ex quo Eustachiani nominati sunt. Hactenus S. Damascenus, ex quo habes manifestè, & quòd Cyrus auctor fuerit Sectæ Monothelitarum, & quod Sergius Constantinopolitanus hanc Sectam confirmauerit, & corroborauerit, qualiter, id statim indicabimus.

17 Excitato prius,& discusso aliquantulum dubio, quod hic occurrit circa vltimum, quod ait D.Damascenus, quod scilicet dictis Cyro, & Sergio ducat originemEustachius,& ab isto nomen accipiant Eustachiani, quisnam iste Eustachius? non sanè ille Sebastiensis Episcopus, vti Hæresiarcha multorum errorum in Concilio Cæsariensi,& in alijs Concilijs sæpius damnatus, & in Seculo quarto ad annum fere 359. tanquàm illuc spectans expressus à nobis cum Prateolo lib. 5. verb. Eustachius Sebastiensis Episcopus, cum Baronio dicto anno 359. num.98. & cum Gualterio cent.4.cap.15.

18 Apud quos auctores, & apud alios, quod inuenire potuerim, nullum prorsus extat verbũ de hoc secundo Eustachio, spectante ad Seculum septimum, quem S. Damascenus hæresiarcham,& Principem Eustachianorum cõ-

19 stituit. Ob cuius auctoritatem, quæ instar plurium nobis esse debet, ita cum ipso sentiẽdum ducimus, & iudicandum, quod iste Eustachius solicitus promotor erroris, & Sectæ Cyri Alexandrini aliquando fuerit, & inde sequacibus suis nomen Eustachianorum tribuerit, ac nouus hęresiarcha euaserit,sicut eadem via euaserunt alij, de quibus sequitur dicendum.

20 Supponenda tamen prius historia, quę partim attingitur in Regula,& adducitur per extensum à Baronio ad annum 629.nempe qualiter occasionem excitandi hanc nouam Sectã Monothelitarum per Cyrum Patriarcham Alexandrinum præbuerit, nolens haud dubie Imperator Heraclius; & hinc ipse, qui miris progressibus, ac gloriosissimis victorijs contra Ecclesiæ Catholicæ hostes claruerat, in peius semper declinauerit,& Imperium totum Oriẽtis, quod in illud vsque tempus ad summum fastigium fuerat sublimatum, decrescere cęperit,& minui,ac non multo post omnino prosternatur, & ob diuinam vindictam in manus

21 Barbarorum tradatur. Quippe qui cum ipse Imperator per fraudem, errore dicti Cyri de vna sola in Christo voluntate fuisset imbutus, ex hac stilla pessimi exempli, quod reliquis proposuit diluuium, vt ait Baronius eo anno 629. num. 4. Orientem obruens emanauit.

22 Occasio autem dicta inde præstita, quòd dum esset Heraclius apud Hierapolim ann.20. sui Imperij,& venisset ad eum Athanasius Patriarcha Iacobitarum, vir acris, & nequam ingenij, Syrorum inditas versutias possidens,

23 ipse Imperator hunc hominem, quem vti Eutychianum in Concilio Chalcedonensi vna cum suo Duce Eutychete (de hac re alibi egimus, præcipuè in Prolegomeno secundo) condemnatum ob hæresim de vna tantùm natura in Christo Domino, repellere debuisset; imo punire ob dictam hæresim,& ob vsurpatum sibi sacrilegè Patriarchæ nomen apud impios quosdam; ad colloquium curiosè, &

24 libenter admiserit. Et excitato tunc per Athanasium sermone de Fide, seu Religione, ad Imperatorem, hic repromiserit ei Episcopatum Antiochenum, si Chalcedonensem Synodum amplecteretur, maximè quo ad de-

25 cisionem de duabus in Christo naturis. Qua ille audita repromissione,in summam ductus animi ambitionem tali dignitate fruendi, statuit per aliquod tempus se simulare verum Catholicum, & se facturum promisit, quod ab illo postulatum fuerat, statimque coram ipso fictè duas in Christo naturas confessus est iuxta dict. Synodum.

26 Deinde Athanasius petiuit ab Imperatore quomodo de operatione, & voluntatibus Christi esset loquendum, expediret ne eas dicere duplas, an simplas? Circa quod dubitans Heraclius, in consultationem vocat Sergium Archiepiscopum Constantinopolitanum, &

27 Cyrum Phasidis Episcopum. Hic verò opportunè sibi ansam porrigi ratus exaltandi proprium nomen per institutionem nouæ Sectæ cum peculiari doctrina, illico ad dictum Sergium misit epistolam, (refertur in actione 13. sextæ Synodi) in qua, post humiles salutationes,& ingentes submissiones artificiosè excellentiori Præsuli præstitas, diuersis pro re inté-

28 ta adductis; tandem concludit omnia benè intelligi, & saluari, quæ in Scripturis sacris, & in Concilijs de Christo Domino dicuntur, si duæ in eo admittantur naturæ, & vna tantùm voluntas;idque ipse suasit Sergio,& vterque Imperatori: qui vocatum ad se denuò Athanasium,vtrique consentientem inuenit iudicio,itaq;istorũ triũ dicto Imperator acquieuit, sed non benè. Hæc ex Baronio loco citato sub diuersis numeris à nobis breuiter decerpta.

29 Verum pro maiori perspicuitate, & confirmatione huiusce rei,eundem Baronium ipsiusmet verbis loquentem audiamus. In rebus, inquit, gestis S. Maximi Abbatis, & Martyris præcipui oppugnatoris hæresis Monothelitarum,cuius causa martyrium subijt, eadem de Athanasio perditissimo impostore narrantur, & de Heraclio, cuius siue simplicitatem, siue mentis leuitatem condemnat, dum putans se illum ad Catholicam Fidem posse perducere, ipsius inuentus est esse captiuus, triplici funi-

30 culo vinctus, Athanasij, Cyri,& Sergij. Dum quæ illi de vnica voluntate Athanasius verbis dolosis, quasi orthodoxus esset, instillat, eadé postea propinauit eius collega Cyrus Episcopus Alexandrinus, eademque Sergius, & ipse eisdem vinculis irretitus. Principia autẽ ista mini-

minime cauens, Heraclius, magnorum malorum extitit sibi auctor, Et post pauca.

31 At ille, Athanasius scilicet, simulate suscepit Synodum, confitens duas in Christo naturas. Interrogauit autem Imperatorem de operatione, & voluntatibus, qualiter has in Christo oporteret dicere, duplas an simplas. Tunc Imperator voce nouitatis cõsternatus, scribit Sergio Constantinopoleos Episcopo, aduocat etiam Cyrum Phasidis Episcopum, & hoc interrogato, reperit eum consentientem Sergio in vnam voluntatem, & vnam operationem: Sergius enim, vt potè Syrus genere, ac parentibus Iacobitis existens, vnam voluntatem, & vnam operationẽ in Christo rescri-

32 psit, atque confessus est. Vsque in hanc diem catholicum se esse idem Sergius professus fuit, ab omnibusque vt catholicus habitus, & auditus: vbi verò modo Imperatorem vidit ancipitem, in errorem ipse seductus (per Cyrum scilicet) seduxit etiam Heraclium, sicque eandem hæresim poculo aureo propinauit Imperatori. Hactenus Baronius: vide apud ipsum plura, & epistolam dicti Cyri ad Sergiũ scriptam.

33 En quam clarè innotescit, quòd Cyrus Patriarcha Alexandrinus fuerit auctor dicto modo nouæ Sectæ Monothelitarum, & ad id tulerit fomentum Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, vnà cum Heraclio Imperatore.

34 Artem verò, qua vtebatur frudulenter dictus Cyrus ad decipiendos alios, sic exprimit Gualterius seculi septimi cap. 4. cum Baronio

35 citato. Quo cautius, inquit, instillaret venenum, dubitationem, & studium veritatis indagandæ præseferebat. Morem illum, & modum tenuit erga Sergium Constantinopolitanum Patriarcham, quem & sic in fraudem,

36 erroremque perduxit. Ita ille, & infra. Fuit verò, & fraus alia Cyri, ea videlicet, vt sanæ fidei hominibus ad eos corrumpendos, exterius similem se præstaret, Chalcedonense Concilium laudaret, S. Leonis Papæ epistolam afferet, reuocatis ad Catholicam Ecclesiam hæreticos speciem atque orationem præferret; tametsi nihil ei minus in animo, imo nihil æque contra animum staret. Hæc Gualterius, quibus vafer ille Cyrus bene depingitur.

37 De Macario item Patriarcha Antiocheno, & de Theodoro Patriarcha Constantinopolitano, vnum tantùm verbũ simul proferamus, cum Gualterius oportunè in eodem cap. 16. seculi septimi eos coniungat, id solum de ipsis exprimens ex Baronio anno 677. num. 1. quod præter affectum magnum ad dictam Sectam Monothelitarum, ipsam post Cyrum, valdè fouentes in omnibus, ac propagantes, capitali odio semper prosecuti fuerint Romanos Pontifices, vno excepto Honorio, quẽ suarum partium assertorem esse, ac propugnatorem non sine ingenti calumnia affirmare audebant, vt ait idem Baronius dict. numer. 1.

38 Contra Prateolum verò absque vllo fundamento veritatis defendentem lib. 11. verb. Macarius Antiochenus, quod hic circa annum 559. viguerit, & tunc primus auctor Monothelismi fuerit, meritò insurgit Gualterius post Baronium relatum, affirmans, quod dictus Macarius secundum magis exactam computationem Chronologicam Ecclesiæ Romanæ bellum intulerit per multum temporis, ab anno circiter 677. vsque ad 681.

39 Tuncque in sexta Synodo generali vnà cum suo discipulo Stephano fuerit damnatus, & sa-

40 cro Pallio ignominiosè spoliatus. Addit etiam idem Gualterius ibid. dictum Theodorum Constantinopolitanum 678. fuisse deiectum à suo Episcopatu, & anno 684. vltimũ diem obijsse.

41 Tandem de alio insigni fautore Sectæ Monothelitarum per Cyrum eorum Principem institutæ, Pyrrho scilicet Patriarcha Constantinopolitano, quid? Permulta circa vitam, & historiam istius affert sparsim Cardinalis Baronius ab anno Christi Domini 633. vsque ad 652. quo ille mortuus est: nos pro nostro instituto ad tria capita breuissime redacamus.

42 Primò, sicut Pirrus fuit immediate successor Sergij in amplissima dignitate Patriarchatus Constantinopolitani; ita pariter in noua hæresi de vna voluntate Christi Domini cum duabus naturis, & in ardenti studio fouendi,

43 & propagandi eam. Hinc non solum sparsit per calumniam, Honorium Papam, & Sophronium Patriarcham Hierosolymitanum, eiusdẽ doctrinæ hæreticæ esse defensores, Baronius

44 dicto anno 633. num. 63. & 65. Verum etiam quod multo peius est, tentauit per epistolam in eandem hæresim Ioannem Summum Pontificem successorem Honorij adducere, sed frustra, idem Baronius anno 640. numero primo.

45 Secundò, Peculiari Dei prouidentia dispositum, vt dictus Pyrrhus in Africam aufugerit, timens sibi ob suspicionem, quod propinasset venenum ipsi Imperatori Constanti.

46 (Per hunc eadem hæresi aui sui Heraclij infectum promouetur, statim ad Patriarchatũ Paulus quidam pari modo hæreticus Monothelita) vt ibi inita admodum celebri, & lõgissima concertatione cum Maximo Abbate viro sanctitate, & doctrina præstantissimo, conuictus de suo errore maneret, ac palino-

47 diam canere cogeretur. Vndè porrecto libello Papæ Theodoro, cum Ecclesia Romana reconciliatus fuit, ita Baronius anno 645. numer. 14. & 15.

48 De cõcertatione illa cum sãcto Abbate Maximo idem Baronius multa anno 645. à nu. 1. Imo totam ipsam ex græco in latinum sermonem translatam per Franciscum Turrianum Societatis Iesu insignem Theologũ, & eruditissimum virum, affert loco appendicis, in fine

49 Tom. VIII. cuius titulus sic habet. Quæstio Ecclesiastici dogmatis disputata corã Gregor. Patricio pijssimo in cõuentu, & cõsensu sanctissimorũ Episcoporum, & reliquorum nobilium virorum, à Pyrrho Patriarcha Constantinopol. & à Maximo Reuerendissimo Monacho, mẽse Iulio, Indictione III. Pyrrho quidẽ nouũ dogma de vna Christi voluntate à se, & à suo ante-

cessore Sergio praue introductum, defendere; Maximo autem doctrinam Apostolorũ, & Patrum à principio nobis traditam] ita ibi, &c.

50 Tertiò. Heu infelix Pyrrhus post recantatam palinodiã non diù in recta fide perstitit, sed sicut canis ad vomitum, vt dicitur, ad pristinum errorem, de vna in Christo voluntate reuersus est, cooperante efficaciter ad hoc Olympio hæretico Monothelita, Exarcho noniter electo, & Rauennam misso, & illuc Pyrrho per se ipsũ vocato: vnde Theodorus Papa Synodo coacta Romæ, denuò illũ vti hæreticum damnare non tardauit; ad quam condemnationẽ confirmandam Martinus eius successor

51 aliam Synodum statim ibid. coëgit. Interim Pyrrhus ab Exarcho protectus conuolat Constantinopolim, & in gratiam Imperatoris receptus, mortuo dicto Paulo, pro mercede impietatis, & detestatæ publicè Rauennæ Fidei Catholicæ, de duplici volũtate in Christo, ad Patriarchatũ Constantinopolitanũ reassumitur. Ex Actis Anastasij Bibliothecarij, & ex Annalibus Græcis per extensum tradit idem Cardinalis Baronius anno 648. à num. 10.

52 Ex prædictis itaq; omnibus habemus manifestè, qualiter dictus Cyrus primus auctor nouæ Sectę de duabus in Christo naturis, & vna tantùm voluntate extiterit; qualiter etiam dicti Macarius, Theodorus, & Sergius fautores, & propagatores eiusdem Sectæ fuerint, Heracliusque Imperator tanti mali occasionem præbuerit, non solùm admittendo curiosè, & humaniter Athanasium ad colloquiũ

53 contra illud 2. Ioan. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis; sed multo magis se immiscendo in decernendis dogmatibus, ac recurrendo pro consultatione in re fidei dubia ad Sergium, & ad Cyrum, non verò ad Romanum Pontificem, vti debebat; quod optime adnotauit Baronius, qua adnotatione claudit annũ 629. & nos eius verbis pro exaltatione Romanæ Ecclesiæ hanc Regulam claudamus.

54 Ex his, inquit, puto intellexisti lapsum Heraclij, qui dum in Paulum Seuerianum hæreticum agit, seipsum in eam hæresim conieciſse declarauit, quæ duas in Christo volũtates, & operationes negauit esse dicẽdas. Suo semper damno se immiscuisse Principes in dogmatibus decernendis, plurimis superius est de-

55 claratum exemplis: Quod maxime in Heraclio perspicuum demonstratur, qui studens parti alteri, quasi veritatem defendens, pene nesciens, in profundum labitur hæresis, qua infelix præclare partam tot victorijs gloriam obscurauit, vt quæ inferius suis dicẽtur locis,

56 apertissime declarabunt. Satis Principi ad salutem, vt obortas de fide quæstiones deferat ad primã Sedem, à qua cõtrouersię dirimãtur, cuius arbitrio (si causa exigat) & vniuersale Conciliũ cõgregatur, atq; interim ipse nulli se implicans nouitati, affectu liber, quid ab Ecclesia decernatur expectet, vt sequatur. Hactenus illi: & nos hactenus pro Regula præsenti.

Qualiter se habent Sectæ Heicetarum, Gnosimachorum, & Thnetopsychitarum? quis ortus prædictis.

REGVLA CCLII.

57 MOnachatum Heicetæ profitẽtes in nos tantùmodo errarunt, quod cultui diuino præclare se intentos esse assererent, si vna cum turmis sanctimonialiũ choreis, ac tripu-

58 dijs vacarent. Hæresis verò Gnosimachorum, hæc sola fuit, omnem videlicet scientiã, & doctrinam, cum fide diuina pugnare, ac nihil ex-

59 peti à Fideli præter bonas operationes. Animas item simul cum corporibus, non secus ac bestiarum, extingui Thnetopsychitæ tenuerũt.

60 Primus denique auctor his tribus Sectis nullus assignatur.

---

61 EX antiquis Scriptoribus nullum prorsus inuenio, qui prædictas Sectas exprimat, præter vnum S. Ioannem Damascenum lib. de hæresi in proprijs vel b. quo cum duo ex recẽtioribus Sanderus, & Gualterius citandi vix eas attingunt; nulla mentio ipsarũ apud Prateolum, quod miror, nulla apud Baronium.

62 Neque de origine, seu primis auctoribus earundem quidquam potui reperire. Quare in declaratione vniuscuiusque, adductis Sancti Damasceni verbis, breui nos expediamus.

63 Quoad primam de Heicetis ita ille: Heicetæ, inquit, sunt Monachi, qui cùm cæteris in rebus, Ecclesiæ auctoritatem sequantur, in Monasterijs cum Monachorum cœtu, Deum adhibitis tripudijs, & saltatione, laudibus afficiunt. In quo imitari se dicunt chorum illum, qui Moyse Duce conflatus, & coactus est tum, cum Aegyptij in Mari Rubro perierunt. Hæc Damascenus de illis, nec aliud addit.

64 Affirmant idem de ipsis Sander. hæres. 120. & Gualterius seculi septimi cap. 1. qui bene reprobat, & redarguit tale factum, quia huiusmodi choreæ, & saltationes, secundum communem sensum orthodoxorum valde alienæ sunt à religiosæ vitæ instituto, & multo magis si in eis misceantur viri cum mulieribus, monachi cum sanctimonialibus; quæ mistura procul dubio fiebat apud Heicetas, vt attingitur ibidem à Gualterio, & à nobis

65 in Regula. Vnde non excusantur, imo male gloriabantur exemplo chori, & saltationis, de quibus agitur Exod. 15 tunc enim impulsu Dei Moyses, & Maria soror eius choros instituerunt, separatim virorum cum viris, & fæminarum cum fæminis, vt patet ex sacro textu: at illi impulsu Dæmonis idem cum dicta mistura præstabant.

66 De Secta Gnosimachorum ita prosequitur S. Damascenus: Gnosimachi, inquit, sunt qui omni Christianorũ cognitioni, ac scientiæ ita aduersãtur, vt vanũ, & minus necessariũ laborem

rem esse dicunt eorum, qui in diuinis scriptis aliquam exquirunt scientiam. Neque enim Deum aliud à Christiano postulare, nisi præclaras, bonasque operationes. Itaque aliquem 67 simplici, rudique animo, institutum suum persequi melius est, vt aiunt, quàm multam curã in cognoscendis decretis, atque sententijs ponere. Hæc D. Damascenus de istis Gnosimachis.

68 Non discrepant vllo modo, quæ de eisdem tradunt Sander. hæres. 121. & Gualterius cap. 69 2. dicti Seculi septimi. Nec fauet ipsis, quod dicitur Eccles. 7. Neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas, & Rom. 12. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Imò hinc ipsorum error in Fide, 70 prorsus redarguitur, ac reijcitur, quia Sacri Scriptores Eccles. & Apostolus iam admittunt sapientiam, & doctrinam esse acquirendam, sed cum sobrietate iuxtà vniuscuiusque statum præcisa nimietate, & omni curiositate supra captum: Vnde dicitur ibid. Rom. 11. Noli altum sapere.

71 Tãdem de Secta Thnetopsychitarum quid? Audiamus circa istos hæreticos S. Damascenũ breuissimè eos exprimentem: Thnetopsychitæ, inquit, sunt qui hominum animos pecudum animis similes inducunt, atque eos vna cum corporibus dicunt interire. Ita ille, ita etiam Sander. hæres. 123. & Gualterius ibidẽ 72 cap. 10. Qui solum aduertit, quod istorum hæreticorum nomen apte respondeat tali errori. Atque hæc satis pro præsenti Regula.

Quid de Mahomete Pseudopropheta, & de Secta Mahometismi? quid de Bayra, & Sergio eius Magistris?

REGVLA CCLIII.

73 TEmpore Honorij I. Summi Pontificis, & Heraclij Imperatoris, prodijt in Arabia Felice monstrum illud horrendissimum præ cæteris, siue Danieli, siue Ioanni penes Apocalypsim, ad aliquod graue malum significandum demonstratis, Mahometes scilicet precursor Antichristi, cõparatione quorumcũque, qui hucusque extiterunt, & fortè, qui in posterum stabunt, Ecclesiæ Catholicæ per- 74 niciosissimus. Secta namque Mahometismi ab ipso instituta, & multitudine, ac grauitate errorum, vel potius fabularum, & diuturnitate temporum, & extensione locorum 75 quasuis alias longe lateque superauit. Ad eã autem formandam, & ad componendum suũ Alchoranum, vt nunc taceam reliquos, Bayræ, & Sergij perditissimorum hominum, magisterio vsus est, qui ad id ei libentissimè præ- 76 sto fuerunt. Præcepit denique Mahometes suam Sectam, & legem non vi rationum, seu disputationum defendi debere, sed armis, belloque perpetuò muniri, ac propagari.

77 NOn est nostri instituti vitam Mahometis longè contexere, & facta eius quæcumque copiosè enarrare, id præstent Historiographi, ad quos spectat: nobis sufficit, vtcumque exprimere, quæ de eo in Regula attinguntur, indicatis aliquantulum eiusdem 78 origine, & progressu. Concordant quidem Scriptores in tempore, quo prodijt Mahometes, nempè dum Honorius I. regimen Ecclesiæ teneret, & Heraclius Imperij Orientis: discordant verò de anno, nam Prateolus lib. 11. verb. Mahometes, & alij cum Carione in Chron. lib. 3. volunt eum extitisse, & regnas- 79 se circa annum Christi Domini 630. Finem tamẽ Regni eius, & obitũ hoc eodẽ anno ponit Baronius, quem si lubet, paucis verbis multa de ipso comprehendentem audiamus.

80 Annus sequitur, inquit, Redemptoris 630. Indictione tertia, quo defunctus ponitur in Annalibus Pseudo-propheta Mahomedus, siue Mahometes, siue Mahometus, vel Mahomat, à quo improba Secta Mahometanorum oborta est. Monstrum tantum peperit, & enutriuit Oriens, cuius deformitati monstra cedere necesse sit omnia, quæ siue Danieli, siue Ioanni Euangelistę diuinitus demonstrata feruntur ad aliquod graue malum signifi- 81 candum. Præcursorem quidem Antichristi hunc omnium scelestissimum extitisse, Ioannes Damascenus existimauit. Vnde autem ei obtigerit, vt Propheta à suis creditus sit, citati annales ita declarant: Apud Homeritas hunc, siue in Arabia Felice, Hali parente Ismaelita genitum, camelorumque exercuisse artem, pauperemque hominem suam operam mercede locasse tradunt, inhæsisseq. seruitio cuidam potenti viduæ, quæ nomine Tadiga dicta erat, eiusque pascendos suscepisse came- 82 los. Et cum vafer esset ingenio, insinuans se dominæ gratiæ, effecit, vt eandem coniungeret sibi vxorem. Profectus verò in Palestinam, ibi versatus cum Iudæis, & Christianis, ab eisdem aliquid est conatus addiscere; mentemque vanam prurigo cum exagitaret honoris, ex occasione benè accepta nundinationem quandam exercuit, ex qua nomen fuit prophetæ adeptus] hæc ille, quæ cum alijs ab ipso additis à nostro Gualterio compendiosius collecta accipe.

83 Fuit, inquit, hic Mahometes natione Arabs ortus humili loco, Idolorum cultu impio cęcus (qui Arabiæ tunc status erat) homo sine litteris, verum ad opes, & gloriam incredibili 84 audacia, & calliditate pertendens. Quibus rebus effecit, vt obscuritatem in famam, seruitutem in imperium, egestatem in opulentiam verterit, hæreditate adita, quam ei heri sui Abdemonaplis vxor primum, ac deinde sua, ipsi reliquit, Formidabilem exhibuit se se familiariũ cæde, ac præsertim consanguineo- 85 rum. Regnum affectabat, quò cum ob vilitatem generis pertingere non posset, cõmendatione nobilitatis, quæsita religionis specie, & nomine Prophætæ, grassandum sibi esse decreuit. Itaque tanquam diuinitus alienato à sensibus animo, humi iacebat interdum, vt qui comitiali morbo teneretur: id verò admiranti coniugi causam subijciebat insidentem in se Spiritum Dei, & futura monentem.

86 Qua impostura, vt erat scientiarum rudis, cũ Bayræ, atq; Sergij, tum Iudæorum impuris, & infelicibus præceptionibus est vsus ad suum fingendum Alchoranum. Quod deinde vt per Gabrielem Angelum à Deo ad se missum insanè nugabatur. In eo Iudaismum simul atque 87 Christianismum sic commendauit, vt tamen vtroque interdiceret suis, vt pote cui propositum fuit Diuinitatem Christo abrogare, væsana Arij, & antiquiorum aliquot capita vrgere, & eius impiæ contentionis agere promotorem, cuius sit olim Antichristus consũmator futurus. Hæc ille.

88 Lectorem autem plura scire, & cum maiori extensione cupientem circa historiam, & facta vniuersa Mahometis, bene remittit Gualterius, & nos similiter cum eo remittimus ad Scriptores, ex quibus breuissime ipse proposita decerpsit; nempe ad S Damascenum lib de hæres. verb. Ismaelitæ, Petrum Cluniacen in summ. contra Sectam Saracenor. Sanderum, hæres. 125. Volaterranum de Mahomet. Baronium anno 630. cum seqq. & ad Genebrardũ, in Bonifacio Quinto, & Honorio Primo, quibus addo Carionem, & Prateolum citatos.

89 Qui omnes copiosissime ostendunt primam nostræ Regulæ partem, videlicet nullum ex præcursoribus Antichristi præcedentibus, & venturis forsan, in monstruositate nequitiæ, & pernicie Christianismo illata, aut inferenda Mahometi adequari posse.

90 De parte secunda Regulæ, quod Secta Mahometismi in omnibus, præcipue in tribus ibi tactis, nempe in duratione temporum, in extensione locorum, ac sequacium, & in multitudine, ac grauitate errorum, vel fabularum, potius quascumque Sectas ab hominibus institutas superarit, (nulla tamen facta comparatione cum Idololatria, quæ vt vidimus c. 4. huius lib. Regul. 210. & 211. semper præualuit, cum statim initio mundi inundauerint totum pene orbem, & in pluribus eius partibus innundatio adhuc duret) notant ijdem Scripto-91 res. Quoad primũ de ipsius duratione, iã hæc ad spatiũ maius mille duodecim annorum extenditur, quod de nulla alia Secta traditum;

91 Si vnã excipias Iudaismi, quod nõ ab aliquo homine, sed à Deo institutũ, & ab ipso statim post Incarnationem Verbi prorsus abrogatũ, adhuc nihilominus Iudæi post 1644. annos in suis erroribus persistunt. Sed his omissis, quod non sit huius loci hac de re agere;

93 Circa durationem Mahometismi, & qua via tamdiu durauerit, ac se extenderit, discamus à Baronio qualitatem huius Sectæ simul expri-94 mente citato anno 630. num. 8. Porro omnes, inquit, mirari non desinunt, cum nulla vnquã Secta fuerit alia, quæ plures sordes in vnum collegerit, & quæ minus firmitate subsistat, quam hæc, quæ ab omnibus, qui de ea egerũt, siue veteres, siue recentiores, risu, sibilisque insectanda proponitur potius, quam confutatione digna fuerit existimata; tamen ad mille iam annos hactenus maioribus in dies augmẽtis sit propagata, non miraculis quidem, vel virtutibus, sed armorum potentia duntaxat, & voluptatum illecebris, id quidem Deo occulto iudicio permittente. Ita Baronius.

95 Quoad secundum vero de propagatione Mahometismi per omnes fere Orbis cogniti partes, cum Carione relato adducit ibidem 96 Prateolus, qualiter Saraceni (Vocari sic voluit Mahometes sequaces suos, seu Ismaelitas, & non Agarenos, vt promissio facta à Deo Abrahę ex Sara vxore, in eis adimpleta cerneretur) potentes fuerint iugiter non solum in Arabia, vbi regnum Mahometis incępit, sed etiam in Africa, & Asia, ac in multis regionibus Europæ, in Hispania, Italia, in Regno Siculo, in istis Insulis Melitensibus, &c. atque maiores semper radices egerit Mahometis Secta, maximè postquam Imperium Orientis ad manus Turcarum peruenit, qui pro Lege, ac Religione Mahometica perpetuò pugnant.

97 Quid quod in vastissima illa Monarchia Chinarum, Religiosi Nostræ Societatis Iesu, qui expeditioni Euangelicæ non sine Magno gloriæ Dei, & salutis Animarum fructu ibi intenti sunt, tametsi nationales vt plurimum Idololatriam amplectantur, Mahometismum plãtatum, & radicatum inuenerunt: idem in Insulis Philippinis, quæ longius ab Europa ex parte Occidentis distant.

98 Circa caput tertium de multitudine, & grauitate errorum, seu potius fabellarum Sectæ Mahometis, si loquamur primo in communi, vt versutus ille nebulo omnes populos, & aliarum Sectarum professores, ac sequaces ad se alliceret, ex cunctis fermè aliqua miscuit, ex Manichæis, ex Arianis, ex Nestorianis, ex Iu-99 dæis præcipuè. Qui illicò ad eum occurrerũt, existimantes ipsum esse, quem expectarent Messiam, ac decem ex illis ei adhæserunt, videntes quod amplecteretur circumcisionem, & cultum vnius Dei: sed cum cognouissent, quod immunda comederet, nempe carnem 100 cameli, ab ipso recesserunt. Ex Christianis nomen tantum Christi assumpsit, colens hunc eo modo, quo Ariani, & Nestoriani, atque pari modo ex reliquis Sectis diuersa dogmata 101 in suum Alchoranum transtulit. Ex Euodio centum, & tresdecim affert Euthymius in sua Panoplia, quæ meritò fabellas vocat, ita præter alios Baron. dict. ann. 630. num. 4. 5. & 6. Sed iam ad particularia aliqua accedamus, desumpta ferè ex Azoaris ipsius Alchorani;

102 Primò, Vt supra tactum, affirmauit Mahometes, & tenent sequaces eius, Christum esse Dei Verbum, & eius Filium, sed creatum, atque seruum, ex Maria sine semine generatũ; sic exponentes, quod Verbum, ac Spiritus Dei, cum in Mariam introisset, genuerit filium, qui Dei propheta, & seruus est. Ita Baronius dict. ann. 630. num. 5. cum D. Damasceno citato, quem legas quæso.

103 Secundò, Afferunt Mahometes, & Mahometani, quod sufficiat homini ad salutem, si in Deum credat, ac ipsi Mahometi, qnamuis ad prædandum aut expugnandum eat, & tunc moriatur. Ex Azoar. 71. extra casum verò mortis requiri cum fide 104 simul opus bonum. Qui in hoc egregiè con-

conferat cum Mahomete Caluinum asserentē etiam suo modo solam fidem esse necessariam ad salutem æternā. Sed de assertione istius suo loco dicemus.

105 III. Apud Mahometismum habetur omninò certum, latronibus, maleficis, ac alijs quibuscumq; peccatoribus secundū Dei prædestinationem in eo statu esse moriendum. Azoar. 26. vbi sic: Neq; precandum, inquit, vt Deus malos viam rectam edoceat, nihil enim profectorum, nisi cui Deus voluerit.] Affert Gualterius ibid. cum Sander. hæres. 125.

106 IV. Nequaquam Mahometes in Deo admittit Trinitatem; vt ait Petrus Cluniac. citat.
107 Quin etiam ipse Deum constituit corporeū secundum relationem quorundam, teste Pra-
108 teolo verb. Mahometes. Quamquam vt aduertit Gualterius loco citato, contrarium habetur in Azoar. 122.

109 V. Mahometes inficiatur Deum esse Patrem, ob eam causam (sic ipse ratiocinatur) quia sine fœmina nemo fieri potest pater, & consequenter nec filium habere. Item Deum nec genitum, nec generantem esse. Tanta fuit Mahometis hebetudo, vt generationem spiritualem capere non posset. ita Petrus Clun. & Gualterius citati, & Azoar. 11. & 122. post D. Damascenum vbi supra.

110 VI. Tenet Mahometes, quod Christus Dominus non fuerit crucifixus; sed è manibus Iudæorum cōtra leges supplicium Crucis ei parantium, Deus cui charissimus erat, ipsum eri-
111 puerit, & in Cęlum transtulerit. Additque ille, Iudæis nihil nisi vmbram Christi, vel alium ei similem fuisse relictum, vt crucifigeretur. Ita ex Azoar. 11. D. Damascenus, & Clun. locis citatis.

112 VII. Mahometani imagines Sanctorum, & præcipuè crucem Domini auersantur, & exhorrent, atque Christianos, eò quod cultum, & venerationem eis exhibeant, inter idololatras cum despectu reponunt. Prateol. verb. Mahom. & Sander. hæres. 125.

113 VIII. Turcæ sequaces Mahometis, vt certum habent, quod Iesus Christus nondum sit mortuus, nihilominus moriturus tandem, ac postea à mortuis resurrecturus, & venturus,
114 non tamen ante aduentum Antichristi. Vnde non sine magna insania mortem corporeā Christo in suo statu passibili denegant, in sta-
115 tu verò impassibili eam illi ascribunt. De eodem item Christo adiungunt ex mēte Mahometis, quod cum alijs suscitatus, eos ad iudicium quidem sit adducturus, non tamen ipsos iudicaturus. Ex Azoar. 49. Clun. & Gualt. citati.

116 IX. Tametsi Mahometes loquens de Beatissima Virgine Maria in suo Alchorano, eam laudibus extollat. Azoar. 5. his verbis: Omnibus, inquit, viris, & mulieribus splendidiorem, mundiorem, atque lutiorem, soli Deo perseueranter studentem. Et Azoar. 75. Mariam se dirigendo nil malitiæ, seù prauitatis
117 operatam esse. Errat tamen dum nonnullam illi menstrui sanguinis fluxionem ante partum tribuit, contra perfectam puritatem tantæ Matri, & tantæ Proli congruentem.

118 Sed multo magis errauit, dum negans Christum esse Deum, vt paulo ante vidimus, dignitatem Matris Dei Sanctissimæ Virgini Mariæ aufert. Gualterius vbi supra.

119 X. Fabulosum est illud, quod legitur in Alchorano. Azoar. 25. his verbis: Diabolum scilicet ex igne pestifero creatum. Quia contrarium, tum naturæ angelicæ, ex se immateriali, ac spirituali, tum naturæ creationis, quæ
120 est ex nihilo. Sed illud magis fabulosum apud ipsum Alchoranum, nempe Dęmones tandem saluandos: quod etiam, vt alibi vidimus, Origenistis tribuitur. Prateol. verb. Mahometes, & Gualter. ibid.

121 XI. Somnium est etiam illud Mahometismi ex Azoar. 25. & 27. quod omnibus Angelis fuerit iniunctum, vt se coram Adamo primo homine proijcerent, & humiliarent, & quod paruerint omnes, præter Belzebub, qui noluit se illi subijcere, eo quod esset lutea creatura, ita loco citato Gualterius.

122 XII. Affirmat Mahometes in Azoar. 25. homini partem animæ Dei fuisse insufflatam,
123 quid stultius? Circa hominis liberum arbitrium quid sentiret, nequaquam se ille complete declarauit: nam Azoar. 46. nunc annuere, nunc abnuere videtur. Prateol. dict. verb. Mahom. & Gualter.

124 XIII. Admissa circumcisione, vt dictum iam supra, à Mahometanis, quæ tantum tribuitur habenti iam vsum rationis, Baptismus vt prorsus inutilis, ac ordines sacri repudian-
125 tur ab ipsis. Realitasque Eucharistica in primis abijcitur à prædictis omnibus, præcipue ab impio Mahometano Auerroe, qui impios vocat Christianos, quod suum Deum (verba sunt miseri huius) manducarent. Adducunt omnia Prateol. verb. Mahometes, & cum eo Gualterius ibidem.

126 XIV. Mahometes indicat, & prædicat in suo Alchorano Azoar. 2. Impossibile esse abstinendum à mulieribus, ac proinde permissā, & condonandam à Deo luxuriam: neque seruandam castitatem cum ancillis, aut alijs mu-
127 lieribus subiectis. Quin etiam addit, corporeas voluptates nequaquam aduersari felicitati futuræ. Ita Volaterranus vbi supra.

128 Quamquam ipse Mahometes sibi contrarius in Azoar. 27. manifeste prohibet suis sequacibus, *ne fornicentur*, adiungens statim, *hoc esse scelus, viamque prauam*. Gualterius ibid.

129 XV. Dein Mahometes concedit viris polygamiam, nimirum tot vxores habere, quot vnusquisque ex suis facultatibus poterit sustentare, vel vt in Azoar. 8. exprimitur, quotquot in pace poterit continere. Prateolus, & Volaterranus locis cita-
130 tis. Permittit etiam diuortium. Azoar. 8. nempe vxoris mutationem, idque ex triplici causa, vt ait ibidem Prateol. Primò, si vxor sit infęcunda; Secundò, si moribus sit peruersis; Tertiò, si eam vir non
131 diligat. Similiter permittit vice versa vxori, quæ à marito dimissa est, vt valeat alteri nubere, post tamen quatuor menses à die

à die facti diuortij, ex Azoar. 3. adducit citatus Gualterius.

132 XVI. Tenuit Mahometes sibi esse licitum ducere vxorem, etiam in secundo gradu consanguineã: id tamen cum limitatione sibi soli vti priuilegiũ particulare à Deo ita esse concessum, vt alij nulli sit commune. En arrogãtiam, & superbiã illius, ex Azoar.43. adducit Gualterius dict. cap.7. Seculi septimi.

133 XVII. Mahometani, vt in orationibus, & ieiunijs non se conforment Christianis, dum orant; ad Meridiem se cõuertunt, cum in Christianismo cõsuetudo sit in diuino officio vertere faciẽ ad Orientẽ. Ita Volteran. loc. citato.

134 De eorũ ieiunijs sic ibid. Gualt. Quadragesimã inquit, peruertunt Mahometani, quippe quã ex vno mense, vnaq; hebdomada componunt diem integrũ absq; vllo cibo, ac potu agẽdo: conspecta autem vel vna stella, ecce comedunt, ac bibunt, quantũ vnusquisq; vult, ad initium ferè illius horæ, quæ solis ortum præcurrit, & quidem ex omni ciborum genere, exceptis carnibus Suis, & suffocatis. Hęc ille de-135 sumpta ex Azoar. 2. & 3. Vbi vinum eis interdicitur.

136 XVIII. Nonnulla docet in suo Alchorano Mahometes, & concedit suis sequacibus, quæ sunt manifeste contra religionem, & iustitiã, vt iura iuranda delere, idque à Deo sibi præ-137 ceptum fuisse ait: Azoar. 75. Item prædari 138 seu furari: Azoar. 71. Vindictam etiam sumere ita vt non sit suscipienda hostium in mutua seditione captorum redemptio. & inferius Azoar. 18. addit esse pugnam persuadẽ-139 dam. Quamquam Azoar. 26. moderatius loquitur; nam cum dixisset: *Omni tibi quid ingerenti, modo simili respondendum*, statim addit: Patienter tamen sustinere melius est. Gualt. ibid.

140 XIX. Mirum valde, quod Mahometes suis sequacibus non solum concedat, sed etiam præcipiat Azoar. 9. vt quascumque turpitudines absq; vllo rubore, aut culpæ, vel punitionis timore perpetrent, atq; illud omne licitum cẽseant, quod gustui, vel olfactui gratum fuerit, idest, vt declaratur Azoar. 12. quod placuerit. 141 Et tamen Azoar. 3. maximum peccatum indicat ipse Mahometes vini potũ, & scachorũ, talorũue, aut alearũ ludum. Gualt dict. cap.7.

142 XX. Cũ Prateolo, & Volater loc. cit. ex Az. 26, & 74. de cõtentis in Alchorano, & de alijs sic Gualterius. Etsi, inquit, Alchorano suo Mahometes, quasi compẽdio quodam magnam antecedentium errorum partem reintegrauit, vt facile perspiciet, qui quos ex eo transcripsi, cũ 143 illis cõtulerit: Vult tamẽ ipse fidẽ sibi haberi, vult vt Propheta, vult vt Dei Legatus recipi, (adeò vt nõ nisi tres Prohetas Turcæ, Mahometẽ, Mosẽ, & Iesũ Christũ agnoscãt) vult deniq; suũ Alchoranũ (arrogãtiæ plenũ nomẽ, quod lectionẽ significat) vt cęlitus misũ do-144 cumẽtũ admitti. Vbi rogati Turcæ (vt scribit S. Damascenus) quonã testimonio id probent? quisue talem Prophetam venturum prædixerit? non habent quid respondeant: Id vnum, aiunt, doctrinam hanc Mahometi dormienti, ac nihil agenti missam esse. Hactẽnus ille.

145 XXI. Mahometes vtrumq; testamentũ corrupit, ac peruertit, nõ alio subnixus fundamẽto, quã quod sibi persuaserit, sicuti hodie sibi suadẽt Turcæ, Christianos iã legis Euãgelij ia-146 cturã fecisse. Dictã tamen corruptionẽ pro reformatione habendã esse præcipit, affirmans Azoar. 26. suum Alchoranũ non alia de causa sibi cõmissum, nisi vt hominibus suas cõtrarietates exponeret, & viam rectã, atq; misericordiam credentibus patefaceret. Hæc sibi, afferuntque Cluniac. & Prateol. citati.

147 XXII. Secundũ Ioannẽ Damascenũ lib. de hæresib. verb. valet, ac tenet, & secundũ Prateolũ verb. Mahometes, hic iniũctũ reliquit suis sequacibus in Azoar. 2. & 12. vt suo Alchorano non solum credant, atque obtemperẽt, sub comminatione contra eius transgressores ma-148 ledictionũ, & pęnarum; Sed etiam caueant diligenter ne quicquam ex eo immutetur.

149 XXIII. Strictissimè prohibuit Mahometes sub pęna capitis, ne quis de sua Secta, seù de aliquo ex cõtentis in Alchorano, disputare audeat; sed solis armis dictã Sectã vult defendi, pro vt vsq; in presentẽ diẽ fuit defensa. habe-150 tur in Azoar. 5. Nihilominus successu tẽporis Mahometismũ in Sectas septuaginta fuisse dissectũ, sicut & Lutheranismũ (de quo nos in penultimo sæculo) testantur graues auctores præcipue Prateolus dict. verb. Mahometes, & Gualterius ibid. ex quibus vltima pars nostræ Regulæ indicata manet.

151 XXIV. Omissis alijs erroribus, seu somnijs Mahometismi penè innumeris in Alchorano contentis, vnum tantùm proferam verbis 152 Gualterij, sic. Vltimum, inquit, quod proferam Mahometis deliramentum est, religio-153 num indifferentia, modò vita sit proba. Etsi enim in Alchorano Azoar. 12. scribit non posse quemquam [*illius legis, fideiue perfectionem assequi nisi*] præter veteris testamenti, & Euangelij præcepta, *Alchorani quoq; præceptis pareat*. Facit tamen vertiginis spiritus, qui errantiũ linguam, & calamum mouere consueuit, vt telam suam verbis proximè sequẽtibus 154 retexat. [Credẽtes, inquit, atq; Iudæi, & Angelos loco Dei adorantes, qui scilicet legem pro lege variant, Christiani etiam, omnes hi, inquam, si in Deũ crediderint, ac Iudicij diem 155 expectantes benefecerint, nihil timeant. Ex Azoar. 2. Sciendum generaliter quoniam omnis rectè viuẽs, Iudæus, seu Christianus, seu lege sua relicta, in aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, boniq; gestor, indubitanter diuinum amorem assequetur. Hæc ille omnia ferè ex ipso Alchorano desumpta.

156 Restat tandẽ aliquid breuissimè de duobus Mahometis Magistris, & perfidiæ eius adiutoribus Bayra, & Sergio dicamus, seu potius de ipsis Scriptores loquentes audiamus. De primo Prateol. lib. 2 verb. Bayras, sic: Hi porro, inquit, Bayras, Satanæ ductu, cũ plerisq; alijs hæreticis Mahometi (qui in Arabia apud Agarenos, & Saracenos Prophetam se se venditabat, & Regẽ pariter) adhæsit, suæ perfidiæ propugnandæ fautor, & doctor egregius, atque peruigil.

157 Nam cum esset Mahometes litterarum rudis, & expers, & penè idiota, Bayras illum in diuersis erroribus, quibus imbutus erat, in-
158 struxit. Hæc ille. Et addit plura ex Ricoldo in comment. contra Sectam Mahometicā cap. 13. ad idem tendentia, ad manifestandum scilicet, qualiter Bayras Magister Mahometis in Secta eius instituenda fuerit.

159 De altero Mahometis Magistro, nempe Sergio, sic Gualterius cap. 6. Seculi Septimi cum Prateolo verb. Seruius Pseudomonachus. Alius inquit, hic nebulo à cœnobitica vita apostatauit, vt Arianis se se Nestorianisque ad-
160 iungeret. Et post pauca. Secundò item quod Sergius profectus in Arabiam, Mahometi comitem se adiunxit, eique multiplici mendacio, & fraude scriptura vtriusque legis peruersè commutata, horrendis erroribus, & præceptionibus pestiferis hominem sua nequitia iam dementatum, prorsus compleuit.
161 Quas postmodum Prophetam mentitus ille vulgauit, atque ex ijs opus stygium Alchoranum suum Saracenis consarcinauit. Hæc ille: quibus iam præsens Regula absoluta manet.

162 Verum non possum non eam claudere, adiuncto verbo circa ruborem, qui Christianis quibusdam frigidis, & negligentibus in obseruatione legis Euangelicæ, ne dum naturalis, per Turcas, & Saracenos promptissimos, & zelantissimos Legis Mahometicæ obseruato-
163 res, quotidie inijcitur. Retardamur sæpe quacumque frigoris, vel æstus, aut simili oblata occasione, seu molestia, ab operibus pijs, etiam obligatorijs, imo facile omittimus, aut
164 saltem nimis remisse exequimur. At illos, etsi seruos in piratica captos, ac proinde non tanto legis Mahometicæ rigore astrictos, videmus nihilminus frequenter vrgente canicula, immediatè ipsos sole tangente, & ardente, quando aliter non possunt, preces suas Deo, & Mahometi fundere, atq. hyemali tēpore asperrimo in mari, aut alibi frigidissima aqua lauare totum corpus, aut aliquas saltē partes eius, præcipue secretas à natura ipsa:
165 idque pro abluendis quibuscumque animi culpis, ac proinde per talem lotionem, vt ipsi affirmāt ex suo Alchorano, idem sibi præstari iudicant (sed falso) quod nobis Christianis
166 præstat confessio sacramentalis. Quid quod Mahometani opera etiam supererogationis difficillima in honorem Mahometis libentissimè amplectuntur, vt longissimas, & asperrimas peregrinationes ad sepulchrum eius: de quibus accipe pauca ab Eminentissimo Card. Baronio anno 630. num. 8. ex Laonico lib. 3. de rebus Turcicis.

167 Defunctus est, inquit, in loco quodam, cui nomen Mecha. Milites, regionisque incolæ exequias duxerunt, & grauiter eum luxere: Quotannis in eius honorem sacra faciunt Arabes] & paulo post; cum agit de
168 Homure eius discipulo, & successore: Sepulchrum quoque in honorem Mahometis adornans, ibi manebat, sacra quoque magna quotannis in honorem eius fieri procurauit. Persuasit alijs plurimis, vt Mahometem adorent. Eos quoque iustos fieri asserebat, qui
169 ipsius sepulchrum inuiserent. Etiam hodie non pauci ex Asia, Libya, Europaq. Mahometis sepulchrum adeunt, putantes se hinc maximam colligere religionem, & probiores fie-
170 ri. Quidam ex ipsis istam perigrinationem ingrediuntur, quidam argentum numerant ijs, qui pro ipsis peregrinationem suscipiunt.
171 Via autem, quæ ad sepulchrum ducit, est asperrima, & difficillima. Eundum est enim per arenam non; citra camelorum alimenta portantium opem, nec etiam aqua, qua vtātur ad manum, prompta, est sufficiens om-
172 nino. In hunc igitur modum necessaria præparantes, camelos conscendunt, vtentes signis, quæ viam demonstrent magnetis demonstrationibus. Colligentes igitur ab septentrionali plaga, qua orbis parte eundum
173 sit, eo viam coniectantes pergunt. Vbi autem accesserint loca, vbi aquarum scaturigines sunt, aquantes inde abeunt, transitaque arena intra quadraginta dies ad Mahometis
174 corpus perueniunt. Sepulchrum eius compertum habeo, extructum esse ex lapidibus pretiosissimis, & sublime pendere in medio Templo] hæc Laonicus, & ex eo Baronius.

Origo Sectis Theocatognostarum, Ethnophronium, atque Parermeneutarum vnde prouenit?

REGVLA CCLIV.

175 THeocatognostæ, aliàs Blasphemi, & Contumeliosi, sunt antiqui Hæretici, qui inde ansam talis denominationis, & sectę peculiaris instituendæ sumpserunt, quòd nō-nulla in Dei, ac Sanctorum factis, & in Scripturis sacris temerè ausi sunt improbare.
176 Ethnophones verò sic dicti, quia tametsi se Christianos esse profiterentur, & haberi vellent, Ethnicorum tamen instituta, maximè circa iudicariam Astrologiam, nimia pro-
177 pensione sequebantur. Parermeneutæ denique ita vocati, quòd Scripturas sacras pro
178 libito exponerent. Huius sectæ, sicut duarū præcedentium, primus inuentor ignoratur.

---

179 TRes istæ Sectæ Hæreticorum æque steriles, & diminutæ sunt quoad omnia, ac illæ tres aliæ, de quibus dictum paulò ante Reg. 252. nam nullus extat ex antiquis Scriptoribus, qui de ipsis agat, præter vnum S. Ioannem Damascenum lib. de hæresibus,
180 atque hic breuissimè. Ex recentioribus duo soli referendi, Sanderus, & Gualterius, aliquid ex illo delibantes, non exprimentes tamen, sicut nec ipse Damascenus, circumstantiam temporis, quando nam prodierint, &
181 quandiu durauerint Gualterius in hoc differt à Sancto Damasceno, quòd hic reponat eas ante Mahometismum, ille verò post ex-
182 plicationem legis Mahometicæ. Hinc tamen cōcluditur, quòd istæ tres sectæ ad seculum septimum spectant, & circa tempora Maho-

Mahometis ortum, & durationem habuerint.

183 Quoad circumstantiam autem loci, nemo ex dictis auctoribus D. Damasceno, Sandero, & Gualterio indicauit; vbi nam istæ hæreticorum sectæ inceperint, aut cuiusnam regionis

184 habitatores eas amplexi fuerint. Nedum quis vniuscuiusque primus inuentor extiterit, quod prorsus ignoretur, vt dicitur in vltima

185 parte nostræ Regulæ. Qua simul eas merito comprehendimus, cum dicta hactenus, licet negatiua, sint ipsis communia, & maximè hoc vnum affirmatiuum, quod quidquid de vnaquaque à dictis recentioribus traditur, & à nobis scitur, tametsi valde exiguum sit, in sola D. Ioannis Damasceni auctoritate funde-

186 tur. Quare opportunum pari modo hìc atq. illìc Regul. 252. fecimus, relatis S. Damasceni verbis, & adiuncta declaratiuncula, vbi opus erit, ex Sandero, & Gualterio, aut aliunde singularum naturam, & qualitatem breuissimè ostendere.

187 De Secta Theocatognostarum ita S. Damascenus: Theocatognostæ, inquit, qui ijdem blasphemi, & contumeliosi vocantur, sunt quidam contumeliosi, & temerarij, qui nonnulla verba, & facta in Domino nostro Deo, & in Sanctis personis eis attributis, atque in Scripturis diuinis, improbare conantur.] Ha-

188 ctenus ille, nihil aliud addens ad exprimendum in particulari, quænam verba, & facta ista, quæ tales hæretici blasphemi, & contu-

189 meliosi improbabat: sed nec præstat id Gualterius cap. 11. seculi 7. imò citans Damascenũ, & Sanderum hæres. 124. terminis etiam generalibus, & indefinitis, idem magis compendiosè indicat. Sic dicti, inquit, quòd certa quædam facta, & dicta, quà in Deo, quà in eius Sanctis, ac diuinis litteris, coarguere niterentur] hæc ille, & statim adiungit more suo collationem cum Caluino.

190 Notandum autem id, quod certum supponitur, nempè cum professores huius Sectæ dicti sint, & re ipsa fuerint blasphemi, cumq. blasphemia, vt tradidimus lib. 1. cap. 18. regul. 137. num. . . ex Eymer. in Direct. par. 2. q. 41. ex Peña ibi commen. 66. ex Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. . & ex communi Doctorum, duplex assignetur, altera hæreticalis, vel sapiens hæresim; altera verò non hæreticalis, aut hæresis sapore omnino carens, prout ibi explicauimus: dictos Theocatognostas blasphemia hæreticali sine dubio fuisse infectos.

191 Secta item Ethnophronium sic à D. Damasceno exprimitur: Ethnophrones, inquit, cum Gentium Statuta sequantur, in cęteris sunt Christiani. Hi natales dies, fortunam, fatum, omnem Astronomiam, & Astrologiam, omnemque diuinationem, & auspicia probant, auguria, expiationes, & placationes, sortes, prodigiorum, & portentorum inspectiones, veneficia, aliasque eiusdem generis impias fabulas adhibent: ijsdemq. quibus Gentes, vtũtur institutis. Dies etiam festos quosdã Græcorum probant, dies denique, & menses, & annos, & tempora obseruant, & notant.]

192 Hæc de sequacibus huius Sectæ S. Damascenus: cui adhærent Sanderus, hæres. 126. & Gualterius cap. 13. secul. 7. qui præter dicta ab illo, nihil ad rem addunt.

193 Sed nobis non extra rem videtur addendum, quòd secta ista, quidquid paulo antè dictum sit de eius duratione, & extensione, adhuc duret, & valdè extendatur, non solùm inter Ethnicos, & infideles, sed inter eos etiã, qui se Christianos esse profitentur, & haberi volunt, vt ait Gualterius ibidem de sequentibus hanc Ethnophronium Sectam: nam cum huius summa reducatur ad professionem Astrologiæ iudiciariæ in dependentibus à libero arbitrio, cum præsumptione expresũ pacti cũ

194 Dęmone. Quamuis strictissimè fuerit prohibita constitutionibus Pontificijs Sixti V. incip. Cęli, & terræ, & S. D. N. Vrbani Pap. VIII. incip. Inscrutabilis iudiciorum, vt iam traditum à nobis lib. 1. cap. 14. Regul. 124. vers. hodie tamẽ: adhuc nihilominus in multis, ac præcipuis Ciuitatibus, & locis Christianitatis, vt audio, cum magna animarum pernicie, non exiguus eius vsus, saltem secretò perseuerat: propter quod maximopere dolendum, ac deplorandum.

195 Circa Sectam tandem Parermeneutarum, sic ait S. Damascenus ibidem. Parermeneutæ, inquit, sunt qui nonnulla diuinorũ Scriptorũ tàm veteris, quàm noui Testamenti capita interpretantur. Ad multa autem, quæ ita accuratè, & subtiliter exponuntur, vt reprehendi non possint, studium vincendi, contentionesq. afferunt: idque faciunt imperitia quadam, & inscitia iudicandi. Cumq. nonnulla hæreticorum decreta ignorent, ea isto modo confirmant] hactenùs verba S. Damasceni.

196 Eorum autem sensum Gualterius cap. 14. seculi 7. relato Sandero hæres. 127. multo paucioribus comprehendit sic: Hoc titulo, inquit, donati sunt, quòd sacras Scripturas ad suam mentẽ accommodatè exponerent, ne videli-

197 cet victi, sed victores haberentur] ita ille. Et statim de more ad faciendam comparationẽ cum hæreticis nostri tẽporis accedit hoc modo: Qui cum noui Euangelij buccinatoribus tantisper versatus fuerit. Parermeneutarum nomen in illos eo aptiùs cadere iudicabit, quo impudentiores deprehendet non modo in sacris literis ex suo sinu, sensuq. interpretandis, sed etiam in falsissimis suis commentarijs communi iudicio Ecclesiæ Catholicæ (quam erroris insimulare malunt, quàm sui ipsi agnoscere) nec nõ antiquæ sanctorum Patrum expositioni præponendis] Vide apud ipsum reliqua huius collationis: dicta nobis sint satis.

Vndenam deriuatæ Sectæ Armenorum, & Chazinzariorum? quinam vtrarumque Progenitores?

REGVLA CCLV.

198 **A**Rmeni cum imperante Iustino II. circa annum 573. Fidem Catholicam susce-

susceperant,vt in ea diù perseuerassent, ex occasione, quòd Eutyches, & Dioscorus in Cōcilio Chalcedonensi cōdemnati fuissent, quos vti magistros habebant, ab ipsa recesserunt,& collectis diuersis erroribus aliarum Sectarum nouam quandā anno circiter Domini 640. in-
199 stituerunt. Primus autem Collector, & Institutor eius Iacobus quidam Zanzalus Syrus, homo obscurus, dignoscitur: licèt tanquam primi Institutores Euchanius, Matacumes,
200 & alij etiam admittantur. Inter propagines verò ex Armenis deriuatas, præcipuè extitit Secta Chazinzariorum, qui sic dicti, à nomine Chazus, idest, crux, quòd præter
201 hanc, nullam prorsus Imaginem colerent. Istorum primus auctor idem Iacobus Syrus assignatur.

---

202 SEcta Armenorum sumpto nomine à loco habitationis, aliàs Iacobitarum, ab auctore Iacobo indicando,sic appellata,cuius vestigia, vt audio, non exigua in partibus Orientalibus,hodierna die adhuc manent,temporibus antiquis non parum celebris extitit; eius notitiam attentis omnibus circumstantijs loci, temporis, personarum, &c. perspicuam nobis præbet Prateolus lib. 1. num. 67. verb. Armeni per verba sequentia.

203 Armeni hæretici sub Constantini III. filij *Heraclij* Imperio, & Pontificatu Theodori *Summi* Romanorum Antistitis, viguere circa annum Domini 640. Hi Asiam incolunt ea in parte, quæ est inter Taurum, & Caucasum
204 montes constituta. Horum patria Armenia dicitur à Cappadocia, vsque ad Caspium mare protensa. Cum autem illi Catholicam Fidem fuissent primum edocti tempore Iustini huius nominis II. Imperatoris anno Christi 572. tandem veram fidei regulam deserentes
205 in varios errores sunt prolapsi. Proprium habent Primatem, quem Catholicum appellant, & cui velut Summo Pontifici per omnia obtemperant. Romanum siquidem Antistitem contemnunt, eum dicentes non esse cæteris superiorem] ita ille.

206 Assignat autem motiuum recedendi à Fide Catholica, & lapsus eorum in errores sic: Quam verò ob causam, inquit, ab Ecclesia defecerint, conijcere licet ex historicorum scriptis, nimirum propter decreta Concilij Chalcedonensis sub Leone Primo, & Martiano Imperatore celebrati: quòd videlicet in eo ipso Concilio Eutyches Abbas Constantinopolitanus, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus, quorum opinionem Armeni sequebantur, damnati fuissent] hæc Pra-
207 teolus. Qui quoad circumstantiam temporis, probabilem coniecturam adducit, quod non recesserint Armeni à Fide Catholica ante celebratum dictum Concilium, nempè quod S. Philastrius Brixiensis Episcopus, & S. Augustinus prius immdiatè vixerint, & neuter eorum de hæresi, seu Secta Armenorum mentionē fecerit, dùm omnes hæreses, & hæresiarcha præcedētes ad peculiarē tractutū reduxit.

208 Circa errores Armenorum in communi, ex Nicephoro Callisto lib. 18. historiæ Ecclesiasticæ cap. 53. affirmat ibidem Prateolus, quòd sanè sit multiplex ipsorum hæresis; imò verū asseret, si quispiam dicat, quòd sit omnium hæresum confluens sentina: hoc modo lo-
209 quendi vtitur ipse Prateolus: Qui cum Guidone Carmelita in lib. de hæresibus per ipsū edito, non paucas adducit, quibus ex Gualterio cap. 8. seculi 7. & ex alijs, aliquas in particulari addemus.

210 Primò, Armenorum hæresis fuit, Deum esse mendacem, Prateol. loco citato, num 9. Castrus verb. Deus, hæres. 3. & Gualterius c. 8. Seculi Septimi.

211 Secundò. Tenuerunt Armeni, Spiritum Sanctum à Patre solo, & non à Filio procedere: ad id iuducti sunt ex eo, quòd nullibi in Euangelio processus Spiritus Sancti à Filio, sed à solo Patre inueniatur, & legatur, atque quòd in Symbolis Niceno, & Constantinopolitano solùm ponatur processus à Patre, & non à Filio. Ita ijdem Auctores Prateolus, Castrus verb. Deus, hæres. 12. & Gual-
212 terius ibidem num. 2. De hoc errore, qui peculiariter Græcis tribuitur, infra suo loco dicemus.

213 Tertiò. Armeni in negatiua perstiterūt, quòd Diuina essentia à Beatis sit conspicienda, sed radius solummodò eius, & lux quædā in qua felicitas tota Beatorum reposita erit: idque contra manifesta Scripturæ loca. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbūt, Matth. 5. Angeli eorum semper videns faciem Patris, Matth. 18. Videbimus eum sicuti est, 1. Ioan. 3. Castrus verb Beatitudo, Prateol. & Gualt. citati.

214 Quartò. Voluerunt Armeni diebus Dominicis, & Sabbathis Quadragesimæ esse licitum vesci lacte, caseo, & ouis. Solebant item ritu Iudaico cæsis bobus, & agnis sacrificia offerre, atque Pascha, non iam corpore Christi Domini, sed agno tosto celebrare. De primo Nicephor. lib. 18. cap. 53. & Gualterius ibidem: de omnibus contentis in hoc numero, præter Prateolum, & Gualterium relatos, Baronius anno 685. num. 3.

215 Quintò. Vino tantùm, ne minima aquæ stilla permixto in Sacrosancto incruento Sacrificio vtebantur: idque astutè, vt ait Nicephorus vbi supra, ne duarum in Christo Naturarum in vno supposito vnionem, quam re-
216 ijciebant, factam adumbrarent. Nullum itē Iudæorum ad Sacerdotium admittebant, nisi ex Sacerdotali genere ortus esset. ita ibidem
217 Baronius. Qui, miror sanè, quòd cum tam multi, tamque diuersi sint Armenorum errores, & ipse soleat in similibus Sectis de omnibus exactè, & copiosè pertractare, in ista de solis hoc numero, & præcedenti comprehensis meminerit.

218 Sextò. Omnibus Sacramentis adimebant prorsus vim conferendi gratiam, quantauis cū dispositione quis ad ea accideret. Castrus verb. Baptism. hæres. 4. & Prateolus verbo Armeni.

Speti-

220 VII. Peccatum originale nullo modo admittebant, & cõsequenter, neque hoc per Bap-
221 tismi Sacramentum tolli. Baptismum tamen adeò necessarium esse ad salutem affirmabát, vt quicumque baptizati non essent, eam consequi posse negarent; iidem Castrus, verb. Peccatum hæres. 1. & Prateolus loco citato.

222 VIII. Errabant etiam circa Baptismum defendentes nihil valere sine Chrismatis vnctio-
223 ne collatum. Vnde etiam Christianorum liberi nõ baptizati modo dicto, quod post mortem ad Paradisum Terrestrem eant, filij verò Infidelium ad Infernum vnà cum parentibus, asserebant Armeni. Castrus verb. Baptismus hæres. 7. & ibid. Prateol.

224 IX. Rebaptizare solebant baptizatos in Romana Ecclesia, quod in ista verum Baptismum haud reperiri tenerent. Suum autem Baptismum nemini sine Eucharistia conferendum esse voluerunt. ibid. Castrus, & Prateol.

225 X. Alij etiam errores Armenorum circa Sacramentum Eucharistiæ extiterunt, nempe quod negauerint saltem indirectè, Corpus Christi realiter esse in Eucharistia, cum proferrent hæc verba: *Sacrificium Panis Carnis Iesu Christi*; idest eius panis, qui est caro Iesu Christi: *Nequaquam Christi esse Corpus, sed Di-*
226 *uinitatis*. Item quod tenuerint Eucharistiã corporis incolumitati dumtaxat esse vtilem: seu vt alij maluerunt, neque vtilem, neque inutilem. Ita Gualterius vbi supra num. 19. & 20.

227 XI. Dein est celebris error Armenorum in materia Eucharistiæ, ob quem ipsi peculiariter ab Ecclesia Romana recesserunt, vt ex Guidone Carmelita affert Prateolus relatus, à quo id paucis accipe. Dicunt rursus, inquit, Sacramentum Eucharistiæ non posse confici in azymo pane, sed præcise in fermentato à; Romana Ecclesia: hinc (vt asserunt) diuulsi, quod in
228 azymo ea conficiat. Ex quo Latinos etiam omnes Azymitas appellãt, eosque anathematizant, non permittentes Latinos Sacerdotes in eorum Altaribus Sacrum Mysterium conficere, quemadmodum D. Anselmus quadam epistola de fermentato, & azymo testatur.

229 Adeo quidem, vt si ipsis nescijs, aut inuitis Latinos celebrare contigerit, abluant altaria, in quibus celebrarint, quod ea credant esse polluta, ex falso, (vt falso asserunt) sacrificio per Sacerdotem Latinum in azymo confecto. Hæc ille, & cum eo, ac Castro verb. Eucharistia, hæres. 2. Gualter. ibidem.

230 XII. Armeni dupliciter errant contra matrimonium, etiam inter Christicolas initum, Primò, quòd negent esse Sacramentum. Secundò, quòd affirment posse solui, vt coniugatis visum fuerit: quod ex parte commune est ipsis cum Mahometanis, iuxtà dicta paulò ante. Ita Castrus verb. Nuptiæ, hæres. 3. & 5. & Gualter. cum Prateol. citato.

231 XIII. Tenebant illi, esse quædam peccata, quæ à nullo penitus sacerdote condonari valeant: contra promissionem Christi Domini. Quorum remiseritis peccata, &c. Ioann. 20. absque vlla limitatione factam. Castrus verb. peccatum. hæres. 6 Prateol. & Gualt. ibid.

232 XIV. Explodebant Purgatorium Armeni, atque hinc inferre cogebantur vanas esse preces fusas, & oblationes factas pro mortuis.

233 Sed mirum non aduerterint sibi ipsis contradicere, dum negarunt inferorum pœnas in æternum duraturas, sic Infernum Purgatorio commutantes. Castrus verb. Purgatorium, hæres. 1. & Prateol. loco citato.

234 XV. Somnium est illud Armenorum, si primi Parentes à peccato abstinuissent, nequaquam futuram corporum mixtionem, nec fore, vt genus humanum commistione corporũ propagaretur. Castr. verb. Adam hæres. 3. Prateol. & Gualter. locis citatis.

235 XVI. Ridiculum similiter illud, quod ipsi Armeni credebant, nullas post resurrectionem generalem futuras esse fœminas, sed has om-
236 nes in viros conuertendas. Quem errorem multò priùs confutauerat S. Augustinus 22. de Ciuit. cap. 17 Ita Castrus verb. Resurrectio hæres. 5. Prateol & Gualt. ibid.

237 XVII. Errabant Armeni vehementer, peccatũ libero arbitrio hominis nullo modo adscribentes, sed soli Dæmonum impugnationi, quibus è medio sublatis nullum fore peccatum asserebant. Castrus, verb. peccatum, hæres 3. Prateol. & Gualt. loc. cit.

238 XVIII. Delirium denique est illud Armenorum quod tuerẽtur, quosuis homines Christi Domini Passione anteriores æternis fuisse damnatos supplicijs, idque non ob culpam originalem, quam vt vidimus, nequaquam ipsi admittebant, sed ob proprium Adami pecca-
239 tum. Hoc autem esse valde alienum à diuina charitate, & iustitia, iam ex se patet. Castrus verb. peccatum, hæres. 3. & Gualt. dict. cap. 8. Seculi septimi, apud quos plures Armenorum errores inuenies: nobis dicti sint satis, vt iam, quinam sint primi, ac præcipui eorum auctores, seu collatores, videamus.

240 Circa hoc audi Prateolum, seu potius Nicephorum citatum, sic loquẽtem. De his porro sic scribit Nicephorus histor. Ecclesiast. lib. 18. cap. 53. Iacobus, inquit, à quo nunc quoque Iacobitarum hæresis denominata celebratur, Syrus genere, obscurus prorsus, & nulla gloria, Armenorum Sectæ Dux fuit. Et post
241 pauca. Magister horum Eutyches, Dioscorus Alexandriæ Patriarcha, & Petrus Cnapheus, Seuerusque Acephalus, Episcopi Antiocheni, Euchanius insuper Mantacumes fuere. Hæc ille, & cõcordant omnes circa Iacobum illum, quem cognominat Zanzalum noster Gualterius initio dict. cap. 8. non indicans vnde quadret illi hoc cognomen, neque ab alio
242 scriptore sic cognominatum inuenio. Vnum item tantum coadiutorem præcipuum in formanda, & stabilienda Secta Armenorum, Euchanium scilicet Matacunem illi adiungit.

243 Restat breuiter dicere de ramo Sectæ Chazinzariorum orto ex arbore Armenorum: sed præstat de illis alium dicentem audire, scilicet
244 Prateolum lib. 3. num. 15. Chazinzarij, inquit,

quit, hæretici sunt, ex Armenorum familia, cuius hæresis radix extitit Iacobus quidam Syrus, genere obscurus prorsus, & nulla gloria vir: exorti sunt autem temporibus Constantini III. Heraclij filij, & Theodori Maximi Romanorum Pontificis, circa annum Domini 640] hæc ille, & statim addit.

245 De his Nicephorus lib. 18. cap. 54. Ecclesiast. historiæ scribit in hunc modum. Apud Armenos, qui Chazinzarij nominantur, eorum impietates maximè retinent. Factio autem non minima hæc dogmatis eorũ est. Staurolatræ scilicet, Chazus namque Crux ab eis dicitur: propterea quòd Crucem tantùm ado- 246 rare, & colere dicantur. Qui sane illis per omnia consentientes, re eiusmodi maximè, à Sectis talibus, & Iacobitis in primis, dissentire videntur] sic Nicephorus, & ex isto Prateolus.

248 Secta item ista à reliquis in hoc distinguitur, quod Chazinzarij licet duas in Christo naturas, declinando ab errore Eutychetis, admitterent, in scopulos tamen Nestorianismi impingentes, duplicem in ipso Christo personam, Diuinam scilicet, & Humanam reponebant. Ita cum citato Nicephoro, idem Prateolus, Sanderus hæres. 119. & Gualter. c. 9. secul. 7.

249 Tandem errabant Chazinzarij circa peculiare ieiunium, de quo relatus Gualter. sic: Denique, inquit, quotannis ieiunium statutis temporibus celebrabant eo animo, vt interitum complorarent dæmoniaci cuiusdam canis, cui Artziburtzi nomen à suo hero Sergio illorum Pseudo-propheta fuerat impositum: quem quoties ad illos adiret, veluti prodro- 250 mum præmittebat. Vnde factum est, vt eiusmodi ieiunium Artziburtzi ieiunium denominaretur] huc vsque Gualterius cũ Prateolo, & Sandero citatis, nec aliud circa præsentem Sectam, & Regulam occurrit.

De Sectis Lampetianorum, Aginnensium, & Maronitarum, circa originem, & alia quid dicendum?

REGVLA CCLVI.

251 DEducunt nomen suum Lampetiani à quodam Lampetio, circa genus, patriã, & professionem homine prorsus ignoto, qui vt peculiaris hæresiarcha ex paucis erroribus, de quibus statim dicetur, nouam Sectam il- 252 lorum instituit. Aginnensibus verò nullus primus auctor, aut dux præcipuus assignatur; eorum tamen Secta varias hæreses præcedentium hæresiarcharum comprehendens circa 253 annum 694. extitit. Maronitæ item communiter censentur, quòd sumpserint originẽ à quodam hæretico nomine Maron, & quòd isti cum per 500. annos in eius hæresi perstitissent, ea abiurata, & schismate reiecto, Roma- 254 num Pontificem recognouerint, sicuti nunc recognoscunt. Quamquam probabile est hos Maronitas hodie Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ admittentes, non ab illo Marone hæretico, sed ab alio Catholico, & pio procedere.

---

255 COmprehendimus simul sub ista Regula prædictas tres Sectas Lampetianorum Aginnẽsium, & Maronitatum; licet attenta vniuscuiusque natura, nullam inter se connexionem habeant, solum eo titulo, quòd sint postremæ seculi septimi, & quòd pauca admodum de ipsis apud Scriptores reperiantur, vt sic multiplicationem titulorum euitemus.

256 Quoad primam Lampetianorum, benè contra Prateolum, verb. Lampetiani, sic affert Gualterius cap. 15. seculi septimi. Istorũ inquit, nomen à quodam Lampetio deductum notat S. Damascenus. vnde miror ego Prateolum, qui eos Lampetianos nuncupat, aitq. se nullibi hactenùs legisse, à quonam illi appellationem suam sortiti sint, neq; qua ætate 257 vixerint, adeò vt quadam adductus coniectura eos in annum 1352. referat, & Vvicleftis, quos plus sexcentis annis D. Ioanne Damasceno posteriores fuisse certum est, quodammodo admiscebat] ita ille. Verum vt de testimonio S. Damasceni, & de re tota magis innotescat, conuenientius duxi, verba ipsius ex lib. de hæres. prope finem referre.

258 Lampetiani, inquit, à Lampetio quodam hoc appellati sunt nomine, Ijs, qui vitam in cõmunitatibus, & cęnobijs degere instituũt, sinunt, quod quisque velit, & probet viuendi genus, id sequi: quod etiam de vestitu iudi- 259 candum est eodem modo: Nihil enim, inquiunt, Christianus inuitus facere debet: propterea que scriptum est, Voluntariè sacrificabo tibi. Et rursus, Ex voluntate mea ei confi- 260 tebor. Patiuntur etiam, vt aiunt nonnulli, dari locum naturalibus perturbationibus, nec vt eis obsistatur, postulant, quasi id natura 261 patiatur. Aliaque nonnulla, quæ cum Arianorum decretis congruunt, sentire dicuntur.]

262 Hactenus S. Damascenus, qui nihil exprimit, vel indicat de qualitatibus dicti Lampetij circa genus, patriam, & professionem, ac circa regionem, vbi Lampetiani vixerint. Neque id præstat Prateolus lib. 9 num. 1. verb. Lampetiani (variatio litteræ t. in r. fortè ex errore typographi prouenit) Nihil itẽ Sand. hæres. 128. & Gualterius loco citato circa hoc adducunt. Sed iam de erroribus huius Sectæ magis in particulari, cũ relatis quatuor Doctoribus (alium, qui de eis agat, vix vllum inuenio)

263 Primò errabant Lampetiani, quòd sese Apostolos esse, & ad Apostolorum ordinem pertinere, iactitarent. De hoc solus Prateolus peculiariter agit, & miror, quòd D. Damascenus, & alij, eius non meminerint, præcipue Gualterius, cum illum viderit.

264 Secundò. Secundum illud Psalm. 53. Voluntariè sacrificabo tibi] & illud Psalm. 27. Ex voluntate mea confitebor ei] perperam exposita, Lampetiani erroreè tuebantur licitũ esse

Esseijs, qui in sacris Sodalitijs, & religiosis cœnobijs vitam agunt, eam viuendi rationem sequi, ac eum corporis habitum vsurpare, quẽ quisque pro libito voluerit. Ita cum citato S. Damasceno Prateolus, & Gualterius ibid.

265 Tertiò. Ex eodem fundamento, quòd nihil ex necessitate sit faciendum, sed omnino liberè, procedebat alius error Lampetianorũ, nimirum, quòd omnia vota aspernarentur, & condemnarent ea nihil, prodesse affirmantes, 266 quia post emissionem eorum necessitatem, & coactionem quandam obseruantia, ipsa videtur inferre, & consequenter Sanctorum Petrum obseruationi esse contraria. Ita Prateolus vbi supra, Castrus verb. Votum, & Gualterius ibidem.

267 Quartò. Tenebant Lampetiani nequaquã esse frenandas perturbationes naturales, neque obsistendum eis: quod manifeste apparet contra lumen rationis, & prudentiæ. Homo namque, qui sine freno perturbationibus agitatur, in statum adeò miserum ducitur, vt vsum ferè rationis prorsus amittat. Ita D. Damascenus relatus.

268 Quintò, tandem in communi addit S. Damascenus; & cum eo Gualterius loc. cit quod Lampetiani erroribus, ex Arianorum schola depromptis contaminati fuerint; qui in particulari eos scire desiderat, legat quæ à nobis alibi de Arianismo tradita sunt, nobis dicta de Secta Lampetianorum sufficiant.

269 Verum quid de Secta Aginnensium? paucissima quæ circa eam dicenda occurrũt à nostro Gualterio cap. 17. Sæculi septimi sic accipe: Qui de his, inquit, meminerit, hactenus legi neminem, vel vno dempto Prateolo; qui etsi nullum authorem in eam rem proferat antiquiorem se, illos tamen eodem tempore, quo Sergius Pontifex eius nominis Primus Ecclesiam regeret, fuisse memorat, nimi-270 rum anno 694. Eosque variorum hæreticorum antecedentium graueolentem impetiginem refricuisse, nominatim verò cibos, quorum authorem esse Deum impiè pernegabãt, abominatos esse, omneque matrimonium execratos] hæc ille.

271 Contra istos autem Aginnenses contractionem matrimonij, etiam prima vice condemnantes cum Gnosticis, Cerdonianis, Saturninianis, Marcionistis, Lucianistis, Seuerianis, Adamianis, Apostolicis, & Origenianis (de quibus supra suis locis à nobis dictũ) extat canon. 50. Apostolorum, vbi sic habe-272 tur. Si quis nuptijs abstinuerit, non quò mens ad cultum pietatis reddatur exercita, sed propter abominationem, oblitus, quòd Deus masculum, & feminam creauit homines, & ita Dei creationem infamans, & calumnians; aut corrigitor, aut deponitor, & ex Ecclesia eijcitor] ita in eo canone. Vide Prateolum relatum.

273 Superest tantùm declaranda Maronitarũ Secta: de his potest dubitari vndenam originem, & denominationem sumpserint? Vti certum tenẽt diuersi Scriptores classici, quòd isti Maronitæ sic vocentur, & ortum ducant à quodam hæretico, cui nomen Maron, & quòd hic tanquam ramus Monothelitarum peculiarem eorum Sectam, in Christo vnam tantum voluntatem admittendo, circa annũ 274 699 instituerit. Et cum per quingentos annos in eo errore perstitissent à Fidelium consortio exclusi, diuino tandem instinctu resipiscentes, per manus Aimerici Patriarchæ Antiocheni Ecclesiæ Romanæ reconciliati sint, quæ reconciliatio semper excreuit vsque in 275 præsentem diem. Ita Gualterius cap. 18. Seculi septimi, cum relatis per ipsum, cum Prateolo lib. 11. num. 16. verb. Maronitæ (qui ex Bernardo Lutzemburgo in Catalogo hæreticorum adducit) cum Volarer. Geograph. lib. 11. de Sectis Syriæ, & cũ Baronio tom. 12. Annal. Ecclesi. anno 1182. vbi ex testimonio grauissimi auctoris VVillelmi Tyrij lib. 24. c. 8. id affirmat. Vnde pro maiore corroboratione visum est, verba vtriusque per extensum referre.

276 Contigit, inquit Baronius, hoc eodem tempore (vt qui aderat VVillelmus Tyrius docet) Maronitarum hæreticorum ad Catholicam Fidem accessio, de quibus hæc ipse.

277 Interea, inquit Tyrius, dum regnum pace à Saladini bello, vt prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syrorum in Phenice Prouincia circa iuga Libani iuxta vrbem Bibliensium habitans, plurimam circa sui statum passa est mutationem. Nam cum per annos penè quingentos cuiusdam Maronis Heresiarchæ errorem fuissent secuti, ita vt ab eo dicerentur Maronitæ, & ab Ecclesia fidelium sequestrati, seorsum Sacramenta cõ-278 ficerent sua: Diuina inspiratione ad cor redeuntes, languore deposito, ad Patriarcham Antiochenum Haimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem preest Ecclesiæ, accesserunt, & abiurato errore, quò diù periculosè nimis detenti fuerant, ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuersi sunt, Fidem orthodoxam suscipientes, parati Romanæ Ecclesiæ traditiones cum omni veneratione amplecti, & obseruare.]

279 En quàm clarè denominationem, & originem prædictam Sectæ Maronitarũ ab hæretico Marone; & remansionem in hæresi, ac reuersionem ad Romanæ Ecclesiæ vnionem exprimit: sed audiamus, quæ apud ipsum Tyrium sequuntur.

280 Erat autem, inquit, huius populi turba non modica, sed quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, qui per Bibliensem, Botricensem, & Tripolitanum Episcopatus, iuga Libani, & montis deuexa (vt prædiximus) inhabitabant, erantque viri fortes, & in armis strenui, nostris in maioribus negotijs, quæ cum hostibus habebant freque-281 tissima, valde vtiles. Vnde & de eorum cõuersione ad Fidei sinceritatem maxima no-282 stris accessit lætitia. Maronis autem error, & sequacium eius est, & fuit (sicut ex sexta Synodo legitur, quæ contra eos lata esse dignoscitur, & in qua damnationis sententiam pertulerunt) quod in Domino nostro Iesu Chri-

Christo vna tantum sit, & fuerit ab initio 283 & voluntas, & operatio. Cui articulo ab Orthodoxorum Ecclesia reprobato multa alia perniciosa nimis, postquam à cætu Fidelium 284 segregati sunt, adiecerunt. Super quibus omnibus ducti pœnitudine (vt prædiximus) ad Ecclesiam redierunt Catholicam, vna cũ Patriarcha suo, & Episcopis nonnullis, qui eos sicut prius in impietate præcesserant, ita ad veritatẽ, redeuntibus pium ducatum præstiterunt. Hactenus Tyrius Archiepiscopus, & ex eo Baronius.

285 Ex quibus non videtur adhuc prorsus innotescere quod Maronitæ, qui his temporibus valde vniti sunt cum Ecclesia Catholica, & cum eius. Capite Romano Pontifice, descẽdant ab illo Marone hæresiarcha; & quidẽ pro parte negatiua objciat aliquis, quia alioqui Maronitæ iam ad fidem Catholicam reducti 286 non retinuissent nomen Maronis. Sicut Caluinistæ, & Lutherani ad gremium Ecclesiæ redeuntes, non solum errores, sed etiam nomen Caluinistarum, & Lutheranorum omninò derelinquunt.

287 Huius obiectionis vim soluit ibidẽ Baronius sic. Porrò, inquit, hi se à vico Syriæ, Maronia, Maronitas, siue à Sancto Marone Abbate ante cognitum Maronem Monothelitã contendunt esse denominatos, ex hocq. fieri, vt nomen hoc suum, ipsorũ detestantes errorẽ, 288 retinere mordicus perseuerent. Post hęc autem eorum Patriarcha sub Innocentio Papa III. venit ad Lateranense Concilium, vbi plenissimè respectantes ad Fidem Catholicã, li- 289 cèt semper agitati infideliũ pressuris, vt litteræ illorum ad Leonẽ X redditæ, quę extãt, apertè testantur. Hactenus Card. Baron.

290 Nihilominus oppositum nõ carere probabilitate, quod Maronitæ, qui nũc sunt valde affecti Ecclesiæ Romanæ, & eius Summo Pontifici, nequaquã ducant originem ab illo Marone hæresiarcha, sed ab alio Catholico, & pio, ipsemet Baronius in annotationibus ad Martyrologium die 21. Octobris prębet nobis non leuem coniecturam, adeo vt relinquat rem incertam: audi eius verba.

291 Erat in Syria olim vicus Maronia dictus vbi Malchus vixit, qui postea creuit in Ciuitatem (omissis paucis ad rẽ non facientibus sequitur) An autem à prędicta Maronia hi qui hodie dicũtur Maronitæ, sint appellati, an verò à S. Marone Abb. non audemus certi quid 292 definire. Compertum etenim habemus Maronem Abbatem in Syria claruisse sanctitate, fuisseq. Monasterium dictum S. Maronis in Syria, euius Abbatis nomine Alexandri extant litteræ ad Hormisdam Papam, & libellus oblatus synodo: quare citantur in actione prima quintæ synodi: eius itaq. monachi appellati sunt Maronitæ, sicut à Studio Studuitæ, à Saba Sabaitæ, à Dio Dijtę, & ab Abrahamo Abrahamitæ dicti reperiuntur.

293 Inde fortasse nomen Maronitarum prouenit, illorum inquam Christianorum, qui proprios habentes Episcopos, degentes in monte Libano, magna fidei sinceritate, & animi ardore communicant Romanę Ecclesiæ. 294 Quorum est Romę nobile Collegium à Sãctissimo D. N. Gregorio Papa XIII. laudabiliter institutum. Hæc Card. Baronius.

295 Adde, quod isti tanto studio, & amore flagrent erga Romanum Pontificem, vt nouus Patriarcha creatus à Clero, & à Populo statim mittat aliquem virum Ecclesiasticum ad petendam confirmationem, & pallium.

296 Insuper celebrant in azymo, & Kalendarium Gregorianum amplectuntur, ac alia huiusmodi, quę audiui à quodam olim dũ esset è nostris, qui anno 1624. illuc missus, vt pueros Maronitas in dicto Collegio educandos afferret, vti 12. attulit, vidi ipse huc transeuntes. Atque dicta sint satis de Maronitis & de toto Seculo septimo.

CAPVT XII.

De varijs hæresum, hæresiarcharum sectis, fidei Catholicæ oppositis, quæ per spatium duorum Centenariorum, octaui scilicet, & noni sæculi, in diuersis locis extiterunt.

PROOEMIOLVM.

1 Decursu sęculi septimi non defuerunt viri doctrina, & sanctitate insignes, qui starent pro muro in defensionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & tum ad confutandos errores quosuis, tum ad veritates Fidei Catholicę pręcipuas omnes stabiliendas, eximia testimonia prębuerunt, vt videre est maximè apud Gilbertũ Genebrardum lib. 3. Chronographiæ ad finẽ septimi sæculi, & apud Iacobum Gualterium in Tabul. Chronographicis septimi sæculi; apud quos alias vidimus, & nunc consulto omittimus. vt in reliquo huius Procemioli reddamus rationem; 2 cur sub isto capite 12. duo sæcula, nẽpe octauum, & nonũ à nobis comprehendantur. Ad quod præstandum audi prius quid de vtroq. isto sęculo, ac partim de decimo dicat Prateolus in suo indice successionis hæreticorum per centurias digesto, inter centuriam octauam, & nonam. Hęreticorum, inquit, interregnum, hoc est, Ecclesię hæreticis infestantibus quies, & cessatio per ducentorum annorum spatium, & vltra, sub initium translati Imperij ad Germanos, ab anno videlicet 800. quo Carolus meritò Magnus dictus regnare cœpit, vsque ad mille, & vltra, donec sub Henrici Tertij imperio Berengarius Diaconus Andegauensis in Gallia erupit, circa annum 1048. Quod sanè Dei Optimi Maximi gratia, & fauore, atque sapientum Principum sedulitate, ac diligentia, in Deumque & Christianam Religionem propensa sin-

sinceritate, atque flagranti dilectione contigisse nemo dubitauerit, qui eorumdem Principum historias diligenter perlegerit. hæc ille: quæ non capio qualiter sint vera, cum ipsemet Prateolus, 3 vt apparet, sibi contrarius in Centurijs VIII. & X. aliquos hæresiarchas, in IX. verò dictum Berengarium adducat. imo etiam in ista IX. centuria, aliqui vti Alphonsus de Castr. & Gualterius, vt videbimus, diuersos hæresiarchas reponunt, paucos tamen, & exiguæ considerationis (vno vel altero excepto) ac extensionis quoad locum, & tempus, quales ferè sunt etiam in VIII. centu- 4 ria contenti. Atque propterea vtrosque simul in eodem hoc capite coniungimus, non nullis Regulis indicandos, eorumque sectas exprimendo.

Quid de sectis Agonyclitarum Christianocategoriorum, & Iconoclastarum quoad originem & progressum.

REGVLA CCLVII.

5 PRorsus ignoratur à quonam ortū ducant, & quo in loco viguerint, ac quandiu durarint Agonyclitæ. qui sic dicti ab errore quo eorum secta fundata est, nempe quod semper stantes precarentur, & nō posse aliter fieri iu- 6 dicarent. Aequalis item extat ignorantia circa illa tria circumstantiarum personæ, primi scilicet auctoris, loci, ac tēporis in Christiano categoris, qui errabat cultum latriæ supremū imaginibus sanctorum exhibentes, & conse- 7 quenter eas vti Deos venerantes. E contra verò alij, inde Iconoclastæ vocati omnem reuerentiam, & adorationem quibusuis imaginibus cælitum haud præbendam censuerunt ipsas insuper lacerantes, & destruentes: quorū secta à diuersis auctoribus indicandis, sæpius instituta est, seu renouata, & propagata, in diesque propagatur.

---

8 TRes istæ hæreticorū sectę ad cultum, & adorationē Dei, ac sanctorum spectant, proindeq. hic non incongruè simul coniūctę, maximè cum de duabus prioribus vix quidquam sciamus, nulla equidē notitia de primis earum auctoribus, nulla de circumstantijs tē- 9 porum, ac locorum. Circa primam Agonyclitarū audi paucissima, quę addducit S. Ioann. Damascenus lib. de hęresib. circa finem. Agonyclitæ, inquit, sunt qui quoties orant, genuflectere, prouoluique nolunt, sed semper stātes precantur ita ille de Agonyclitis.

10 Huius sectæ haud mentionem facit Prateolus; Gualterius vero cap. 1. seculi 8. ex Sander. hæres. 129. & Canis. in Chron. sic Referuntur, inquit, ad huius seculi initium à Sandero, & Canisio (Agonyclitę scilicet) quāquam neq. ex istis, neq. ex S. Ioanne Dmasceno, qui eorum expresè meminit, qua huius potissimum seculi parte extiterint, facile col- 11 ligi possit. Nomen ex eorum errore ductū, inde traxere, quod in orando genua flectere, & corpus prosternere vetarent, erectiq. sēper, ac stātes precarentur hactenus ille, nec aliud circa hanc sectam occurrit.

12 Eodē modo declaranda breuissimè, & expedienda spectantia ad secundam sectā Christianocategoriorum, adductis prius verbis S. 13 Damasceni loco citato. Christiano categori, inquit, & sunt, & dicuntur quod cùm Christiani vnum Deum viuum & venerentur, ipsi venerandas imagines Domini nostri Iesu Christi, Dominæque nostræ sanctę Mariæ, quæ Deum sustulit, & peperit, sanctorum Angelorum, atque eius Sanctorum, ita coluerunt, vt Deos more Græcorum, huc vsque S. Damascenus, nec plura addit. Quod autem ait more Græcorum explicabitur infra, vbi de erroribus ipsorum erit nobis sermo.

14 Sed quid Gualterius circa istam sectam Christianocategoriorum? Hac, inquit, appellatione S. Damascenus, veteres quosdam hæreticos notat, qui Christi imagines, Deiparę Virginis, Angelorum, cæterorumque Sanctorum, Numinis instar venerabantur. hæc il- 15 le cum S. Damasceno: Præter quem, tam ex antiquis scribentibus, quàm ex recentioribus, nullum alium de hac secta agentem citat neque ego diligenter quæsitum potui vllum inuenire.

16 De tertia Iconoclastarum, seu Iconomachorum secta sequitur agendum; error iste de non colendis vllo modo sacris Imaginibus diuersis sectis vàlde communis fuit in varijs 17 sæculis. Nam præterquam quod ante Incarnatum Verbū Aeternum; diu viguit, vt alibi vidimus, & adhuc viget inter Iudæos perperā intelligentes, aut nimis strictè interpretantes illud Exod. 20. & Deuteron. 5. Non facies tibi 18 sculptibile, & alibi similia. Post incarnationem eum amplexi sunt, vt benè notat Gualterius cap. 3. sæculi 8. plures hæresiarchæ, & sequaces eorum, vt in quarto sęculo Iulianus Apostata, in quinto Xenaia, in septimo Mahometes &c.

19 At in præsenti sæculo VIII. ex hoc solo errore, quòd sit prorsus abstinendum à cultu quouis, & veneratione cuiuslibet imaginis, siue Christi Domini, siue Beatiss. Virginis, siue aliorum Sanctorum, secta peculiaris, & valde celebris instituta fuit; quia institutores eius, qui varij fuerunt pro varijs locis, vt statim videbimus, pręter sensum propriū, & iniunctionē strictissimam non colendi eas, pro latis decretis, seu legibus, ad ipsarum destructionē 20 diuersis modis manum admouerunt. Hinc enim vocati sunt Iconoclastæ, seu Iconomachi, idest, imaginū demolitores, vel ruptores, vt ex mēte omniū affert Prateolus lib. 9 n. 6. 21 verb. Iconoclastæ. Qui secundum suā temporum computationem vult incepisse hāc hęresim, siue sectam circa annum Domini 719. Gregorio Secundo summo Pontifice.

22 Quid quòd contra quoscumq. Catholicos nolentes dictis legibus, seu decretis obedire excitata tunc crudelissima persecutio vsq. ad effu-

effusionem sanguinis,& vitæ cum gloriosissimo martyrio specificabimus statim in S. Stephano martyre. Nunc incõmuni circa hanc persecutionem,& illam imaginum impijssimã destructionem audiamus Baronium ad annum Christi Domini 754. num. 57. ferè cum S.Ioanne Damasceno sic loquentem.

24 Vbi autem, inquit, impietas ex eiusmodi infandis legibus robur accepit, mox ijs tanquã incensis facibus armata progressa, quid intactum reliquit, quid non corrupit,& perdidit?ita vt antiquæ pietatis nullibi aliquod 25 sineret esse vestigium. Tunc planè accidit, quod Io.Damascenus ait,quod sacras imagines cum ignominiosissimè tractauissent,easdẽ in minutissimas partes cõminuerent,in ignẽque proijcerent, & quæ in parietibus erant depictę,partim aqua calida,partim calce, vel 26 atramento obliterarent. Tunc,& auditũ nouum sectarijs nomen:nam(vt idẽ ait) Timoleontes dicti sunt,quod data potestate,cũ sectam furore armauerant,eos qui sacras imagines excepissent, atque salutassent,plagis,& supphicijs sine modo afficiebant.Hucusq.Baronius totidem ferè S.Damasceni verbis,quibus ipse suo eruditissimo libro finẽ imponit.

27 Sed iam ad peculiares auctores huius sectæ cũ prædicto effectu sacras imagines destruẽdi, & quemuis Catholicum eas adorantem etiamvsq.ad necẽ multandi accedamus.Egregium pro illis indagandis ducatũ nobis præbet idem Baronius anno 723. à num.19. ex Theophane antiquo scriptore, & fide digno.

28 Dum hæc,inquit, aguntur quam felicissimè in Occidente,hoc eodem anno in Oriente exoritur monstrũ horrendum,quod diũ cornibus ventilauit Ecclesiã Dei, hæc est hæresis Iconoclastarũ. Sed quibus præcursoribus se se impudenter in medium inferat,audiamus.

29 Ex ante ambulonibus eius quæ qualisue sit, & vnde emerserit,tu si sapis,facile colliges: & in primis in his,quæ spectant ad tempus,audi Theophanẽ,qui ait: Anno octauo Leonis Imperatoris Iudęus quidã oriundus ex Laodicea maritimę Phęnicis maleficus veniens ad Gizid Saracenorum tunc Principem,promittit eum quadraginta annis (alij habent triginta) retenturum Arabum principatum, si venerabiles,quę in Ecclesijs in toto Principatu suo imagines venerabantur, deponeret.

30 Huic itaq.credens stolidus Gizid,edictũ generale contra sanctas imagines promulgauit.

31 Sed gratia Domini nostri Iesu Christi, & intercessionibus Matris eius,omniũq. Sanctorum,mortuus est Gizid, pluribus adhuc nec audire volentibus Satanicum ipsius edictum Hęc summatim de ipso Theophanes, & cum hoc Baronius.

32 Qui num.20.addit totam historiam dicti Gizidi,& alia,vt habentur diffusius narrata in secunda,alias septima synodo Nicena à trecentis,& quinquaginta Episcopis celebrata aduersus hanc heresim,& sectã Iconoclastarũ vt ex Pohtio tradit copiosè Prateol. li.9.n.6 33 verb.Iconoclastæ. Videas apud ipsũ,& apud eũdem Baronium dict.anno 723.n.20. & 21.

34 Sub finem autem n.22. refert ipse Baronius ex longa admodum oratiõne illa,quam legndo in dicta septima synodo Nicena habuit Ioannes quidam religiosissimus Monachus,Vicarius Orientalium Episcoporũ,quod prædictæ hæresi contra venerationẽ,& cultũ sacrarum Imaginum adhæserit statim quidã pseudoepiscopus Natolię,illata Ecclesijs Dei 35 illius Regionis non modica iniuria. Verum n.24.addit hoc,quod multo peius est,nimirũ qualiter Leo Tertius Isauricus Imperator in eandem hæresim prolapsus turpissimè fuerit.

36 Atq.inde ingens persecutio secuta contra veros Catholicos quãcumq.sacram Imaginem adorantes,videamus, si lubet,ipsum cũ dicto Theophane loquentem Baronium.

37 Vidisti,inquit, lector, quibus gloriari possint antesignanis,Iconoclastæ,nempe Iudæis, & Saracenis,à quibus,& prò dolor, in transuersum actus est Leo Tertius Isauricus Imperator,de quo hoc eodẽ anno post recensita illa de Gizido Arabum Rege,ista mox Theo- 38 phanes subdit. Percepta ergo amara ista, & illicita nequaq.doctrina,Leo Imperator multorum effectus est causa malorum. Porrò cũ inuenisset indisciplinationis huius cõsentaneum quemdã Beser nomine, qui natus quidem deChristianis fuerat,sed captiuus in Syriam ductus,refuga fidei,quę est in Christum, repertus est,Arabũ dogma sectari apparuit.

39 Is ante tempus non multum liber ab illorum seruitute effectus cum venisset ad Rempublicam Romanorum,ob robur corporis, & consensũ prauæ opinionis honoratus est ab eodem Leone,qui Imperatoris fautor,& magni 40 huius mali factus est. Concordabat autem ei & Episcopus Natolię, qui indisciplinationi eius operam dans consimili vita viuebat cũ ipso.Huc vsque cum Theophane Baronius: apud quem multa inuenies de Imperatore Leone Isaurico circa eius hæresim, & persecutionem dictam.

41 Post mortẽ istius Imperatoris successores eius in Imperio,etiã successores in prædicto dogmate hæretico,& in bello impijssimo, ac crudelissimo inferendo sacris imaginibus, & Catholicis quibusuis à cultu earũ desistere 42 nolentibus. Tres cõmuniter assignantur,nẽpe Cõstantinus V.dicti Leonis III. Isaurici filius cognomine Copronimus, Leo item IV. istius Constantini filius, & Cõstantinus VI.fi- 43 lius ipsius Leonis IV. Omnes à Prateolo in indice successionis hæreticorũ,& in Elencho alphabetico in proprijs verb. inter hæresiarchas reponuntur:de vno quoq.ipsorum circa rem præsentẽ admodum copiosè tractat Baronius tom.9. Annal. Eccles. decursis annis quibus imperarunt,præsertim de Constantino V. Imperatore multo copiosius.

44 Qui sine dubio patrem suum,ac filium, & nepotẽ crudelitate,atq. impietate tũm in extirpandis,ac delendis sacris imaginibus,tũ in persequẽdis Catholicis earũ cultoribus,superauit,vt patet clarè ex morte iussu ipsius Cõstant. V.ingẽtibus, ac inenarrabilibus supplicijs & tormẽtis ob dictũ sacrarũ imaginũ cultũ crudelissime illata præstantissimo martyri

S. Stephano Iuniori Constantinopolitano.

45 De sanctissima huius vita, & gloriosissimo martyrio habemus, quod Deo sit gratia, enarrationem longissimā 15. foliorum ab illius tēporis scriptore fidelissimo, quippe à teste potius oculato, quā aurito, nempe S. Ioāne Damasceno eiusdem Beati martyris discipulo, seu filio spirituali elaboratam; eam quæso 46 legas attente, & non pœnitebit. Extant etiā eiusdem S. Damasceni orationes tres eruditione maxima refertæ pro cultu, & adoratione sacrarum imaginum, de eis à nobis infra iterum mentio fiat.

47 Tandem vt de origine, & progressu sectæ Iconoclitarum, ac de hæresiarchis, qui eā instituerunt, defenderunt, ac propagarunt, copiosius, & clarius innotescat, quod est nostrū intentum hic iuxta titulum præsenti Regulæ propositum, præter hactenus indicatos hæresiarchas in enarratione prædicta vitæ, & martyrij S. Stephani Iunioris prope medium, plures à D. Damasceno exprimūtur; audi expressionem proprijs eiusdem verbis.

48 Postea autem, inquit, cùm hæresiarchas illos, qui eandem cum eo doctrinam tuebantur acciuisset (erāt autē illi Theodosius Ephesi Episcopus, Constantinus Nicomediæ, Nacolius Nacoliæ, Sisinius item, ac Basilius, quorū alter Pastillæ, alter Tricacabi cognomentum habebat, ac præterea Calistus, de quo ante verba fecimus, & Cōboconon, qui in scribarū numero tū erat, ac deniq. Masuras, qui eadem cum Saracenis de religione sentiebat) ad Pa-49 triarcham: Qui cum non modo nomen idē, sed etiam eosdem mores, ac doctrinam eandē 50 habebat, eos mittit. Hac autem de causa id faciebat, vt vna cum ipsis ad Philippici monasterium nauigaret, atque cum diuinitus inspirato Stephano disputationem iniret. Hactenus verba S. Damasceni, quibus iam præsenti Regulæ finem imponimus.

Secta hæresiarcharum Aldeberti, & Clementis Scoti circaortum, & alia qualiter se habent.

REGVLA CCLVIII.

51 DVo isti hæresiarchæ tanquā duo monstra horrēdissima Ecclesiæ Catholicæ occidētali valdè perniciosa, simul eodē tēpore, anno scilicet 745. prodierunt, gubernacula Sūmi Pontificatus Romani Zacharia tenente.

52 Aldebertus natione Gallus in diuersis statim indicandis errauit contra Christianam fidē, atq. alios ad hos errores inducens peculiarē Sectā instituit, tametsi asseclæ eius cognomen Aldebertitarum, quod sciā non compararint.

53 De Clemente vero natione Scoto, seu Britāno pari modo circa prædicta philosophandū est, maximè quod sectæ ex varijs hæresibus illicò exprimendis institutæ auctor extiterit.

54 Ambo simul à pluribus Concilijs condemnati fuerunt.

---

55 QVo tempore impugnabatur Ecclesia Catholica in Oriente per Iconoclastas, vt vidimus Regula præcedenti, non defuit tūc ei bellum in partibus Occidentis, illatū ab his duobus hostibus infensissimis Aldeberto in Gallia nato, & Clemēte nato in Scotia insula 56 Britanniæ. Circa quos tradenda, & explicanda, prius à nobis, quæ ipsis communia sunt, & quæ simul de vtraq; traduntur, præcipuè (mirū quod Prateolus nullam de eis mentionem fecerit) à Baronio copiosè anno Domini 745. n. 21. 24. & seqq. vt postea facilius, & oportunius, quæ sunt propria vniuscuiusque explicentur.

57 Sumpto itaque initio ab eo, quo Regula nostra terminatur; En qualiter de condemnatione istorum hæreticorum Aldeberti, & Clemētis incipiat loqui Baronius anno 743. 58 num. 5. Quod verò, inquit, ad reliqua synodalia acta pertinet, liquet ex rebus gestis S. Bonifacij, damnatos ab eodem Bonifacio fuisse duos imposteros hæreticos, Aldebertum, & Clementem: quod testatur Zacharias Papa in litteris eodem anno ad ipsum Bonifacium redditis. Ita ille ijs paucis incommuni.

59 Sed pluribus magis in particulari de eadē illorum damnatione idem Baronius anno 745. n. 1. sic. Sequitur, inquit, annus Redēptionis septingētesimus quadragesimus quintus decimætertiæ Indictionis, quo habitum est Concilium Episcoporum in Germania à S. Bo-60 nifacio Apostolicæ Sedis legato. Vbi ea quæ succreuerant in agro licet sæpe culto spineta quæ iam magna ex parte duobus alijs Concilijs excisa fuere, immissa rursū Apostolica falce, idē Pontifex Bonifacius, vna cum collegis Episcopis, auxilio Christianorum Principum Carolomanni, atq. Pipini succidit. Actum est in eo præcipuè de duobus illis Aldeberto, atque Clemente, visumque est de ijsdem referēdum ad Romanum Pontificem. ita ibi.

61 Atque multo clarius infra n. 21 His igitur, inquit, ex Germanica synodo per S. Bonifacium missis litteris ad Regem Merciorum iā recitatis: reliqua, quę eandem consecuta sunt synodum enarremus. Vt quæ ibi aduersus hęreticos sunt decreta, tenaciori vinculo firmarentur, nēpe vt damnati Aldebertus, & Clemens, ab Apostolica quoq. Sede sententiam 62 damnationis acciperent: idem S. Bonifacius legauit Romā ad Zachariam Pontificem Deneandum presbyterum, quem alias, vt vidimus) anteā alia occasione in Vrbem miserat, cui & litteras dedit vna cum Actis ad eandē causam spectantibus, quibus Zacharias acceptis, Concilium Episcoporum collegit, in quo eosdē hæreticos condemnauit. hæc Baronius.

63 Coacto autē prædicto Concilio Romano iussu S. Zachariæ Papę lectæ fuerunt, ibi litteræ à S. Bonifacio transmissæ: ex quibus innotescit de qualitate dictorum hæreticorum Aldeberti, & Clementis, ibi præsertim.

64 Notum enim, inquit, sit Paternitati vestræ quia postquā indigno mihi mandastis in Prouincia Francorum, sicut & ipsi rogarunt, Sacer-

cerdotali Cōcilio,& Synodali Cōuentui præesse, multas iniurias, & persecutiones passus sum à falsis sacerdotibus, & adulteris presbyteris, seu diaconibus, & fornicarijs clericis.

65 Maximus tamen mihi labor est contra duos hæreticos pessimos,& blasphemos cōtra Deū & catholicā fidem. Vnus qui dicitur Aldebertus, natione Gallus est: alter qui dicitur Clemens,genere Scotus est,specie quidem erroris diuersi; sed pondere peccatorū pares. Hæc ex dictis litteris,quę per extensū adducit ibidem Baronius, sicut & alia acta illius Concilij Romani, quæ huc non spectant.

66 Sequuntur nunc tradēda particularia vniuscuiusq; ex illis hæresiarchis, desumpta ex eisdem litteris S.Bonifacij,& ex eisdem Actis Cōcilij Romani, prout ibi continentur, & refert idem Baronius dicto anno 745. num. 25. sub finem, sic.

67 Dicūt enim,inquit,de Aldeberto,quòd eis sanctissimum Apostolū abstulerim,patronum & oratorē, virtutumq; factorem, & signorum

68 ostensorē abstraxerim. Et n.26 sic. Sed pietas vestra audiens vitam eius,(loquitur S.Bonifacius cum S. Zacharia Papa) iudicet ex fructu, vtrum vestimentis ouium indutus,intus lupus rapax fuerit, an non. In primæua igitur ætate hypocrita fuit,dicens,quòd sibi Angelus Domini in specie hominis de extremis finibus mundi,miræ, sed tamen incertæ sanctitatis re-

69 liquias attulerit; & exinde potuerit, omnia quæcumque poposcerit à Deo impetrare.

70 Hac ergo simulatione (sicut Beatus Apostolus prædixit 2. Tim. 3.) penetrauit multorum domos, & captiuas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, quæ ducebantur varijs de-

71 siderijs: Et multitudinem rusticorum dicentium, quod ipse esset vir apostolicæ sanctitatis. Præterea conduxit Episcopos indoctos, qui se contra præcepta Canonum absolutè or-

72 dinauerunt. Vnde in tantam superbiam elatus est, vt se æquipararet Apostolis Christi, & dedignatus in alicuius Apostolorum, vel Martyrum honore Ecclesiam consecrare, in proprio honore dedicaret oratoria,vel (vt verius dicam) sordidaret. Ita ibi.

73 Adiungūtur ibidem alia de dicto Aldeberto, per quæ hæretica prauitas ipsius mag's innotescit, relata ab eodem Baronio num. 27. sic: Ad hæc etiam improperans cur voluissent homines visitare Limina Sanctorum Apostolorum: fecit eis cruciculas, & oratoriola in campis,& ad fontes, vel vbicumque sibi videbatur,& iussit ibi publicas orationes cele-

74 brari. In tantum, vt multitudines populorū spretis cæteris Episcopis, & dimissis antiquis Ecclesijs, in talibus locis Conuentus agerent, dicentes: Merita S.Aldeberti adiuuabūt nos.

75 Vngulas quoque suas, atque pilos dedit ad honorificandum,& portandum cum reliquijs Sancti Petri Apostolorum Principis. Tantis itaque flagitijs inuolutus præsumpsit quoddā quod maximum scelus, & blasphemia contra

76 Deum esse videtur. Venienti enim populo, & prostrato ante pedes eius, & cupienti cōfiteri peccata sua,dixit:Scio omnia peccata vestra,ideoq;non est opus cōfiteri ea: securi ergo & absoluti de peccatis vestris præteritis reuertimini in domos vestras cū pace. Hæc igitur, & his similia, quæ sanctū Euangeliū hypocritas facturos esse testatur, idē Aldebertus suo habitu,& incessu,moribusq; solet operari. Hacte-

77 nus ibi. Ex prædictis omnibus colligit benè Gualt.c.4. sec.8. errores istius hæresiarchæ Aldeberti, & ad quinq; tantum reducit eisdem verbis,quibus ibi in dictis litteris clarè continentur,nec est cur à nobis magis exprimātur.

78 Miror tamen, quod omiserit Gualterius sextum, & præcipuū caput erroris, de quo reperiebatur suspectus, & indiciatus Aldebertus circa inuocationē & adorationē Dęmonum, vt refert Baronius dict. ann.745. num. 314. & seqq. ex Actis prædicti Concilij Romani: proponam ad verbum prout ibi habentur.

79 Cum autem,inquit,tertia vice eodem die S.Zacharias Papa,cęteriq;Episcopi,necnō presbyteri supradicti,sed & alij clerici cōuenissēt in prænominatā Basilicā,Gregorius Notarius Regionarius, & Nomēclator dixit:Secundum quod à vestro S Apostolatu præceptū est in pręterito secretario,vt Deneardus religiosus presbyter hìc se vestris præsētaret obtutibus,præsto est prę foribus. Quid pręcipitis? Dictum

80 est: Ingrediatur. Cumque ingressus fuisset, Zacharias Papa dixit:Habes adhuc ex sacrilegorum illorum conscripto aliquid, quod corā Concilio proferre debeas ad legendum? Deneardus religiosus presbyter respōdit: Etiam, Domine mi, orationem, quam sibi Aldebertus componere nisus est; & ecce in manibus eam gero, iubete eam suscipi. Moxque suscepta est, & lecta oratio, cuius initium tale erat.

81 Domine Deus omnipotens, Pater Domini Nostri Iesu Christi, & te,& eo, qui sedes super septimum Thronū, & super Cherubim, & Seraphim, pietas magna, & dulcedinis satis est apud te, Pater sanctorū Angelorum, qui fecisti Cęlum, & Terram, Mare, & omnia, quæ in eis sunt: te inuoco, & clamo, & inuito super me miserrimo, quia tu dignus fuisti dicere: Quodcumq; petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 12. A te peto, ad te clamo, & Domino Christo confido animam meam.

82 Cumq; per ordinē legeretur, peruenit ad locū vbi ait: Precor vos, & cōiuro vos, & supplico me ad vos, Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michaël, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, An-

83 gelus Simiel. Dum vero hæc oratio sacrilega vsq; ad finē perlecta fuisset, Zacharias S. Papa dixit; Quid ad hæc sancti Fratres respōdetis?

84 S. Episcopi, & venerabiles presbyteri respōderunt: Quid aliud agendū est, nisi vt omnia, quæ corā nobis lecta sunt, igne cocrementur, auctores verò eorū anathematis vinculo percellātur? octo enim nomina Angelorū, quæ in sua oratione Aldebertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis, sed magis Dęmoniorum nomina sunt, quos ad præstandum si-

85 bi auxilium inuocauit. Nos autem vt à vestro sancto Apostolatu edocemur, & diuina tradit auctoritas, non plusquā trium Angelorū nomina agnoscimus, idest Michael, Gabriel Raphael. Hæc Patres, & ex eis Baronius.

86 Addens ex suo, quod inde perspicuò quiuis intelliget, librum quartum Esdræ nomine vulgatum, in quo frequens est mentio Angeli Vriel; ab Ecclesia Romana proscriptum, penitusque esse reiectum. Ita ille.

87 Addit autem ex eisdem Actis dicti Concilij Romani sic: Zacharias Sanctus Papa dixit: Optimè prouisum est à Vestra Sanctitate, vt conscripta illius omnia igne concrementur. Sed opportunum est vt ad reprobationem in scrinio nostro conseruentur ad perpetuam confusionem.

88 Concluditur itaque ex auctoritate Sancti Papæ Zachariæ, & totius Concilij Romani cum assistentia Spiritus Sancti celebrati, ab Aldeberto hæresiarcha, excepto Michaele, nomina Dęmonum potius, quam Angelorum fuisse prolata, & inuocata, & inde ipsum peculiari errore infectum.

89 Huc vsque de particularibus ad Aldebertũ hæresiarcham spectantibus; & quod vltimo loco dictum circa nomina Dęmonum per ipsum inuocata, præter Baronium relatum, adducunt & approbant duo ex nostris recentioribus eruditissimi, Martinus Delrius lib. 1. Disquisitionum Magicar. cap. 4. quæst. 4. & Ioannes Ludouicus de la Cerda in lib. de Excel-

90 lentia cęlestium spirituum cap. 5. Vbi nihilominus conatur ostendere cum Serario in cap. 12. Tobiæ, & Alphonso Salmerone tom. 3. tract. 3. alia nomina Angelorum, præter illa tria Michael, Gabriel, & Raphael, apud Catholicos, & pios viros fuisse vsu recepta, eò quòd significent aliquid diuinum, & propriũ Dei, sicut dicta tria, nempe Michael, Quis sicut Deus: Gabriel, Fortitudo Dei: Raphael Medicina Dei: Salathiel, Petitio Dei: Ierudiel Laus seu confessio Dei: Brachiel, Benedictio

91 Dei: Vriel, Lumen Dei. Non sic de nominibus ab Aldeberto inuocatis, cum sint Dęmonum, ac propterea ipse à dicto Concilio meritò condemnatus.

92 De Clemente item hæresiarcha quid in particulari? eius errores breuissimè attingit Gualterius cap. 5. Primò, quod sacros Canones reijceret, ac refutaret. Secundò, quòd eodem poneret ordine tractatus Sanctorum Patrum, & expositiones Hieronymi, Gregorij, S. Augustini, &c. Tertiò, quòd nullo planè loco haberet Iura Synodalia. Quartò, quòd Iudaismum introducens, affirmaret licitum esse Christiano, si voluerit, viduam fratris defuncti accipere vxorem. Quintò, quòd contenderet, Christum cum ad inferos descendisset, omnes quos inferus carcer detinuit, inde liberasse; credulos videlicet, & incredulos, nec non cultores idolorum. Sextò, quòd horribilia quædam de Prædestinatione assereret, quæ nullibi reperiuntur. Ita ille.

93 Verùm inspicias lector fontem, vnde ipse hausit, litteras scilicet S. Bonifacij lectas in citato Concilio Romano, prout refert Baronius dicto anno 745. num. 28. ibi. Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra

94 Catholicam contendit Ecclesiam, &c. Vbi additur, quod ipse affirmaret, se post duos filios in adulterio natos, esse posse legis Christianæ Episcopum. Atque iam dicta sint satis de duobus hæresiarchis Aldeberto, & Clemente, ac de Regula præsenti.

Quid de Paulicianorum Secta? quid item de alia à Felice Vrgellitano, & Elipando instituta, seu potius denuò excitata.

REGVLA CCLIX.

59 APud Phrygiam, & Licaoniã, Paulus quidam, & eius fęderatus Ioannes, refricantes Manicheismum, & Valentinismum, adiunctis alijs paucis hæresibus, extiterunt auctores Sectæ Paulicohannitarum, desumpto

96 cognomine ab vtroque. Quæ præcipuè viguit circa annũ Domini 810. Nicephoro Imperatore tunc eam sequente, & propagante.

97 Noua item in Hispania emersit secta ex eo solo errore grauissimo constans, quòd Christus Dominus secundum humanitatẽ sit filius Dei

98 tantum per adoptionem. Primus autẽ eius institutor communiter censetur Felix Episcopus Vrgellitanus, cui nimis adhæsit vti maximus fautor Elipandus Archiepiscopus Tole-

99 tanus. Sed re vera talem errorem prius ibi excitauit quidam nomine Theodiscus natiòne Græcus.

---

100 EX Sandero citante Euthimium hæres. 132. affert vt certum Gualterius c. 6. seculi octaui, quod Pauliciani, seù Paulicohãnitæ, sumpserint hoc nomen ab vtroque suo auctore Paulo quodam, & eius fęderato Ioãne (non exprimit ipse, nec alius, quod sciam, cuius professionis, aut qualitatis fuerint isti.)

101 Addens, quòd hi duo refricauerint Manicheismum, & Valentinismum, ac paucos alios errores adiunxerint ad instituendam peculiarem sectam.

102 Verùm hanc eius institutionẽ apud Phrygiæ, & Lycaoniæ regiones esse peractam, & viguisse maximopere ibi circa annum Domini 810. eo quòd tunc Imperator Nicephorus erroribus Manichæorum infectus hanc sectã protegeret, ac propagaret: deduco manifestè ex Cardinali Baronio dicto anno 810. nu. 2.

103 multa ibi tractante de perfidia, & impietate Nicephori Imperatoris, qui ob studium singulare protegendi, & propagandi sectam Paulicianorum (hos Baronius etiam Atinganos vocat) meritò inter hæresiarchas numerari possit, operæ prætium duxi qualitates illius hæreticas copiosius exprimere proprijs ipsius Baronij verbis, sic num. 1.

104 Sequitur, inquit, Redemptoris annus 810. Indictione tertia inchoata, quo Nicephorus Imperator persecutionem in Monachos dãnantes hæresim Mæchianorum, prosequens, in alios etiam conuertit tyrannidem, de qua Theophanes, qui præsens ista spectabat, postquam diras, & recens adinuentas exactiones

105 recensuit, hæc ait: Denique militares Principes more seruorum vti Episcopis, & inferioris

106 ris ordinis Clericis iussit. Adituris episco-
pia, & monasteria tributum imposuit persol-
107 uendum. Aurea, & argentea Ecclesiæ vasa
improbabat, eademque licet sacrata pro cō-
munibus habebat, illud Iudæ de vnguento
exhibito Domino vsurpās Matth. 26. Vt quid
108 perditio ista? Ait idem Theophanes ipsum
deridere consueuisse omnem Christianum
proximum diligentem. Ita Baronius, & per-
git sic num. 2. magis ad rem præsentem,
109 Sed vnde (quis dicet) tanta impietas ho-
mini, in quo nec vestigium quidem Christia-
næ pietatis? Possumus id quidem satis intel-
ligere ex ijs, quæ idem Theophanes hoc pari-
ter anno tradit: ipsum fuisse nimirum studio-
sissimum Manichæorum, de quibus hæc idem
ait: Manichæorum, qui nunc Pauliciani &
Atingani dicuntur, quique in Phrygia, Lycao-
nia constituti, confines eius habebantur, ami-
cus feruentissimus erat, responsis eorum sem-
110 per immolationibus congratulatus. In
quibus, & cum Bardianus Patricius contra
eum insurrexit, his aduocatis, hunc molitio-
111 nibus eorum subegit. Taurum quippe in
loco quodam, ferreo palo cornibus alligans,
ad terram incuruatum, sic dum mugeret, &
volutaretur, occidi fecit, huiusque vestem in
mola versa vice molens, & incantationibus v-
sus, victoriam tulit, permittente Deo propter
112 multitudinem peccatorum nostrorum. Isti
locum sub Imperio eius adepti sunt intrepidè
conuersandi; vnde multi seniorum nefandis
eorum corrupti sunt sectis) hęc Theophanes.
113 Quod igitur occultè Manichęus faueret Ma-
nicheis, non potuit non odisse magnopere
Christianos) hucusque Baronius de dicto Ni-
cephoro sortilegijs, & incantationibus pro ob-
tinenda victoria publicè vtente.
114 Peculiares autem errores sectę Paulioha-
nitarum hi communiter assignantur. Primò
quod affirmarent istis verbis contineri Sacra-
115 mentum Baptismi; *Ego sum aqua viua*; at-
que istis Eucharistiam, *Accipe, manducate, &
bibite.* Quod nihil est aliud nisi horum Sacra-
mentorum essentiam, instructionis verbo con-
cludere. Ita ex Sander. heref. 132. Gualterius
cap. 6. seculi septimi, vide apud ipsum.
116 Secundo, quod sanctissimæ Cruci omnem
cultum, & honorem detraherent, tametsi
alijs signis sacris, & imaginibus sanctorum
venerationem exhiberent, idem Gualterius
cum Sand. citato.
117 Tertio, quod quorumlibet Ecclesię Catho-
licę sacerdotum auctoritatem, ac potestatem
nequaquam admitterent. Tradunt ibidem
Sand. & Gualt.
118 Quarto quod asseclę huius sectę, Christia-
norum sibi nomen, Catholicis verò nomen
Romanorum tribuerent: sed hoc multo ante,
& Arriani in Hispania, & alij hęretici alibi fa-
119 citarunt. Vnde nihil mirum, si idem faciāt
nostri temporis Nouatores. Cum Euthymio,
Genebrardo, & alijs per eum citatis, affert
Gualterius relatus.
120 Sequitur agendum de altera secta, quam
præcedenti sub eadem Regula coniunximus,
pro vitanda multiplicatione titulorū, eo quod
eius doctrina exigua admodum appareret;
cum ob vnicum errorem contra fidem catho-
licam, iam ibi indicatum, fuerit instituta, &
pauca valdè apud scriptores circa ipsam inue-
121 nirem. Gualterius, cap. 7. seculi octaui, se
expedit his breuibus lineis: Felix, inquit,
Episcopus Vrgellitanus, versus montes Pyre-
næos, secutique eum Elipandus Archiepisco-
pus Toletanus, Iouinus, & Asiarius, aiebant
Christum, secundum naturam humanam non
esse filium Dei, nisi nomine, & adoptione.
122 Qui error cum duas personas, duosque fi-
lios, vnum naturalem, alterum adoptiuum,
vnum re ipsa, & vere, alterum solo nomine
poneret, hæresim Nestorij excitauit ab inferis
Hæc ille tantum, adiuncta sola collatione cū
Caluinismo, de more.
123 Prateolus item lib. 6. num. 5. verb. Felix
alius, breuissimè tractat de hac Secta, seu hæ-
resi, dicta Feliciana ab eius auctore Felice;
discordat tamen à Gualterio, & ab alijs in
declarando, quis fuerit iste Felix auctor dictę
Sectæ, & contra quam Catholicæ Fidei verita-
124 tem excitauerit ipse errorem. Et cum Pla-
tina in vita Adriani Papæ I. in id videtur in-
clinare, quòd fuerit Felix quidam Rauennas
Archiepiscopus; & quod iste errauerit circa
cultum sacrarum Imaginum, ex hoc errore
instituens peculiarem Sectam: atque quod ad
ipsum damnandum, fuerit Franconiæ Conci-
lium Generale celebratum,
125 Verum non video quo fundamento saltem
probabiliter hæc à Prateolo dicantur; cum
omnes, ipso excepto, de hæreticorum Sectis
scribentes, vt Feuard. in Appendic. Castrus
verb. Christus hæref. 3. Sander. hæref 131. &
Gualter. citatus (aliter Baronius statim citan-
dus, huius auctoritas instar multorum mihi
semper fuit, & erit) Felicem Episcopum Vr-
gellitanum in Regno Gotolano citarioris Hi-
spaniæ constituant ducem, seu antesignanum
126 prædictæ Sectæ. Et hanc fuisse institutam
ob solum illum errorem, quòd Christus secū-
dum humanitatem sit tātum filius adoptiuus,
absolutè affirment,
127 Concedit quidem Prateolus hunc errorē
filiationis Christi Domini per solam adoptio-
nem, spectare ad istam Sectam secundo loco,
ibi, Feliciana, inquit, hæresis dicit etiā Chri-
stum esse Filium Dei adoptiuum; ponitque
in Christo duas hypostases. De qua re lege
Beatum Thomam 3. part. quæst. 23. art 4.
128 Hæc ille. Sed cum supradictis Scriptoribus
ob solum istum errorem esse peculiarem Se-
ctam institutam meritò asseruimus; error au-
tem contra adorationem sacrarum Imaginū
iam supra in alia Secta fuit à nobis copiosè
declaratus.
129 Dixi quòd prius pauca valdè apud Scrip-
tores circa præsentem Sectam de errore filia-
tionis Christi per adoptionem inuenirem, ac
propterea hanc regulam, & declarationem
130 eius exilem fore putarem. At vbi primum
Cardinalem Baronium adiui, in aureis eius fo-
dinis summæ eruditionis inopinatò quidem
ingen-

ingentes thesauros pro locupletanda Regulę 131 nostræ doctrina reperi. Cogimur tamen moderatè sumere ex eis, quæ magis oportuna proposito nostro videbuntur, ne nimis, aut vltra ipsum diffundamur, atque ob id reliqua compendiosissimè attingere.

132 Tradit ille statim initio ann. 794. num. 1. qualiter conuocatis ex tota ferè Europa trecentis Episcopis, præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis à Papa Adriano I. missis, coram Imperatore Carolo Magno, & ad instantiam ipsius celebratum fuit Concilium plenarium Francofordiæ in Germania ad illum errorem damnandum ac penitus extirpandum: cuius celebrationis reddit ipse rationem sic.

133 Licet enim, inquit, Sancta Dei Ecclesia Catholica nihil quod de his vel leuiter dubitaret, haberet, vt potè quòd in Concilio Oecumenico Ephesino, quid de his sentiendum esset, fuisset plenissimè definitum, cum Nestorium condemnasset duos filios Dei introducentem, alterum secundum Diuinitatem, alterum secundum Humanitatem, atque nuper pariter damnasset Felicem Vrgellitanum Episcopum, asserentem Christum secundum carnē esse dicendum Dei Patris Filium adoptiuum.

134 Quem erroris pœnitentem diximus recantasse Romæ palinodiam apud Adrianum Romanum Pontificem: Tamen quia infelix Felix iste, vt canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota redijt ad volutabrum luti, rursus eundem quem damnauit errorem, & Romæ execratus est hæresim, professus publicè Catholicæ Fidei confessionem ad altare Principis Apostolorum: eandem ardentioribus animis iterum defendere est aggressus magno damno 135 fidelium animarum. Iterum ne malū longius serperet, & infusum venenum sana membra corrumperet, fuit ad plenarium iudicium reuocandus, eo magis, quod non solus tanti reperiretur assertor erroris, cuius ipse potius consectator, quam auctor dicendus esset. Hactenùs Baronius.

136 Qui vltimis verbis negat, aut saltē in dubiū vertit id quod Gualterius vbi supra, & alij affirmant, aut vt certum supponunt, Felicem scilicet Vrgellitanum Episcopum fuisse primum assertorē dictæ hæresis, quòd Christus vt ho-137 mo sit filius Dei tantum adoptiuus. Vt autem nobis facilius aperiatur via ad cognoscendum, quisnam primus illius fuerit inuentor audiamus denuò Baronium, parum retrò, nimirum ann. 792. num. 1. quomodo Elipandus Toleti ab illo Felice prædicta hæresi infectus fuerit, & alia hùc spectantia egregiè ostendentem.

138 Annus, inquit, sequens numeratus 792. decimaquinta Indictione, notatur, quo celebratum est Concilium Reganesburgi, siue Ratisponę, vbi damnatus est Felix Vrgellitanus Episcopus, quem sic damnatum Angelbertus Abbas Romam perduxit ad Adrianum Pontificem, vbi confessione rectæ fidei facta hæresim 139 damnauit. Et paulò post. Vrgellis est Ciuitas in Pyrenæi montis iugo sita, cuius Episcopus nomine Felix natione Hispanus, ab Elipando Toleti Episcopo per litteras consultus, quid de humanitate Saluatoris Dei, & Domini Nostri Iesu Christi sentire deberet, vtrum secundum id quod homo est, proprius, an adoptiuus filius credendus esset, ac dicendus:

140 Valdè incautè, atquè inconsideratè, & contra antiquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, adoptiuum non solum pronunciauit, sed etiā scriptis ad memoratum Episcopum libris pertinacissimè prauitatem opinionis suæ defendere curauit. Ita ille, desumens priora ex Annalibus Francorum, apud Reginonē, & posteriora, ex illis, qui sub Ludouico Caroli filio scripti sunt.

141 Sed multo clarius idem Baronius dicto anno 792. sub finem num. 2. vt habetur apud Leonem Aurelianensem Episcopum ab ipso citatum, sic: Vt igitur, inquit, ceteros omittam: emersit ex eadem Hispania tempore sāctæ memoriæ Caroli pijssimi, atque inuictissimi Augusti quidam Felix nomine, actu infelix, Vrgellitanensis Ciuitatis Episcopus.

142 Qui iuncto suo scelerato errori Elipādo Toletanæ Vrbis Episcopo, Christum secundum humanitatem non esse proprium filium Dei, 143 sed adoptiuum prædicare ausus est. Et hac virulenta doctrina vterque Hispaniam magna ex parte infecit. Hæc ibi.

144 Verum ad prædictum effectum contaminandi ea hæresi Hispaniarum prouincias, ac externas etiam nationes, si fieri posset, Elipādus, qui consilio, & suasione Felicis eam secutus fuerat, cum audisset, hunc abiurato, detestatoque errore, cum Ecclesia Catholica in manibus Papę Adriani I. reconciliatum esse;

145 Diligentissime curauit, vt ipse Felix ad vomitum rediret, & idem hæreticum dogma amplecteretur; vti diximus redijsse, & amplexum fuisse. De hoc egregiè Baronius ann. 794. num. 2. sic.

146 Erat enim, inquit, tantę blasphemię restitutor primariæ sedis Hispaniarum Antistes Elipandus Archiepiscopus Toletanus, qui vt vidimus, tantùm abfuit vt admonitus ab Episcopis, atque presbyteris orthodoxis, sibi subiectis emendaretur, atque damnatum ab ipsis detestaretur errorē, & Fidem Catholicam pe-147 nitus sequeretur; vt conuersus in arcum prauum, etiam longè positos Ecclesię Catholicę filios infectis veneno sagittis appetere non desisteret, factus hęresis non solum propugnator acerrimus, sed studiosissimus propa-148 gator. Si quidem nunquam destitit, neque quieuit, donec reuersum Felicem ad Orthodoxos, reuocauit ad castra impietatis, & potentius armauit ad pręlium, & exacuerit dili-149 gentius ad certamen: Probè sciens relabēti in crimen maiora suppeti solere ab Inferno subsidia; & loco vnius per pęnitentiam eiecti spiritus nequam, septena dęmonia vni in auxilium adiungantur, eademque nequiora mittantur ad funestiora patranda. Ita ibi Baronius.

150 Qui num. 3. & seqq eiusdem ann. 794. pergit circa idem, ostendens qualiter duo isti Ecclesię Catholicę hostes infensissimi bellum ei cru-

crudelissimum intulerint, curantes erroris sui semen etiam per vastas regiones Galliæ, & 151 Germaniæ spargere. Præcipuè Antistes Elipādus, qui per litteras veneno refertas quoscumque illarum Præsules ad suam doctrinam 152 hæreticam adducere conabatur. Quin etiā eousque progressus, vt Christianissimum Imperatorem, Turrim munitissimam Fidei Orthodoxæ, Carolum Magnum eodem veneno inficere tentauerit, scribens ad eum peculiarem epistolam, suum dogma hæreticum continentem, ita tamen melle delibutam, vt nihil amarulenti continere videretur, hortans ipsum ad interrogandos ea de re Theologos.

153 At prudentissimus Imperator, cognita inimici fraude, non contentus peculiarium Theologorum sententia, & decisione, statim egit cum Papa Adriano I. de cogendo plenario Concilio coram se in Ciuitate Francofordiæ: ad quod celebrandum præter Legatos Sedis Apostolicæ concurrerunt ex tota ferè Europa, vt iam cum eodem Baronio paulò an-154 tè à nobis traditum, trecēti Episcopi. A quibus veritas fidei indicata, ac error Felicis, & Elipandi meritò reprobatus, & damnatus, quod Christus Dominus secundum humanitatem sit filius Dei tantum adoptiuus.

155 Cum autem Elipandus se, suamque hæreticam doctrinam defenderet auctoritate Præsulum prædecessorum suorum Eugenij, Ildefonsi, Iuliani, &c. Ita Toletana Sede, quod isti fuerint vsi isto modo loquendi in Missa de 156 Cęna Domini. [Qui per adoptiui hominis passionem, dum suo non indulsit corpori. Item in Missa de Ascensione Domini: Hodie Saluator Noster post adoptionem carnis sedē repetiuit Deitatis, &c.] Vt continebatur in libello, quem ipse Elipandus in Gallias miserat, & in dicto Concilio lectus fuerat.

157 Talis Elipandi defensio à Patribus Concilij dupliciter reiecta legitur, vt refert ibidem Baronius num. 7. & seqq. Primò, dato & non cōcesso, Antistites illi Toletanæ Ecclesiæ fuerint vsi in suis Missis, & Precibus nomine adoptionis, & adoptiui, hic tamen vsus, seu modus loquendi nequaquam admittitur, sed vt con-158 tinēs manifestam hæresim reprobatur. Quia Ecclesia Toletana non est regula fidei, sed Romana per Summos Pontifices. Vnde Gregorius Romanus Pontifex, & Doctor totius Ecclesiæ in suis orationibus semper Christum vnigenitum Dei filium nominare non dubitauit: atque hæc fidei veritas testimonio Dei Patris nititur.

159 Reiecta fuit secundò defensio Elipandi à 300. Patribus Concilij, negando, quod prædecessores eius in Sede Toletana, maximè S. Ildefonsus, nominauerint Christum filium Dei adoptiuum, sed quod ipse Elipandus de eis id affirmet per summam calumniam, à qua multis ipsos vendicat Baronius dicto an-160 no 794. num. 9. 10. & 11. Atque hac occasione inquirit ipse de primo auctore huius erroris, & modi loquendi, quòd Christus Dominus secundum humanitatem sit tantum filius Dei adoptiuus: capiemus melius proprijs ipsius Baronij verbis.

161 At quisnam, inquit, fuerit certus, & primus huius erroris auctor in Hispania, dictum est superiori Tomo, si rectè memoria tenes, nempè successorem Sancti Isidori, pseudoepiscopum hæreticum hominem, qui & depositus transijt in Mahometanam impietatem, Theodiscum nomine, natione Græcum, ho-162 minem impostorem. Hic, vt dictum est, anno Redemptoris *636.* primus in Hispania asseruit Christum Dei filium esse adoptiuum Dei Patris Omnipotentis. En qualiter Baronius de primo auctore huius erroris loquatur.

163 Verum cum se ipsum citet, pro maiori notitia, præstat videre locum citatum. Successit, inquit, Beatissimo Isidoro Theodiscus natione Græcus, varietate linguarum doctus, exterius locutione nitidus, verius autem (vt exitus demonstrauit) sub ouina pelle lupus 164 voracissimus. Nam libros quosdam de naturis rerum, & arte medicina, necnon de arte notoria, quos Pater Isidorus facundo stylo composuerat, nec dum ad publicum venerant, modum fidei corrupit, resecans vera, & inferens falsa, atque per quemdam Arabem nomine Auicenam de Latino in Arabem 165 transtulit. Hic in ijs, & alijs pluribus infidelis inuentus, & erroneus in articulis Fidei, cōprobatus per Synodum, ab Archiepiscopali dignitate degradatus est: asserebat enim Dominum Nostrum Iesum Christum cum Patre & Spiritu sancto non esse vnum Deum, sed 166 potius adoptiuum. Hic (vt dictum est) priuatus honore Sacerdotij ad Arabes transijt, & Sectæ Pseudoprophetæ Mahometi adhæsit, & plura docuit detestanda sub Imperatore Heraclio. Hæc cum graui Scriptore Tudensi Baronius anno Christi Domini *636.* num. 10. de Theodisco, quem inter hæresiarchas enumerandum, quis dubitet?

167 Reuertamur tamen cum ipso Baronio ad annum Domini 794. & pro vltimo termino nostræ Regulæ sententiam condemnatoriam contra Elipandum, & Felicem, eorumque sequaces à dicto Concilio 300. Episcoporum latam, ex eodem Baronio num. 18. desumptā 168 referamus. Aduersus eumdem, inquit, Elipandum, atque Felicem sententiam profert istis verbis: Elipandum namque atque Felicem nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosa fæce perfidiæ pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, ac per rectæ fidei satisfactionem, lamentis se abluant pęnitentiæ, indignos, & ingratos eos etiam qui post hanc tam saluber-169 rimam definitionem, quam plenaria Synodus sancto afflata Spiritu concorditer subtili sinceritate terminauit, falsissimis eorum assertionibus, siue clam, siue publica voce 170 prębuerint assensum: Simili eos sententiæ vindicta sancimus esse plectendos, reseruato per omnia iuris priuilegio Summi Pontificis, Domini, & Patris Nostri Adriani primæ Sedis Beatissimi Papæ. Ita ibi.

171 Quod ait de iuris priuilegio Summi Pontificis, benè declarat ipse Baronius ibidem, quòd

quòd ex vi cuiusuis iuris spectet ad Romanũ Pontificem vti caput totius Ecclesiæ Catholicæ nouas condemnare hæreses, & hæresiarchas, sicut & Acta quorumlibet Conciliorum approbare, vel improbare, vti de hoc iam alibi à nobis dictum.

172 Et quidem quoad negotium præsens prçter condemnationem Concilij Francofordiẽsis, merito condemnati etiam fuerunt Elipãdus, & Felix ab Adriano Papa I. & hæretici declarati, quia Christum vt hominem, esse tantum filium Dei adoptiuum asserebant, & ipsum propriè, & strictè seruum vocabant: ob idque acrius reprehensi, vt tradit egregie vir doctrina Illustrissimus, & dignitate Eminentissimus Ioannes de Lugo, e Societate Iesu, disp. 28 de Mysterio Incarnationis sect. 3 n. 17. cuius hæc sunt verba.

173 *Porrò illam, inquit, fuisse mentem Concilij, & Adriani, dubitari non potest, si legantur Epistola Adriani, & Synodus ipsa, quæ licet congregata fuerit ad tollendum errorem Elipandi, & Felicis qui dicebant, Christum hominem esse filium adoptiuum Dei; ea tamen occasione ad illam aliam quæstionem digressi sunt, an Christus homo dicẽdus esset seruus Dei, prout Elipandus, & Felix eum appellabant? Et quidem seuerioribus verbis hanc locutionem damnarunt, quàm illam aliam de filio adoptiuo: sic enim ait Adrianus in illa Epistola circa medium.*

174 *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt adoptiuum eum filium, quasi purum hominem calamitati humanæ subiectũ, & (quod pudet dicere) seruum eum, impij, & ingrati tantis benefitijs liberatorem nostrum non pertimescitis venenosâ fauce susurrare. Cur nõ veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum seruum nuncupare, qui vos de seruitute Diaboli liberauit? Cui seruituti vos iterum nitimini perfidiæ spõte colla summittere.* 175 *Porrò cum essetis serui peccati, ipse vos liberauit gratuito munere per adoptionis gratiam in sortem filiorum Dei. Nũquid non sonat de vobis vox illa Domini dicentis: Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me? Tales gratiarum actiones, infelices ei refertis, vt qui vos honorificè liberos pretio sanguinis fecit, eum vos iniuriosè adoptiuum, & seruum, caninis non confundamini linguis latrare. Hucusquè ex epistola illa.*

176 *Quæ verba satis ostendunt quam acriter Pontifex illum modum loquendi reprehendat.* 177 *Hactenus S. R. E. Purpuratus.* An autem in aliquo sensu tropico, & largo modo possit Christus Dominus vocari seruus? post Franciscum Suarez tom. 1. in 3. par. disp. 44. sect. 2. & Gabrielem Vasquez ibidem disp. 8. cap. 4. tractat multis loco citato idem Eminentissimus Cardinalis de Lugo: videas, si lubet, apud ipsum.

178 Vltimo loco adducit Baronius à num. 21. vsque ad 39. per longam epistolam, quam peracto dicto Cõcilio, scripsit Imperator Carolus Magnus ad Elipandom, ac Felicem, & ad alios eiusdem perfidiæ socios, hortans eos ad resipiscendum, & ad sanam, veramquè fidei orthodoxæ doctrinam, iuxta sensum Romanæ Ecclesiæ amplectendam: atque hic finis præsentis Regulæ, & expositionis eius.

Qualiter Secta Albanensium se habet? qualiter ea Bognolensium, vel Concordensium illi valde affinis?

REGVLA CCLX.

179 Circa annum 796. Constant. VI. Imperatoris, & Leonis III. Summi Pontificis temporibus prodierunt quidam Hæretici nuncupati Albanenses, per quos ex Manicheo, & ex alijs hæresiarchis antiquioribus, nonnullis hæresibus collectis noua Secta fuit 180 instituta. De peculiari, seu primo eius auctore, ac de alijs circumstantijs prorsus igno-181 ratur. Ferè circa idem tempus, & eisdem regimen Imperij, atque Ecclesiæ tenentibus extitit Secta alia Bognolensium, aut Cõcordensium: quæ vndenam sic dicta, & à quonã primo fundata, nescitur: quoad errores, & quoad reliqua, vix ab illa differt.

---

182 Non desunt, qui coniungant, hos hæreticos Albanenses cum Albigensibus, de quibus nobis sermo infra erit in Seculo decimotertio, cum posteriores fuerint illis ferè per quadringentos annos; sic coniungẽtem inuenio D. Antoninum Archipręsulem Florentinum in sum. 4. par. tit. 11. cap. 7. vbi 183 ait. *Nota quod isti Albanenses sunt Albigenses. Contra hos Albigenses misit Innocẽtius III. qui fuit anno Domini M. CC. duodecim Abbates Cisterciensis Ordinis cum vno Legato.* Ita ibi: reponit ergo ipse Alba-184 nenses Hæreticos in Seculo XII. Cum alij Scriptores magis recentiores, vt Prateolus, & Gualterius citandi, istos vti diuersos ab illis in pręsenti Seculo VIII. adducant; & dictam diuersitatem inter Albanenses, & Albigenses supponant illi omnino certam.

185 Quãquam neuter illorum, nec alius quod inuenire potuerim, declarat, aut vllo modo indicat, vndenam isti Albanẽses hæretici nomen sumpserint, neque quis primus, seu pręcipuus huius sectæ institutor: solum exprimũt errores, ex quibus fuit instituta: quod & nos tantum præstabimus.

186 Primò errarunt contra Fidem Catholicã Albanenses cum Manichæis, Gnosticis, & alijs hæreticis constituentes duo principia opposita, seu duos Deos, alterum bonum, alterum malum. Vnde omnia bona ab illo, omnia verò mala ab isto profluxisse affirmabant. Propterea Vetus Testamentum vti malum, à Deo malo factum reijciebant: at Nouum Testamentum vti bonum, & à Deo bono institutum, & largitum, amplectebantur; ita Prateolus lib. 1. num. 22. verb. Albanenses, Alphonsus à Castro verb. Scriptura sacra, & Gualterius cap. 8. Secul. VIII.

187 Se-

187 Secundò, Ex prędicto errore nascitur Albanensium, quòd teneret ante Incarnationem Christi Domini sub Testamēto Veteri, aut sub alia lege nullos fuisse homines bonos, ac consequenter Adamum non fuisse à Deo, nec Mosen, imo eum malum extitisse. ibidem vterque, Prateolus, & Gualterius.

188 Tertiò, Erroneo, & blasphemo ore asserebant Deum per se ipsum nullum malum prędscire, sed tantum per aduersarium suum Dæmonem: cum de Fide certissimum sit, quòd Deus per suam infinitam præscientiam ante omnia sæcula in æternitate, vniuersorum præsensionem habeat. Ita præter citatos Prateol. & Gualter. Castrus verb. Præscientia.

189 Quartò, Contra illud 1. Ioann. cap. 2. Mundus transit, & figura eius, tenebant Albanenses, quòd Mundus semper fuerit, nec vnquam desiturus sit, sed semper in eodem statu permansurus. Castrus verb. Mundus, & ibid. Prateol & Gualter.

190 Quintò, Affirmabant, quòd Deus nequaquam creet nouas animas, nec eas infundat in corpora humana: sed quòd post alicuius hominis mortem anima eius transmigret in aliud corpus, vt hoc per ipsam vegetet, aut foueatur, iuxtà falsam, seu fabulosam opinionē Pythagoræorum. Prateolus, & Gualterius citati.

191 Sextò, Multiplici errore blasphemabant Albanenses cōtra Christum Dominum, nempe ex Beata Virgine carnem non sumpsisse, sed attulisse de Cęlo, ipsum non fuisse verum hominem, nec verè manducasse, neque passum esse, non verè mortuum, in vitam non reuocatum, in Cęlum non ascendisse: sicque hæreses Apollinaristarum refricabant. ibidem Prateol. & Gualt.

192 Septimò, Circa peccata diuersi extiterūt errores Albanensium. Primò, quòd nullum sit peccatum originis, ac proindè quòd infan-193 tes non egeant baptismo. Secundò, quòd peccatum à libero arbitrio non proficiscatur, imò quod nullum sit liberum arbitrium.

194 Tertiò, quod nullum sit peccatum in exercitio vsurarum, ac propterea quòd nemo per vsuram acquisita, vel aliter ablata restituere teneatur. ibid. Prateol. & Gualt.

195 Octauò, Contra sacramenta errarunt illi multipliciter. Primò, nullam inesse vim Bap-196 tismo. Secundò, eum qui peccatum commisit, nec debere, nec posse illud confiteri.

197 Tertiò, Sanctum Eucharistiæ Sacramētum 198 nihil esse. Quartò, Nec quicquam subsistentiæ habere Sacramētum extremæ vnctio-199 nis. Quintò, Matrimonium esse malum. Prateol. & Gualt. loc. cit.

200 Nonò, Omne Iuramentum ita esse Christianis interdictum, vt illo vti numquam eis liceat, errarunt in hoc Albanenses, sicut & in eo, quòd homo ex se possit largiri Spiritum sanctum, vbi supra Prateol. & Gualt.

201 Decimò, Cum Seleucianis, & Hermianis tenebant, materiam, ex qua factus est Mūdus, non esse creatam à Deo, sed ipsi Deo coęternam. Tradunt ijdem Prateol. & Gualt.

202 Vndecimò, Quòd nequaquam Ecclesia possit à communione fidelium reijcere, nec 203 sceleratos homines castigare. Imo quod non possit ipsa quidquam statuere, nec præci-204 pere. Atque nihil possidere nisi quod in commune conferatur, defendebant Albanēses. Ita ijdem Prateol. & Gualt.

205 Decimosecundò, Errabant etiam asserentes improbam Prælatorum, aut ministrantiū vitam, & Sacramento, & sucipienti sacramē-206 tum officere. Nullum item improbum posse validè creari Episcopum. Ibid. Prateol. & Gualt.

207 Decimotertiò, Cum errore sentiebāt circa ista, nempè nequaquam futuram corporū 208 resurrectionem. Item Iudicium generale factum iam esse, nec superesse vllum faciendū 209 Nulla dein subeūda esse alia in infernius supplicia, nisi quæ in hac vita sustinentur.

210 Imò nec vllum esse Infernum, aut Purgatorium. Prateolus loco citato, Castrus verbo Iudicium, ac verb. Infernum, & Gualter. dict. cap. 8. Secul. 8. Atque hactenus de Secta, & hæresibus Albanensium: de quibus nihil inuenio apud Baronium.

211 De Secta autem Bagnolensium quid? Isti secundum Prateolum, verb. Bagnolenses, & Gualterium cap 9. Secul. 8. vocantur etiam Baiolenses, aut Concordenses, vel Cozocēses.

212 Vndenam autem sumatur quadruplex ista nominatio non declarant dicti auctores; conueniunt tamen in hoc, quòd sub istis quatuor nominibus exprimatur vna & eadem Secta.

213 Tametsi D. Antoninus Florentinus loco citato, duas distinguat Sectas sub nominibus Bagnolensium, & Concordensium, adiunctas illi primæ Albanensium, ibi sic.

214 Fuerunt etiam, inquit, tres Sectæ hæreticorum, scilicet Albanensium, Bagnolensium, Concordensium, qui in multis erroribus eorum pessimis conueniunt, licet in paucis discordent. Hi dicunt quòd sint duo principia, vnum pęnitus bonum, & aliud pęnitus malū.

215 Ita ille. Et percurrit breuissimè errores Albanensium à nobis expressos, sed non adiungit alios, per quos istæ Sectæ inter se di-216 stinguantur. Vnde Gualterius loquens de præsenti Secta, cui quadruplicem denominationem tribuit, has quatuor lineas cum dimidia pro expressione eius tantum adducit.

217 Eosdem, inquit, cum Albanensibus errores habuerunt, præter paucos quosdam, qui illis fuere peculiares, de quibus nihil adhuc certi comperire valui. Quare eorum cum Nouatoribus haud aliam comparationem instituam, quàm quæ Albanensium instituta est. Hæc ille: quibus nos, cum nihil certi reperiatur, pręsentem Regulam claudimus.

De Sectis Claudij Taurinensis, & Godescalci quid dicendum? quid item de Theoda Pseudoprophetissa?

REGVLA CCLXI.

218 HAbetur vti magis commune, & certũ quòd Claudius Taurinensis Episcopus ad initium Seculi IX. spectet, tametsi alij 219 qui in XIII. Seculo eum reponant. Qui suscitatis aliquibus antiquis hæresibus, & adiũctis alijs, præcipuè illa, Baptismum scilicet esse inualidum, nisi fronti signum Crucis impri- 220 matur, nouam Sectam instituit. Godescalcus item, siue Gallus, siue Belga, diuersimodè errauit, præsertim circa Prædestinationem: Vnde peculiaris Sectæ Prædestinatorum au- 221 ctor censetur. Theoda denique Sueuica cum ingenti multarum animarum ruina prædicabat se scire verè, & determinatè prænuntiare diem vltimi Iudicij; atque propterea vti dux peculiaris Sectæ inter hæresiarchas meritò numeratur.

---

222 EXpendendum præcipuè id quod aliquantulum est controuersum inter Scriptores antiquos, & recentiores: nequaquam enim sunt concordes circa tempus, siue seculum, in quo scelestissimus iste hæresiarcha Claudius Taurinensis Episcopus prodijt, venenumquè suorum errorum contra 223 Fidem Catholicam sparsit. Cardinalis Baronius ad annũ Domini 825. & cum eo Gualterius cap. 1. seculi IX. in isto seculo, & circa dictum annum 825. prodijsse vt certum prorsus tenent, ex attestatione Ionæ Aurelianensis Episcopi, & aliorum antiquorum, quam co- 224 piose adducit idem Baronius. Et nos cum eo, vt de re præsenti clarius constet, ex parte saltem referamus oportet, quandoquidem eidem adhæremus, simulque vt manifestius de erroribus ipsius Claudij, ac de origine, & progressu eius innotescat.

225 Sic Baronius ibi num. 68. circa medium. Etenim, inquit, qui ea legatione functus est Ionas Aurelianensis Episcopus, contra impiũ Hagiomachum hominem scelestissimũ Claudium Taurinensem Episcopũ stylum exacuit. Extant quidem Ionæ ipsius, qui à Ludouico missus Romam functus est dicta nuper legatione ad Eugenium Papam, tres libri aculeati vehementer aduersus eundem Claudium 226 scripti. Quorum primo impugnat fractionem sacrarum imaginum: secundo eundem vrget impugnantem sanctæ Crucis adorationem: tertio, quo defendit Sanctorum cultum, & peregrinationem Romam pro venia peccatorum: quæ cuncta adeò feliciter præstitit, vt fortioribus enthymematum spiculis sibilantem lingua trisulca draconem extinxerit. Hæc ille.

227 Ex quibus apparet iam qualiter dictus Claudius ad formandam suam Sectam refricauerit præcedentium hæresiarcharum errores istos, supra à nobis explicatos. Primò de nõ venerandis sacris Imaginibus, sed potius frangendis, seu delendis. Secundò, de non exhibẽdo peculiariter vllo cultu Sanctæ Cruci, cum exhiberi supremus latriæ debeat. Tertiò, de non adorandis Sanctis, nec suscipiẽda peregrinatione Romam pro venia pecca- 228 torum. Sed quid est quod prædictus Ionas in primo ex suis tribus libris tantum impugnat fractionem sacrarum Imaginum, nulla facta mentione de priori erroris parte circa cultum eis non exhibendum? numquid quo ad hanc partem erat ipse eo infectus? Affirmanter ita respondet Baronius dict. ann. nu. 74.

229 Verùm, inquit, sic Ionas confecit bestiã vt tamen ab Ecclesia Catholica præmio di- 230 gnus minime fuerit iudicatus. Quippe qui etsi pugnauit contra Iconoclastas, non tamen è castris Ecclesiæ orthodoxæ, à qua errore pristino ex parte dissentit, dum ita non confringendas esse prædicauit Imagines, vt tamen eas non esse venerandas assereret, ex eorum classe vnus ipse, qui ad ornatum dũtaxat, & ad instruendum de rebus gestis fideles, non autem ad venerationem esse debere Imagines in Ecclesia sensit. Hæc ibi Baronius.

231 Eadem in Classe, & eodem modo, quo dictus Ionas, reponitur ab ipso Baronio ibid. num. 76. quidam Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis; qui etsi, inquit ille, hostis acerrimus fuit Felicis Vrgelitani, aduersus quem & commentarium scripsit (consequenter aduersus Claudium Taurinensem Episcopum, cum hic fuerit eius discipulus, vt statim videbimus) quem nuncupauit Ludouico Im- 232 peratori: Tamen in eo, quem de picturis, & imaginibus scripsit, Iconomachis consentit in omnibus, præterquam in cultu sacratissimæ Crucis, & quòd reliquas siue Christi, siue Sãctorum Imagines memoriæ causa, non tamen orationis ergo haberi posse concedat. ita ille.

233 Atquè his declarata obiter manet quasi Secta peculiaris Iconomachorum non frangentium, nec delentium sacras imagines, quemcumque tamen cultum eis negantium.

234 Verùm reuertamur ad Claudium Taurinensem, qui imagines Sanctorum non solum non venerandas, sed frangendas etiam, aut delendas esse docebat, atque vtrumque per se ipsum exequebatur, vt idemmet fatetur in Apologetico à se composito cuius meminit Baronius ibidem num. 61. eius verba audiamus.

235 Sed quam pestiferum, inquit, dogma, & ab Ecclesiæ auctoritate abhorrens in plebem sibi transfuderit commissam, libellus, quem ad Theodomirum venerabilem Abbatem, se caritate imperante, corrigentem, eumque à superstitiosa doctrina auertere volentem, scripsit, eundem legere, & nosse valentibus patenter demonstrat, in quo inter alia ista 236 leguntur. Hæc autem, inquit, (loquitur ipse Claudius) idcircò peruenit, quia postquã coactus suscepi sarcinã pastoralis officij, missus à pio Principe Sanctæ Dei Ecclesiæ filio Ludo-

Ludouico veni in Italiam Ciuitatem Taurini, inueni omnes Basilicas contra ordinẽ veritatis sordibus anathematum,& imaginibus 237 plenas. Et quia quod homines colebant, ego destruere solus cœpi; idcirco aperuernnt omnes ora sua ad blasphemandum me,& nisi audiuisset me Dominus, viuum deglutissent 238 me. Ista impius Iconoclasta docens, quibus indignationem incurrit Paschalis Pontificis, sub quo ista sunt patefacta: quod testatus est suo illo scripto Theodomirus; sed mortuo Paschali Papa, Claudius scripsit Apologeticum aduersus Theodomitum Abbatem. Hactenus Baronius cum Cladio.

239 Cui nequaquam videtur credendum in illa assertione, quod coactè susceperit dignitatem Episcopalem: imò prorsus voluntariè, & ambitiosè suscepisse præsumẽdũ: sed vt de modo, & occasione ascendẽdi ad gradum Episcopatus, ac de alijs qualitatibus huius impijssimi hominis nobis plenè innotescat, audiamus denuò Baronium dicto anno 825. n. 70. ex supradicto Iona aliqua referentem.

240 Porrò hunc, inquit, ipsum (vt rem altius repetamus) fuisse discipulũ Felicis illius dãnati in Concilio Francofordiensi, Ionas affirmat; de quo hęc ait: Ludouico feliciter imperãte, idem Felix in quodam discipulo suo, nomine Claudio, vt potè (vt verbis Beati Hieronymi vtar) Euphorbus in Pythagora, rena-241 scitur. Sed quando qualis intuserat, est detectus ter, quaterq. impius vt qui Arij, Nestorij, Vigilantij, & Eustatij (vt idẽ Ionas ait, hęreseos sectator esset, de cuius primordijs ex ipso Iona est pe tenda narratio, qui in Præfatione ad Carolum Ludouici Filium scripta trium librorum, quos aduersus eum conscri-242 psit, ista de ipso habet. Is namq. (Ludouicus videlicet Imperator) dilectissimus Princeps inter cætera bonitatis suæ studia erga diuinũ cultum amplificandum multiplici modo feruentia, quemdam presbyterum natione Hispanum nomine Claudium, qui aliquid tẽporis in Palatio suo in presbyteratus militaue-243 rat honore; Cui in explicandis sanctorum Euangeliorum lectionibus quantulacunque notitia esse videbatur, vt Italiæ, plebis, quæ magna ex parte à Sanctorum Euangeliorũ sensibus procul aberat, sacræ doctrinæ consultum ferret, Taurinensi præsulem subrogari fecit Ecclesiæ. Hęc ille.

244 En quis, & qualis fuerit hærasiarcha iste Claudius Episcopus Taurinensis: en fontes Arij, scilicet, Nestorij, Vigilantij, & Eustatij, vnde aquam venenosam hæreseon hausit. De interitu verò, & infelici eius fine si cupijs scire, accipe pauca ab eodem Baronio ad ann. dict. 825.. n. 69. seu potius ab Vualfrido Strabone de rebus Ecclesiæ cap. 8. sic.

245 Ipsa, inquit, deniq. querela Græcorum, tẽporibus bonæ membriæ Ludouici Imperatoris in Franciam perlata eiusdem Principis prouidentia scriptis synodalibus est confutata. Quam etiam Claudius quidem Taurinẽsis Episcopus, sed in veritatis, nominis sui similitudine, nutabundus, inter cæteras vanitatum suarum ineptias, cupiens renouare antequam diuersorum contra eum scribentium telis persoderetur, suo iudicio damna-246 tus interijt. Et fortasse qui Imperatoris fidelium, veluti in numero contempsit imaginẽ, ante tribunal ipsius, prauitatis suæ pariter, & inquietudinis pœnas exoluit. Non enim leuem iniuriam sæculi potentes sibi putant illatam, si imaginem suam, vel nomen, in quolibet numismate à subiectis despici cognouerint, & calcari. Hæc de Claudio Iconoclasta Valsridus his temporibus viuens, & cum eo Baronius.

247 Quod ait, antequam diuersorum contra eum scribentium telis perfoderetur, intelligi debet tum de ipso Valfrido, tum de duobus iam dictis Iona Episcopo Aurelianensi, & Theodomiro Abbate, ac de alio sic expresso à Baronio ibidẽ n. 76. Aduersus vero, inquit, impium Iconoclastam (nempe dictum Claudium (nõ Theodomirus, & Ionas tantũ, sed & Dungalus eiusdem temporis non ignobilis scriptor cõmentariũ eddir, quem recondi in 248 Pithęi bibliot. percepimus. Ita ille. Atq. hinc nobis concludẽdum superest, quod cum istis quatuor scriptoribus, qui vixerũt eodem tẽpore, quo Claudius iste hæresiarcha, à Baronio, & à Gualterio in seculo 9. circa annum Domini 825. meritò reponatur:

249 At Prateol. lib. 3. n. 21. de dicto Claudio sic ait: Claudius Taurinensis Episcopus Anglus genere, Ioanni Vuicleffo eius, & nationis, & hęresis ferè coęuus (teste Thoma Vualdensi, libro, quem de Sacramentalibus edidit tit. 2. cap. 16. adducto pro rei confirmatione, testimonio ex chronicis Iuonis Carnotensis) dux & magister fuit eorum, qui Crucem Dominicam nullo pacto esse adorandam di-250 xerunt. Quo tempore hæc pestis viguerit, cum ille subticeat, apud alium neminẽ aliud reperire potui. Sed cum Vuicleffo contemporaneus dicatur, hinc colligere datur, illum extitisse Caroli IV. Cesaris Germani, & Innocentij VI. Papæ ætate, circa annum Doni 1352. hæc ille.

251 Nequaquam tamen admittendum, quod Claudius fuerit coęuus Vuicleffo, cum secundum Alphonsum de Castro lib. 2. verb. adoratio, hęref. 1. idẽ Thomas Vualdensis loco citato testetur, hanc hæresim, quod scilicet Crux Dominica nullo pacto sit adoranda, iam sepultam post aliquot annos ab inferis suscitasse Ioannem Vuicleffum: ergo hic non fuit coęuus illi Claudio: quem affirmat Gualterius vbi supra, quingentis propè annis fuisse anteriorem Vuicleffo.

252 Præter dictos errores tribuitur Claudio Taurinensi Episcopo ille peculiariter, de quo in Regula, quod Baptismus sit irritus, ac nullus, nisi signum Crucis frõti imprimatur. ita Castrus verb. Baptismus hæref. 6. propè finem Prateolus ibidem, & Gualterius c 1 secul. 9.

253 Nota tandem differentiam, quod Baron. affirmet dictum Claudium fuisse Hispanum & discipulum Fęlicis Vrgelitani, vt vidimus, Prateol. verò fuisse Anglũ, nulla facta mẽtione de discipulatu. Vnde subibit fortè alicui cogitatio, quod isti Claudij sint diuersi; sed id cui-

cuicumque sic cogitanti discutiendum relinquamus,

254 Sequitur agendum de alia secta Hæresiarchæ Godescalci; de quo pari modo dubitatur fuerit ne Gallus, an Belga? Ex auctoribus alij in hanc, alij in illam partem inclinat, vt attingit cap. 3 secul. 9. Gualter. non decidens dubium, & ego similiter indecisum relinquo, cum nihil certi reperiatur circa ipsũ, & parum referat, vtrolibet modo teneas.

255 Quoad reliqua, quisnam fuerit iste Godescalcus, seu Gothescalcus (vtrumq. eius nomẽ apud Baronium citandum inuenio) quæ itẽ ipsius hæreses, quibus peculiarem sectã instituit, & qualiter propter eas fuerit in Concilio Moguntino condemnatus, à dicto Baronio ad annum 848. more nostro relatis eiusdem verbis, vel aliunde per ipsũ adductis, recipiamus.

256 Ex annalibus Francorum à Pithæo editis sic ille n. 4. dict. anno 848. Hoc eodem, inquit anno secunda synodus Moguntina sub Rabano Archiepiscopo celebrata est, &c. ac infra. Gothescalcus quoque quidam presbyter de prædestinatione Dei praua sentiens, rationabiliter, vt pluribus visum est, conuictus, & ad proprium Episcopum Hincmarum Rhemos transmissus est, prius tamen iuramento confirmans, quod in Regnum Ludouici vltra non rediret. huc vsque Annales, & cum eis Baronius.

257 Qui à n. 6. plura de eodem hæresiarcha adducit ex epistola dicti, Hincmari relata à Frodoardo lib. 3. hist. Rhem cap. 13. Quod autem, inquit, spectat ad Gothescalcum hæreticum in hoc Concilio condemnatum, vt cũcta quæ ad eum spectant, simul intelligas: hic tibi recitanda sunt, quæ de eo postea Hincmarus Rhemensis Episcopus scripsit ad Nicolaũ Papam: quæ quidem epistola extat apud Frodoardum in historia, quam scripsit de Ecclesia Rhemensi, in qua hæc post alia.

258 Guido mihi nuntiauit, quod cum eo de condemnatione, & captiuitate Gothescalci verba fecistis. Et quamuis iam alij de eo vos allocuti fuerint: nihilominus Odoni Episcopo quosdam articulos ad vestram Sanctitatem deferendos dedi, quos ex Doctoribus Catholicis contra impiam opinionem istius hominis pestilentissimi excerpsi, de quibus nihil adhuc mihi respondistis. hæc ibi: sed infra alia magis ad rem facientia.

259 Hanc, inquit, ob causam nunc vobis pauca aperire desidero, quo modo antequã Episcopus ordinatus fuissem, iste Gothescalcus Monachus Monasterij Ecclesiæ Metropolitanæ Rhemensis dicti Orbei, diœcesis Suessionẽsis (vt huius Abbas, & Monachi, cum quibus versabatur, testantur) homo animo elatus, quietis impatiens, nouorum verborum cupidus, insatiabili honoris ambitione incensus, proteruus, & tumultuosus, vt inani animi ostentatione, & falsa quadam nouitate sui nominis famam adipisceretur, adeptam latius opinionem propagaret, & propagatam ab

260 obliuionis iniuria vindicaret, certos articulos omnium falsarum doctrinarũ, quas tunc in his partibus huc & illuc dispersas esse nouerat, elegit, & collegit, vt istis illecebris, & lenocinijs, simplicium, deuotorumque sensus inescaret, & inescatos peruerteret, & Magistri nomen vsurpans, discipulos ad se pelliceret, & pellectos seduceret vitæ Religiosæ simulatione, & ijs præesset doctrina, qui à veritate auditum auertentes, & ad fabulas se cõuertentes, ad sua desideria magistros coaceruant prurientes auribus. hæc ibi, quibus de qualitate eius satis constat.

261 Ex alia tamen epistola dicti Hincmari ad Episcopum Lugdunensem eiusdem nominis accipe pauca à Baronio n. 7. post medium ad idem tendentia.

262 Dum laudari, inquit, hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quędam proferunt, quæ in antiquorum Patrũ libris non tenentur; sicque fit, vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditori-

263 bus stultitiæ semina spargant. Et quoniam hoc egisse Godescalcus in conuentu Episcopali conuictus fuit, idem Concilium (sicut scriptum est Prou. 26. Qui imponit stulto silentium, mitigat iras) silentium ei imposuit; mihi illum ad custodiendum commisit. & paulo post sic pergit,

264 Idẽ Godescalcus ordine Sacerdotali initiatus à Decano Rhemensi (hæc autem promotio constitutionibus Ecclesiasticis reluctabatur) contra suam regulam monasticam suo monasterio egressus est, & disiunctissimas terras peragrauit, vt suæ falsæ doctrinæ virus sẽ-

265 per euomeret. Tandem cum in Ciuitate Maguntiensi synodus coacta esset, huic interfuit, & ibi librum sui erroris Archiepiscopo Rabano obtulit. Qui ab omnibus Episcopis Germaniæ damnatus fuit &c. Errores autem huius hæresiarchæ Godescalci sic in particulari exprimit Gualterius citatus.

266 I. quod hæresim instaurarit veterum Prędestinatorum, seu Prædestinatiatorum, de quibus in quinto sæculo, affirmans vtique quosdam à Deo ad mortem æternam prædestinatos esse: taliter vt eis neque prosint nec prodesse possint opera bona.

267 II. Ex dicto errore alium ille deducebat quod non vellet Deus ex se, idest, voluntate etiam antecedẽte, omns homines saluos fieri idque contra manifesta sacræ scripturæ testimonia. Osee 13 Perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum 1. Tim. 2. ait S. Paulus. Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. & S Petrus 2. can 3. Nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti,

268 III. Godescalcus existimat, quod Iesus Christus mortẽ pro ijs dumtaxat tolerauerit, qui re vera saluantur. Quod ipse cogitur ex suis principijs deducere, contra illud 1. Io. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nõ pro nostris autem tantum; sed etiam pro totius mundi. Atq. hæc de secta Godescalci.

269 Quid tandẽ de secta Theodæ Pseudoprophetissæ? cum Sigiber. & Genebr. per eum citatis Gualterius cap. 2. secul. 9. breuissimẽ

eam

eam explicat sic: Suetia, inquit, erat anno 848. Moguntiæ ingenti multorum malo buccinabat scire se verè, ac determinatè prænũtiare diem vltimi Iuditij. Quamobrem cũ
270 ab Archiepiscopo carceribus mancipata esset confessa est spe lucri se adhoc factitãdum adductam. Huic autem merces fuit virgis cędi, & in exilium amandari. Hæc ille, quibus doctrina huius Sectæ, ac simul præsentis Regulæ expedita manet.

Origo Schismatis, & Secta Græcorum qualiter à Photio? & an præcursores Sacramentariorum Ioannes Scotus, Fredeuardus, & Bertramus?

REGVLA CCLXII.

271 PRæ cæteris monstris orientalibus horrendissimis, ac nequissimis, ingẽti horrore, & nequitia excelluit contra Fidẽ, & Ecclesiã Romanã Photius Hæresiarcha, Archiepiscopus Cõstantinopolitanus intrusus, & adhuc excellet in suis sequacibus, nẽpè in Græ-
272 cis schismaticis. Cum dux eorũ cõstituatur tùm in schismate, quod per tot sæcula durauit & huc vsq; durat, nõ admisso pro Ecclesiæ capite Romano Pontifice, tùm in errore contra Spiritũ Sanctũ, quod à solo Patre procedat, & in alijs ab eodẽ Photio inuentis, ex quibus, & ipsius, & dictorũ Græcorũ Secta adiũctis plu-
273 ribus decursu tẽporis coalescit. Itẽ Ioãnes Scotus, Fredeuardus, & Bertramus Sacramẽtariorũ pręcursores minus probabiliter cẽsẽtur

274 VIx vllus esset dicẽdi finis, & proportio in modo nostro procedẽdi haud seruaretur, si cuncta quæ ab scriptoribus, præsertim in Cardinali Baronio X. Tom. Annalium Ecclesiasticorum ab anno Domini 853. vsque ad 886. & alibi, de isto sceleratissimo, hæresiarcha Photio copiosissimè adducuntur, à nobis sigillatim expenderentur. Vnde attingenda solummodo, quæ pro exprimendis complete contentis in Regula conducunt.

275 Nihil de eius natalitijs, nihil de pueritia, & educatione, vsque ad grandiorem ætatem à prædictis scriptoribus, quod inuenire potuerim, traditur; educatus supponitur, & statim adhuc adolescens, aut saltem vir, immane bellum Romanæ Ecclesiæ, summisq; eius Pon-
276 tificibus inferens. Vnde Baronius prima vice, qua Photium dict. ann. 853. num. 88. circa medium nominat, ipsum fuisse hostem implacabilem Romanorum Pontificum testatur.

277 Dein idem Baronius ad annum Domini 858. num. 56. incipit agere de promotione Photij indignissima ad Sedem Patriarchalem Constantinopolitanã, deposito ab ea non sine ingenti ignominia viro sanctissimo Ignatio, & in carcerem detruso. hæc eius verba.

278 Ad postremum autem quæ in huius anni fine in Orientali Ecclesia luctuosa valdè cõtigere, hic vltimo loco narremus. Hoc namque anno cum Ignatius Cõstantinopolitanus Patriarcha vndecimũ Sedis annum expleuisset, atq; duodecimum ageret, factione Bardæ Patricij, penes quem summa erat administrationis Imperij, e throno iniquè deponitur, tyranniceq; in carcerẽ horrendum detruditur, atq; Photius eunuchus ex laico indignè sufficitur, consecraturq; die Natalis Domini, &
279 per secularem potentiam retinetur. Hinc initium magnæ tragędiæ haud vno, vel altero actu finitæ, quæ ad multorum annorum curricula propagata, & sub pluribus Romanis Pontificibus ducta, cuncta gemitibus repleuit, atque doloribus. Ita ille.

280 Subdit autem statim num. 57. causam cur Ignatius à dignitate Patriarchali fuerit depositus: tum quod dictus Bardus, ob repudium vxoris insontis, & cum cognata sibi spõsa consuetudinem contra sacros Canones, sępius ab illo redargutus, & adhuc à scelere publico non declinans, die Epiphaniæ à cõmunione Corporis Domini, quod recipere intẽdebat, reiectus fuerit, & Ecclesia interdictus,
281 atq; hinc Bardus in eum insanijt. Tum quod Imperatori iniustè præcipienti, vt matrem Theodoram in monacham inuitam tonderet, noluerit obedire, vti tenebatur, ne tondẽ-
282 do inuitam, peccatum committeret. Hinc Ignatius nõ solum à gratia Imperatoris lapsus, sed excitatis contra ipsum falsis calumnijs, etiam in inuidiam & odium illius, & aliorum iniquè ductus. ita Baronius ex Niceta, & Ioanne Curopalate, ac alijs veteribus Græcorum historicis, qui de hoc copiosius.

283 Verùm, vt tam depositio Ignatij à dignitate Patriarchali, quàm promotio Photij ad eam exterius saltem iustificata appareret, ad vtriusque effectum coactum fuit Concilium, seu potius Conciliabulum ex iniquis, & excommunicatis Episcopis, vt patet ex epistola Papæ Nicolai, tunc Ecclesiam gubernantis ad Imperatorem, & ex alia ipsius Imperatoris ad Papam, teste Baronio dict. nu. 56.

284 Qui num. 57. eiusdem anni 858. addit, aliquos ex dictis Episcopis fuisse missos semel solos, & iterum vna cum Patricijs ad suadendum Ignatio, vt Sedi Patriarchali renuntiaret, ac libellum renuntiationis præberet; sed nunquam id vllo modo, nec iniectis ei grauissimis comminationibus, ab ipso obtinere potuerunt.

285 De qualitate iam Photij, & de modo, quo ad Patriarchatũ per intrusionem ascendit, audiamus eundẽ Baronium ibidem n. 58. circa
286 medium cum Niceta sic dicẽtem. De Photio autem, inquit, imprimis agens, qualis esset & cuius ordinis ante Patriarchatum, enarrat, nimirum nobilitate insignem, Protospathariũ dignitate, munere à secretis Imperatori inseruisse, diuitijs pollẽtem, sententijs secularibus disertissimũ, antiquis etiam hac ex parte cõparandũ; sacrarum verò litterarum expertẽ, sed qui serò licet, vbi eum inuasit libido spiritualis præfecturæ, eas non qua decet animi sũmissione aggressus, nullo vsus magistro, ma-

 gistrum,

gistrum, qui docere alios posset, statim professus est, homo gloriæ appetentissimus, sexque diebus ex laico transformatus in Patriarcham, nimirum, (vt inquit ipse Nicetas) prima die de laico Monachus, secunda efficitur Anagnostes, tertio Subdiaconus, quarto Diaconus, quinto Presbyter, sexto denique Patriarcha, sedem Patriarchalem conscendens, alta voce Populo pacem annunciauit, nihil pace dignum cogitans. Ex Niceta huc vsque Baronius.

288 Hoc autem vltimū, quod ait, nihil pace dignū cogitans, verisimū apparet, vel ex eo quòd ob eius promotionē ad talē dignitatē non solùm S. vir Ignatius, sed alij etiā Episcopi nolentes consentire dictæ promotioni, cōtumelijs, & supplicijs crudelissimè affecti fuerint, vt ex veteribus historicis Græcorū prędictis, affert Baron. eod. anno 858. sub finem, 289 n. 57. ita, Sed & alij, inquit, cōplures Episcopi similia his, atq; adeò peiora pertulere, eo quòd ijs, quæ fierent, non assentiebantur, neque se alium recipere velle Patriarcham; (quodcumque accideret) exclamabant.

290 Attamen postmodum cedentes alij minis, alij pollicitationibus Bardæ voluntati obsequuntur, cū virtute, & gloria pecuniæ cupiditatē, & defectionem permutantes. hæc ille.

291 Verùm, quòd Photius cęteris monstris, & persecutoribus peior extiterit, vt dicitur prima particula Regulæ, audiamus à Baronio n. 63. dicti anni 858. vniuersaliter affirmante, huius Photij persecutionem fuisse crudeliorem quibuscumque.

292 Audisti, inquit, carnificinam ad destruēdam Ecclesiam ab Eunucho, nempe Photio. Comparari posset persecutio ista quibusuis alijs, siue à Schismaticis, vel ab Hęreticis, aut etiam Gentilibus aduersus Ecclesiam excitatis. 293 Sed illis eo ista deterior, quòd immanissimus persecutor pręcipuā verbis præfefert sanctitatem, & quo minùs probè factis caruit, eo magis verbis, scriptisq; se ipsum commendans, iustus, sanctusque, totusque Apostolicus affectauerit apparere. Sic ille, & statim addit.

294 Mea quidem, inquit, sentētia nullus deterior persecutor ita prostrauit Orientalem Ecclesiam, ac Photius: vt potè qui præter ista insuper manibus, pedibusq; conatus sit eā à cōmunicatione Ecclesiæ Romanæ diuellere, cuius dāna in dies grauiora in hanc vsq; horā 295 experiantur infelices orientales. hæc ille. Ex quibus manifestè innotescit, quòd nequissimus iste Photius primus auctor fuerit perniciosissimi schismatis, quo simul cū Gręcis, diuersæ nationes Orietales ab Ecclesia Romana, & à Sūmo Pontifice, non admittētes ipsū, vt Caput vniuersarū Ecclesiarū, separatæ iugiter manserunt, & vsq; ad præsens manet.

296 Nunc iam inuestiganda causa, seu occasio dicti Schismatis, vt aperiatur via ad colligēdos Photij, & Græcorū errores. Cū ex cōsensu Imperatoris Michaelis, & Bardæ procurasset Photius obtinere confirmationē suæ promotionis ad thronū Patriarchalē à Sūmo Ponti-297 fice Nicolao (haud dubiè videbat esse inualidā in persona inhabili de iure factā, & à sola potestate laica procedetē, per intrusionē) hunc falsò, & fraudulenter informans de statu rerum, quòd Ignatius spontè renuntiare voluisse, & in quodā Monasterio honori-298 ficè tractatus maneret: fraude tamen detecta Nicolaus per Legatos, quos in Orientem miserat, de veritate circa iniustitiā, & vexationem Ignatio illatam, ac circa reliqua certior factus: hunc innocentem in Concil. Romæ coacto declarauit, confirmauitq; in Sede 299 Patriarchali, ac contra illum tanquā Schismaticum, & Ducem Schismaticorū, deponēs ipsum à quocunq; gradu, atq; muneris Ecclesiastici fūctione sub grauibus pęnis acrē sententiam tulit; quæ Niceta, & ex alijs copiosè adducuntur à Baron. ad annum 862. & 863.

300 Hinc ansā sumpsit sceleratissimus Photius aduersus Nicolaum Papam, & aduersus quoscumq; cum eo sētiens furiendi, atq; ad eundē furorem Imperatorem Michaelē, ac quosuis Patriarchas, & Episcopos Orietales excitādi.

301 Vnde Encyclicam, siue circularem epistolam cum hac suprascriptione: Photius miseratione diuina Archiepiscopus Constantinopoleos nouæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha, per quam conuocatis illis, & coacto conciliabulo, dictum Nicolaum anathematizauit, &c. Exēplar epistolæ, vide apud Baron. anno 863. n. 41. Interim audi aliqua huc spectantia, quæ affert ipse anno 867 num. 77.

302 Primus, inquit, infelix Photius (ista sit illi loco gloriæ columna ignominię sculpta) Primus inquam extitit auctor, vt eius prætextu se ab Ecclesia Romana seiungi, ac penitus segregari professus sit, à qua se non recipi sciret ob sedis alienæ inuasionem, & alia innumera scelera perpetrata, vt erubescant eius in schismate sectatores tali auctore, quem, (vt audisti) crimina immanissima dedeco-303 rarunt. Qui vbi semel id profiteri, scriptis litteris cœpit, quæ reliqua fuerunt, erigendo sibi cathedram contra cathedram, angelum apostatam imitatus: par solium, imò altius contra sanctā Apostolicam Sedem constituendum putauit, vt non solùm illud vsurparit, quod Romanæ Ecclesiæ est solius, vt Oecumenicus diceretur, sed & à Legatis Sedis Apostolicę Fidei professionem exigeret, & epistolas ipse canonicas scriberet, quod spectat tantùm ad Romanū Pontificem, ita ille.

304 Sed magis in particulari loquēdo, sub hoc prætextu ausus est Photius, Nicolaū Papā, & omnes ei adhęrētes anathematizare, & notā hęresis eis falsò, & sine fundamento inurere, quòd tenerent Spir. S. à Patre, & à Filio procedere, & hoc expressissent in symbolo ad-305 iuncta ei particula, Filioq. De qua expressione querelam peculiarem affert in dicta epistola circulari, in qua, vt refert Baronius num. 45. in hunc modum Photius contra Nicolaum Papam, & sequaces eius.

306 Pręter enim, inquit, absurdientes, quas supra recensuimus, sacrū etiā, & S. Symbolū, quod ab omnibus Synodicis, & Oecumenicis calculis

culis irrefragabilem vim habet, & auctoritatem, spurijs, & falsis quibusdam diceptationibus, & alienis rationibus, & audaciæ quodã excessu adulterare non dubitarunt. O mali dæmonis artes! Spiritum sanctum, nõ ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere nouiter docentes. Quis nunquam talem vocem ab ijs, qui alias impie sunt locuti, prolatam audiuit? Quisnam obliquus serpens eorum cordibus hoc instillauit, & iniecit? hæc & alia ille ibi.

307 Sed multo plura in epistola peculiari ad Patriarcham Aquileiæ, seu Venetorum, relata à Baronio anno 883. à nu. 6. quibus conatur Photius radicare omnes Grecos, & alios Orientales in hac falsa opinione, quam iam tenebant, quod Romani Pontifices, & cuncti Latinæ Ecclesię eos sequẽtes essent hęretici, eo quod defenderunt Spiritum sanctum procedere à Patre, & à Filio.

308 Verum fallitur Photius, falluntur etiam Græci & alij Orientales, quin potius ipsi turpissimo schismate, & perniciosissima hęresi irretiti semper manserunt, & vsq. in presentẽ diem manent, credentes falso contra veram, & Catholicã Fidem, quam nos amplectimur, quod processio Spiritus sãcti sit à solo Patre; 309 ac proinde cogente necessitate, ne schisma eorum, & hæresis ad partes occidentales diffunderetur, celebratis prius varijs Concilijs in Gallia, & in Hispania, vrgentibus pro expresione duplici particulæ, Filioq. ac vltimo Romæ celebrato plurium Episcoporum cum maxima discussione, & opportuna deliberatione, à Sũmo Pontifice dictæ particulæ symbolo Nicęno additæ fuerũt, vt de isto articulo Fidei, quod Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat, magis populo Christiano innotesceret, ac periculum errandi euitaretur.

310 Nõ est nostri instituti ista copiosius hinc inde tractare, neq. historicè pluribus ostẽdere: vnde præter Baronium ad annum pręcipuè 883. à nu. 35. videas Alphonsum de Castro verb. Deus hæres. 12. Bellarminum lib. 1. de Concil. cap. 5. & Azorium instit. Mor. par. 2. lib. 5. cap. 16. vt iam nos errores Photij, & Grecorum colligamus.

311 Primus itaq. & præcipuus error illorum est, quod pertinaciter negent Spiritum Sanctum à Filio procedere, sed tantum à Patre; adeo vt ista fuerit vna, & principalis causa, cur à Romana, & Catholica Ecclesia desciuerint: ita Castrus verb. Deus hæres. 12. Prateolus verb. Græci, & Iacobus Gualt. c. 4. secul. 9.

312 II. Errauit Photius in eo quòd duas animas in vnoquoque homine constitueret, aut saltem fictè, licet non ita sentiens populo simplici, ac rustico id suaderet: nam reprehẽsus à Constantino Philosopho, magnæ sanctitatis viro, quòd tantum errorem in populum 313 spargeret, respondit. Non studio quemquã lędendi talia, inquit, proposui, sed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, si suo tẽpore qualibet hæresis per syllogismos philosophorũ exorta patesceret: affert Baronius annal. 869. num. 18.

314 III. Tenent pertinaciter Græci, quod Sacramentum Eucharistię non possit confici in azymo pane, sed tantummodo in fermẽtato.

315 Atq. propter hoc etiam falsissimum dogma ab Ecclesia Romana, vt schismatici disiuncti sunt, sugillantes eandem Ecclesiam Romanã Catholicam quod in azymo Eucharistiam 316 conficiat. Et ob hanc causam, teste D. Anselmo in Epistola quadam de azymo, & fermentato, omnes Latinos vocant Azymitas, eosq. anathematizãt, & haud permittunt ipsos celebrare, vt ait Guido Carmelita, in altaribus 317 suis. Quod si contingat in altari Grecorũ per sacerdotem Latinum in azymo sacrum mysterium confici, eis inscijs, aut coactis, ipsũ altare statim lauant, eo quod teneant esse pollutum ex falso, vt ipsi putant, sacrificio per talem Sacerdotem confecto in azymo. Iita cũ citatis auctoribus Prateolus verb. Græci.

318 IV. Circa idem Sacramẽtum Eucharistię errant Græci, vinum in calice sic apponentes, vt nullam pęnitus aquam ammisceant, 319 eamq. minimè esse miscẽdam affirmẽt. Qua in re contrarij sunt Aquarijs hæreticis, qui vt vidimus supra, non esse apponendum vinum in calicis consecratione, sed aquam solam defendũt: ita Alphonsus de Castro verb. Euchar. hæres. 7. & Prateolus ibidem.

320 V. Item necessarium esse, etiam laicis, sub vtraq specie communicare. Qui error damnatus fuit in Concilio Constantiensi sess. 13. Tradunt Castrus verb. Euchar. hęres. 13. & Gualt. dict. cap. 4 secul. 9.

321 VI. Errant etiam asserendo homines malos non accipere Corpus Cristi Domini, dũ consecratum panem accipiunt. Prateolus & Gualt. loc. citato.

322 VII. Dein cum errore tenent Sacramentum Eucharistiæ, si feria quinta in cęna Domini conficiatur, esse maioris virtutis, & 323 efficacitatis, quam si vllo alio die. Propterea eo dumtaxat die celebrant: & consecratam illò die Eucharistiam per totum annum asseruant, vt ad ægrotos deferant. Ex Guidone Carmelita affert Prateolus vbi supra.

324 VIII. Est item Græcorum error, quod Sacramentum Eucharistiæ, sit administrandum infantibus statim post baptismum susceptum. Prateolus, & Gualterius citati.

325 IX. Præterea circa Baptismum allucinantur ijdem, asserentes non esse baptizandos infantes ante octauum diem, etiamsi quouis mortis periculum impendat. Ex Sandero per eum citato affert Gualterius ibid. nu. 14.

326 Addens n. 15. ex eodem, quod similem contineat Ministrorum barbariem erga fęminas in partu periclitantes.

327 X. Adeo addicti sunt Græci suis ritibus, vt iterum baptizandos esse affirment, qui à Latinis baptizati fuerunt. Ita ex Sander. hęres. 135. & ex Prateol. ibid Gualt. citat.

328 XI De Sacramento extremæ vnctionis errone sic sentiunt, quod non prosit ægrotantibus ad salutem corporis. Prateolus, & Gualterius relati.

329 XII. Nō deest eis error circa Matrimonij Sacramentum, nam primas nuptias admit-
330 tunt, & secundas prorsus damnant. Itē asserunt Matrimonium pro cuiusq. arbitratu dissolui posse. Tradunt ibidē Prateolus, & Gualterius cum Castro verb. Nuptiæ hęref. 2.

331 XIII. Reprobatus fuit duplex error Gręcorum in Concilio Florentino, quod animæ decedentes in gratia non sint beatę ante diem
332 Iudicij Vniuersalis. Similiter, quod reproborum pęna in diem dicti Iudicij differatur. Castrus verb. Beatitudo hæref. 6. Prateolus, & Gualterius locis citatis.

333 XIV. Duplici item errore astringuntur il-
334 li, primo quod non sit Purgatorium: secundo consequenter, quod defunctis viuentium suffragia nihil prosint. Ita Castrus verb. Purgatorium, hæref. 1. & verb. Suffragia defunctorum. Prateol. & Gualter ibid.

335 XV. Tenent etiam non esse peccatū, si quis det ad vsuram, neq. esse illicitum res sacras vendere. De vtroq. Castrus verb. vsura, & verb. simonia, ac Gualter. de primo ibidem, Prateolus.

336 XVI. Hunc item errorē Græcis impingūt Castrus verb. restitutio, & Prateolus, ac Gualterius locis citatis, scilicet non esse necessariam ad salutem animæ, vsurarum, aliorumue furtorum restitutionem.

337 XVII. Quod simplex fornicatio nō sit peccatum, post multos alios hæresiarchas, defendunt etiam Græci, huncq. errorem tribuit eis Guido Carmelita, vt refert Alphonsus de Ca-
338 stro verb. Coitus hæref. 1. Vbi contra Martinū de Magistris multis ostendit ex scriptura sacra, verè esse hæreticum illum, qui affirmat, quod simplex fornicatio non sit peccatū. Vide Prateolum, & Gualterium adductos.

339 XVIII. Sapit Iudaismū id quod obseruant Græci instaurato mandato abstinendi à suffocatis, & ab alijs carnibus lege veteri prohibitis. ita Prateol. & Gualter. vbi supra.

340 XIX Error est etiam Gręcorum non exiguus, secundum eosdem Prateolum & Gualterium ibid quod Ecclesiæ Romanę Primatum abijciant, ac illi Constantinopolitanam Ecclesiam præferant. Ex Sandero hęref. 135. adducit ibid. Gualter.

341 XX Qui tandem addit cum eodem Sandero, quod illi ita sentiant Latinorum Ecclesias esse claudendas, suaque monachis eripienda monasteria, qui hos errores amplecti noluerint.

342 Vltimo loco de constantia, & mutabilitate Græcorum Schismaticorum, ex Hosio lib. de Sacerdotum coniugio sic loquuntur Prateolus, & Gualt. relati, quod quater decies se ad Ecclesiæ Catholicæ corpus reduxerint, totiesque se ab eo alienauerint. En ad quam miserū statum Photius eos reduxerit.

343 Superest aliquid dicere de tribus illis Ioanne Scoto, Fredeuardo, & Bertramo: non desunt qui eos faciunt pręcursores Sacramentariorum negantium realem præsentiā Chri-
344 sti Domini in Eucharistia. Alij tamen eos ab hac nota liberant; sigillatim de vnoquoq. breuiter discutiendum, vt magis quę sunt propria singulorum, innotescant.

345 Quoad primum, ex populis Scotis Britanniæ Insulæ oriundus iste Ioannes, ac proinde vocatus Scotus, monachus fuit Ordinis Sancti Benedicti, & Venerabilis Bedę discipulus vt ex alijs refert Gualter. cap. 5. secul. 9. Qui oportunè monet lectorem, caueat ne hunc Ioannem Scotum Benedictinum confundat cum Ioanne Duns Franciscano, qui similiter Scotus vocatus est, & Doctor Subtilis, illo quidem multis sæculis posterior.

346 Circa doctrinam illius prioris suspectam in communi audiamus Baronium anno 878. n. 70. circa medium. Alter, inquit, Ioannes natione Scotus è Gallijs, vbi manebat apud Carolum Regem, rogitatus magnopere à Gallis, pręsertim verò à Floro, ob errores quosdam assertos ab ipso in libro, quē scripsit de Naturæ diuisione, in Angliam ad eundem se contulit Regem: vbi Melduni Magister docuit. & immediatè post sic.

347 Eundem Ioannem apud Nicolaum Papā (refert Reger. annal. par. 1. anno 880.) malè audisse ex eius epistola ad Carolum demon-
348 stratur, ex qua ista promuntur. Relatum est Apostolatui nostro, quod opus Beati Dionysij Areopagitæ, quod de diuinis nominibus, vel cęlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes Scotus genere nuper in latinum trāstulerit. Quod iuxtà morem nobis mitti, & nostro iudicio debuit approbari, pręsertim cum idem Ioannes licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim nō sanè sapere à quibusdam frequenti rumore dicatur. hæc ibi.

349 En vnde iste Ioannes genericè saltem suspectus in doctrina appareat: sed quid quoad casum particularem, de quo hic agimus? Tribuitur etiam ei quidam liber, in quo scriptum reperitur nihil esse in Eucharistia, nisi figuram corporis Iesu Christi: ac propterea dānatus fuit à Concilio Vercellensi, vt testatur Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis in lib. de veritate Eucharistiæ, extat tom. 6. Bi-
350 blioth. Patrum. Hinc Alanus lib. de Euchar. cap. 21. & alij putant primum sacramentariorum auctorem fuisse Ioannem Scotum.

351 Verum Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Eucharist. cap. 8 firmiter tenet, hunc Ioannē Scotum, licet nonnullam de hac veritate realis præsentiæ Iesu Christi in Eucharistia quęstionem mouerit, nusquam tamen eam aperte abnegasse: cuius Bellarmini iudicio præexcellenti quidem, maximè in similibus inuestigandis, standum videtur, sicut stat Gualterius
352 ibidem. Quid quod ipse Cardinalis Baronius ad finem anni 883. n. 41. agens de illius morte fęlicissima, vocat ipsum Sanctum, & fuisse martyrē affirmat, cius verba ab alijs desumpta ne graueris audire.

353 Moritur, inquit, hoc anno magni nominis huius temporis Ioannes Scotus, licet (vt superius dictum) eius scripta erroris fuerint redarguta: de quo accipe quæ Vuillelmus Malmesburiēsis lib 2. c. 4. scripserit in suis commen-

mentarijs de rebus gestis Regum Anglorum. Succedētibus, inquit, annis munificentia Aelfredi Regis allectus venit in Angliā, & apud Monasterium nostrum à pueris, quos docebat graphijs, vt fertur, perforatus, etiam martyr æstimatus est. Quod sub ambiguo ad iniuriā sanctæ animæ non dixerim, cum celebrē eius memoriam sepulchrum in sinistro latere altaris, & epitaphij prodant versus, scabri quidem, & moderni temporis lima carentes, sed ab antiquo non adeo difformes.

354 *Clauditur hoc tumulo Sanctus Sophista Ioannes,*
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro.
Martyrio tādem Christi conscendere Regnū
Quo meruit, sancti regnant per secula cūcti.

Hæc de Ioanne Scoto; licet causam cur ea passus sit, vt martyr possit haberi, nullus prodat.

355 Quid iam de Fredeuardo, sen Frudeguardo? Ab hoc citò me expedio, relatis paucis verbis Gualterij loco citato, discutientis cū Genebrardo in Ioanne VIII. an ille fuerit præcursor sacramentariorum.

356 Quoad Fredeuardum, inquit, siue Fredeguardum spectat, similem ab eo post huius seculi Noni medium excitatam quæstionem lego (nimirum apud Genebrardum relatum) cui ipso eodem tempore, data ad illud epistola, doctissimè respondit magnus ille Abbas Corbiēsis Paschasius, qui librum insuper scripsit de sacramento. Hunc vna cum prædicta ad Fredeuardū epistola petet lector ex to. 4.

357 Bibliothecæ Patrum. hęc ille. Ex quibus liquet quod iste Fredeuardus ad summū mouerit quæstionem circa veritatem præsentiæ Christi in Eucharistia, non quod eam vnquā abnegauerit, vt dictum cum Bellarmino de Ioanne Scoto: ergo ille nequaquam fuit præcursor sacramentariorum.

358 Denique Bertramo Presbytero, qui vixit circa annum Domini 886. multi ascribunt librum illum de Sacramēto Corporis Domini ad Carolum Crassum in Catalogo Concilij Trid. censura notatum, vbi subobscurè habetur non idem esse corpus in Eucharistia, quod ex Virgine natum est. Ac propterea Guilielmus Alanus vbi supra iudicat à dicto Bertramo fuisse inuentam ineptā illam distinctionem Corporis Christi in tria, vnum verū, alte-

359 rum mysticum, tertium sacramentale. Quā distinctionem optimè confutat supradictus Paschasius in sua expositione verborū Christi, Cęnantibus autem eis &c. Matth. 26.

360 Cardinalis tamen Bellarminus loco citato hunc Bertamum cum Ioanne Scoto coniungit, & de vtroq. pari modo loquitur, nimirum eos fortassis dubitasse de dicta reali præsentia Christi in Eucharistia, & de ea quæstionem excitasse, nunquam tamen ipsam manifestè reiecisse. Confirmatur testimonio Claudij Sātesij in Repetitionibus de Eucharistia, vbi ait Bertramum fuisse virum bonum, & Catholicum, falsoque ei ascribi librū

361 illum. Item confirmatur etiam pro Ioanne Scoto, & Fredeuardo, quia secundum Diuum Thomam 3. par. quæst. 75. art. 1. & secundum alios, quo citat, & sequitur Gualterius, nunquam fuit negata dicta realis præsentia, quousque circa eam insaniuit Berengarius, de quo nos infra: ergo &c. Atq. ijs finis seculis Octauo, & Nono imponitur.

CAPVT XIII.

De diuersis hæresum, & hæresiarcharum sectis, fidem Catholicam oppugnantibus, quæ per duorum seculorum spatium, nempe Decimi, & Vndecimi, varijs in locis prodierunt.

PROOEMIOLVM.

1 SEcula duo pręcedentia pari modo habuerunt viros sanctitate, & doctrina præstantissimos, qui fortissimis Fidei Catholicæ armis quascumq. hæreticorum sectas in primis per nos in vtroq. expressas oppugnauerunt, maximè illam perniciosiorem, & crudeliorem Iconoclastarum, seu sacris imaginibus cultum, ac venerationem negantium, easq. combustione, vel rasura, aut aliter destruentium, atq. ipsarum cultoribus tormenta horrendissima inferentium, ac etiam eos mactantium, vt exemplo gloriosissimi martyris S. Stephani Iunioris clarè vidimus. Peculia-
2 ri Dei Opt. Max. prouidentia extitit tunc præter alios (quos relinquo, a te videndos, si lubet, apud Genebrardum, ad finem Octaui, & Noni seculi, & apud Gualterium in Tabulis Chronographicis dictorum seculorum) S. Ioannes Damascenus, columna firmisśima totius Christianitatis, qui pro stabiliendis contra hæreticos quibusuis dogmatibus Catholicis, tres eruditisśimos li-
3 bros de Fide orthodoxa elaborauit. Peculiariter verò pro dogmate illo multis tuendo, de adoratione sacrarum imaginum, tres orationes composuit locupletisśimas, maximè tertiam lōgisśimam quidem 14. magnorum foliorum; ante cuius medium incipit proponere innumera penè testimonia Sanctorum Patrum, & doctisśimorum virorum, sumpto initio ab antiquioribus vt à S. Dionysio Areopagita in Epistola ad D. Ioannem Apostolum; à S. Basilio in Esaiæ interpretatione; à S. Athanasio ad Antiochum cap. 38. à S. Ioanne Chrysostomo in 3. psalmum, ac sic de reliquis, vsq; ad finem orationis illa pertexens: quibus cumulatisśimè ostendit sacris imaginibus
4 diuinum cultum esse exhibendum: atq. hæc pro re præsenti sint satis. Superest indicanda pro fine huius

huius Procemioli, causa cur duo etiam secula x. & xj. in hoc 13. cap. comprehendamus, nempe quia in eis paucissimę hæresiarcharum sectæ extiterunt, præcipuè in decimo, adeò vt Gualter. 5 ei toti his paucis verbis satisfaciat. Ex hoc, inquit, seculo nihil in præsentia habeo quod annotem, nisi continuationem schismatis quorumdam Græcorum, nonnullosque Anthropomorphitas in Italia repullulantes (quos strenuè tum verbo, tum stylo propulsauit magnum illud Ecclesię Catholicæ lumen, Ratherius Veronensis Episcopus in quinta columna memoratus) ac se-6 ctam quandam Manichæorum Philippopoli germinantem. ita asserit ille. Et inde talis sine dubio eius assertio, quod merito in xij. seculo reponat ipse plures hæresiarchas, qui ab aliquo in Decimo, & Vndecimo reponuntur, vt à Prateolo cum manifesta sui contradictione: quos enim in Indice per centurias digesto decimo seculo assignat, eosdem postea in proprijs locis Elenchi ad duodecimum seculum reducit; nos rationabilius eadem, via Deo duce, breuissimè cum dicto Gualterio incedemus.

Quid de hæresiarcha Berengario, deque eius secta? An & qualiter primus Sacramentariorum dux extiterit.

REGVLA CCLXIII.

6 Berengarius natione Gallus, patria Turonensis, Archidiaconus Ecclesiæ S. Martini Andegauensis, licet adolescens Magistro vsus sit Fulberto Carnotensi Episcopo, viro sanctitatis, & sanæ doctrinæ speculo, tam in sacris, quam in humanioribus litteris, parum profecit, sed dialecticis quibusdam captiunculis omninò addictus fuit, quibus inanem 7 mundi gloriam captare ambiebat. Hinc in amentiam prorupit abnegans realem Christi pręsentiam in Eucharistia. Ex qua hæresi, & ex alijs indicandis, peculiarem sectā instituit, ac per multos annos propagauit, non obstāte quod in quatuor Concilijs condemnatus 8 fuerit, & sępius abiurauerit. Vnde primus Sacramentariorum parens ab omnibus meritò constituitur, vno excepto Guidone qui primatum illorum erroris nescio quo fundamēto Armenis tribuit.

---

9 PRęter paucissima in Procemiolo cū Gualterio à nobis adducta, nihil pręterea addendum occurrit pro toto decursu centena-10 rij decimi. Tres enim sectæ, quas ipse breuissimè attingit, prima continuationis in schismate quorundā Græcorum, secunda Anthropomorphitarum, seu corpus humanū in Deo reponentium. tertia Manichæorū Philippopoli denuò germinans, nec nouę sunt, nec maiori indigent explicatione, quam alibi per 11 nos tradita. Circa secundam vide Prateolū lib. 1. Elench. verb. Anthropomorphitę, vbi ait eam repullulasse circa annum Domini 954.

12 Aperit iam centenarium vndecimū perfidissimus Berengarius, qui attētā materia Fidei circa quam diabolicè errauit, nēpe circa realitatē pręsentię Christi Domini in Eucharistia, inter præcipuos hæresiarchas omnium 13 seculorum meritò enumerandus. De cuius statu in adolescentia, de lapsu in hęresim, propagatione eius, & institutione sectæ, ac de alijs ad ipsum spectantibus, copiosè agūt scriptores, sed copiosius præ ceteris Baron. tom. xj. annal. Ecclesiastic. à quo aliqua proprijs eius verbis aut aliorum, ex quibus ipse refert, desumemus.

14 Primò, qualis in iuuētute fuerit manifestata statim hæresi, & de eo quod Magister Fulbertus senserit, à dicto Baron. anno 1004. n. 3. seu potius ab Helgaldo illius tēporis scriptore præstantissimo audiamus: præmissis paucis de Leutherico Senonēsi Archiepiscopo, prius eadem hæresi iam infecto, & ob id per Regē Galliæ Robertum verè Christianissimum acriter correpto.

15 At qui, inquit, humili obsequio inseruire paratus erat Episcopis, eosdem tamen, cum opus esset, id exigente zelo Catholicę Fidei, quo iugiter æstuabat, in Fide Catholica deuios redarguere, imo, & comminari minimè 16 prætermisit. Est de his præclarum illud exēplum, quod idem Helgaldus itidem in vita ipsius ita describit: Præsuli cuidam, *Leutherico Senonensi Archiepiscopo scilicet*, de Domino non benè sentienti, & quærenti pro quibusdā causis probationē in corpore Domini Nostri Iesu Christi: indignè tulit. Rex amator boni-17 tatis, & scripsit ei in his verbis. Cum sit tibi nomen scientiæ, & non luceat in te lumen sapientiæ, miror qua ratione quæsieris pro tuis iniquissimis imperijs, & pro infesto odio, quod erga Dei seruos habes, examinationem in corpore, & sanguine Domini. ita ibi.

18 Et paulo post: Iurans Domini fidem Princeps Dei: Priuaberis, inquit, honore Pontificis nisi ab his resipueris, & damnaberis cū his, qui dixerunt Domino: Recede à nobis, Iob. 21. & non communicabis his, quibus dicitur: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: Iacob 4. & prosequitur ad idem.

19 His verbis pręsul benè correctus à Rege pio, & bono, sapienter instructus, quiescit, obmutuit, & siluit à dogmate peruerso, quod erat contrarium omni bono, & iam crescebat in seculo. Si cupis scire quomodo crescebat, accipe quæ statim addit ibidem ipse Baron.

20 Audisti, inquit, Lector, simul cum pietate Regis sibilos venenosi serpentis in Leutherico Archiepiscopo Senonensi: ad hunc extant complures Fulberti Episcopi Carnotēsis epistolæ, quibus eum sæpe contigerit diuersis ex causis redargui. Iam viperini fętus è portis inferi, tanquam è matris vtero enixi in damnum Ecclesiæ emittebantur, qui se spiris sinuosis inserebat in sancta, vt sanctum Sāctorum, sacramentum sacramentorum, si possent 21 auferrent ab ea. Quod enim Leuthericus legitur

gitur insusurrare cępisse, iam (vt audisti) rumor ille tantę blasphemiæ increbrescebat in seculo: & si tacuit ipse reprehensus à Rege timore pęnæ, ne ira Regis caderet ab amplissima dignitate, & careret cathedra; haud serpens rumor ille est omnino repressus; sed paulatim in dies crescens, in manifestam tādem erupit hæresim, sub patrocinio infelicissimi [22] Berengarij: Qui hoc tempore adolescens auditor extitit Fulberti post biennium Carnotensis Episcopi, viri sanctissimi, omniumq. doctissimi: à quo ne disputationis obtentu extra limites Catholicæ veritatis pedē auderet efferre, sæpe Berēgarius monitus fuit & redargutus. Ita ibi.

23 Hactenus de hæresi contra Eucharistiæ veritatem perditissimi Leutherici indicata, & reprehensa à Rege Christianissimo, atque de tyrocinio Berengarij sub Fulberto, deque eadem hæresi per illum recepta, & publicata.

24 Cuius publicationis rumorem cum audisset Adelmanus Episcopus Brixiensis, quondā iniquissimi Berengarij condiscipulus, aduersus eum disertam valdè scripsit epistolam, exhortans ipsum ad seruandam veram, & Catholicam Fidem, reiectoquocumq. errore. Extat tom. 3. Bibliot. SS. Patrium & affert Baronius loco citato, apud quem videas.

25 Circa nationem autem eius, patriam, exiguā literaturam, vti initio Regulæ à nobis positum, concordes sunt auctores: ea tamen accipe à Prateolo lib. 2. n. 20. verb. Beregarius, ex [26] alijs antiquioribus, sic referente. Berengarius, inquit, natione Gallus (patria Turonensis ait Gualterius) Archidiaconus Ecclesię D. Martini Andegauensis, vir quidem (Guidone Archiepiscopo Auersano teste) litteris humanioribus, & sacris parum eruditus, sed dialecticis quibusdam captiunculis prorsus deditus fuit, quibus fallacem huius seculi gloriā captare modis omnibus ambiebat. Ita ille.

27 Antequam vero de magis aperto bello per Berengarium dicta hęresi Ecclesiæ Catholicæ illato agamus; referendum sequitur, qualiter sanctissimus ille vir Fulbertus Episcopus Carnotensis iam morti proximus Berengarium hæreticū sugillauerit; de quo Baronius anno Domini 1028. n 5. sic.

28 Qui quidem, inquit, moriens, haud dubiū testimonium reliquit de Berengario olim suo discipulo: nā & ex Guillerino ista Vincentius: Cum in extremis positum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentibus sufficeret, ille inter oppositas caternas oculis rimatus Berengarium, visu quo potuit expellendum censuit, quo testatus, immanem Dęmonem prope eum consistere, multosq. ad eum sequendum blandiente manu, & illicitè cor[29]rumpere. Eadem habet Vuillelmus Malmesburiensis, dum de Berengario ipso funestam texit historiam. Porrò qui sciebat à mala sobole, & indigno tanto præceptore discipulo ad vniuersam inficiendam Ecclesiam exitiale parari venenum; antidotum ipse voluit reli[30]quisse benè compositum. Dum in Epistola ad Adeodatum prolixius scripta, de veritate corporis, & sanguinis Christi in Sacramento Eucharistię, dogma statuit, atq. diserte confirmat, quod & in sequenti ad Finardum epistola præstitit, ita Baronius. Istæ epistolæ referuntur tom. 3. Biblioth. SS. Patrum.

31 Ex illa autem sugillatione Berengarius sine dubio motiuum sumpsit non se emendādi vti debebat, sed magis suum errorem spargēdi, ac multitudine sequacium suam sectam in dies augmentandi, maximè post mortem Roberti Regis Christianissimi: quod audiens Leo ix. tunc summus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex, iussit Vercellis Concilium congregari.

32 Quo Berengarium ascitum, minimeque (vt ait Lanfrancus) venire volentem, cum suis complicibus, nisi citissimè resipiscerent, perpetuo damnauit anathemate. Ita totidem ferè verbis Castrus verb. Eucharistia, hęres. 4. ex mente omnium.

33 Ob ista tamen damnationem ipse Berengarius non solum ab spargendo semine suæ infandæ hæresis non cessauit, sed etiam magis in obstinatione persistens, vlteriusq. progrediens, ea omnes (teste eodem Castro) Gallio[34]rum Prouincias infecit. Vnde pro remedio oportuno iussu Victoris Papæ II. qui succesit Leoni ix. in Pontificatu, cōgregatum fuit denuo Turonis Cōcilium, cui vice illius pręfuit Hildebrandus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, de quo Concilio, & de Hildebrando, ei pręsidente, Baronius sic, anno 1055. nu. 22.

35 Sed quæ sunt reliqua Hildebrandi lęgationis in Gallijs, prosequamur. Præcipuè autem eius inuigilauit sedulitas, vt Berengariū, rursum hęresem, quam fuerat detestatns, defendentem, ac propalantem, in Concilio Episcoporū conuentum, vel hęresim rursus dānare cogeret, vel synodali eum sentētia ana[36]thematis cōdemnaret. Quamobrem ne subterfugiendi amplius locus esset, domi suę eū conueniendum putauit, nempe Turonis, sicque Concilium Turonense Apostolica indixit auctoritate: in quo ipse Berengarius rédargutus, & correctus (vt videbatur) detestatus er[37]rorem, Fidem Catbolicam est professus. Hactenus Baronius confirmans id testimonio Guitmundi Archiepiscopi Auersani scriptoris insignis illius temporis.

38 Addit autem ipse n. 23 circa medium de eodem Berengario ista. Qui quidem si cōparatus fuit, vt subterfugeret, cum posset, sacros Episcoporum conuentus. Sed conuentus ipse, & respondere coactus, ne damnaretur, hæresim, quam rursus inter suos tueretur ex [39] animo, sicque iterum opus fuerit eandem causam ad Ecclesiasticum iudicium reuocare post Turonensem Concilium, de quo agimus Nam simulans impius pęnitentiam, vbi Legati Apostolicæ Sedis discesserunt, dimissis Episcopis, rursum cępit infaustam heresim propugnare, adeò vt opus fuerit, eum iterum sub Victoris successore Nicolao pontifice conuenire. Hæc ibi Cardinalis Baronius.

40 Conuentio verò eius dicta facta fuit in Concilio Romę celebrato 113. Episcoporū, præsidēte ipso Summo Pontifice Nicolao II.

in quo assistens Berengarius, aut emendatus, aut emendatum se pęnæ timore simulans, palinodiam cantauit, facta solemni coram Concilio suorum errorum abiuratione, & ad maiorem simulationem in ignem ibi accensum libros suæ professionis continentes dictos errores sponte iniecit. De qua

41 iniectione librorum, & simulata eius conuersione, post Castrum, & Prateolum citatos copiosè Baronius dicto anno 1059. num 23. & immediatè proponit abiurationis formã illis verbis, quibus eam refert Lanfrancus in Commentario, quem scripsit aduersus Berengarium, & recitatur in volumine Decretorum de consecrat. dist. 2. can. Ego Berengarius, sic:

42 Ego Berengarius indignus S. Mauritij Andegauensis Ecclesiæ Diaconus, cognoscens Catholicam, & Apostolicam Fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenùs infamatus: quæ astruere conatur, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem Domini Nostri Iesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut Fidelium dentibus atteri. Consentio autem

43 Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ Mensæ eandem fidem me tenere, quam Dominus, & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus auctoritate Euangelica, & Apostolica, tenendum tradidit, mihique firmauit: scilicet, panem, & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini Nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solùm Sacramento, sed veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atteri. Iurans per sanctam, & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia.

44 Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronũtio. Quod si ego ipse aliquando contra hæc aliquid sentire, aut prædicare præsumpsero, subiaceam Canonum seueritati. Lecto, & perlecto sponte subscripsi.

45 Adiungitur statim in eodem Canone: Hãc confessionem suę fidei de corpore, & sanguine Domini Nostri Iesu Christi à Berengario Romæ coram CXIII. Episcopis factam, misit Papa Nicolaus per Vrbes Italiæ, Germaniæ,

46 Galliç, & ad quæcunque loca fama prauitatis eius peruenire ante potuit, vt Ecclesiæ, quæ prius doluerant de aduerso, atque peruerso, postea gaudeant de reuerso, atque conuerso. ita ibi.

47 Sed heu quàm aliter se res habuit! heu quàm citò non solùm velut canis ad vomitum redijt Berengarius suæ peruersę hæresis contra realitatem Eucharisticam, sed etiam canino ore contra Summum Pontificem, & contra Ecclesiã Catholicam horribiles blasphemias protulit! Circa hoc audiamus Baronium anno 1059. num. 25.

48 Quid igitur? inquit, versipellis homo, versutus hæresiarcha, veternosus serpẽs non sic deposuit ibi vetera spolia, vt etiam venena dimiserit, sed vt innouatus squamis in percussores ardentius insiliret, quod decla-

49 rauit euentus. Etenim, vt abundè Lanfrancus docet, post Romanum Concilium, vbi quæ vellet, scribendi liberam facultatem nactus est infelix, scripsit inuectiuam aduersus eam, quam in hoc ipso Concilio legit, probauit, iuramento firmauit, atque subscripsit Fidei Catholicæ confessionem, conuersus in Humbertum, qui eam scripsisset, & in Romanam Ecclesiam, cuius auctoritate fecisset. hæc ille: qui de remedio aliquo adhibito, statim sic addit:

50 Quod vbi nouit Lanfrancus, mox sparso veneno parauit antidota, scribens ad eundẽ Berengarium egregium commentarium, quo arrogantis hæresiarchæ retundit audaciam, refellit errores, dissoluit fallacias, blasphemias redarguit, conuertens eas in caput ipsius, nullumque docet, hactenùs extitisse procaciorem hæreticum, qui eas ausus fuisset in Romanam Ecclesiam iactare blasphemias, quas ipse periurus, & fœdifragus

51 præsumpsisset. Nam vbi ad illa suę confessionis verba venit, quibus dicitur, consentio, inquit, Burgundus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, hic mox ipse Berengarius ista subiecit: Reuera non sanctam Ecclesiam experta est ipsa veritas, sed Ecclesiam malignantium, concilium vanitatis, non Apostolicam, sed sedẽ

52 Satanæ. Ita ibi Baronius, apud quem videas, qualiter à Lãfranco pluribus refellãtur blasphemiæ in Ecclesiam Romanam iniectæ per Berengarium.

53 De quo item Gualterius cap. 1. seculi 11. sic ait, quod anno 1079. post multas abiurationes, & relapsiones seriò conuersus errorem suum in pleno Concilio Romę conuocato à Gregorio Papa VII. confessus est, petitaque venia, fidem suam his verbis professus.

54 Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in Altari, per mysterium sacræ Orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter conuerti in veram, & propriam, & viuificã carnem, & sanguinem Iesu Christi Domini

55 nostri; Et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute Mundi oblatum in Cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est: non tantùm per signũ, & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc Breui continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

56 Addit autem idem Gualterius ex Baronio anno 1088. num. 13. sic: Vixit adhuc post

post hæc annos multos, videlicet vsq; ad Epiphaniam anni 1088. quo die propè nonagenarius vitam dimittens sic ait. Hodie in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus propter pœnitentiā, vt spero, ad gloriam, vel propter alios, vt timeo, ad pœnam. Quæ verba fuisse ab eo prolata gemitu producto, ait ibidem Baronius.

59 Præter dictum grauissimum errorem contra realem præsentiam Christi Domini in Eucharistia, alij etiam tribuuntur Berengario: nempe secūdo, quod hic negauerit Christum ingressum ad Discipulos ianuis clausis, contemnens ob id Euangelicam veritatem. Ex Cōrado in vita Sancti Abbatis Vuolphilmi apud Surium tom. 2. die 22. Aprilis affert Baronius anno 1059. num. 17.

60 Tertiò, quod Berengarius, & sequaces eius coniugia dissoluerent. Quartò, quod item paruulorum baptismum euerterent, malè de ipso sentientes. Ita Baronius ann. 1035. nu. 2 Geneb. in Chron. ann. 1041. & Gualt. ibid.

61 Quinto, quod Berengarius magiæ dæmoniacæ fuerit deditus, eademque nocte Romę simul, ac Turonibus, vbi, & lectionem vnam legit, extiterit. Ex Geneb. in Chron. anno 1041. & ex Polyd. Virg. affert Gualter. loc. cit. Qui statim ita addit. Neque mirum, inquit, est, specialem Diabolo fuisse cum eo necessitudinem, qui futurus erat eius emissarius, atque interpres ad insectandum nobilissimum, diuinissimumque Ecclesiæ Christianæ sacramentum. Cum simile quid Luthero contigisse, ex ipso eius ore explicatum, exploratumque habemus. Fatetur quippe Lutherus initio libri sui de Missa priuata, Missam se instigante, impellēteque Diabolo oppugnasse. Sicuti & in colloquio Vvitambergēsi affirmat Martinum Bucerum Sacramentarium, suggerente maligno spiritu negasse corpus, & sanguinem Iesu Christi esse verè & realiter in Eucharistia.

65 Quod Zuinglius item Sacramentarius de se ipso, saltem fluctuando, fateri non erubuit in libro de subsidio Eucharistiæ, cum scribit sibi in somnio apparuisse monitorem, de quo aterne fuerit, an albus, dubitat, seque ab eo didicisse, quo pacto in verbis Christi, HOC EST CORPVS MEVM, astruere posset verbum EST, accipiendum esse pro Significat.

66 Atque huius necessitudinis participem se prodit Caluinus, non modo quoties fratrem se Luthero, Bucero, ac Zuinglio præbere nititur, verum etiam cum in quadam sua ad Bucerum epistola, monenti Bucero, vt à linguæ petulantia, & maledictis se se abstineret, respondit. *Non sui esse ingenij morbum, sed sui Genij*. Hactenus noster Gualterius.

67 Ex quibus liquet præcipuos Sacramentariorum, vt Lutherum, Bucerum, Zuinglium, & Caluinum, in vsu artis magicæ, seu in ductatu Dęmonis, secutos fuisse vestigia hæresiarchæ Berengarij. Sicut enim hic præcursor fuit illorum, ac quorumcumque negantium realē præsentiam Christi Domini in Eucharistia, vt resolutum à nobis in fine Regulæ ex mente omnium Scribentium, præter Guidonem, (id absque fundamento Armenis tribuit, ac propterea Alphōsus de Castro verb. Eucharistia, hæres. 4. meritò ipsum reijcit.)

69 Ita idem Berengarius viam illis aperuit ad ineundum pactum cum Dęmone, seu ad vtēdum ductu ipsius, vt veritas præcipua Fidei Catholicæ de reali præsentia Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ iugiter abnegaretur. Sed de hoc copiosius infra in penultimo seculo.

De tribus Sectis Manichæorum, & Simoniacorum repullulantium, ac ordinatos simoniacè reordinantium quid?

REGVLA CCLXIV.

70 Circa annum 1017. repullulauit Manichæismus, primò Aureliæ, post in Aquitania, in Gallia, Toleti, & in alijs locis Occidentis; adeoque propagabatur, eo quod à duobus Hæresiarchis auctoritate Ecclesiastica pollentibus initium sumpsisset; nihil tamē noui præter errores antiquorum Manichęorum docebant. 71 Similiter hæresis Simoniacorum veterum, quà venales fiebant Prælaturæ, & officia Ecclesiastica, anno circiter Christi Domini 1047. denuò germinata, omnes ferè Europæ regiones valdè infecit, fautore præsertim Guiberto quodam Cancellario. 72 Extitit è contra Secta cum errore tenentium, collationem ordinum simoniacè factam, esse prorsus nullam, ac propterea sic ordinatum debere reordinari.

---

73 Tribuitur hoc peculiaritèr Manichæis præ multis, circa quæ ipsi errarunt, vt vidimus supra suo loco, quod sanctitatem exterius in visu, in incessu, in pallido vultu, & in totius corporis gestu affectare consueuerint, sicque impij à vera Fide aberrantes tegerentur, & vix esset nota diuersa ad distinguendos probos ab improbis, ac contingeret sæpe, vt qui esset verus Catholicus, Manichęismo imbutus censeretur. 74 Hinc de suis temporibus conquerens Sanctus Hieronymus scribens ad Eustochium epist. 22. sic ait. Quā, inquit, viderint pallentem, atque tristem, miseram, ac Manichæam vocant. 75 Potest tamen id sæpius contingere, vt notat optimè Baronius anno 1016. num. 6. quando persona verè Catholica originem ducit ex loco, seu regione, vbi Manichęismus viguit.

76 Sicuti viguerat simul cum alijs hæresibus contra Fidem in partibus Armeniæ per tempus diuturnum, vsque ad illud, quo accidit casus rarus, de quo ipse Baronius copiosè loco citato, paucis tamen perstringam. 77 Fuit vir sanctitate insignis, genere Armenus, nomine Simeon, qui vitæ eremiticę cunabula in Palæstina exercuit; post vt peregrinus Romam veniens, ibi diuersis Sanctorum corporibus, & locis circumeundo visitatis, tandem ad

ad studium orationis animum applicauit in oratori S. Io. Baptistæ Lateranensis Eccle-
78 siæ. Vbi cum eum sæpius in longum protrahentem eam orandi consuetudinem vnus ex clero fuisset intuitus, & ex amictu fortè Armenum esse aduertisset,(tunc nomen Armenum ab Occidentalibus malè audiebat in materia Fidei) coram Benedicto Papa VIII. & multis Episcopis orthodoxis, eo tempore pro celebranda Synodo congregatis, repletus furore nequitiæ, ore polluto Simeonem virum Sanctum, & Catholicum, de hæresi, seù de Manichęismo infamauit, ac plurimos de populo impulit ad curandum diligenter, vt tanquam hęreticus puniretur.

79 Verùm Deus Optimus Maximus à tali periculo, seruū suum duplici via liberauit: primò prouidit vt Romæ tunc adesset quidam Episcopus Armenus, homo magnæ auctoritatis, verus orthodoxus, qui lingua patria cum Simeone locutus, cognita huius magna sanctitate, & syncera fide, de hoc, ac de nequitia infamatoris Summum Pontificem, & reliquos informauit, atque ex hac informatione ille apud ipsos innocens fuit habitus.

80 Secundò, permisit Deus vt dictus infamator à Dęmone arreptus in diutissima, & acerbissima vexatione manserit, quousque precibus, & meritis ipsius sancti Simeonis liber, & sa-
81 nus euasit. Pluribus ista prosequitur Baronius ex auctore (cuius nomen incognitum vt ipse ait) qui eius vitam sanctam, & miracula scripsit, nos attigisse sit satis, vt innotescat repullulationem Manichęismi, de qua in Regula, non contigisse hoc anno 1016.

82 Contigit tamen anno sequenti 1017. teste eodem Baronio ibi num. 1. sic affirmante. Annus sequitur Christi millesimus decimus septimus, indictione xiv. quo in Gallijs detegitur hæresis Manichæa; ad quam euertēdam inuigilauit Roberti Regis Francorum, simul, & Episcoporum industria. Quo modo autem ista se habuerint, Glaber, qui aderat, accuratè describit his verbis.

83 Tertio de vicesimo infra iam dictum millesimum anno reperta est apud præfatam Aurelianensem vrbem cruda nimium, atque insolens hæresis, quæ scilicet diutius occultè germinata, in perditionis segetem malè pullulans, plures in suæ cęcitatis præcipitauit laqueum. Fertur namque à muliere quadam ex Italia procedente hæc insanissima hæresis in Gallijs habuisse exordium; quæ vt erat diabolo plena, seducebat quoscumque volebat, non solum idiotas, & simplices, verum etiam plerosque qui videban-
84 tur doctiores in Clericorum ordine. Quæ scilicèt veniens in Ciuitatem Aurelianēsem dum moraretur ibi per aliquod spacium tēporis, veneno suæ nequitiæ plures infecit. Hęc Baronius, seù potius Glaber quasi testis oculatus de noua Manichæismi seminatione.

85 Prosequitur autem immediatè ostendens qualiter seminatio eius multo magis creuerit nonsolum Aureliæ; sed in alijs etiam vrbibus, & locis vicinis sic. Quod etiam seminarium nequam in plures hi, qui susceperāt, toto conamine spargere nitebantur. Fuerūt nēpè huius peruersi dogmatis hæresiarches duo (heu proh dolor) qui in Ciuitate putabantur genere, ac scientia valentes in clero, quorum vnus Heribertus, alter Lisoius dice-
86 batur. Hi denique quandiu res latuit, tam apud Regem, quam apud palatij proceres summam obtinuerant amicitiam: nempè idcircò facilius quosque decipere potuerunt, quorum mentes amor Fidei vniuersalis mi-
87 nus astrinxerat. Qui non solum in prædicta vrbe, sed etiam in vicinis vrbibus malignum dogma spargere tentabant, dum quemdam sanę mentis in Rothomagorum Ciuitate presbyterum cupientes suæ consortem facere vesaniæ, missis legatis, qui ei omne secretum huius peruersi dogmatis explanantes docerent: dicebant nempè fore in proximū, in illorum scilicet dogma populum cadere vniuersum. ita ille.

88 Qui ibidem num. 5. de maiori extensione Manichęismi ita addit. De ijsdem etiam in fragmentis historiæ Aquitaniæ hęc de repertis in eadem prouincia hęreticis. E vestigio exorti sunt per Aquitaniam Manichæi; seducentes promiscuum populum à veritate ad errorem. Suadebant negare baptismum, signum sanctę Crucis, Ecclesiam & ipsum Redemptorem sęculi, honorem Sāctorum Dei, coniugia legitima, esum carnium, vnde & multos simplices auerterunt à Fide. Hacte-
89 nus Baronius. Subiūgitque statim pari modo apud Toletum in Hispania inuētos fuisse Manicheos, ac ipsos igni traditos, sicut & alios, de quibus dictum, iussu Christianissimi Regis Roberti.

90 Attingit ista breuissimè Gualterius cap. 2. seculi xi. qui nullum auctorem citat, pręter Baronium, neque apud alium quidquam ex
91 ijs inuenire potui. Indicat autem ipse Gualterius id quod expressimus in Regula, nihil noui ab huius seculi Manichęis tradi, præter
92 tradita à veteribus Manichęis. Vnde ne actum agamus, nequaquam exprimendi hic à nobis eorum errores, licet cum Baronio paulò ante pauci fuerint expressi.

93 Quid iam de Simoniacis hoc seculo xi. repullulantibus? Dux istorum fuit Guibertus Cancellarius, postea Antipapa, qui primus corrupit Bullam Nicolai II. Papę de electione Romani Pōtificis, vt auctor est Baronius anno 1059. num. 20. ad quem remitto Lectorem, vt ad satietatem ab eo discat de corruptione dictę Bullæ, & qualiter ille Antipapa electus.

94 De Simoniaca autem hęresi repullulante in seculo xi. agit copiosè idem Baronius anno 1047. à num. 6. vbi ait, quòd omnia officia, & ministeria Ecclesiastica, ita eo tempore haberentur venalia, quasi in foro seculari
95 mercimonia. Et consequenter non sine pręsumptione erroris, (quem habuit primus hæresiarcha huius Sectę Simon Magus, vt initio primi seculi vidimus) quòd sit licitum ea vendere, & emere; in quo consistit hęresis

Simo-

96 Simoniaca. Extitit tunc contra tales Simoniacos Imperator Henricus II. zelantissimus Religionis Catholicæ: de quo egregiè Baronius loco citato, sic ex Glabro.

97 Liquet insuper, inquit, Glabri testificatione eundem Henricum, postquā Imperator creatus est, ab Vrbe reuersum collegisse Conciliū Episcoporum ad extirpandum, quod reliquū erat simoniæ prauitatis, in eoque ad Episcopos perorasse, grauique inuectiua eosdem exagitasse eiusdem criminis reos. Sed audiamus ipsum, ista ita narrantem Glab. lib. 5. c. 5.

98 Dignoscens igitur idem Henricus, per vniuersam Galliam, atque Germaniam simoniacæ philargyræ grassari cupiditatem, coadunari fecit ex omni Imperio suo tam Archipræsules, quàm cęteros Pontifices, & tale eis intulit colloquium.

99 Lugens vobis incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis, quam ipse sibi desponsauit, ac pretio sui sanguinis redemit: sicut enim ipse gratuita bonitate de sinu Dei Patris per Virginem ad nos natus est redimendos; ita suis præcepit, mittens eos in orbem vniuersum, Apostolis: Gratis accepi-100 stis, gratis date, Matt. 10. Vos autem auaritia, & cupiditate corrupti, qui dum conferre deberetis, in huiusmodi transgressionis dādo, & accipiendo, canonē, maledicti estis. Nā & Pater meus, de cuius animæ periculo valdè pertimesco, damnabilē auaritiā in vita nimis exercuit. Idcircò quicumq. vestrorū huiusce se norunt contaminatos, oportet vt à sacro ministerio secundū dispositionē canonicā arceantur. hæc ibi, & plura, quibus pijssimus Imper. dictos simoniacos acerrimè corripiet.

101 Quamuis autem hęc correptio, saltem ob timorem, ne proprijs Episcopatuum sedibus priuarentur, vt ait ibid. Baron. tunc temporis illis Antistibus valdè vtilis, ac fructuosa fuerit; tamen non multo post pestifera ista radix simoniacę hęresis denuò germinauit, & cōtra eam necessarium fuit efficacius remedium à 102 Deo miraculosè exhibitum. De quo miraculo fidem facit Nicolaus Aragonius Cardinalis in gestis Romanorum Pontificum, & ex eo adducunt Baronius anno 1055. nu. 15. ac Gualterius cap. 3. seculi 11. à quo illud ad pauca reductum audiamus.

103 Hildebrandus, inquit, ibi circa mediū, Archidiaconus, (quem in columna prima diximus fuisse postea creatū Papam, appellatūq. Gregoriū VII.) vnà cum quibusdā Episcopis à Victore Papa II. Legatus à latere missus; vbi in Prouinciam Lugdunensem peruenit, in hac Synodum celebrauit, in qua Archiepiscopus literatus, & eloquens simoniæ accusatus 104 est. Verùm pecunia corruptis sequenti nocte accusatoribus, preuoq. empta eorum amicitia, cum in Synodū redijsset, nemoq. accusaturus insurgeret, Archidiaconus Hildebertus, discretione vtiq. ac sapientia præditus, hominem hunc in modum inrerrogauit: *Credis ne, ò Archiepiscope, Spiritum Sanctum cū Patre, & Filio vnā esse substantiam Deitatis?* Quo respondente, *Credo*: Addidit Archidiaconus: *Dic, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*: tunc ille, Gloria Patri, & Filio expeditè dicebat; sed *Spiritum Sanctum* nullatenùs 105 proferre poterat. Vnde aduertens se eadem sæpenumero iterantē nihil proficere, iustoq; Dei iudicio se confusum sentiens, procidit ad pedes Archidiaconi, & ore suo Simoniacum se esse pronuntiauit, sacerdotaliq; & episcopali officio spoliatus, libera, claraq; voce cecinit, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui San-106 cto*. Quo miraculo eousq; territi fuere simoniaci, vt præter 27. alios præfatos Ecclesiasticos, 45. Episcopi hoc veneno se infectos cōfessi sint, nullaque alia accusatione expectata se ipsi suis dignitatibus abdicarunt. hactenus Gualterius.

107 Qui statim reddit rationem, cur Archiepiscopus ille simoniacus non potuit proferre Spiritum Sanctum, nimirum quòd simonia ex diametro pugnet cum Spiritu Sancto; qui cum sit amor æternus, haberi vult pro gratię omnis, ac sāctitatis auctore, & donatore: atq; hęc de secta Simoniacorū denuò germināte.

108 Superest dicere aliquid de tertia secta Reordinantium quemcumque simoniacè ordinatum. Circa istos paucissima inuenio; tantùm apud Baronium anno 1052. n. 6. & Gualterium cap. 4. dicti seculi 11. quem expeditiùs de Reordinātibus sic dicentē audiamus.

109 Hoc, inquit, appello nomine quosdam Dogmatistas, qui (vt spiritui vertiginis familiare est, medium odisse, & quos per vnum extremum allicere, & subigere nequit, ad alterum extremum impellere) specioso quodam impugnandæ Simoniacorum sectæ prętextu asserebāt Simoniacos ad Ecclesiæ vnionem redeuntes, non esse admittendos, nisi reordinarentur: nempè sibi in animum inducentes, & Simoniacorum ordinationem esse irritam, ac nullam, & quidquid ab ea 110 dependet. Mendacium intolerandum, planeque repugnans tùm presbyteri, tùm aliorum sacrorum Otdinum characteri, qui nihilo magis deleri ex anima potest, quàm vel Baptismi, vel Confirmationis character. hæc Gualterius: quibus huic Regulæ oporfinis imponitur.

Secta Michaelis Cerularij Patriarchæ qualiter se habet? qualiter item illa recentiorum Nicolaitarum?

REGVLA CCLXV.

111 EN nouum monstrum horendissimum, atq; perniciosissimum, Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus promotor acerrimus præ alijs schismatis Græcorum contra Romanam Ecclesiam, & 112 contra vniuersos occidētales. Temporibus Leonis Papæ IX. & Imper. Cōstantini cognomēto Monomachi, circa annū Domini 1053. ex plurib. sectis veterū hęresiarcharū diuersis hæresibus desumptis, nulla denuò addita, peculiarem sectam instituit: propterea ipse cum suis sequacibus meritò damnatus, & ana-

113 anathematizatus. Prope idem etiam tempus germinauit denuò secta Nicolaitarum, tum per dictum Cerularium, tum per alios cum errore tenentes, cuius etiam Sacerdoti nuptias esse concessas.

---

114 NIhil inuenio circa istum hæresiarchã Gerularium apud Gabrielẽ Prateolũ, nihil apud Alphonsum de Castro; pauca admodum quatuor tantum lineis apud Gualt. cap. 5. sec. 9. multa valde apud Cardinalem
115 Baronium locis citandis. Nos vero inter solitam multitudinem istius, & paucitatem nimis quandoque breuem illius, vt aliàs cõsueuimus, mediocritatem pro nostro instituto tenebimus. Sumit autem Baronius initium loquendi de eo in fine anni 1043. sic.

116 Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno indictione vndecima, vigesima Februarij defunctus est Alexius Patriarcha Constantinopolitanus, inque locum ipsius est subrogatus Michael cognomento Cerularius, qui à Io. germano Michaelis Imperatoris actus fuerat in exilium ob tyrannidem affectatã. hęc om-
117 nia Curorpalata ita ille. Qui nihil attingit de priore vita, seu de educatione Cerularij, solum indicat clarè, quod prius fuerit Monachus, cum anno 1058. n. 16 de ipso affirmet, post annos quindecim sui Patriarchatus, secuta morte fuisse sepultũ corpus in suo monasterio, vbi antea monachalem scilicet vitam duxerat; sed clarius in sententia condẽnationis eius, vt videbimus infra.

118 Subrogatio item dicta Cerularij in locũ Alexij, nullatenus dubitatur quod fuerit permissa, & ordinata à Deo iusto Iudice, sicut & translatio Imperij Orientalis ad Turcas, quę eodem tempore contigit pro puniẽdis schismaticis Orientalibus, adeò superbe insurgentibus contra Ecclesiam Romanam, auctoritatemque Summorum Pontificum, vt ex parte affert idem Baron. in fine anni 1048. indicans, qualis hęresiarcha Cerularius fuerit, sic.

119 Neque, inquit, absq. considetarione prętereundum est, quod eo tempore sunt Turcę in damnum Imperij Orientalis educti, cum Constantinopolitanę Ecclesię malè præesset schismaticorum signifer Michael Cerularius, Latinorum omniũ infensissimus hostis, prout, quę suo loco de ipso dicturi sumus, apertè docebunt. ita ille.

120 Qui prosequitur ostendere, quanta ille mala contra Ecclesiam Romanam perpetrarit, præcipuè postquam amantissimam acceperat à Leone Papa IX. epistolam, in qua ei diuersa obijciuntur, & in primis arguitur de titulo Vniuersalis sibi sumpto (sicut sumpserat sibi Photius, vt traditum à nobis supra) vide ista copiosè tractata apud Baronium
121 anno 1053. Ex quibus satis superque innotescit de monstruositate horibilissima, & perniciosissima Cerularij, & de alijs contentis in prima Regulæ parte ad ipsum spectantibus.

122 Sequitur agendum de secunda parte, nempe de formatione sectę, ex quibus erroribus? ac qualiter ob istos fuerit hæresiarcha
123 Cerularius condemnatus. Pro quo supponendum, cum in dies sine remedio, hic pessimus homo Ecclesiam Orientalem ad maiorem ruinam induceret, decreuisse Leonem Papam IX. illuc Legatos Sedis Apost. mittere cum maxima potestate, cum litteris magis reprehensiuis, ac minacibus ad illum, & amantissimis ad Imperatorem: à quo perhumani-
124 ter recepti fuerunt; secus à Patriarcha. Quẽ in suo schismate inque suis erroribus obstinatiorem, ac pertinacissimum videntes, coacti sunt ad sententiam excommunicationis, & anathematis contra ipsum, eiusq. asseclas deuenire. Affert per extensum Bar anno 1054. nos solũ ex libello excõmunicationis errores huius sectę eliciemus, proprijs eius verbis.

125 Quia sicut, inquit, Simoniaci donum Dei vendunt; sicut Valesij hospites suos castrant & non solum ad clericatum, sed insuper ad Episcopatum promouent; sicut Arriani rebaptizant in nomine sanctę Trinitatis baptizatos, & maximè Latinos; sicut Donatistæ affirmant, excepta Gręcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi, & verum sacrificium, atq baptismum ex toto mundo perijsse; sicut Nicolaitæ carnales nuptias concedunt, & defendunt sacri altaris ministris, sicut Seueriani maledictam dicunt legem Moysi; sicut Pneumatomachi, vel Theomachi, abscinderunt à symbolo Spiritus Sancti processionem à Filio. sicut Manichęi inter alia quodlibet fermentatum fatē-
126 tur animatum esse; Sicut Nazareni carnalem Iudæorum munditiam adeò seruant, vt paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptizari contradicant, & mulieres in menstruo, vel partu periclitantes communicare, vel si paganæ fuerint baptizare prohibebant; & capillos capitis, ac barbas nutrientes, eos qui comas tondunt, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas tradunt, in communione non recipiant. Ita ibi.

127 En quot, & qualibus contra fidem Catholicam hæresibus Cerularij, & sequacium secta conflata (præter dictas alias sectas Gręcorũ, cuius ipse professor erat) En vnde desumpsit, ex nouem scilicet sectis veterũ hæresiarcharum, nulla ex proprio cerebro addita: & facile quis credet id ab eo ideo factum, vt se prorsus vestigia antiquorum sequi ostentaret. Sed lubet reliquum addere, quod immediatè sequitur in dicto libello excommunicationis, seu sententię condẽmnationis cõtra ipsũ, sic.

128 Pro quibus, inquit, & erroribus, & alijs pluribus factis suis, ipse Michael literis Domini nostri Leonis Papæ admonitus resipiscere contempsit. Insuper nobis Nuntijs illius causas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus, pręsentiam suam, & colloquium denegauit, & Ecclesias ad missas agendũ interdixit Sicut & prius Latinorũ Ecclesias clauserat, & eos Azimatas vocans, verbis, & factis vbique persecutus fuerat, in tantum, vt in filijs suis anathematizaret

Sedem

sedem Apostolicam, contra quam se adhuc
129 scribit Oecumenicum Patriarcham. Vnde nos quidem sanctæ primæ,& Apostolicæ sedis inauditam contumeliam,& iniuriam non ferētes,Catholicamq. fidem subrui multis modis attendentes,auctoritatē sanctę & indiuiduæ Trinitatis,atq.Apostolicę Sedis,cuius legatione fungimur,& cunctorum orthodoxorum Patrum ex Conc. septem, atque totius Ecclesiæ Catholicę,anathemati,quod Dominus noster Reuerendissimus Papa eidem Michaeli, & suis sequacibus, nisi resipiscerent, denunciauit, ita subscribimus.

130 Michael abusiuus Patriarcha,neophytus, & solo humano timore habitum Monachorum adeptus,nunc etiam criminibus pessimis à multis diffamatus,atq.cum eo Leo Acridanus Episcopus dictus, & Sacellarius ipse Michaelis Cōstantinus,quiLatinorum sacrificiū profanis cōculcauit pedibus,& omnes sequaces eorum in præfatis erroribus& præsūptionibus,sint Anathema,Maranatha cum Simoniacis,Valesijs,Arrianis,Donatistis, Nicolaitis,Seuerianis, Pneumatomachis, Manichęis & Nazarenis,& cum omnibus hęreticis,imo cū diabolo,& angelis eius, nisi forte resipuerint. Amen,Amen,Amen.Post hęc mox ista.

131 Item alia excommunicatio ibidē facta in præsentia Imperatoris, & Optimatum eiùs viua voce.

132 Quicumq.fidei sanctę Romanę,& Apostolicæ Sedis, eiusque sacrificio pertinaciter cōtradixerit, sit anathema,maranatha, nec habeatur Christianus Catholicus,sed Prozimita hæreticus, Fiat,Fiat,Fiat.Hactenus narratio de rebus gestisConstantinopoli per Legatos Sedis Apostolicæ.

133 At quid post hæc infelicissimus, ac perditissimus Cerularius?nihil præterea, quam secūdum illud Apocalypsis cap.22.Qui nocet, noceat adhuc,& qui in sordibus est sordescat
134 adhuc. hæc omnia ex Baronio,à nobis opportunè quidam tradita ad cognoscendam pertinaciam,& obstinationem Cerularij, ac formam in eo condemnando seruatam: reliqua ad ipsum spectantia vide apud eundem Baronium dicto anno.

135 Non est autem cur multum immoremur in exprimenda altera secta recentiorum Nicolaitarū,cum iam satis expressa maneat ex
136 dictis.Præcipuus enim auctor renouationis eius fuit idem hæresiarcha Cerularius, vti similiter renouauit alias sectas Arrianorū,Donatistarum, Valesiorum &c. vt vidimus paulo ante,& in renouatione cuiusuis earum habuit multos sequaces. Vnde videtur par ratio de ijs,atque de illa Nicolaitarum.

137 Nihilominus Gualterius c. 16.sec.11.meritò peculiariter pro loco determinatoOccidētis, agit de recentioribus quibusdā Nicolaitis
138 sic breuiter d cens. Hanc sibi denominationē conciliarūt Mediolani quidā Ecclesiastici libertatis auidi,qui proculcata sacrosācti cęlibatus professione ecclesiast. indicti lege, fęminarūcōmixtioni indulgētes, id sibi licitū integrūq.esse affirmabat.Viri veterū imitatores Nicolaitarū,qui sibi persuadebant omnibus vniuersè necessariam esse carnalem cōmixtionē.vt in 1.seculoobseruatū est.hæc ille.

139 Addendum etiā aliquid ex Cardinali Baronio anno 1059. vbi n. 32. præmittit fuisse missas à NicolaoPapa II.Mediolanum Legatos Sedis Apost.viros sanctissimos,atque doctissimos,nimirū Petrum Damiani Cardinalem Ostiensem,& Anselmum Lucensem Episcopum,ad diuersa negotia,maximè,vt se opponerent hæresibus Simoniacorū,& Nicolaitarum, quæ iam tunc in agro Mediolanensi
140 magnas radices egerant. De qua legatione fit mentio in ipsius Petri Damiani, ad Hildebrandum Archidiaconū eruditissima epistola, vbi reddens rationem suæ legationis ad rem nostram spectans, sic ait.

141 Erat enim inter Clerum,& Populū propter duas hæreses, Simoniacā videlicet,& Nicolaitarum,satis turbulenta seditio.Nicolaitę autem dicuntur clerici, qui contra castitatis ecclesiasticæ regulam fæminis admiscentur. Qui planè tunc fornicatores fiunt, cum fœdi commercij copulas ineunt:tūc Nicolaitæ iure vocantur,cum hanc lethiferam pestem velut ex auctoritate defendunt.Vitium quippe in hæresim vertitur, cùm peruersi dogmatis assertione firmatur hæc Baronius,seu verè Pe-
142 trus Damiani,Qui teste eodem Baronio ad annum Dñi 1065 n.1. hostis acerrimus contra Nicolaitarū sectam semper extitit: ibi sic.

143 Sequitur annus Redemptionis 1065. Indictione tertia, quo damnato omnium consensu in synodo Mantuana schismatico Papa reuersis ad propria,vt vidisti,cunctis Episcopis, Petrus Damiani Episcopus Ostiensis S.R.E. Card.ad eremum, vndè venerat, rediens, aduersus eos, qui remanserant Ecclesiæ cor-
144 ruptores stylum exerit. Quem semper aduersus eiusmodi pestiferos homines exacuerat,Nicolaitas scilicet,turpes Ecclesiæ clericos,quitantum abest,vt errorem corrigant, vt potius obstinatè defendant.ita ille: atque dictum satis pro pręsenti Regula.

Quid de tribus reliquis sectis seculi xj. Incestuosorum, Vuecilinorum, & Roscelini, noui Saliani?

REGVLA CCLXVI.

145 PRodijt secta Incestuosorū circa annum Domini 1065.quorundā scilicet Iurisconsultorum hæreticè defendentium contra decisionem sacrorum Canonū, matrimoniū in quarto cōsanguinitatis gradu esse permis-
146 sum,atq. hinc Incestuosi sunt vocati. Post Vuecilini, & quoad nomen, & quoad errorē habuerunt ducem Vvecilonē Archiep. Maguntinū docentē seculares non esse amplius subiectos iudicio Ecclesiastico, si bonis suis spolientur,nec posse tunc excōmunicari Ger-
147 men deniq.Sabellianismi apparuit, quādo Roscelinus Gallus asseruit pertinaciter,quod ob essentiæ vnitatem in Diuinis Personis debeat concedi, Patrem etiam, & Spiritum Sanctum, fuisse incarnatos.

148 PVgnauit acerrime, & verbis & scriptis cōtra dictos Incestuosos, vt eorū sectā extingueret vir ille, de quo paulo ante, & doctrina Illustrissimus, & dignitate Eminentissimus Petrus Damiani, vt refert copiosè Baronius ad annum Christi Domini 1065. à n.7. vbi sic incipit de eo loqui.

149 Compescuit idem ipse eodem tempore hæresim Incestuosorum dictam, quæ à quibusdam Iureconsultis est excitata, atq. defensa, qui auctoritate Iustiniani Imperatoris, eadem ratione, qua in successionibus, numerādos esse dicebāt gradus consanguinitatis.

150 A quonam autem originem dixerit, haud satis exploratum. Porrò à Iureconsulto Florentino magnopere defensam esse, testificatione eiusdem Petri reperimus. Fuit, aut præ cæteris in hoc certamine eidem Petro Damiani plurimum insudandum, quod testantur eius scripta de eodem argumento elaborata. Si euidem cum adeò increscerct eiusmodi error, vt ob acerrimos eius defensores transiret in hæresim: compulsus est ipse Petrus aduersus eos commentariū scribere, cuius iste est titulus.

151 Petri Damiani humilis monachi de parentelæ gradibus. Ita Baronius aduertens ibi dictum commentarium fuisse distributum ab auctore in duodecim capita, & in octauo referri concertationem habitam Rauennæ ab eo cum quodam Iurisconsulto Florentino pertinaciter defendente doctrinam erroneam dictorum incestuosorum. Bonam partem talis concertationis adducit ibidem idē Baronius, videas apud ipsum, si lubet.

152 Addit autem n.10. cum flāma huiusmodi hæreseon in immensum erumperet, & excresceret, atq nec scriptis, nec cōcertationibus Petri Damiani cōprimi omninò posset, ad hūc effectum inductione ipsius celebrata fuisse Romæ duo Concilia ab Alexandro Papa II. vt condemnarentur tales hæretici Incestuosi qui matrimonium in quarto cōsanguinitatis gradu per sacros Ecclesiæ Canones interdicto esse permissum ingenti pertinacia tuebantur. Ita etiam Gualterius cap.7. seculi 11. vbi de hoc breuissimè.

153 Præter istam verò duorum Conciliorum condemnationem, vt perterrefierent, & sic ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reducerentur, Deus Opt. Max. ad punitionem non sine miraculo contra quemdam ex ijs, qui excōmunicationem Ecclesiæ contemnebant, manum iniecit: narrat ibidem Bar. n 23. sic.

154 Cum verò, vt audisti, incestuosorum numerus increbresceret, ijdemq contumaces, & contemptores excommunicationem Ecclesiæ vilipenderent, nec recedere ab improbato coniugio vellent: Deus in vnum ipsorum, in exemplum ceterorum, diram vindictam exercuit, atq. irrationabilium bestiarum facto, quid rationabili homini sit faciendum, ostendit. Rem gestam ab Episcopo, Apsarensi, Pio nomine acceptam, omni fide testatā, sic ipse recitat Pertus Damiani in epistola ad Alexandrū Papā electū, & ad Hildebrandū.

155 Quidam, inquit, degener quidē moribus, sed maiorum titulis insignitus, suam consanguineā nuptiali fœdere copulauit. Quid plura? Prohibitus perstitit, excommunicatus adhæsit, totumq. Ecclesiasticę censuræ vigorem nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui hoc certe ad diuinæ indignationis indicium contigit, vt panes de nuptialibus mensis in platea ante canum ora proiecti minimè tan-

156 gerentur. Insuper (ò diuinæ animaduersionis pauenda seueritas) dum rigidus stat, dum præceptis sacerdotalibus se non humiliat, qui vigilare sibi ad salutē noluit, in cubiculo dormientem repente de cęlestibus irruens fulmen extinxit: sic diuini furoris expertus est moriendo sententiam, qui vulneri suo, dū viueret, adhibere cōtēpserat medicinā. hęc ille.

157 Occurrit iam explicanda VVecilinorum secta: origo, seu occasio eius inde, vt auctor est Bar. anno 1085. n. 1. cum antiquis scriptoribus, quos citat. Spoliatus fuerat Regno, ac bonis omnibus Rex Henricus III. inflictaq. ei excommunicatio ipso facto, eo quod partes Guiberti Pseudopapę tueretur, inducto schis-

158 mate pessimo. Dein publicato edicto excōmunicationis per Legatum Sedis Apostolicæ Ottonem Ostiensem Episcopum Cardinalem illico catholici Saxones communicationem cum Henrico euitare cœperunt; e contra, quod non esset euitandus, reclamabant schismatici; inter quos excelluit Vuecel, de cuius qualitate audiamus Cardinalem Baron. n. 3.

159 Porrò, inquit, Vuecel iste, qui anno superiori intrusus est post obitum Sigefridi in Moguntinum Archiepiscopatum, quisnam fuerit, præstat audire à Bartholdo, qui ait: Interim Hēricus cōgregata multitudine schismaticorum Vvecilonem Clericum Haluerstandensis Episcopi fugitiuum, Moguntinensi Episcopatu remunerauit, eo quod illi in omni pertinacia contra Dominum, & sanctū Pe-

160 trum indefessus cooperator adfuit. Qui ipse iam dudū anathematizatus, & ab anathematizatis electus, nihilominus etiam ab anathematizatis (iuxta Pelagium Papam) non consecratus, sed execatus est. hęc ipse, nempe

161 Bertholdus, & ab isto Baronius. Qui addit permansisse semper Vvecilonem in schismate, & huius propugnatorem acerrimum iugiter vsque ad mortem extitisse.

162 Ad ipsum autem conuincendum, & declarandum hæreticum, ac ducem hęreticorū cōgregatum fuit Conciliū, vt ex Vrspergensi scriptore insigni illius temporis affert Baronius n. 2. circa finem sic.

163 Notandum tamen, inquit, est, quod eandem sententiam aduersarij Imperatoris tanto insequebantur zelo, vt habito postmodum in Quintilineburg Concilio, vbi Otto Episcopus Ostiensis, interfuit Legatus Hildebrandi Papę, ipsam nimium ventilantes: hęresim Vvecilonis, ipsumque hęresiarcham appellarent, contra fidem scilicet illum dogmatizasse culpantes, quod qui iam diu suis spoliatus sit rebus; diuinis non subiaceat legibus. hęc ex Vrspergensi Baronius.

Qui

164 Qui in fine numeri sequentis ait: At sicut hæresis ab auctore Vuecilonia (vt audisti) est appellata, ita & ignominiæ causa schismatici sectatores ipsius, Vuecilini denominati fuerunt. ita ille.

165 Quid tandem de Roscelino hæresiarcha refricante Sabelli antiquum errorem? Condemnatus fuit hic pessimus homo in Concilio Rhemensi, ibique abiurauit, non tamen ex corde, sed omnino fictè ob timorem vltimi supplicij, si in pertinacia, & obstinatione permansisset; vt patet ex epistola, quam scripsit S. Anselmus ad Vrbanum Papam II. reddens rationem, cur librum de Incarnatione Verbi composuerit, & refert Baronius anno 1094 num. 20. sed præstat D. Anselmi verba audiamus, quibus de re tota clare innotescet

166 Cum adhuc, inquit, in Becci Monasterio essem Abbas, præsumpta est à quodam clerico in Francia talis assertio: Si in Deo, inquit, tres personæ sunt, vna tantùm res, & non sunt tres res, vnaquæque per se separatim, sicut tres Angeli, aut tres animæ, ita tamen vt potentia, & voluntate omnino sit idem: ergo Pater cum Spiritu Sancto cum Filio est

167 incarnatus. Quod cum ad me perlatum esset, incœpi contra hunc errorem scribere quandam epistolam, quam parte quadam editam, perficere contempsi, credens non ea opus esse, quoniam, & ille, contra quem fiebat, in Concilio à Venerabili Rhemensi Archiepiscopo Rainaldo collecto, errorem suũ abiurauerat, & nullus videbatur, qui eum errare ignoraret. ita ibi.

168 Post pauca verò sic. Postquam autem in Anglia ad Episcopatum, nescio qua Dei dispositione captus, & retentus sum: audiui præfatæ nouitatis auctorem in sua perseuerantem sententia dicere: se non ob id aliud abiurasse quod dicebat, nisi quia à populo interfici timebat. Hac igitur causa quidam fratres precibus suis me coegerunt, vt soluerem quæstionem, qua ipse sic irretitus erat, vt nullo modo se ab ea expediri crederet; nisi aut incarnatione Dei Patris, & Spiritus sancti, aut Deorum multitudine impediret, &c. Hactenus S. Anselmus, cuius hanc sententiam auream adiungit Baronius ibidem sic.

169 Nullus quippe Christianus debet disputare, quod Ecclesia Catholica corde credit, & ore confitetur, quomodo non sit; sed semper eandem Fidem indubitanter tenendo, amando, secundum illam viuendo, humiliter (quantum potest) quærere rationem, quomodo sit. si potest intelligere, Deo gratis agat; si non potest intelligere, nec immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput

170 ad venerandum. Citius enim in se confidens potest humana sapientia impingendo cornua sibi conuellere, quam innitendo petram hanc euellere, &c. Ita ibi: atque ijs satis declarata manet secta Roscelini. (Vide Gualterium cap. 9. sec. xi.) præsensque Regula, & Caput iam expedita.

CAPVT XIV.

De varijs Sectis hæresum, & hæresiarcharum, quæ in pluribus Orbis partibus per totum xij. Seculum contra Fidem Catholicam instituta fuerunt.

PROOEMIOLVM.

1 CONTRA præcipuam Catholicæ Fidei veritatem (vt de alijs nunc taceam) nempè cõtra veram & realem in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, ac Missę sacrificio, Christi Domini pręsentiam, initio præcedentis sęculi hęresiarcham Berengarium Sacramentariorum Pręcursorem cornua erigentem, & horrendissimum bellum excitantem vidimus. Quid igitur? an sumpta contra eum arma? sumpta sanè potentissima: omninò nè expugnatus? equidem expugnantissimus vnà cum quibuscumque ipsius sequacibus. Pugna enim validissima contra eos, iam à primis Ecclesiæ Catholicę incunabulis incœpta, & in quouis seculo continuata, decisionibusque Sacrorum Conciliorum, ac testimonijs Sanctorum Patrum, & virorum doctissimorum admodum roborata, vnde, & victoria aduersus hostes acerrimos Eucharisticæ veritatis prorsus certa, & valde gloriosa.

2 Circa dictam pugnę continuationem videas pręsertim nostros antesignanos, Genebrardum scilicet, & Gualterium: ille in fine cuiusque seculi, & ante incarnationem Verbi, sub finem cuiusque ætatis Mundi, fidem, & cognitionem doctrinæ Catholicę, tùm aliorum mysteriorum, tùm istius Eucharisticæ realitatis continuatam ostendit. Hic verò cum in suis eruditissimis Chronographicis Tabulis à Christo nato præcipuè intendat ostẽdere earumdem duodecim veritatum Fidei nostræ in quouis annorum centenario confirmationem dictis decisionibus, & testimonijs manifestam, in primo semper loco hanc realitatis, & transubstãtiationis Eucharistiæ, ac Sacrosancti Missæ sacrificij reponit, vt videre est apud ipsum

3 Gualterium. Omissis autem nunc alijs cęterorum seculorum, pauca tantum xi. præcedẽtis hic attingamus, videlicet testimonia Fulberti Carnotensis Episcopi in epistola de Eucharistia, quæ extat 3. Tom. Biblioth Sanctorum Patrum: Oecumenij, in cap. 11. prioris epistolæ ad Corinthios: Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi in libro, quem de Eucharistia aduersus Berenga-

rium scripsit. Petri Damiani Ostiensis Episcopi, & Cardinalis in sermone de Natiuitate B. V. Mariæ extat apud Sur. to. 5. VIII. Sept. Theophilacti Archiepiscopi Acridiæ Bulgarensis in cap. 26. Matth. Euthymij Monachi cognomento Zigabeni, etiam in cap. 26. Matth. tandem S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis in cap. 7. Epistolæ ad Hebræos: vide verba vniuscuiusque istorum testimonium reddentia apud Gualterium citatum: nobis sat est, digitos ad fontes intendisse, vt iam ad hæreses, & hęresiarchas seculi xij. descendamus.

Durandus de Vualdach, & Marsilius Paduanus, ac Basilius Dux Bongomilorum quomodo suas Sectas fundarunt?

REGVLA CCLXVII.

4 PRiores duo hęresiarchę simul ferè circa annum Domini 1117. prodierunt, Durandus de Vualdach in Aragonia, asserens pertinaciter cum quodam suo assectatore, præter alias hæreses, quòd matrimonium nihil aliud sit nisi occulta fornicatio. Marsilius 5 verò Paduanus eadem pertinacia in Ecclesiã, & Ecclesiasticas personas varijs erroribus in dicandis inuehens, sicque vterque suam Sectam instituit. At Basilius Bongomilorum 6 Parens ex armamentarijs veterum hęresiarcharum diuersas assumens hęreses, Fidem Catholicam acriter oppugnauit.

7 CIrca primam Sectam Durandi de Vualdach breuissimè nos expediemus, cum pauca admodum apud Scriptores de ea reperiantur, nihil apud Baronium, quod miror; nihil apud Alphonsum de Castro, &c. Solus nonnulla Prateolus verb. Durandus de Vualdach num. 18. & ex eo Gualterius cap. 1. seculi xij. sic:

8 Anno circiter 1117. in Aragonia impostor hic, comite quodam assectatore suo, nonnullas sparsit hęreses, quas inter docuit matrimonium aliud esse nihil nisi occultam fornicationem. Atque, eam ob causam, cum suã ipsi agnoscere cęcitatem nollent, igni adiudicati sunt. Fuerat autem hic error longè ante ab Ecclesia damnatus in Marcionistis, Tatianistis, Adamitis, & Manichæis, vt suis locis ostensum est. Ita ille.

9 Non exprimit autem alias hęreses, de quibus in communi ait ibi, Nonullas sparsit hęreses; neque expressio vlla earum à Prateolo facta. Sed præstat huius etiam verba audire, ad Sectam istam paulò latius capiendam, scilicet.

10 Durandus de Vualdach Henrici Quinti, Cęsaris Germani, & Paschalis II. huius nominis Romanorum Pontificis temporibus circa annum Domini 1117. in partibus Aragoniæ cum alio quodam sibi fauente, & assectatore hęreses quasdã instituit: inter quas asserebat, matrimonium nihil aliud esse, quã 11 occultum meretricium. Sed tandem Domino Iacobo Rege Aragonum presente, eius hęreses damnatę fuerunt per Episcopum Gerundensem, & Arnoldum Burgensem Fidei Inquisitorem, & illi velut impenitẽtes ignibus traditi, & exusti. Hęc ille, nec aliud circa Sectam istam Durandi addendum occurrit.

12 Breuis similiter erit nobis sermo de hęresiarcha Marsilio Paduano, ob eandem causã, quòd Scriptores citandi, qui de eo, ac de eius Secta agunt, breuiter omnia huc spectantia attingunt: mirum item sanè apud Baronium, qui nihil intactum solet relinque-13 re, haud vllum de eo verbum reperiri. At Prateolus verb. Marsilius num. 17. ex Aluaro lib. 1. de Planctu Ecclesiæ, artic. 68. & ex Alphonso à Castro lib. 6. aduersus hęreses, de eo in communi affirmat, fuisse equidem virũ toti Ecclesię, & quibuscumque Ecclesiasticis odiosè infensum, eò quòd in eos fuerit inuectus.

14 Quatuor tantum errores Marsilij Sectæ communiter tribuuntur. Primò, quòd Papa post Christi Domini Ascensionem non permanserit eius Vicarius in Ecclesia, & quod reliquerit Christus eam sine Vicario. Rebellionis, ac despectæ obedientiæ fundamentum omnibus propemodum hęreticis commune. Ita Prateolus verb. Marsilius, & Gualter. cap. 2. secul. xij.

15 Secundò, Tenuit Marsilius, quod Papa possit subire iudicium Imperatoris; atque hic succedat Summo Põtifici, Sede vacante. Ibidem Prateolus, & Gualterius; qui meritò addit hanc esse confusionem, plus quam Babylonicam, cum Terræ Cœlum, & temporalibus spiritualia non modo adæquat, verũ etiam subijciat.

16 Tertiò, Errauit ille cum pertinacia affirmans homines Ecclesiasticos non posse vllas diuitias possidere, nec agros, nec alia bona, eam reddens rationem, quòd Apostoli, quibus primores Ecclesiæ successerunt, pauperes fuerint, nihil pænitus possidentes. ita locis citatis Prateolus, & Gualterius.

17 Quartò, Docuit Marsilius, sed falsò, nihil esse discriminis inter Sacerdotes, imò neque inter Episcopum, & Sacerdotem, nullum esse alio potestate eminentiorem. Ita præter relatos Prateolum, & Gualterium, Alphonsus à Castro verb. Episcopus, hæres. 1.

18 De tertio hęresiarcha Basilio nonnulla habemus apud Cardinalem Baronium sub finẽ anni 1118. vbi inter excellentias, & encomia Imperatoris Alexij istud vt valde singulare reponit, detegisse, & igni tradidisse nequissi-19 mum Basilium. Præcipuam verò, inquit, laudem inde sibi idem Imperator Alexius comparauit, quod quendam huius temporis nefandum hæresiarcham Basilium, auctorem hæresis Bongomilorum, detexit, atque non sine labore detectum eundem flammis comburendum tradidit. hęc ille.

20 Plura verò circa idem paulo post adducit quibus etiam qualitatem, & professionem Basilij, eiusque sectę dilatationem per plures Mundi partes ostendit sic.

21 Quomodo autem, inquit, Imperator Alexius nefarium hominem vltimo supplicio affecit, ita describit Zonaras: His temporibus secta nefaria Bongomilorum extitit, cuius præco doctorque primarius fuit quidam Basilius medicus, habitu Monachus, sed ipso po-
22 tius Satana indutus. Qui cum annis quindecim erroris illius perniciosa dogmata didicisset, quinquaginta duobus docuisset, totum ferè orbem sua pestis impleuit. Tandē etiam Vrbem Imperatricem ingressus, in manifesto crimine est veritatis inimicus deprehensus. Nam Imperator eius impietate cognita, simulauit se fidem habere homini infelici, & Magistrum appellauit, & Saluatorem
23 errantium animarum. His & pluribus alijs ægre quidem, & tardè, sed tamen effecit tandem, vt homo pestifer euomeret virus suæ improbitatis. Sed fera cassibus irretita, doctrinam eius vulgauit, & dogmata contempsit, communique suffragio in equestri theatro impostorem comburi iussit. hæc ille.

24 Cum Euthymio, & alijs idem Baronius hos nequissimo Basilio tribuit errores, sic: Reijcit inquit, libros Moysi, septemque tantum Diuinæ scripturæ libros recipit. Deum humana forma præditum dixit. Mundum creatū ab Angelis malis; scilicet, Michaelem Archāgelum fuisse incatnatum. Iconoclastiam amplexus, sanctarum cultores Imaginum reprobos, & idololatras esse affirmauit. Crucem despexit, quod in ea Saluator occisus sit; quā Dęmones fictè timere, atque fugere viderentur. Baptismum Ecclesiæ esse Baptismum Ioannis, suum verò esse Baptimum Christi. Incruentum sacrificium contemnendum. Eucharistiam esse Dominicam orationem: omnes orationes præter Dominicam, vaniloquia esse. Insuper delirans dixit suos omnes concipere Verbum Dei, & parere, sicut Beata Virgo peperit, nullamque aliam esse resurectionem, præter pęnitentiam, & vitam euangelicam. hactenus Baronius.

25 Prædictis autem duodecim hęresibus alias tres adiungit Gualterius dict. cap. 3. secul. 12. nempe primo, quod hæresiarcha Basilius nequaquam admitteret mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Secundo, quod Catholicorum Ecclesias blasphemijs impetere consueuerit, Dęmonum esse domicilia mentiendo, magnumque Satanam in Templo Salomonis ab excidio Hierosolymitano ad suum vsque tēpus sedisse, amplissimam Ecclesiam Cōstantinopolitanā S. Sophiæ titulo appellatam, oc-
26 cupasse. Tertio, licitum esse pro tuenda vita fidem assimulare, & effingere: quibus secta hæresiarchæ Basilij explicata manet. De qua Prateolum lege verb Bogomiles, n. 28. pauca nimis afferentem ex Euthymio 2. par. suæ Panopliæ tit. 23. Atque his præsentis Regulæ finis.

Quid de sectis hæresiarchaiū Tandemi ac Petri de Bruis, parentis Petrobrussianorum, & Adamitarum à Tandemo procedentium?

REGVLA CCLXVIII.

27 Circa annum Domini 1126. in Germania emersit homo nequissimus Tandemus nominę, vt Antuerpiæ in primis venenum suæ hæresis statim explicandæ spargeret; nec quisquam poterat ei facilè resistere, non solum ob ingenij acumen, & nimiam loquacitatem, sed etiam ob incessum cum magno splendore, & trium millium armato-
28 rum comitatu. Statim secutus est alius hæresiarcha dictus Petrus de Bruis, qui in Arelatensi prouincia ex diuersis erroribus indi-
29 candis suam sectam instituit. Orta verò paulo post à dicto Tandemo soboles Adamitarū, nihil differentium ab Adamitis antiquis in tertio sæculo explicatis.

---

30 Tandemus, vt vocant eum Prateolus verb. Tandemus, n. 1. & Gualterius cap. 4. secul. 12. vel Tanchelinus, sic etiam ab ipso Gualterio, & à Baronio citando nominatus, quisnam fuerit, & vbi, ac quando prodierit, indicat idem Prateolus ex Sigiberto, seu ex suppl. Chron. eius anno 1124. sic.

31 Tandemus, inquit, hæreticus, auctore Sigiberto, circa annum Domini 1124. in Germania emersit sub Henrico V. huius nominis Cęsare Germano, & Callisto II. Romanorum Pontifice. Hic, vt idem Sigibertus ait, cum Laicus esset, non minimę tamen subtilitatis erat, sed multis etiam discretis clericis in sermone acutior, adeò quidem; vt eos supe-
32 rare in omni re videretur. In precioso habitu, & vestibus deauratis incedens, triplici funiculo crinibus intortis, verbis persuasibilibus, & conuiuiorum apparatibus, eos, qui illum circiter tria millia armati sequebantur, alliciebat, & per eos in sibi resistentes cædibus sæuiebat. hæc ille.

33 Dissentiens à Prateolo aliquantum in circumstantijs temporis, & personarum, reponit Baronius (cui ad hæreo) hunc turpissimū, & crudelissimum hæresiarcham Tanchelinū ad annum 1126. gubernante Ecclesiam Catholicam Honorio Papa II. successore Callisti, & vacante Imperio Occid. per septenniū; sed ipsūmet de hoc hæresiarcha, & de remedio adhibito loquentem audiamus.

34 Quo anno, inquit, Sanctus Norbertus, cum accepisset Romæ ab Honorio Papa confirmationem instituti à se Ordinis Pręmonstratensium, reuersus in patriam, dispositis rebus vocabatur Antuerpiam, vt Ecclesiam illam noui hæresiarchæ opera labefactatā adiuuaret. Quinam hic fuerit hæresiarcha, & quę eius nefandæ assertiones; sic accipe ab Hugone, eius tēporis auctore, qui ait, in vita S. Nor-

Norberti c. 34. apud Suriũ tom. 3. die 6. Iunij.

35 Non est autem prætereundum, quare vocatus fuerit ad suscipiendam Antuerpiensẽ Ecclesiam. Est Antuerpia oppidum amplissimum, & populosum, in quo vnus erat tantum Sacerdos, qui curam totius populi ibidem commorantis gerebat: sed præ nimia multitudine, & frequenti negligentia non poterat: nec credebatur ei, quod ipse quasi in coniugio, & copula carnali neptem suam in tertio gradu manifeste sociam sui sceleris

36 haberet. Hanc ob causam populus ille quasi grex absque pastore per multos errorum anfractus deuiabat. Vndè contigit, vt hæreticus quidam miræ subtilitatis, & seductor, Tãchelinus nomine, illuc adueniens, in eadem

37 gente locum suæ imposturæ inueniret. Erat is omnium hominum sceleratissimus, Deique & omnium Sacramentorum eius, totiusque Religionis, & Christianæ fidei hostis, ita vt ministerium Episcoporum, & Sacerdotum

38 nihil esse diceret: Et sacrosancti Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi perceptionem ad salutem perpetuam prodesse negaret. hucusque Baronius ex Hugone.

39 Præter dictos duos errores asserebat Tandemus, rem spiritualem esse, filias in oculis matrum constuprare, ipsasque fœminas coniugatas, præsentibus maritis conspurcare. Quam fœditatem ille exercebat stipante, quẽ diximus, exercitu ex tribus hominum millibus conflato. ita cum Prateolo citato, Gualterius ibidem totidem verbis: sed præstat circa idem cum additamento aliquo audire Baronium propè medium n. 12. ex Hugone,

40 Res mira, inquit, & stupenda, lotiones eius bibebant, & reliquiarum loco asportantes recondebant: & cum filias in matrum præsentia, spõsasque maritis videntibus corrumperet, opus spirituale id esse asserebat, in tãtum, vt infelicem se diceret, qui huic coniun-

41 ctioni nefariæ misceri non meruisset. Hæc turpissima, & detestanda hominis impostura, etiam post mortem eius extirpari nullatenus potuit, licet duodecim clericorum congregatio ab Episcopo in subsidium Sacerdotis, qui solus erat in Ecclesia Sancti Michaelis, instituta esset &c. Hactenus ille.

42 De morte autem Tandemi, & de extirpata eius hæresi, Prateolus ibidem cum Sigiberto sic. Qui tandem, inquit, post multos seminatos errores, multasque cædes perpetratas, inter nauigandum à quodam presbytero in cerebro percussus occubuit. Sed tamen post eius mortem error ipsius, non tam faci-

43 lè extirpari potuit. Propter quod à Clericis loci eius Ecclesia cum redditibus per manum Episcopi Norberto cuidam docto, & sancto viro regenda data fuit, sperantibus, quod per eius salutarem doctrinam hæresis illa de

44 medio tolleretur. Quod & factum est. Siquidem ipso prædicante, viri, & mulieres compuncti, corpus Dominicum, quod in cistris, & in foraminibus per decem annos, & amplius reposuerunt, attulerunt, & per eius doctrinã paulatim ad sanctam Fidem resipuerunt. hæc Prateolus, seu potius Sigibertus.

45 Sequitur dicendum de Petro Brussino hæresiarcha, & de secta Petro-Brussianorum ab eo fundata: præcedentis declaratione absoluta, immediatè post num. 13. eiusdem anni 1126. ita idem Baronius.

46 Haud dissimilis, inquit, planè Tanchelino fuit, nec impietate dispar, Petrus de Bruis dictus, qui his item temporibus eosdem ferme errores disseminauit in Prouincia Arelatensi & alijs adiacentibus locis, qui per annos viginti impie agens, impiè scribens, & loquens perdurauit. Aduersus quem diffusè scripsit Petrus Cluniacensis eam primùm epistolam, quam dedit ad Ebredunensem Archiepiscopum, & alios Episcopos, in quorum diœcesibus nefarius homo hęreses propagauit &c. ita Cardinalis Baronius.

47 Notat autem cum eodem Cluniacensi Abbate Prateolus verb. Petrus de Bruis nu. 18. hunc hæresiarcham, à quo Petrobrusiani hęretici procedunt, fuisse Gallum natione, ex prouincia Narbonensi oriundum, & in ea hæresi, quam mente conceperat, adeo pertinacem, & obstinatum mansisse, vt meritò apud oppidum Diui Aegidij ob sua crimina

48 viuus tandem exustus fuerit. In eo tamen non benè sentit idem Prateolus, quod vnumsolummodo errorem circa baptismum puerorum Petro de Bruis tribuat, cum à Baronio citato à Gualterio cap. 5. seculi 12. & ab alijs ex eodem Abbate Petro Cluniacensi, quinque communiter tribuantur.

49 I. Errabat affirmans paruulos infra discretionis ætatem, Christi Baptismate non posse saluari, nec alienam fidem illis ad salutem vllo modo prodesse, qui sua vti non possunt. Ita tres prędicti auctores.

50 II. Dicebat Petrus Brusinus, nullãm templorum, aut Ecclesiarum fabricam fieri debere: insuper quamcumque iam factam funditus esse diruendam, nec requiri sacra loca pro Christianis ad orandum, adorandũ &c.

51 III. Ordinauit ille omnes Cruces sacras confringi, ac succendi, eo quod species illa, seu instrumentum, quo Christus Dominus tã dirè tortus, & tam crudeliter occisus est, non adoratione, nec veneratione, neque aliqua supplicatione digna est, sed ad vltionem tormentorum, & mortis eius, omni dedecore dehonestanda, gladijs concidenda, & ignibus est succendenda.

52 IV. Negabat idem Petrus de Bruis non solum realitatem corporis, & sanguinis Domini in Sacramento Eucharistię, & in quotidiano Missæ sacrificio; sed etiam istud omnino nihil esse, neque Deo offerri debere ab vllo, maxima cum pertinacia tuebatur.

53 V. Deridebat esse sacrificia, orationes, eleemosynas, ac quæuis alia bona opera, pro defunctis Fidelibus à viuis Christianis oblata, atque per ea nullum mortuorum, vel in mo-

54 dico posse iuuari asserebat. En errores dicti hæresiarchæ, sectæque eius ab insigni Abbate Petro Cluniacensi traditos, & à Baronio, atq Gualterio citatis expressos: nec quidquam

quam aliud occurit circa illam sectam.

55 Quid tandem de hæreticis Adamitis? soboles isti fuerunt nebulonis illius hæresiarchę Tanchelini, qui vt paulo ante dictum, Antuerpiæ sparsit zizania suorum errorum, istis post aliquod tempus adhærentes vocati sunt 56 Adamitæ. Eo quod viri simul, & fęminæ imitantes nuditatem parẽtum Adami, & Euæ ante lapsum, vt iam alibi diximus, sine pudore ostendentes pudenda incederent. De ijs Genebrardus in Alexandro III. quem solum citans Gualter. cap. 14. seculi 12. sic ait.

57 Extinctum fęliciter in inferiore Germania à Religiosis Præmõstratensibus Tandemi venenum, repullulauit nihilominus posteà in varijs prouincijs, tum Regni Bohemię, tum 58 alijs: vbi qui eo fuere imbuti, Adamitæ nomen adepti sunt, nempè ob fęditates in capite de Tandemo recensitas, ijs non dissimiles: quibus coinquinatos quondam fuisse legimus veteres Adamitas in tertio sæculo memoratos. hęc ille, quibus satis dictum pro ista secta, & pro tota Regula præsenti.

Secta hæresiarcharum Petri Abailardi, & Arnaldi Brixiensis, Arnaldistarum parentis, qualiter se habent?

REGVLA CCLXIX.

59 HI duo hæresiarchæ valde famosi, & coniuncti fuerunt, prior scilicet magister posterioris: ambo simul de hæretica prauitate accusati apud Innnocentium Papam II. & per hunc eadem contra vtrumq. sententia condemnationis lata, finis tamen 60 vtriusque omninò dissimilis. Nam Petrus Abailardus natione Gallus, post seminatos varios errores explicandos, & post prouocatum S. Bernardum ad publicum de fide certamen, cum solo eius aspectu perterritus, ad Sedem Apostolicam appellasset, in se reuersus, depositis erroribus, & emissa professione in Monasterio, ibi sanctissimè vixit, & obijt. 61 At discipulus eius Arnaldus Brixiensis, in spargendis eisdem erroribus, & alijs proprijs persistens, tandem captus meritò igni tradi- 62 tus fuit. Post mortem verò eius secta Arnaldistarum ab ipso fundata multis extitit admodum perniciosa.

---

63 PEculiari Dei Opt. Max. prouidentia dispositum, vt temporibus istorum hæresiarcharum Petri Abailardi, & Arnaldi Brixiensis, doctrina, & pietate floreret S. Bernardus Abbas Claręuallensis, atque contra eos multimodis insurgeret, ipsorum errores, & verbis, & scriptis perpetuo impugnans, simulque nequitiæ qualitatem vtriusque cõpletè exprimens, vt adducit Baronius anno 1140. à n. 4. vbi ex epistola eius 189. inducit ipsum, sic loquentem.

64 Stultè mihi dudum requiem promittebã, si quidem Leonina rabies quieuisset, & pax Ecclesiæ redderetur. Sed secus accidit, nam inferius: Leonem euasimus, sed incidimus in Draconem, qui non minus forsan noceat sedens in insidijs, quam ille rugiens de excel- 65 so. Quanquam non iam in insidijs, cuius virulenta folia vtinam iam laterent in scrinijs, & non in triuijs legerentur. Volitant libri, & qui oderunt lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem. Et post pauca.

66 Procedit, inquit, Golias (nempe Abailardus, procero corpore, nobili illo suo apparatu circummunitus, antecedente quoque eius Armigero Arnaldo de Brixia: squama squamæ coniungitur, & nec spiraculum incedit per eas. Siquidem sibilauit apis, quæ erat in Francia, api de Italia, & venerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius &c. Hæc sub metaphoris, & symbolis ex S. Bernardo Baronius, quæ declarans sic ait.

67 Ecce tempus, nempe post extinctum schisma Petri Leonis; & cum Arnaldus, ex Italia (vt audisti) redijt in Franciam ad suum Magistrum Petrum Abailardum, quando & cœptum est agi aduersus eiusmodi hæreses recens emergentes. Ita ille de ambobus simul 68 hæresiarchis. Qui per ipsum Sanctum Bernardum, & per alios plures, teste eodem Baronio ibidem, denunciati fuerunt Innocentio II. Summo Pontifici: à quo perpensis perpendendis, eadem pariter contra vtrumque sententia condemnatoria dimanauit. de qua ipsemmet Innocentius Papa in sua epistola Apostolica, cuius initium sic.

69 Innocentius seruus seruorum Dei Samsoni Rhemensi Archiepiscopo, Henrico Senonensi, & Bernardo Abbati Claræuallensi sa- 70 lutem, & Apostolicam benedictionem. Pręsentia scripta fraternitati vestræ mandamus quatenus Petrum Abailardum, & Arnaldum de Brixia dogmatis fabricatores, & Catholicæ fidei impugnatores, in religiosis locis, vt vobis melius visum fuerit, separatim faciatis includi, & libros eorum vbicumque reperti fuerint, igne comburi Datum Laterani 17. 71 Kalendas Augusti. Insuper transcripta ista nolite ostendere cuipiam, donec ipsæ litterę in Parisiensi colloquio, quod propè est, præsentatæ fuerint ipsis Archiepiscopis. Ita ibi, & habetur apud Baronium dicto anno 1140. 72 n. 13. Vbi facit mentionem de alia epistola eiusdem Innocentij II. per quam illorum errores damnati ostenduntur, iniuncto auctoribus eorum perpetuo silentio.

73 Sunt autem huiusmodi, communes vtrique: ac primo affirmandum cum S. Bernardo epist. 192. in fine, quod Abailardus, & Arnaldus, loquendo de Trinitate, arianizauerint: de gratia agendo, pelagianizauerint, de persona Iesu Christi sermonem habendo, Nestorianos se præbuerint. vnde patet ab antiquis suos errores sumpsisse.

74 Secundo asserebant, in Deo aliquam reperiri compositionem. Tertio, Beatos non videre Deum, sed aliquam claritatem solummodo essentiæ eius. Quarto, Deum non posse cuiquam facere, nisi quæ propter ordinem iusti-

iustitiæ, & sapientię suæ facit, imò ex naturæ necessitate agere omnia, quæ agit. Quinto, Deum item non esse auctorem bonorum omnium. Sexto, Angelos aliquid creare. Septimo, Præter creatorem, & creaturam aliud quiddam reperiri, atque præter Deum debere aliquid admitti æternum. Hos tantum exprimit Prateolus, verb. Petrus Abailardus n. 21. reliquos ait, reperiri in tabella Fratr. Petri Pergameni, quæ annexa est operibus D. Thomæ, qui eos refellit, & improbat diuersis in locis, vt illum tertium, quod Beati non videant Deum, 1. parte, quæst. 12. art. 1.

75

76 Præstat tamen expressionem aliorum hic tibi exhibere. Octauo, itaque errarunt Abailardus, & Arnaldus, asserentes Christum Dominum non assumpsisse carnem humanam, vt nos liberaret. Nono, negantes in Christo extitisse Spiritũ timoris Dei. Ita Alphonsus à Castro verb. Christus hæres. 6. & 8. cum alijs Decimo, ascribentes potestatem Pâtri, sapientiam Filio, & bonitatem Spiritui sancto, non per appropriationem, vt fit à Catholicis Doctoribus; sed per proprietatem. Idem Castr. verb. Deus hæres. 13. Vndecimo, Affirmantes Spiritum Sanctum esse animam Mundi. ipse Castrus verb. Deus, hæres. 11. Duodecimo, Denudantes hominem libero arbitrio, addentes neque vllam esse in rebus contingentiam, sed omnia fieri ex necessitate absoluta. Castrus verb. libertas, hæres. 1. Decimotertio, Sibi suadentes, quòd omnes diaboli tentationes ex lapidum, herbarumque contactu procedant. Idem Castrus, verb. tentatio. Decimoquarto, Testantes nullum esse Dei timorem in futuro seculo, contra illud, Psalm. 18. Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi, nempè filialis in beatis, & seruilis in damnatis. Cum eodem Castro, verb. Timor Dei, hæres 1. Gualterius cap. 6. seculi duodecimi.

77

78 Qui cap. 7. loquens peculiariter de Arnaldo Brixiensi, sic ait. Quoad eius errores spectat, præter eos, quos ex Abailardo hauserat, iam iam à nobis recensitos, bona omnia temporalia laicorum esse autumabat, perperamque facere Clerum, si illorum particeps fiat. Doctrina populo accepta, ac plausibilis, quæ ingentes iam Romæ, tùm alijs in locis turbas concitauit. & post pauca addit:

79 Falsa etiam quædam tùm de Augustissimo Altaris Sacramento, tùm de paruulorum Baptismo comminiscebatur. Ita ille ex Baronio anno 1139. & 1141. quem si placet, videas.

80 Adhuc autem sigilatim de vnoquoque istorum hæresiarcharum aliquid addamus, vt constet de fine, & exitu vtriusque valde dissimili, ac de reliquis contentis in Regula. Nimis temerè, vt impudenter, ausus est Petrus Abailardus ad publicum de rebus Fidei certamen, S. Bernardum Abbatem prouocare: quod vt maiori cum solemnitate fieret, & sua dogmata falsissima magis honorificè stabiliret, coram Archiepiscopo Senonẽsi, & Episcopis suffraganeis, atque Abbatibus ad Synodum celebrandam vocatis comparuit, insistens pro incundo dicto certamine.

81

82 Vocatus itaque S. Bernardus, licèt imparatus, & de improuiso, adeò præsentia sua, & prioribus verbis hostem perterrefecit, vt statim hic mutato consilio obmutuerit, & ad Sedem Apostolicam appellauerit à Iudicibus ad ferendam sententiam post certamen electis, non admissa vllo modo optione, quæ ei offerebatur, vel negandi esse suos errores in ipsius scriptis repertos contra Fidem Catholicam, vel humiliter eos corrigendi, vel respondendi, obijciendis sibi rationibus pariter, & Sanctorum Patrum testimonijs.

83 Huic autem, præsertim tertio capiti, nullatenùs voluit ille consensum præbere, eo quòd tunc maxima quidem ex parte eius memoria turbata fuerit (hoc ipsemet postea suis, vt aiunt, confessus est) ratio caligauerit, & interior fugerit sensus.

84 Proposita autem appellatione ab Abailardo ad Sedem Apostolicam, S. Bernardus diuersas scripsit epistolas, nimirum ad Innocentium Papam, ad S. R. E. Cardinales, & præcipuè ad Guidonem de Castello, qui postea fuit Cęlestinus Papa, & antea fuerat in Philosophia eiusdem Abailardi discipulus, informans eos de omnibus, quæ acciderant, & de pessimis illius dogmatibus; vt à nullo protegeretur, sed cunctorum votis condemnatus euaderet. Scripserunt etiam ad Innocẽtium Papam Episcopi, qui interfuerunt inchoatæ concertationi, & Iudices præfuerant, vt sequeretur idem effectus condemnationis.

85

86 Sed en mira benignissimi Dei Omnipotẽtis clementia! dum Abailardus obdurata fronte, & pertinaci animo ad defendenda sua falsissima dogmata Romam versus iter dirigeret, en lux ei effulsit de cœlo, en manus Domini super ipsum: diuertens enim ad Cluniacense Monasterium, ibi passus est, se retineri à Petro Venerabili eiusdem Monasterij Abbate, & pedetentim induci ad deponendos omnes errores, & amplectendam vitam monasticam, sicuti re vera inductus est. De qua inductione, & firma resolutione viuendi, ibi emissa professione vsque ad mortem, scripsit dictus Petrus Abbas ad Innocẽtium Papam, vt benedictionem, & facultatẽ id exequendi concederet: quod ipse gaudens de tali nuncio perlibenter præstitit. Vnde quandiù vixit, summa cum ædificatione, & obseruantia regulari, in eo monasterio mansit, ac tandem non sine odore sanctitatis vitam cum morte commutauit. Patent hæc omnia tribus præcedẽtibus paragraphis tradita, tùm ex litteris S. Bernardi, & dicti Petri Abbatis, tùm ex relatione Gofridi Monachi Claræuallensis, qui cum interfuisset, vel à fide dignissimis testibus, qui viderant, accepisset, vitam S. Bernardi egregiè composuit, & de istis agit, lib. 3. cap. 5. refertque copiosissimè Baronius dicto anno 1140. adductis diuersis ex dictis epistolis, & aliquan-

87

88

quando fragmentis aliarum.

89 De Arnaldo verò Brixienſi quid peculiariter dicendum? heù quàm diſparem ab illo Abailardi, & quàm vituperoſum, ac infelicem ſortitus eſt exitum. Perſeuerauit etiam poſtdictam condemnationem in ſeminandis ſuis nequiſſimis, & perinicioſiſſimis dogmatibus, tum ſecretò vbi aderat periculum capturæ, tùm alibi palam non exiſtente tali periculo. Immo auſus eſt adire Guidonem 90 de Caſtello (ſuum quondam diſcipulum, vt dictum) dum in Gallijs eſſet Innocentij Papæ Legatus: cum autem apud hunc habuiſſe confugium diceretur, hinc ſumpſit occaſionem D. Bernardus, ſcribendi ad ipſum epiſtolam acriorem (quod ſic cauſa exigeret) & eſt inter eius epiſtolas 196. cuius vel ſaltem fragmentum accipe.

91 Arnaldus, inquit, de Brixia, cuius conuerſatio mel, & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt, quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult accipere, fertur eſſe vobiſcum. Videte quæſo, ne veſtra auctoritate plus noceat. Nã cum & artem habeat, & voluntatem nocendi, ſi acceſſerit fauor veſter, erit funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ſupra modũ 92 (vt vereor) nociturns. Et vnum exiſtimo de duobus (ſi tamen verum eſt, quod vobiſcum hominem habeatis) aut minus ſcilicet notum vobis eſſe illum, aut vos (quod eſt credibilius) de eius correctione confidere, & vtinam id non fruſtra. Quis det de lapide hoc ſuſcitare filium Abrahæ? Hæc ibi, & alia quæ ſequuntur acriora.

93 Verum ex hac communicatione cum Legato Sedis Apoſtolicæ, non ſolùm non fuit correctus, ſed etiam multo audacior poſtea, & pernicioſior euaſit. Nam poſt obitum Innocentij Romam ſe contulit ſub Eugenio Papa II. & Anaſtaſio IV. ibique manſit per annos plures, nec defuerunt multi etiam ex præcipuis Senatoribus Romanis, qui eum benignè reciperent, ſecretòque tutum con- 94 ſeruarent. Quos ipſe varijs modis maximè ſuadendo illum errorem, de quo iam ſupra, quod omnia bona temporalia ſint propria laicorum, &c. contra Summos Pontifices, & perſonas Eccleſiaſticas commouebat: idque durauit vſque ad tempus Adriani Papæ IV. quæ refert copioſè Baronius ſub finem anni 1141. & initio 1155.

95 Vbi num. 2. ex Vaticano Codice ſic. In diebus, inquit, illis, Adriani Papæ ſcilicet, Arnaldus Brixienſis hæreticus Vrbem intrare præſumpſerat, & erroris ſui venena diſſeminans, mentes à ſimpliciſſima veritatis via ſubuertere conabatur: pro cuius expulſione ſupradicti Eugenius, & Anaſtaſius Romani 96 Pontifices plurimum laborauerunt. Sed fauore, & potentia quorumdam peruerſorum Ciuium, & maximè Senatorum, qui tunc ad regimen à populo fuerant inſtituti, antedictus hæreticus munitus, & tutus, cõtra inhibitionem Adriani Papæ in eadem Ciuitate procaciter morabatur, atque ipſi Adriano, cęteriſque Patribus inſidiari cępit, & publicè, atque atrociter aduerſari. Ita ille, & ſtatim reddit rationem ſic.

97 Venerabilem namque virum Dominum Gerardum Presbyterum Cardinalem tituli ſanctæ Pudentianæ ad præſentiam ipſius Pótificis euntem, quidam ex ipſis hæreticis auſu temerario in via ſacra inuadere præſumpſerunt, & ad interitum vulnerauerũt. Quapropter Pontifex ipſe Ciuitatem Romanam interdicto ſuppoſuit, & vſque ad quartam feriam maioris hebdomadæ vniuerſa Ciuitas 98 à diuinis ceſſauit officijs. Tunc verò præfati Senatores compulſi à Clero, & Populo Romano, acceſſerunt ad præſentiam eiuſdem Pontificis, & ad ipſius mandatum, ſupra ſancta quatuor Euangelia iurauerunt, quòd prędictum Arnaldum hæreticum, & alios ipſius ſectatores de tota Vrbe, & eius finibus expellerent, niſi ad mandatum, & obedientiã ipſius Papæ redirent; ſic itaque ipſis eiectis, & Ciuitate ab interdicto abſoluta, repleti ſunt omnes gaudio magno, laudantes Dominum pariter, & benedicentes. hæc ille.

99 Expulſus autem ab Vrbe hæreſiarcha Arnaldus, paulo poſt deuenit in manus Friderici Regis Teutonicorum, dum Longobardiam magno cum exercitu intraret; cui Vrbem verſus properanti Adrianus Papa miſit obuiam Legatos Iacobum tituli ſanctæ Pudentianæ presbyterũ, & Gregorium Diaconum 100 ſanctæ Mariæ in Porticu Cardinales; qui honorificè ab eo recepti, poſt ſalutationem, litteras ipſi Apoſtolicas porrexerunt, & expoſuerunt mandata Domini Papę, inter quæ illud pręcipuum erat, vt peterent à Rege Arnaldum hęreticum eiſdem Cardinalibus tradi: quod ille perlibenter executus eſt.

101 Comprehenſus itaque Arnaldus, & non ſine ſufficienti cuſtodia Romam miſſus, ſtatim iuſſu Summi Pontificis à Pręfecto Vrbis ligno adactus, ac rogo in puluerem redacto cadauere, ne à ſtolida plebe corpus eius venerationi haberetur, cinis in Tiberim fuit ſparſus. Hęc ex Ottone Friſingenſi, antiquo Scriptore lib. 2. cap. 20. affert Baronius anno 1155. num. 7. de fine nefandiſſimi hæreſiarchę Vrbis, & Orbis perturbatoris.

102 Secta denique ab Arnaldo inſtituta, & ante, & poſt eius mortem multis in locis ad perniciem, ac ruinam innumerabilium propagata fuit, atque in Vrbe pręcipuè Arnaldi- 103 ſtę hęretici graſſati ſunt. Hinc olim vſu receptum, vt iſti ſingulis annis Romę in cœna Domini excommunicarentur, pręter excommunicationem expreſſam in iure, cap. excõmunicatus, extra de hæreticis, & pœnam infamiæ, de qua in l. Gazaros, C. de hæreticis, ſecundum quod notarunt Alphonſus de Caſtro verb. Beatitudo hæreſ 1. & Prateol. 104 lib. 1. Elench. verb. Arnaldiſtę, num. 68. Dixi, olim, quia legi exemplaria Bullę Cenę Pauli V. & aliorum, & non inuenio in eis nominatos Arnaldiſtas hæreticos. Atque his manet abſoluta Regula præſens.

Quid

Quid de Gilberto Porretano? quid de Henrico Auctore Henricianorum? quid de Patarenis, atque de eorum Sectis.

REGVLA CCLXX.

105 CIrca annum Domini 1147. Gilbertus Porretanus Episcopus Pictauiensis auctor tractatus de sex vltimis prædicamētis viguit. Hic diuersimodè errauit, prout explicabitur, sed errores eius pertinacia caruerunt, cum monitus statim destiterit, vn-106 dè non fuit hæreticus formalis. Ex sequacibus tamen eius, illos pertinaciter defen-107 dentibus, Secta fundata mansit. Secta autem Henricianorum originem duxit ab Hērico quodam Monacho Tolosano, eodem tempore hæreses Petrobrussianorum seminante, & ex suo aliquam indicandam adden-108 te. Denique Patarenorum secta varias dictorum hæresiarcharum, Marsilij Paduani, Tandemi, Arnaldi, & Henrici hæreses continebat, nulla de nouo addita.

109 CAsus valdè notabilis, & singularis equidem, quod quis auctor existat sectæ hæreticorum, ac ipse nequaquam sit hæreticus. Exemplum habemus præ manibus in Gilberto Porretano, & hoc compendiosissimè, vt solet, adducit Gualterius cap. 8. 110 secul. 12. his verbis: Gilbertus Porretanus Pictauensis Episcopus, auctor Tractatus de sex vltimis prædicamentis, anno 1147. apud Papam Eugenium III. reus factus est, qui vbi illum eodem anno accersiuit, primum quidē ad Concilium Antisiodorense, deinde verò ad Parisiense, cui ipse præsedit, rem eius ad Rhemense Concilium remisit, quod ipse quoque anno 1147. præsens, ac præsidens celebrauit: vnde errorum eius condemnatio est 111 consecuta. Hos autem cum S. Sedi Apostolicæ subiecisset, auditaque condemnatione agnouisset, ac deseruisset, suum in Episcopatum redire permissus est. Quo fit, vt non propriè inter hæreticos numeretur: licet aliqui eius discipuli illos postea peruicaciter propugnarint. hæc ille, & addit statim errores, de quibus infra.

112 De eisdem Gilberti rebus agit Prateolus lib. 7. Elenchi, verb. Gilbertus Porretanus, num. 11. Eadem seu maiori breuitate attingens vnum tantùm illius errorem, & non ita clarè, quòd asserverit contra mysterium Trinitatis, relationes in diuinis non esse in personis, sed eas à foris existere. Pro cuius notitia remittit Lectorem ad D. Thomā 1. par. 113 quæst. 19 art. 6. Notat autem benè non fuisse habitum inter hæreticos Gilbertum, eò quòd absque pertinacia se iudicio Papæ Eugenij, & Concilij submiserit; relinquit tamen id, quod aduertere debuisset, vti aduertit Gualt. discipulos scilicet eius pertinaciter in erroribus ipsius defendendis permansisse.

114 Verùm ob singularitatem, & notabilitatem casus istius, præstat multis discutere spectantia ad Gilbertum Porretanum, cum Baronio præcipuè (qui de eis copiosissimè tractat) adductis proprijs eius verbis, aut aliorum Scriptorum per ipsum relatis.

115 De educatione agens, & qualitatibus dicti Gilberti sic incipit Baronius cum Ottone Frisigensi lib. 1. cap. 46. & 47. in Frid. Eodem inquit, anno (nempe 1147.) ad iudicium Pontificium defertur hæresis Gilberti Episcopi Pictauiensis, de quo ista habet Otto Frinsingensis: Fuit illis in diebus in Aquitania Galliæ Ciuitate Pictauis, Episcopus Gilbertus nomine: hic ex eadem Ciuitate oriundus, ab adolescentia vsque ad senectutē in diuersis Galliæ locis philosophiæ studium colens, re, & nomine Magistri officium administrauit, nouiterque ante hos dies ad culmen pontificale in præfata Ciuitate sublimatus fuerat, consuetus ex ingenij subtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dice-116 re. Is igitur cum quadam vice conuentū de sua diœcesi clericorum magnum celebrans, sermoni, quem fortè gratia exhortādi habebat, quędam de fide Sanctę Trinitatis intersereret, à duobus Archidiaconis suis Arnaldo, & Calone, tanquam contra Catholicę normam Ecclesię doctrinam instituens, ad Sūmi Pont. Romanęq. Sedis examē, interposita appellatione vocatur. ita ibi.

117 Eugenio autem Papę tunc Gallias peteti dicti Archidiaconi Senis Ciuitate Tuscię recurrerunt, accusantes Gilbertum de hęresi: quibus ipse respondit, se de hoc negotio acturum in Gallijs, quò tendebat, propter commoditatem doctissimorum virorum, ibi tunc 118 existentium. Ex quibus statim prodierunt duo valdè insignes, alter in defensionē illius, nēpe prędictus Otto Frisingēsis; alter ad ipsū oppugnandū, nimirum S. Bernard. Claraual. len. post acceptā informationē ab illis Archid. de hæretica Gilberti doctrina. Patet ex Baronio anno 1147. à n. 9 circa medium.

119 Sed videamus prius, qualiter defensio eius ab Ottone proponatur, apud eundem Baronium dicto anno 1147. n. 10. Iste enim, inquit, ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subijciens, magisq. illorum ponderi, quam suo credens ingenio, qualis primo fuit Hilarius Pictauiensis, post Bernardus Carnotensis, ad vltimum Anselmus, & Radulphus Lugdunenses germani fratres, non leuem ab eis, sed grauem doctrinam hauserat, manu non subito ferulę subducta à scientię haud censura morum, vitęq. grauitate discordante, non iocis, vel ludicris, sed serijs rebus 120 mentem applicarat. Hinc erat vt tam gestu, quam voce pondus seruans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem, vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis, & exercitatis, quę ab eo dicebantur, paterent animis. hęc de Gilberti institutione vitę.

121 Ac paulo ante, etiam cū nota nimię credulitatis S. Bernardo impincta sic: Archidiaconi,

doni, inquit, in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo supra memorato Abbate Clareuallensi, eum in commodum causæ suæ aduersus Episcopum inclinant. Erat autem prędictus Abbas, tam ex Christianæ Religionis feruore zelotypus, quam ex habitudinali mansuetudine quodãmodo credulus, vt & Magistros, qui humanis rationibus, seculari sapientia cõfisi nimium inhærebãt, abhorreret, & si quidquam ei Christianæ Fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem pręberet. hæc Otto.

122 Sed benè aduertit ibidem Baron. rebus postea clarius pespectis recantatam fuisse ab Ottone palinodiã, quod plus æquo Gilberto fauisset, & eius causa nõ nihil S. Bernardo, vt apparet ex dictis, derogasset. Et paulo post n. 12. multo clarius per sequentia verba.

123 Sed qui ista de Gilberto cum laude, non (vt par erat) cum detestatione idem Otto scripsit, quem & excusare pluribus laborauit, eodem ipso libro de rebus Friderici Imperatoris, idẽ ipse ex hoc vita migraturus, rebus testamento dispositis: etiam hunc *historiarum* codicem, (inquit Radeuicus Canonicus Frisingensis in Frid. lib. 2. c. 11.) manibus suis offerri præcepit, eumq. litteratis, & religiosis viris tradidit, vt si quid pro sententia Magistri Gilberti (vt patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offẽdere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seq. Catholicæ Fidei assertorẽ iuxtà sanctæ Romanę, imo & vniuersalis Ecclesiæ regulam professus est.

124 Deinde multa prius cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscẽs sumptis sacris mysterijs in medio multitudinis sanctorum tam Episcoporum, quam Abbatum, Domino spiritum reddidit. hęc ibi Baronius, seu Radeuicus de Ottonis pęnitentia ob Gilbertum defensum, atq. laudatum.

125 Audiamus itaq. iam S. Bernardum cõtra illius hęreticam doctrinam inualescentem, sic ipsum introducit Baronius dicto anno 1147. n. 10. Vbi S. Bernardus, inquit, ea per Archidiaconos audiuit de Gilberto, vna cũ eis naviter egit, vt promulgatæ quæ dicerentur ab eodem Gilberto hęreses damnarentur, nec destitit quousq. id quod zelo fidei Catholicæ

126 esset aggressurus, omnino perficeret; hoc propensiori cura apud Eugenium Papã agẽs, vt idem Gilbertus coram ipso Pontifice in diuersis conuentibus, primum Antisiodori, deinde Parisijs, postremo in pleniori Concilio Rhemis se sistere cogeretur, responsurus ad eas, quibus impugnaretur obiectionibus. hæc ibi, & alia ad idem spectantia Baronius.

127 Qui egregiè ostendit dictũ Concilium Rhemense celebratum fuisse anno sequenti 1148. tum ad alia negotia Ecclesiæ Catholicæ, tum ad decidendam causam Gilberti Porretani: de qua ibi n. 15. sic ipse. His absolutis, inquit, introducta est in Concilium Gilberti Episcopi Pictauensis causa, in qua ipse Gilbertus expertus est Sanctum Bernardum vehementissimum contradictorem. Qui

128 cum adeo perstringeret illum, vt omninò conuinceret ipsum hæreticum, Eugenius Papa consulens tanti Episcopi famæ, id seorsum post dimissum Concilium, faciendum duxit. hęc ille ex Gofrido in vita ipsius Sancti Bernardi lib. 3. cap. 5.

129 Errores tamen peculiares Gilberti contra Fidem Catholicam propositi fuerunt in dicto Concilio Rhemensi, quos ex Ottone Frisin. in Frid. lib. 1. cap. 50 & 51. ac ex codice quodam Gallicano affert Cardinalis Baronius anno 1147. & 1148. citatis & sunt huiusmodi.

130 Primo, quod diuina natura, quæ Diuinitas dicitur, Deus non sit, sed forma qua Deus est; quemadmodum humanitas homo non est sed forma, qua est homo.

131 II. Quod cum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnum esse dicuntur, non nisi vna diuinitate esse intelliguntur, nec conuerti possit, vt vnus Deus, vel vna substantia, vel vnum aliquid Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus esse dicatur.

132 III. Quod tres Personæ tribus vnitatibus sint tria, & distinctæ proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed sunt tres res æternæ, & ab inuicem à diuina substantia in numero differentes.

133 IV. Quod diuina natura non sit incarnata: ita in dicto Codice Gallicano totidem verbis. Otto vero addit alios duos, quo cum eos adducunt Baronius dict. anno 1147. & Gualterius citatus sic.

134 V. Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret, præter Christum Dominum.

135 VI. Quod Ecclesiæ sacramenta euacuando nullum baptizari diceret, nisi saluandum.

136 Propter quatuor priores circa mysteriũ Sanctissimæ Trinitatis, nouum symbolum Fidei Eugenius Papa promulgandam statuit, quod nouis dogmatibus hęreticis opponeretur; vti de communi voto, & subscriptione Patrum decem prouinciarum, ac aliorum Episcoporum, & Abbatum plurium, inducente ad id, & dictante viro Dei (nempè S. Bernardo) promulgauit, vt refert Baronius ex eodem Codice Gallicano, vbi exprimitur in hanc formam.

137 Credimus, & confitemur simplicem naturam Diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas. Sicubi verò dicitur Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, diuinitate Deum esse, & alia

138 huiusmodi: Credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi ea magnitudine, quę est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea ęternitate, quæ est ipse Deus æternum esse: non nisi ea vnitate vnum, quæ est ipse: non nisi ea diuinitate Deum, quæ est ipse: idest, se ipso sapientem, magnum, æternum, vnum Deum.

139 Cum de tribus personis loquimur Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ipsas vnum Deum vnam diuinam substantiam esse fatemur. Et è conuerso cum de vno Deo, vna diuina substantia loquimur, ipsum vnum Deum, v-

nam diuinam substantiam esse tres personas confitemur.

140 Credimus, & confitemur solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec alias omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates siue vnitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quę sint ab eterno, & non sint Deus.

141 Credimus, & confitemur ipsam diuinitatem, siue substantiam diuinam, siue naturam diuinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio. huc vsque symbolum Fidei post idem Rhemense Concilium, promulgatum. Ita demum Apostolico iudicio, & auctoritate vniuersalis Ecclesię errores illi damnati fuerũt. Addit autem Baronius ibidem ex Gofrido vbi supra sic.

142 Episcopus Gilbertus an eidem damnationi consentiat, interrogatur: consentiens, & publicè refutans, quę prius scripserat, & affirmauerat, indulgentiã ipse consequitur; maximè quod ab initio cautus fuisset ea lege eam ingredi disceptationem, vt promitteret finę vlla se se obstinatione pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio correcturum liberè suam opinionẽ. ita ille.

143 Concludit itaque Baronius per sequentia verba: Ex quibus planè illud inducitur, eundem Gilbertum, licet hętetica senserit, hæreticum non fuisse, cùm pertinacia, quæ secundum sanctum Augustinum de Ciuitate Dei, facit, quemquam hęreticum, omnino caruerit, & hac de causa non fuerit pœna mulctatus priuatione Episcopatus, quo priuãdus omnino fuisset ex pręscripto sacrarum legum, si conuictus fuisset hæreticus, imo & hæresiarcha. hactenus ille.

144 Sed quid tandem de sequentibus doctrinam eius hæreticam? idem Baronius prædicto anno 1148. paulo post de ipso Gilberto, & de sequacibus eius, simul ex dicto Codice Gallicano ista: Episcopus verò premissam Summi Pontificis sententiam reuerenter excipiens, Archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine ad propriam diœcesim remeauit.

145 Ceterum etsi suum correxit errorem Episcopus: ex discipulis tamen fuerunt nonnulli, qui in ea permanentes peruersitate, hæreticis meritò meruerunt annumerari, aduersus quos ipse Sanctus Bernardus in Cãticis serm. 80. disputans ait ad finem:

146 Sed hæc minime iam contra ipsum loquimur Gilbertum, (quippe qui in eodem Conuentu sententię Episcoporum humiliter acquiescens, tam hęc, quam cętera digna reprehensione inuenta proprio ore damnauit) sed propter eos, qui adhuc librum illum cõtra Apostolicum vtique promulgatum ibidẽ interdictum transcribere, & lectitare feruntur, contentiosius persistentes, sequi Episcopum, in quo ipse non stetit, & erroris, quã correctionis magistrum habere malentes, hęc cum S. Bernardo Baronius.

147 De secta Henricianorum (qui sic dicti, quod Henricus Imperator, vt ait Gualterius cap. 9. seculi 12. fautor illorum fuerit) audi Baronium anno 1147. num. 17. sic loquentem: Post hæc autem eodem anno, vrgente causa, Albericus S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostriensis ab Eugenio electus Legatus, in prouinciam Tolosanam aduersus Henricum hęreticum Petrobrussianum; qui illam prouinciam vehementer impijs hæresibus labefactarat, eundem S. Bernardum secum duxit.

148 De cuius legatione hic modo dicendum & admirandis operibus, quæ Deus in detestationem, & confutationem hæreticæ prauitatis per eundem S. Bernardum ad confirmandam Catholicam veritatem operatus est hæc ibi ille, citans Gofridum lib. 3. de S. Bernardo scribentem.

149 Post pauca num. 19 idem Baronius sic: De ipso autem, inquit, Henrico, post cineres prædecessoris inualescente, ista habet ipse Petrus Cluniacensis in breuiori epistola aduersus eos scripta: sed post rogum Petri de Bruis, quo apud Sanctum Aegidium zelus fidelium flammas Dominicę Crucis ab eo succensas, eum concremando vultus est, postquam planè impius ille de igne ad ignem, de

150 transeũte ad æternum transitum fecit. Hęres nequitiæ eius Henricus, cum nescio quibus alijs doctrinam diabolicam non quidem emendauit, sed immutauit; & sicut nuper in tomo, qui ab ore eius exceptus dicebatur scriptum vidi, non quinque tantum hæresum scilicet, sed plura capitula edidit &c.

151 At quænam ista fuerint, idem Petrus inferius post Baptismum, quod Henriciani negarent infantium, atque templa superfluè fabricari; & quod dicerent, inquit, Crucem Domini honorandam, vel adorandam non esse, asseritis corpus Domini in Sacramento Altaris Ecclesiam non habere: affirmatis vanum esse orare pro defunctis. hæc communia cum Petro de Bruis: adiecerit Henricus ipse, quod subijcit: Additis, inquit, irridere Deum canticis ecclesiasticis. hæc cum Petro Cluniacensis Baronius.

152 Predicta denique omnia accipe compendiosè à Gualterio citato: Dissidet, inquit, secta hæc à Simoniacorum hæresi in præcedenti seculo tractata, indeque Henriciana dicta, quod Henricus Imperator fautor illius, ac promotor extitisset: hæc autem & nomẽ, & originem duxit ab Henrico quodam Tolosano Monacho, qui anno circiter 1147. diffamatus est. Eadem erant huius, quę Petrobrussianorum dogmata: prӕterquę addebat ex suo, Cantica ecclesiastica esse meram Dei irrisionem. hæc ille. Vide etiam Prateolum lib. 8. verb. Henriciani num. 7.

153 Superest de secta Paterenorum, seu Paterinorum seu Catharorum, alias Publicanorum, aliquid proferre: Circa eam ita loquitur Gualterius cap. 10. seculi 12. Secta, inquit, hæc Henricianorum fœtus est (ideo coniunximus ipsam cum præcedenti) vel vt melius loquar, consarcinata est ex varijs Henricianorum Marsilij Paduani, Tandem, & Arnal-

154 Arnaldi panniculis. Adde, quòd non desunt, qui illos ab Albigensibus non discrepare arbitrentur. De illis scribit peculiariter Ioannes de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 4. cap. 25. Sanctorum inuocationi apprimè infensos fuisse, ita Gualterius.

155 Ex statutis autem, seu Decretis Concilij Lateranensis ab Alexandro III. celebrati adducit sequentia Baronius anno 1179. n. 5. de dictis hæreticis, sicut ait Beatus Leo, inquit, licèt ecclesiastica disciplina, Sacerdotali contenta iudicio, cruentas non efficiat vltiones, Catholicorum tamen Principum constitutionibus adiuuatur, vt sæpè querãt homines salutare remedium, dum tempora-

156 le super se metuunt, euenire supplicium. Ea propter, quia in Guasconia allegatio, alias Albigesio, & partibus Tolosanis hæreticorum, quos alij Catharos, alij Patrinos, alij Publicanos, alij alijs nominibus vocant, inualuit damnata peruersitas, vt iam non in occulto sicuti aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publicè manifestẽt, & ad suum consensum attrahant & infirmos: eos & defensores eorum, & receptatores anathemati decernimus subiacere, hæc ille, & alia: postque subiungit sic.

157 De Brebantionibus, & Arrogenum Nauarijs, Basculis, Coterellis (circa istos aliquid peculiare infra) & Triauerdinis, qui tãtam in Christianos inhumanitatem exercent, vt nec Ecclesijs. nec Monasterijs deferant, non viduis, & pupillis, non senibus, & pueris, nec cuilibet parant ætati, aut sexui, sed more Paganorum omnia perdant, & vastent, similiter constituimus, vt qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel fouerint per regiones, in quibus taliter debacchãtur, in Dominicis, & alijs solemnibus diebus per Ecclesias publicè denuncientur, & eadem omninò sententia, & pęna cum prædictis hæreticis habeantur astricti, &c. ita ille, quem videas, & hic finis Regulæ.

Qualis origo, & progressus sectis Pseudo-apostolicorum, ac Eonis de Stella, & hæreticorum vulgo de Barulo?

REGVLA CCLXXI.

158 PRodierunt circa annum 1147. peruersi quidam hæretici, vocati Pseudo-apostolici, & hoc nomen ab Apostolis deriuatũ sibi arroganter tribuerunt, eo quòd hominẽ nullum suæ hęresis, siue sectæ auctorem habuissent, & quod iactitarent se solos esse corpus, & Ecclesiam Christi Domini. Secta tamen ista verè ramus est Manichæismi, vt pa-

159 tet ex erroribus eius explicandis. Reducitur etiam ad Manichęismum hæretica doctrina Eonis de Stella Pseudoprophetæ, meritò ob eam in Rhemensi Concilio damnati.

160 Similiter secta hæreticorum, qui vulgo dicuntur de Barulo, tùm de Manichęis, tùm de Apollinaristis participat.

161 QVoad sectam Pseudoapostolicorum, ne in æquiuoco laboremus, distinguẽdum primò de multiplicibus hæreticis Apostolicis, vt benè distinguit Gualterius c. 11. versus finem seculi 12. quod triplex sit genus istorum. Alij enim extiterunt in tertio seculo, de quibus præcipuè egit S. Augustinus, & nos ibi cum ipso, ac diuersis auctoribus classicis. Alij verò in præsenti, contra quos exurexit S. Bernardus, eosque propul-

162 sauit, vt statim hic videbimus. Alij deniq; in seculo sequenti 13. quorum antesignanus fuit quidam Gerardus Sagarellus, vt ibi ex-

163 posituri sumus. Vide Prateolũ lib. 5. Elench. verb. Apostolici, n. 59. & lib. 14. verb. Pseudoapostoli, nu. 41. vbi dictum triplex genus Apostolicorum ab eo admitti inuenies, si attentè legas, licèt in duobus tantùm locis de eis tractet.

164 De hæreticis Apostolicis præsentis seculi, Baron. an. 1147. n. 27 sic. Fuit autem, inquit, eidem S. Bernardo his diebus pugnandum aduersus alios nouos hęreticos, qui cum certo carerent auctore, à quo denominari possent, se ipsos Apostolicos appellarunt, eo difficilius curãdos, quòd penes rusticos, & illitteratos homines esset eiusmodi pestis: de his namque hæc ipse Sanctus Bernardus.

195 Hunc autem, inquit, videte, si non propriè dęmonum, & non hominum ludificatio hæc secundum quod prædixerat Spiritus. Quęre ab illis suæ sectæ, auctorẽ, neminẽ dabũt.

166 Quæ hæresis nõ ex hominibus habuit proprium heresiarcham? Manichæi Manem habuere Principẽ, & præceptorem; Sabelliani Sabellinm, Arriani Arrium, Eunomiani Eunomium, Nestoriani Nestorium; ita omnes cęterę huiusmodi pestes, singulę singulos magistros homines habuisse noscũtur, à quibus originem simul duxere, & nomen. Quo nomine istos, titulouè censebis? nullo, quoniam non est ab homine illorum hæresis, &c.

167 Sed quòd auctore carerent, & nomine, se ipsos nominauere Apostolos, idem docet inferius, dum ait S. Bernardus: Non ignoro, quòd se & solos Corpus Christi esse glorientur: sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua Corpus Christi, & sanguinem consecrandi, ad nutriendum se in

168 Corpus Christi, & membra. Nempè iactant se esse successores Apostolorum, & Apostolicos nominant; nullum tamẽ Apostolatus sui signum valentes exhibere. Hęc de nomine, & sua ipsorum ęstimatione Baronius, ex D. Bernardo serm. 66. in Cant.

169 Quod autem secta ista Apostolicorum sit ramus Manichęismi, innotescit ex erroribus contra Fidẽ, quos illi defendebant, cõmunes ipsis, & Manichęis, vt docet idem Baron. cum S. Bernar. ser. pręcedenti, id est 65. in Cãtic. sic.

170 Porro de insania, inquit, Manicheorũ videri possunt ijdẽ prodijsse: siquidẽ plura cũ illis cõmunia habent, atq; illud primũ, secretũ cũ periurio, quod Manichęorũ erat, vsurpantes; de quibus idem superiori sermone. Deniq; in-

dixere (vt dicitur) latebras, firmauerunt sibi sermonem nequam; istius modi scilicet:

171 Iura, periura, secretum pandere noli. Enimuero alias ne tenuiter quidem iurare vllatenus acquiescunt, propter illud de Euangelio: Nolite iurare neque per cęlum, neque per terram &c. quorum de iuramento cauendo insaniam pluribus damnat, & confutat idem S. Bernardus.

172 Sed prater hoc de Manichæis, quod omnes qui de Ecclesia sunt, canes esse censerent,

173 porcos, & idem subdit. De Manichæorum quoque schola erat, quod coniugium abhorrerent, cum tamen impudicissimis se se luxurijs iugiter inquinarent.

174 Adhæc insuper ex eadem schola Manichæorum illud erat abstinere a carnibus, & omnibus quæ ex carne generantur. Sed, & non nisi ex moribus Manichæorum prodibat, quod tales esse hæretici ne conuinci possent, vt Orthodoxi in Ecclesiam cum Catholicis conuenirent: Nam de his idem Sanctus.

175 Cumque pateat opus, non apparet auctor: ita per ea, quæ in facie sunt, cuncta dissimulat. Deniq. si fidem interroges, nihil christianius: si conuersationem, nihil irreprehensibilius, & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in testimonium fidei suę frequentare Ecclesiam, honorare presbyteros, offerre munus suum, confessionem facere, sacramentis communicare. Quid fidelius? Iam

176 quoad vitam, moresq. spectat, neminem cócutit, neminem circumuenit, neminem super greditur. Pallent insuper ora ieiunijs, panem non comedit otiosus, operatur manibus, vndè vitam sustentat. Hęc quidem ad formam Manichæorum esse composita, de ipsis scripta inuenies.

177 Prodibat insuper, & de Manichæis, quod subijcit, mulieres relictis viris, & item viri relictis vxoribus, ad istas se conferunt, promiscuos, & clandestinos conuêtus agentes, mutuo se se omni spurcicia polluentes, cũ tamen

178 votum præferant castitatis. Adhuc illud quod Testamentum vetus non reciperent, sed Euangelium tantum, ex Manichæorum istos schola prodijsse, quis non intelligat?

179 Sed adhuc audi ex eodem S Bernardo alias his admistas hæreses: Irrident, inquit, nos quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod sanctorum suffragia postula-

180 mus. & paulo post. Porro mortuos viuentiũ fraudantes auxilijs, viuentes nihilominus sãctorum, qui decesserunt suffragijs spoliantes. & posterius post ista confutata subijcit.

181 Non credunt autem ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem, & adhuc efficiebant illud.

182 Peccatores sunt Apostoli, *nempe Romani Põtificis*, Archiep. Episcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec recipiẽdis idonei sacramentis. Hęc omnia cum D. Bernardo affert Baronius: quibus per nos licet aliquantisper diffusè relatis, de secta istorũ Pseudoapostolorũ, deq. eius erroribus cõplete innotescit

183 Dicendum sequitur de secta Pseudoprophetę Eonis, siue Eudonis de Stella, de quo cõpendiosissimè Gualt. sic cap. 12. sec. 12 Hic, inquit, anno 1148. in Concilio Rhemẽsi, quod Eugenius Papa III. celebrabat, accusatus dã-

184 natusq. fuit. Potissima eius cęcitas magię summo tetrius obtenebrata, in hoc posita erat, quod se diceret illum ipsum esse, qui vẽturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem, suosq. assectatores quosdam Angelorum, alios Apostolorum titulo honestaret.

185 Ex quo dilucidum est, alium item Manichęismi surculum extitisse. ita ille citans Sander. hæres. 145. & Genebr. in Eugen. III.

186 Lubet tamen aliquid circa istam sectam heresiarchę Eonis ex Barno. anno 1148. n. 2. & seqq. paulò extensius attingere. Qui ex tribus scriptoribus antiquis, Ottone scilicet Frisingensi, Roberto, & ex Vvillelmo Neubrigensi maximè per eum citatis, res ad hũc heresiar-

187 cham Eudonem spectatus narrat. Summa omnium est: statim inchoato Concilio Rhemensi coram Eugenio Papa III. & ingenti Episcoporum, aliorumque frequentia oblatus fuit hic Eudo, cognomine de Stella, natione Britanus, homo nõ infimi generis, spiritu tamen plenus diabolico prætigialiq. astutia, & arte, qua ad capiendos simplices adeò potenter vtebatur, vt tanquam ex muscis aranearũ opere irretitis, innumeram pęne multitudinẽ

188 vtriusq. sexus sibi aggregaret. Quę simul tota illum tanquam dominum dominorum indiuiduè sequebatur, ingenti velocitate per diuersas prouincias quãdoque eundo, in desertis locis, & inuijs quandoq. morando, & cum instigatione dęmonis de improuisò quãdoque ad deuastandas Ecclesias erumpendo.

189 Eisdem præstigijs illud valdè mirum effectũ, quod videretur circa ipsum Eonẽ magna esse gloria apparatus fastusq. regius, & omnes qui cum eo erant, solicitudinis, laborisq. expertes pretiosè indui, splendidè epulari, & in summa lętitia agere apparerent, adeò vt pleriq. qui ad corripiendum illum venerant, cõspecta ipsius non vera, sed phantastica gloria, facile corrumperentur, maximè si quis ex cibis non solidis, sed à Dęmone apparenter Eudoni, & multitudini comitanti appositis, modicum gustasset, mente mutata ei continuò

190 adhęreret. Verum quod cibi illi non essent solidi, sed aerei, à dęmone inuisibiliter subministrati, inde perspicuũ fiebat: quod post quãtãcũq, ex cibis illis repletionẽ modico victu exinanitã, tanta quis esurie oppressus maneret, vt eosdẽ cibos illicò repetere cogeretur.

191 Est idem illud animaduersione dignum, quod dũpestifer iste Eudõ ita debaccharetur, vt dictum, à Principibus Catholicis, ad ipsum vestigandum, & persequendũ sępe exercitus frustra missus fuerit; nam vel quęsitus non inueniebatur, vel inuentus capi nõ poterat, de-

192 fensus à dęmone. At tandẽ ope diabolica fraudatus, sic disponẽte diuino iudicio, leui negotio à Rhemensi Archiepiscopo fuit comprehensus, vna cum asseclis, & cooperatoribus suis magis præcipuis.

193 Con-

193 Constitutus itaq. Eudon iste in cōspectu Concilij,& interrogatus ab Eugenio PP. quisnam esset, respondit, Ego sum ille, qui venturus est iudicare viuos,& mortuos,& seculum per 194 ignem. Cum vero baculum inusitatæ formę nempe in superiori bifurcum manu teneret, quęsitū fuit ab eo, quid sibi vellet baculus ille: Res, inquit, grandis mysterij est. Quandiu enim sicut nunc videtis, duobus cęlum capitibus suspicit: duas Orbis partes Deus possi- 195 det, terrenam mihi partem cedens. Porro si eadem duo superiora capita baculi submittā vsq. ad terram,& inferiorem eius partem, quæ simplex est erigam, vt cęlum suspiciat, duabus Mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Quæ responsio vniuersę Synodo risum excitauit: ex cuius decreto, ne pestis iterum serperet, tuto carceri traditus fuit, exiguoque tempore superuixit.

196 Pręcipui autem eius discipuli in custodia vt dictum, retenti, quos ipse magnis nominibus insigniuerat, nimirū vocans alium sapientiam, alium scientiam, alium iudicium &c. eo quod sanā doctrinā nullo modo admitterent sed potius obstinatissimè suis falsis vocabulis gloriarentur, meritò posteà ignibus traditi,& consumpti. Atque hęc ex Baronio & ex auctoribus ab eo relatis compendiosè dicta.

197 Circa aliam sectā hęreticorum, vulgo de Barulo, vt vocat eos Gualter. cum Sandero,& Guidone per eum citatis cap. 13. sec. 12. pro ipsorum expressione, accipe pauca tātum, quę 198 ipse proponit sic. Duo sunt, inquit, in quibus illi potissimum errabant: vnum, quod cēserent animas ante mundi constitutionem 199 creatas fuisse, atq etiam tūc peccasse. Alterum, quod Iesum Christum dicerent corpus cęleste assumpsisse, non autem humanam carnem ex vtero Virginis. hæc ille, quibus & tibi satisfactum, & finis Regulę extat.

Quomodo instituta, & propagata Vualdensium, Insabbatatorum, & Correriorum secta.

REGVLA CCLXXII.

200 ORiginem,& propagationem sumpsit secta Vualdensium, sicq. isti nominati, à quodam Vualdone ciue Lugdunēsi, prius diuite, post facultatibus spretis, ac in pauperes distributis pauperrimo; qui sub hoc pallio paupertatis, assumpto sibi arroganter cōcionatoris munere, cū esset ignarus,& ipse multipliciter errauit,& alios errare fecit, vt ostē- 201 detur. Insabbatati autem, licet à dictis Vualdēsibus deriuētur, vixq. ab eis differāt haud cōstat tamen de primo eorum auctore, 202 qui ipsis hoc nomen indiderit. Secta deniq. Correriorum à Petrobrussianis ortum sumpsit, paucos ipsorum errores amplectens, nec innotescit, quis primus dux eorumdem.

203 PRimò quoad denominationem Vualdensium, allucinatur perfidus ille Beza,& à vero omnino recedit (vt notauit benè Gualt. c. 15. seculi 12.) quando asserit in Iconibus, verb. Vualdenses, hos sic appellatos fuisse ab Alpium anfractibus,& vallibus, vbi morabantur; cum constet ex historijs per ipsum Gualterium,& per alios citatis, huiusmodi nomen accepisse ab Vualdone ciue Lugdunensi, sectæ eorum institutore.

204 Audi Gualt. relatum, rem totam sic breuissimè exprimentem: Suum illi, inquit, nomen, atq; errorem acceperunt à Vualdone quodam ciue Lugdunensi, viro diuite, qui relictis, inq; pauperes distributis facultatibus suis, paupertatis obseruationē profitebatur, eoq; specioso pallio, quos spargebat, errores 205 contegebat. Quamquam enim idiota prorsus erat, vbi tamen libros aliquos nonnullis scripturæ locis, præpostere intellectis, conspersos sibi scribendos curauit, Apostolorum munus sibi arrogare, ac concionatorem age- 206 re non erubuit. Secta hęc sub Alexandro III. hoc est anno 1160. vel vt alij malunt 1170. inchoata, cōdemnata in Concilio XI. Generali Lateranensi III. sub eodem Alex. ita ille.

207 Vocati sūt etiā pauperes de Lugduno hęretici isti, discipuli Vualdonis, sūpto nomine ab exacta paupertate, quam cū suo Magistro profitebantur,& à loco vbi eorū secta primo instituta,& magis propagata fuit. idem Gualt. ibidem,& Prateol lib. 14. Elench. verb. Paupe- 208 res de Lugduno n. 13. Qui in aliquo accidētali non tanti momenti ab illo differt: vnde ad percipiendum hanc differentiam, & clarius alia, oportet hunc etiam audiamus.

209 Hic Vualdo, inquit, (teste Aenea Siluio lib. de origine Bohemorum c. 35.) cum diues admodum esset, opibus relictis, pauperibusq. erogatis, euangelicā paupertatē se seruaturū prætendit, multos interim sub hoc velamine 210 impios errores adumbrans. Nam cū idiota esset, quosdam libros vulgari, ac materna lingua cum quibusdam sanctorum dictis, ac testimonijs sibi conscribi fecit: quos libros non sanè intelligens, suo inflatus spiritu, Apostoli 211 officium prędicando vsurpauit. Cum itaq. multos sibi aggregasset discipulos,& asseclas, pessimos errores disseminare aggressus est, Ecclesiæ prælatos, & clerum aspernendo. Monitus autem respondit, obedire Deo magis oportere, quam hominibus.

212 Cumq. obduratus in sua persisteret opinione, veluti hęreticus,& contumax, anathematis vinculo innodatus patria propellitur. Quæ res in laqueum,& scandalum magnū facta est simplicibus. Quæ fatuitas multis ad- 213 huc in locis vigorem obtinet. Vbi quidem animaduertendum venit, fidem Catholicam olim per potētes Principes, per argutos philosophos, per subtiles hæreticos impugnatā; diebus tamen istis per vilissimos idiotas, & laicos pauperrimos tribulatā fuisse. Eorū autē hæreses in Concilio Generali Romæ habito dānatæ fuerunt circa annum Dñi 1170. Ha- 214 ctenus ille. Atq. en differētia inter hos duos: Prateo. ait libros, cū aliquibus sanctorū dictis ac testimonijs sibi conscribi fecit: Gualt. verò ait, libros aliquos nonnullis scripturę locis conspersos sibi scribendos. Sed, vt apparet, accidentalis est differentia, & nullo modo quoad substantiam inter se discrepant.

215 Errores autem Vvaldonis hæresiarchæ, & sequacium eius, huiusmodi sunt. Primò circa sacraméta tuebantur, nullo modo oleum sacrum in Baptismo debere misceri. Secundò, Cōfirmationem non esse sacramentum. Tertiò, simplicem sacerdotem esse ordinarium Confirmationis ministrum. Quartò, auricularem Confessionem prorsus esse tollendam. Quintò, similiter, extremam Vnctionem nequaquam reponendam in numero sacramentorum. Sextò, nullum reperiri inter sacerdotes discrimen. Septimò, quosuis laicos, dummodo iusti sint, posse Christi Domini corpus consecrare. Octauò, Eucharisticam consecrationem fieri, Dominicam orationem septies recitando. Nonò, plus habere virtutis, & efficacitatis Eucharistiam, si feria quinta in Cœna Domini cōsecretur: Vnde tunc consecratam toto anno pro infirmis asseruabant. Decimò, tres tantum esse in Ecclesia Ordines, Diaconatū, Presbyteratum, & Episcopatum. Vndecimò, Potestatem, ac dignitatem sacerdotalē in virtute esse repositam, ita vt Episcopus, vel Presbyter peccatum mortale committens, suum officium, ac dignitatē perdat, ac etiam consecrandi potestatem, ita Prateolus lib. 14. verb. Pauperes de Lugduno num. 13. & Gualterius dict. cap. 15. secul. 12. cum Alfonso de Castro per eum citato.

216 Circa orationes, & preces ecclesiasticas ijdem Vvaldenses errantes contra fidem asserebant XII. Nullam aliam precationis formam debere admitti, nisi orationem dominicam, hoc est *Pater noster*. XIII. Peculiariter de salutatione angelica, quòd sit reijcienda. XIV. Fieri inaniter iacturam temporis, dum quis horas canonicas recitat. XV. Contemptui, & irrisioni esse habēdos ecclesiasticos exorcismos. XVI. Omnes ecclesiasticas benedictiones panis, vini, aquę, olei, salis, cerę, thuris, ramorum oliuæ, & palmę, vestium, calicum, &c. esse prorsus reijciendas. Sic ijdem Prateolus, & Gualterius citati.

217 Dein circa inuocationem, & adorationē Sanctorum, eorumque imaginum, cum errore illi affirmabant, XVII. Sanctos non esse adorandos, neque inuocandos. XVIII. Ad preces nostras Sanctos nequaquam attendere, imo neque eas audire. XIX. Festa Sanctorum debere contemni, atque omninò aboleri. XX. Certam reputari idololatriā, imagines Sanctorum, ac etiam Christi Domini in Ecclesijs habere. XXI. Templa vel Ecclesias quascumque subuerti debere, siue Sanctorum nomine, vel ad eos adorandos erectæ fuerint, siue secus. Ita relati Prateolus, & Gualterius, cum Castro aduersus hæreses, verb. Sancti.

218 Tandem circa alia multa contra Catholicam fidem hæreticè sentiebant Vvaldenses. XXII. In ieiunio, certorumuè ciborum abstinentia nihil meriti inesse. XXIII. Nullum esse admittendum locū Purgatorij. XXIV. Defunctis inutilia esse suffragia, quę eis à viuentibus applicantur, nimirum Missas, orationes, & eleemosynas. XXV. Nullius esse valoris indulgentias à Summo Pontifice concessas. Quin etiam neque ab alio posse concedi. XXVI. Quod nequaquam possit Ecclesia leges condere. XXVII. Quòd nullam obedientiam Papę, vel alijs Prælatis quis exhibere teneatur. XXVIII. Quòd Religiosi Ordines Mendicantium sint commēta Diaboli. XXIX. Liberum esse omnibus prędicare verbum Dei, etiam inuitis, & interdicentibus superioribus. XXX. Nullum in Ecclesia Catholica patrari verum miraculum. XXXI. Cantum ecclesiasticum ludibrio posse haberi. XXXII. Nihil animæ prodesse, quod corpus defuncti Terræ sanctæ mandetur.

219 Errabant etiam Vvaldenses XXXIII asserētes haud posse ab Ecclesiasticis possideri agros, villas, aut alias diuitias. XXXIV. Amitti temporales dignitates, & officia, si magistratus in peccatum incidat. XXXV. Quoduis iusiurandum Christianis esse illicitum. XXXVI. Omnem carnis commixtionem esse cuiuis permissam, dum feruet concupiscentia. XXXVII. Nullum posse iustè morti addici, ne iudicis quidem sententia, imo neminem ab vllo iudice posse pęna aliqua damnari. XXXVIII. Sibi contradicentes affirmabant, nullum peccatum mortale esse tolerandum, inultumuè relinquendum, ne maioris quidem mali vitandi gratia. XXXIX. Contemnendum esse Symbolum Apostolorum. XL. Ecclesiam tempore Syluestri Papæ defecisse, ac proinde quantumcumque quis bonus, & iustus sit, in fide Romanæ Ecclesię nequeat saluari. XLI. Nequaquam vllum hominem perfectum debere in manuali labore se occupare.

220 Error XLII. & vltimus Vvaldēsium fuit, quòd cùm sandalijs more Apostolorum vterentur, dicere solerent quemuis ipsorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere Corpus Christi Domini. Hunc ridiculum illorum errorem affert Gualterius loco citato ex historia à Petro Vallis Sarnensis, Monacho Ordinis Cisterciensis scripta: pręcedentes verò errores, tum ex Prateolo, & Sandero, per eum relatis, tum ex Alfonso de Castro aduersus hæreses: quē videas accepta luce ex Indice Hæreticorum per eum confecto, verb. Vvaldenses, se ipsum diuersis in locis citantem.

221 Postremo loco illud circa istos hęreticos Vvaldenses bene notat idem Gualterius cū Sandero, quod tametsi Mendicantium Religiosorum hostes infensissimi essent, vti paulò ante diximus, monasticam nihilominus vitam profitebantur, in quo sibi ipsis manifestè facto ipso videbantur opponere: atque hactenus de illis.

222 Pro exprimenda completè Secta Insabbatatorum, sufficiunt illa, quæ breuiter adducit Gualterius cap. 17. seculi xij. sic: Ex Vvaldensium, inquit, factione erant eo nomine

mine appellati, quòd qui inter illos censebantur perfectiores, signum quoddam in superiori calcei, quem, *Sabbatom*, vocabant parte deferre soliti essent. Circa fidem nihil in his reperio, quod non de Vvaldésibus dictum sit capite præcedenti. Hæc ille, iungens collationem cum Caluinismo, vt solet: nec est cur aliud ad Sectæ huius declarationem addatur.

223 Postremo quid de Secta Correriorum, seu Coterellorum? Hoc duplici nomine appellantur isti à Gualterio in titulo cap. 18. seculi xij. vbi de illis cum Sandero, Guidone, & Genebrardo per eum citatis hæc pauca adducit: Sectam hanc, inquit, rectè dixeris cariosum esse ramum trunci putridi Petrobrussianorum, quæ ob tres insuper erro-224res alios malè audiebat. Primus erat, B.V. Mariam fuisse Angelum. Ineptum fateor 225 deliramentum, &c. Secundus, Corpus Christi non esse glorificatum in Cœlo, sed post diem etiam Iudicij putridum cadauer fore. Blasphemia prorsus horrenda aduersus gloriam Filij Dei à mortuis suscitati, &c. 226 Tertius, animas Sanctorum non esse in gloria ante diem Iudicij, &c. Ita ille: de condemnatione huius Sectæ iam actum à nobis supra cum Baronio ann. 1179. Atque hactenus de Regula præsenti.

Secta ab hæreticis Albigensibus, & à Petro Ioannis, Parente Petro-Ioannitarum, qualiter fundata? Quid item de Ioachimo Abbate?

REGVLA CCLXXIII.

227 TAmetsi Secta Albigensium maiori ex parte Manichæismi errorum refricationem contineat, aliundè tamen valde celebris semper extitit. Ortum suum, & propagationem ingentem breui tempore multis in locis, præcipue in Tolosana Prouincia, habuit à nequissimo quodam Oliuerio, & Socijs eius, qui omnes per Gerardũ Episcopum Albanensem coram multis viris grauissimis condemnati fuere, & armis po-228 stea vehementer persecuti. Dein Ioachimus Abbas, quòd falsa prædiceret, Pseudopropheta habitus, non tamen propriè hæreticus, cum se iudicio Ecclesiæ submiserit circa hæreses in ipsius scriptis repertas, & dã-229 natas. Eius verò assecla Petrus Ioannis in dictis hæresibus, & alijs pertinax mansit, & consequenter nouus hæresiarcha, nouæque Sectæ Petro-Ioannitarum fundator cẽsetur.

---

230 PRæcipuum caput vnde Secta Albigensium, vel Albianorum, aut Albigeseorum, vel Albiorum (his quatuor modis vocantur à Prateolo lib. 1. in titul. huius verb. num. 23) celebris valdè apparet, inde sumitur, quòd occasione eius cœperint tunc erigi Tribunalia, quæ ex sola iurisdictione delegata contra hæreticos procederent, sicuti in tota Ecclesia Catholica erecta vide-231 mus. De quo nos copiosè tractauimus initio nostri operis, à Prolegomeno 3. vbi illud graue dubium discussimus, quisnam fuerit primus Inquisitor ex sola iurisdictione delegata? An S. Dominicus, seù alius? Ad ibi tradita, ne actum agamus, meritò Lectorem remittimus.

232 Celebritas item huius sectę Albigensiũ ex eo perspicua, quod tactum in Regula, de persecutione istorum armis, & expressum à nobis in dicto Prolegomeno 3. qualiter per Simonem Comitem de Monteforti, conflato exercitu ex octo dumtaxàt vel nouem, vt ait Gualterius cap. 7. secul. xij. hominum millibus, centum Albigensium millia fuerint 233 profligata. Sed præstat hic, vt in proprio loco, fusius tradere, & ista atque alia ad hæreticos istos spectantia, à Prateolo vbi supra, & ex auctoribus per ipsum relatis audire.

234 Albigensium, inquit, hæresis, (vt auctor est Cæsarius Cisterciensis, 5. dist. dialog.) tẽporibus Friderici II. Cæsaris Germani, & Innocentij Papæ III. anno Domini 1216. inuidia diaboli tàm valide cępit pullulare, & excrescere in Comitatu Tolosano, vt omne triticum fidei gentis illius, versum videretur 235 in lolium erroris. In tantumque illorum error inualuit, vt breui interuallo temporis infecerit mille propemodum ciuitates, adeò quidem, vt si gladijs fidelium repressus nõ fuisset, breui temporum interstitio vniuersã Europam corrupisset.

236 Sed in eos, Crucis etiam per totam Frãciam prædicatione Iacobi de Vitrico in dicta promulgatione, tot syncera pietate (sũptis prius Sacramentis Confessionis, & Eucharistię, vt cum alijs notat Gualterius citatus) armati potius, quàm alia defensione, Christiani conuenere, vt ductu Comitis de Monteforti, bello aduersus eos inito, & Biterris, Carcassone, Albijs, & quibusdam alijs circum oppidis occupatis, tanta eorum strages tandem facta sit, vt de eorum exercitu 237 ad septuaginta millia pugnatorum, cum Petro Terraconensium Rege, eorum auxiliario corruerint: idque anno Domini 1213. 17. Calend. Augusti Regni Philippi Augusti cognomento à Deo dati 33.

238 Albigenses etiam ad suppetias sibi ferẽdas Memelinum potentissimum Regem Aphrorũ de Marroch (vt auctor est Antoninus 3. part. spec. hist. tit. 19. cap. 1 & Vincentius 3. lib. spec. hist.) inuitauerant: qui sane cũ tam incredibili, tamque inaudita copiarum multitudine ex Aphrica in Hispanias appulit, vt totam Europam se obtinere posse spe-239 raret. Adeò quidem, vt Innocentio Papæ, se suos equos in porticu Ecclesiæ D. Petri stabulaturum, & in eius fastigio vexillum suum fixurum minitabũdus mãdaret. Quod profectò maxima ex parte impletum tradũt histo-

215 Errores autem Vvaldonis hæresiarchæ, & sequacium eius, huiusmodi sunt. Primò circa sacraméta tuebantur, nullo modo oleum sacrum in Baptismo debere misceri. Secundò, Cõfirmationem non esse sacramentum. Tertiò, simplicem sacerdotem esse ordinarium Confirmationis ministrum. Quartò, auricularem Confessionem prorsus esse tollendam. Quintò, similiter, extremam Vnctionem nequaquam reponendam in numero sacramentorum. Sextò, nullum reperiri inter sacerdotes discrimen. Septimò, quosuis laicos, dummodo iusti sint, posse Christi Domini corpus consecrare. Octauò, Eucharisticam consecrationem fieri, Dominicam orationem septies recitando. Nonò, plus habere virtutis, & efficacitatis Eucharistiam, si feria quinta in Cœna Domini cõsecretur: Vnde tunc consecratam toto anno pro infirmis asseruabant. Decimò, tres tantum esse in Ecclesia Ordines, Diaconatũ, Presbyteratum, & Episcopatum. Vndecimò, Potestatem, ac dignitatem sacerdotalē in virtute esse repositam, ita vt Episcopus, vel Presbyter peccatum mortale committens, suum officium, ac dignitatē perdat, ac etiam consecrandi potestatem, ita Prateolus lib. 14. verb. Pauperes de Lugduno num. 13. & Gualterius dict. cap. 15. secul. 12. cum Alfonso de Castro per eum citato.

216 Circa orationes, & preces ecclesiasticas ijdem Vvaldenses errantes contra fidem asserebant XII. Nullam aliam precationis formam debere admitti, nisi orationem dominicam, hoc est *Pater noster*. XIII. Peculiariter de salutatione angelica, quòd sit reijcienda. XIV. Fieri inaniter iacturam temporis, dum quis horas canonicas recitat. XV. Contemptui, & irrisioni esse habēdos ecclesiasticos exorcismos. XVI. Omnes ecclesiasticas benedictiones panis, vini, aquę, olei, salis, cerę, thuris, ramorum oliuæ, & palmę, vestium, calicum, &c. esse prorsus reijciendas. Sic ijdem Prateolus, & Gualterius citati.

217 Dein circa inuocationem, & adorationē Sanctorum, eorumque imaginum, cum errore illi affirmabant, XVII. Sanctos non esse adorandos, neque inuocandos. XVIII. Ad preces nostras Sanctos nequaquam attendere, imo neque eas audire. XIX. Festa Sanctorum debere contemni, atque omninò aboleri. XX. Certam reputari idololatriā, imagines Sanctorum, ac etiam Christi Domini in Ecclesijs habere. XXI. Templa vel Ecclesias quascumque subuerti debere, siue Sanctorum nomine, vel ad eos adorandos erectæ fuerint, siue secùs. Ita relati Prateolus, & Gualterius, cum Castro aduersus hęreses, verb. Sancti.

218 Tandem circa alia multa contra Catholicam fidem hæreticè sentiebant Vvaldenses. XXII. In ieiunio, certorumuè ciborum abstinentia nihil meriti inesse. XXIII. Nullum esse admittendum locũ Purgatorij. XXIV. Defunctis inutilia esse suffragia, quę eis à viuentibus applicantur, nimirum Missas, orationes, & eleemosynas. XXV. Nullius esse valoris indulgentias à Summo Pontifice concessas. Quin etiam neque ab alio posse concedi. XXVI. Quod nequaquam possit Ecclesia leges condere. XXVII. Quòd nullam obedientiam Papę, vel alijs Prælatis quis exhibere teneatur. XXVIII. Quòd Religiosi Ordines Mendicantium sint commēta Diaboli. XXIX. Liberum esse omnibus prędicare verbum Dei, etiam inuitis, & interdicentibus superioribus. XXX. Nullum in Ecclesia Catholica patrari verum miraculum. XXXI. Cantum ecclesiasticum ludibrio posse haberi. XXXII. Nihil animæ prodesse, quod corpus defuncti Terræ sanctæ mandetur.

219 Errabant etiam Vvaldenses XXXIII asserētes haud posse ab Ecclesiasticis possideri agros, villas, aut alias diuitias. XXXIV. Amitti temporales dignitates, & officia, si magistratus in peccatum incidat. XXXV. Quoduis iusiurandum Christianis esse illicitum. XXXVI. Omnem carnis commixtionem esse cuiuis permissam, dum feruet concupiscentia. XXXVII. Nullum posse iustè morti addici, ne iudicis quidem sententia, imo neminem ab vllo iudice posse pęna aliqua damnari. XXXVIII. Sibi contradicentes affirmabant, nullum peccatum mortale esse tolerandum, inultumuè relinquendum, ne maioris quidem mali vitandi gratia. XXXIX. Contemnendum esse Symbolum Apostolorum. XL. Ecclesiam tempore Syluestri Papæ defecisse, ac proinde quantumcumque quis bonus, & iustus sit, in fide Romanæ Ecclesię nequeat saluari. XLI. Nequaquam vllum hominem perfectum debere in manuali labore se occupare.

220 Error XLII. & vltimus Vvaldēsium fuit, quòd cùm sandalijs more Apostolorum vterentur, dicere solerent quemuis ipsorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere Corpus Christi Domini. Hunc ridiculum illorum errorem affert Gualterius loco citato ex historia à Petro Vallis Sarnensis, Monacho Ordinis Cisterciensis scripta: pręcedentes verò errores, tum ex Prateolo, & Sandero, per eum relatis, tum ex Alfonso de Castro aduersus hæreses: quē videas accepta luce ex Indice Hæreticorum per eum confecto, verb. Vvaldenses, se ipsum diuersis in locis citantem.

221 Postremo loco illud circa istos hęreticos Vvaldenses bene notat idem Gualterius cũ Sandero, quod tametsi Mendicantium Religiosorum hostes infensissimi essent, vti paulò ante diximus, monasticam nihilominus vitam profitebantur, in quo sibi ipsis manifestè facto ipso videbantur opponere: atque hactenus de illis.

222 Pro exprimenda completè Secta Insabbatatorum, sufficiunt illa, quæ breuiter adducit Gualterius cap. 17. seculi xij. sic: Ex Vvaldensium, inquit, factione erant eo no-

mine

mine appellati, quòd qui inter illos censebantur perfectiores, signum quoddam in superiori calcei, quem, *Sabbatom*, vocabant parte deferre soliti essent. Circa fidem nihil in his reperio, quod non de Vvaldésibus dictum sit capite præcedenti. Hæc ille, iungens collationem cum Caluinismo, vt solet: nec est cur aliud ad Sectæ huius declarationem addatur.

223 Postremo quid de Secta Correriorum, seu Cotcrellorum? Hoc duplici nomine appellantur isti à Gualterio in titulo cap. 18. seculi xij. vbi de illis cum Sandero, Guidone, & Genebrardo per eum citatis hæc pauca adducit: Sectam hanc, inquit, rectè dixeris cariosum esse ramum trunci putridi Petrobrussianorum, quæ ob tres insuper erro-224 res alios malè audiebat. Primus erat, B. V. Mariam fuisse Angelum. Ineptum fateor 225 deliramentum, &c. Secundus, Corpus Christi non esse glorificatum in Cœlo, sed post diem etiam Iudicij putridum cadauer fore. Blasphemia prorsus horrenda aduersus gloriam Filij Dei à mortuis suscitati, &c. 226 Tertius, animas Sanctorum non esse in gloria ante diem Iudicij, &c. Ita ille: de condemnatione huius Sectæ iam actum à nobis supra cum Baronio ann. 1179. Atque hactenus de Regula præsenti.

Secta ab hæreticis Albigensibus, & à Petro Ioannis, Parente Petro-Ioannitarum, qualiter fundata? Quid item de Ioachimo Abbate?

REGVLA CCLXXIII.

227 TAmetsi Secta Albigensium maiori ex parte Manichæismi errorum refricationem contineat, aliundè tamen valde celebris semper extitit. Ortum suum, & propagationem ingentem breui tempore multis in locis, præcipue in Tolosana Prouincia, habuit à nequissimo quodam Oliuerio, & Socijs eius, qui omnes per Gerardũ Episcopum Albanensem coram multis viris grauissimis condemnati fuere, & armis po-228 stea vehementer persecuti. Dein Ioachimus Abbas, quòd falsa prædiceret, Pseudopropheta habitus, non tamen propriè hæreticus, cum se iudicio Ecclesiæ submiserit circa hæreses in ipsius scriptis repertas, & dã-229 natas. Eius verò assecla Petrus Ioannis in dictis hæresibus, & alijs pertinax mansit, & consequenter nouus hæresiarcha, nouæque Sectæ Petro-Ioannitarum fundator censetur.

---

230 PRæcipuum caput vnde Secta Albigensium, vel Albianorum, aut Albigeseorum, vel Albiorum (his quatuor modis vocantur à Prateolo lib. 1. in titul. huius verb. num. 23) celebris valdè apparet, inde sumitur, quòd occasione eius cœperint tunc erigi Tribunalia, quæ ex sola iurisdictione delegata contra hæreticos procederent, sicuti in tota Ecclesia Catholica erecta vide-231 mus. De quo nos copiosè tractauimus initio nostri operis, à Prolegomeno 3. vbi illud graue dubium discussimus, quisnam fuerit primus Inquisitor ex sola iurisdictione delegata? An S. Dominicus, seù alius? Ad ibi tradita, ne actum agamus, meritò Lectorem remittimus.

232 Celebritas item huius sectę Albigensiũ ex eo perspicua, quod tactum in Regula, de persecutione istorum armis, & expressum à nobis in dicto Prolegomeno 3. qualiter per Simonem Comitem de Monteforti, conflato exercitu ex octo dumtaxat vel nouem, vt ait Gualterius cap. 7. secul. xij. hominum millibus, centum Albigensium millia fuerint 233 profligata. Sed præstat hic, vt in proprio loco, fusius tradere, & ista atque alia ad hæreticos istos spectantia, à Prateolo vbi supra, & ex auctoribus per ipsum relatis audire.

234 Albigensium, inquit, hæresis, (vt auctor est Cæsarius Cisterciensis. 5. dist. dialog.) téporibus Friderici II. Cæsaris Germani, & Innocentij Papæ III. anno Domini 1216. inuidia diaboli tàm valide cępit pullulare, & excrescere in Comitatu Tolosano, vt omne triticum fidei gentis illius, versum videretur 235 in lolium erroris. In tantumque illorum error inualuit, vt breui interuallo temporis infecerit mille propemodum ciuitates, adeò quidem, vt si gladijs fidelium repressus nõ fuisset, breui temporum interstitio vniuersã Europam corrupisset.

236 Sed in eos, Crucis etiam per totam Frãciam prædicatione Iacobi de Vitrico in dicta promulgatione, tot syncera pietate (sũptis prius Sacramentis Confessionis, & Eucharistię, vt cum alijs notat Gualterius citatus) armati potius, quàm alia defensione, Christiani conuenere, vt ductu Comitis de Monteforti, bello aduersus eos inito, & Biterris, Carcassone, Albijs, & quibusdam alijs circum oppidis occupatis, tanta eorum strages tandem facta sit, vt de eorum exercitu 237 ad septuaginta millia pugnatorum, cum Petro Terraconensium Rege, eorum auxiliario corruerint: idque anno Domini 1213. 17. Calend. Augusti Regni Philippi Augusti cognomento à Deo dati 33.

238 Albigenses etiam ad suppetias sibi ferẽdas Memelinum potentissimum Regem Aphrorũ de Marroch (vt auctor est Antoninus 3. part. spec. hist. tit. 19. cap. 1 & Vincentius 3. lib. spec. hist.) inuitauerant: qui sane cũ tam incredibili, tamque inaudita copiarum multitudine ex Aphrica in Hispanias appulit, vt totam Europam se obtinere posse spe-239 raret. Adeò quidem, vt Innocentio Papæ, se suos equos in porticu Ecclesiæ D. Petri stabulaturum, & in eius fastigio vexillum suum fixurum minitabũdus mãdaret. Quod profectò maxima ex parte impletum tradũt histo-

historici: sed tandem eius exercitu penè omnino à Catholicis profligato, cum ipse in Siciliam transisset, ex dolore deperditæ victo-
240 riæ mortuus est. Et ipsius vexillum præcipuum in bello captum, Innocentio transmissum est, & in prædicta Ecclesia ad Christi gloriam erectum.

241 Vbi quidem se fortissimum præstitit Illustrissimus ille, & Christianissimus Simon à Monteforti cum Tolosens. Nemenséf. Baiocens. Conuenarum, & Narbonensi Episcopis, Abbatibusque de Cleraco, Villa magna, & Sancti Tiberij, & D. Dominico, non armis, sed disputationibus, & prædicationibus munito. Adeò quidem, vt centum millia hæreticorum ab octo millibus Catholicis fu-
242 sa, & interfecta fuisse perhibeantur. Ex quibus cum multi capti fuissent, eisque optio data esset, vt quicumque hæresim abiuraret, liber recederet, centum octoginta ex his obstinati, comburi potiùs, quàm ab opinione, quam semel conceperant, recedere, malue-
243 runt. In prædicationis verò officio, & hæresis extirpatione, B. Dominicus in illis regionibus 10. annos consumpsit, reliquis ad propria remeantibus. Hactenus ille, atque id quod vltimo loco dictũ, peculiariter notandum, vti maximum encomium S. Dominici.

244 Condemnati autem bis in communi fuerunt hæretici Albigenses per Tribunal Ecclesiasticum. Prima condemnatio, tacta à nobis in Regula, valde solemnis, ex vi solius iurisdictionis ordinariæ fuit, quippe executa circa annum 1176. per Gerardum Albiẽsem Episcopum, assistẽtibus multis Prælatis, alijsque viris grauissimis, Sententiam diffinitiuam in Oliuerium, & Socios eius proferente Gilberto Lugdunensi Episcopo, vt refert Gualterius loco citato, cum Scriptoribus per eum adductis, nempe Sandero, hæres. 151. ex Paulo Aemilio, & Baronio dicto anno 1176.

245 Vbi copiose agit ipse Baronius à num. 4. vsque ad 19. de hac prima condemnatione Albigensium hæreticorum, Manichęismum profitentium; sic initium sumit: Eodem, inquit, anno damnata est Manichęa hæresis, quæ fere totam Prouinciam Tolosanam fœdauerat, coram Archiepiscopis, Episcopis, & alijs religiosis viris, & honestis subscriptis.
246 Erant itaque in Prouincia Tolosana quidam hęretici. qui se appellari faciebant, Bonos homines, quos manutenebant milites de Lumbercio, proponentes, & docentes populum contra fidem Catholicam, dicentes etiam, quòd non recipiebant Legem Moysi, neque Prophetas, &c. ita ille.

247 Sententiæ verò contra eos definitiuæ acta omnia diuidit Baronius in septem capita, expressis, & confutatis doctrinaliter ipsorum erroribus (adducentur summatim à nobis paulò post) & in fine proponit subscriptiones plurium grauium personarum, quæ interfuerunt condemnationi, & sententiæ latę, ad maiorem eius corroborationem: atq;
248 concludit his verbis. Hactenus acta. Quomodo autem auctoritate Apostolicæ Sedis iterum sunt ad iudicium vocati, conuicti, atque damnati, dicetur inferius suo loco. ita ille.

249 De hac secunda condemnatione hęreticorum Albigensium per iurisdictionem delegatam executa, vt patebit ex sequentibus copiosissime tractat idem Baronius an. 1178. à num. 20. vsque ad finem eius, sic enim dict.
250 num. 20. ait. Eodem anno duo Reges pietate insignes, Francorum scilicet, atq; Anglorum, aduersus Tolosanos hęreticos, sæpe fugatos, & pęnè extinctos, itidem reuiuiscentes, sibi dant dexteram, vt iunctis viribus illuc se conferant cum militibus ad eos-
251 dem radicitus extirpandos. Sed mutato consilio, consultius visum, vt per Ecclesiæ Ministros verbi prædicatione rem agerent; sicque per Legationem Apostolicę Sedis, & viros doctrina atque sanctitate insignes experiri, & ipsorum conuersionem curare studuerunt. ita ille.

252 Qui cum Rogerio in Annalibus Anglorum sic addit. Miserunt ergò illùc Petrum tit. S. Chrysogoni Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, & Bituricensem, & Narbonensem Archiepiscopos, & Reginaldũ Bathoniensem, & Ioannem Pictauiensem Episcopos, & Henricum Abbatem Clarauallensem, & alios multos viros Ecclesiasticos, vt prædicatione sua hæreticos illos ad fidem Christianam converterent, vel rationibus probabilibus illos esse hæreticos manifestarent, & à liminibus Sanctę Ecclesiæ & Fidelium consortio sequestrarent. Hæc ille.

253 De condemnatione verò eorum secuta num. 27. sic ait. Quod cùm illi in arcum prauum conuersi, & mente perdita indurati facere recusarent: prædictus Cardinalis, & pręnominati Episcopi in conspectu totius populi eos iterum accensis candelis, vnà cũ præfato Pictauiensi Episcopo, & alijs religiosis viris, qui cum illis in omnibus astiterunt, excommunicatos denunciauerunt, & ipsos cum suo auctore diabolo condemnauerunt, &c. Sic ibi.

254 Proponitur item ab eodem Baronio circa num. 39. dicti anni 1178. ex epistola quadam pręfati Henrici Abbatis Claraualensis, qui interfuit, qualiter famosus quidam Albigensis hæreticus, nomine Petrus Moranus, diuina illuminante gratia ad fidem cõuersus, per eundem Legatum Sedis Apostolicæ reconciliatus, condemnatus, & expeditus fuerit; hæc eius verba.

255 Omnes igitur sequenti die, vt fuerant pręnominati, conuenerunt, tanta vtique multitudo, tam frequens, vt vix remaneret secùs ipsa altaris cornua locus vacuus, qui Domino Legato Missæ solemnia celebranti
256 sine compressione nimia præberetur. Et ecce coram illa multitudine multa nimis, Petrus ille iam noster per ipsas Ecclesiæ valuas nudus, & discalceatus adducitur, cędentibus hinc inde cum Episcopo Tolosano, &

Abbate

Abbate sancti Saturnini, donec ad pedes Legati in ipsis altaris gradibus poneretur, & ibi in facie Ecclesiæ Ecclesiasticis reconciliatus est sacramētis, abiurata omni hæresi &, hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem 257 possessionibus eius publicatis vniuersaliter, & proscriptis, pęnitentia illi talis iniungitur, vt infra quadraginta dies à patria sua exulaturus abscederet, in seruitio pauperum Hierosolymis triennio moraturus. Interim verò singulis diebus Dominicis Ecclesias Tolosanæ Vrbis nudus, & discalceatus cum disciplinalibus virgis iussus est circuire, &c.

258 Hactenus de actibus prædictis iudiciarijs, quos ipse Legatus Sedis Apostolicę, vt per se patet, vti Inquisitor ex sola iurisdictione delegata exercebat.

259 Perpendenda autem sigillatim circa pręsentem sectam hæreticorum Albigensium circumstantia temporis. Cum enim circa annum 1176 prodire cœpisset, vt ex communi affert Gualterius loco citato, nec vllibi anteà vlla eius mentio reperiatur, licet aliquando iam extincta videretur, identidem reuiuiscens, protracta est, & durauit reliquum 12. seculi, & vsque ad 1235. annum, & vltra seculi 13. sub summis Pontificibus Alex. III. Lucio III. Vrbano III. Gregorio VIII. Clemente III. Celestino III. Innocentio III. Ho-260 norio III. & Gregorio IX. Vndè diuersa spectantia ad hæreticos Albigenses à nobis adhuc hic attingenda nequaquam ab Eminentissimo Cardinali Cęsare Baronio, quem meritò semper in his nostris lucubrationibus antesignanum habuimus, desumi poterunt, cum ipse perfecto duodecimo Tomo suorum annalium, pertingens vsque ad finem anni 1198. cursum vitę mortalis felicissimè & sanctissimè perfecerit.

261 Desumentur tamen ex eius successore eisdem annalibus Ecclesiasticis vsque ad pręsens seculum integrandis ac perficiendis, viro eruditissimo, & religiosissimo admodum Reuerendo Patre Abrahamo Bzouio Polono, ex Illustrissima familia Dominicana. Qui ex professo tractat de secta hæreticorum Albigensium, & præsertim de gestis S. Dominici, suorumque Religiosorum circa eam,

262 Ac primo refert anno 1240. n. 22. qualiter S. Dominicus adhuc tunc Canonicus Regularis, vti socius Didaci Oxomensis Episcopi, qui Tolosam illis diebus ad impugnandos Albigenses hæreticos ex Hispanijs sponte venerat, magno religionis zelo ad idem illuc accesserit, præstiteritque tum concionando, & docendo veram doctrinam Catholicæ Fidei, tum exercendo officium S. Inquisitionis, accepta prius auctoritate, & iurisdictione à Legato Sedis Apostolicæ Cisterciēsi Abbate, ibi per Innocentium Papā III. ad procedendum contra dictos hęreticos paulo an-263 te cum alijs socijs constituto, cum omnimoda tamen ab isto subordinatione, & dependentia, vt patet manifestè ex formulis, quibus S. Dominicus in condemnãdis, ac reconciliandis hæreticis vtebatur, adductis a Bzouio in fine anni 1215. & à nobis iam in citato Prolegomeno III. relatis.

264 Quamquam idem Bzouius affirmat dicto anno 1215. n. 11. quod S. Dominicus ab Innocentio Papa III. fuerit Inquisitor Fidei crea-265 tus, audi eius verba. Per id enim temporis Innocentius III. Pontifex Maximus (quemadmodum Sixtus V. in diplomate institutionis festi S. Petri Martyris memorabat, Diuo Dominico auctor fuerat vt is (sic habetur in diplomate) perpetuis & cōcionibus, & disputationū congressibus, officioq. Inquisitionis, quod ei primū commiserat, contra hęreticos 266 mirabiliter se gereret: sic ille. Confirmatur, quia noster Gualterius absolute asserit cap 17. seculi 12. S. Dominicum ab Innocentio III. contra Albigenses illuc fuisse missum, cum officio scilicet sanctæ Inquisitionis, supponendo, vt supponi debet, quod ipse S. Dominicus prius Romam venerit cum dicto Episcopo Oxomensi ad Concilium Generale tunc celebratum, & cognita ibi eximia hominis doctrina, & sanctitate, qui de fundanda Prædicatorum Religione agebat, decreuerit Innocentius III. ipsum Fidei Inquisitorem cum ampla potestate creare, ac Tolosam contra Albigenses remittere.

267 Vtroque itaque modo, & mediate à Legato Sedis Apostolicæ cum dependentia dicta, & immediate à summo Pontifice sine ea, Fidei Inquisitor constitutus, hoc munus sãctæ Inquisitionis egregie exercuit cum ingenti animarum fructu, & plurium hæreticorum conuersione, patratis ad id multis miraculis, quæ refert citatus Bzouius; præcipuè illud singularissimum, quod ne graueris audire ab ipsommet Bzouio, ita anno 1204. num. 23.

268 Aliquando, inquit, apud Castrum, quod Phanum Iouis appellabant, disputatione cum hæreticis in longum protracta, cum nec quisquam verbis flecteretur: Age, inquit, Dominicus, ad notas veræ doctrinæ, scilicet miracula accedamus: scripto vestra dogmata libello concipite, concipio, & ego. Cuius libellus ignem succensum euaserit, illius fir-269 ma sanctaque esto sententia. Assensi sunt Albigenses, conscripserunt, ignem copiosum accenderunt, Dominici quoque libellum postularunt. Ardebant ligna flammis concep-tis. Iudices cognitores deputati præsidebant, populorum innumerabilis multitudo astabat, veritatis probationem expectantes. Proiecerunt primo Albigenses suum tomum: quem statim atque ignis corripuit, exussit.

270 Iniecit & Diuus Dominicus volumen, quod ipse scripsit, sed illud illęsum ab igne exilijt. secundo, & coniecit: secundo, & tertio flammas euasit, atque scriptoris sui sanctitati, ac fidei Christianæ veritati perclarum testimonium resultu dedit. Obstupescebant quidem omnes, & pijs lætantibus, aliqui impiorum ad veritatis agnitionem reuertebantur. hæc ille.

271 Qui immediatè post adducit aliud simile miraculum, de libello continente dogmata

Fidei

Fidei Catholicæ in ignem ab hæreticis ter proiecto, & absque læsione vlla integro permanente, vide apud ipsum Bzouium referentem ex historia Albigensium composita per Petrum Monachum Cistercienſem, qui eo tempore vixit, cap 8.

272 Prĕter S. Dominicum nequaquam dubitari potest, quòd alij viri Religiosi de eadem familia Dominicana contra hæreticos Albigenses à Summis Pōtificibus cum officio san-

273 ctæ Inquisitionis missi fuerint. De missis peculiariter à Gregorio IX. mentionem facit Bzouius ann. 1235 à num. 4. referens ex Leādr. de Viris Illustr. lib. 2. fuisse eos ab hæreticis varijs iniurijs affectos, & Tolosa ignominiose expulsos, atque cęnobium Narbonense Ord. Prædicatorum tunc solo æquatum. vide id & alia copiosius apud illum, vt iam cum ipso, & cum alijs auctoribus ad exprimendos errores Albigensium accedamus.

274 Circa quod sic Prateolus vbi supra: Antequam verò, inquit, eorum errores enumeremus, est in primis aduertendum, huius hæresis hęresiarchas, & duces, quædam ex dogmate Manichæi collegisse, quædam ex erroribus, quos in Periarchon scripsisse fertur Origenes, plura etiam de suo ficta adiecisse. ita ille.

275 Primò, Albigenses hæretici duo ponebāt cum Manichęis principia contraria, nimirū Deum bonum, & Deum malum, hoc est Dia-

276 bolum. Illi tribuebant creationem animarum, huic vero creationem corporum. Ita Prateolus ibidem, & Gualterius dict. cap. 17. secul. xij.

277 Secundò, Defendebant, quòd Deus nullam animam nouam infundat, sed quòd animę ex vno corpore in aliud transmigrent, etiam animæ serpentum, aliorumque brutorū

278 animantium. Videlicet secundum vniuscuiusque meritum; ita vt anima eius, qui malè vixerit, ad bruti animantis corpus transeat, eius autem, qui benè vixerit, anima ad corpus alicuius Principis, aut alterius Viri illustris, secūdum fabulam Pithagoream. ita Bzouius ann 1199. num. 33. Prateolus, & Gualterius citati.

279 Tertiò, Non admittebant Legem Moysi, nec Prophetas, nec Psalmos, nec vetus Testamentum, neque Doctores Noui Testamenti, nisi solummodò Euangelia, Epistolas D. Pauli, septem Canonicas Epistolas, Actus Apostolorum, & Apocalypsim. ita Baronius anno 1176. num. 5. præter alios Bzouius loco citato.

280 Quartò, Tuebantur esse licitum negare exterius fidem, quam quis corde tenet, nec quemquam ad professionem fidei obligari, quantumuis legitimè interrogetur, neque teneri se suam fidem profiteri. ibidem Baronius, & Bzouius.

281 Quintò, Cum Sadducæis corporum resurrectionem negabant, ex eo falso principio, animam hominis sic in morte cum corpore perire, vt nusquam postea redeat. Prateol. & Gualt. & Bzouius loc. cit.

282 Sextò, Negabant omnino esse Infernum, aut Purgatorium: vnde defunctis quęcumque suffragia à viuis applicari solent, irridebant, vt illis inutilia. Prateolus vbi supra, & Castrus verb. suffragia defunctorum.

283 Septimò, Reijciebant prorsus Baptismū, tanquam superuacaneū, & inutilem. Proinde infantes, qui solum originale peccatum contraxerunt, saluari posse negabant. Baronius, Gualterius, & Bzouius ibidem.

284 Octauò, Blaterabant Albigenses, Corpus Christi Domini nō aliter esse in Eucharistia,

285 quam in alijs rebus. Item contra idem Sacramentum non consecrari Eucharistiam à malis sacerdotibus affirmabant, ob id fortè, quod crederent, malum sacerdotem non es-

286 se sacerdotem. Sicut falsò credebant, malum episcopum non esse episcopum. ita Baronius, Gualterius, & Bzouius citati.

287 Nonò, Contra Confessionis sacramentum peccata non esse confitenda sacerdoti affir-

288 mabant. Atque huic sacramento tertiam partem, nempe satisfactionem auferebant, ijdem tres citati Baronius, Gualterius, & Bzouius.

289 Decimò, Error fuit etiam Albigensium, vt tradunt tres isti auctores relati, Actum coniugalem esse saluti animę perniciosum, nec posse saluari coniuges, si carnaliter commisceantur, cum matrimoniū sit mera scortatio. ita dicti tres Baronius, Gualterius, & Bzouius.

290 Vndecimò, Asserebant item illi ius iurandum omne esse illicitum, ducti verbis illis perperam intellectis Matth. 5. Ego autem dico vobis, non iurare, &c sit sermo vester, est, est, non, non: quod autem his abundantius est, à malo est, cum Baron. cit. Gual. & Bzou. ibid.

291 Duodecimò, Esse inutile, & illicitum adire Ecclesias causa adorandi, aut preces fundendi: vnde ipsi erectas in honorem Dei, & Sanctorum contemnebant, ita Prateolus verb. Albigen. & cum Sand. Gualt. dict. c. 17. secul. xij.

292 Decimotertiò, Defendebāt fortiter Albigenses ad se ipsos solos pertinere munus prædicādi & nullo modo ad Sacerdotes Ec-

293 clesiæ. Imo istis nequaquam esse deferendum honorem, aut reuerētiam, nec diuitias, neque primitias persoluendas esse, omnibus suadebant. ita Bzouius citatus.

294 Decimoquartò, Errabāt asserentes, quod milites in prælio lethaliter vulnerati, à salu-

295 tis ianua maneant exclusi. Et quod Episcopi, Presbyteri, Monachi, Eremitæ, Templarij, & Hospitalarij, sint in statu damnationis. ibidem Bzouius.

296 Decimoquintò, Tandem defendebant, non esse tribuendas eleemosynas Ecclesijs, aut pauperibus, etiam petentibus. Adducunt hunc, & plures ex propositis erroribus Gualterius, & Bzouius citati ex Rogerio Houedio in Annalibus Anglicanis, ex publicis actis à Conuentu Episcoporum, & Nobilium contra Albigenses anno 1178. habitis.

Ve-

297 Verum præter expressos hactenus errores, apud Petrum Vallis Sarnensis, qui presens fuit, & scripsit historiam Albigensium, alij multo plures reperiunt, quos non expedit omittere, vnde

298 Decimosextò, Errabant Albigenses hæretici, quod Deo benigno Nouum Testamentum, Vetus autem maligno tribuerent, & hoc reijcerent, exceptis quibusdam eius auctoritatibus in Nouum Testamentum insertis, quas ob Noui reuerentiam admittēdas esse dicebant.

299 Decimoseptimò, Veteris Testamenti auctorem fuisse mendacem, & homicidam affirmabant: primum quia Parenti Adæ dixit, In quacumque die comederis ex eo (nempe ex arbore scientiæ boni, & mali) morte morieris: comedit tamen, non propterea tunc 300 mortuus fuit. Secundum ob Sodomitas & Gomorrhæos incendio ab eo cōsumptos, Mundum aquis diluuij deletum, & Pharaonem, & Aegyptios in mari demersos.

301 Decimooctauò, Cum summa impudentia falsò affirmabant, omnes Patres Veteris 302 Testamenti esse damnatos. Et quod S. Ioānes Baptista fuerit vnus ex maximis dęmonijs.

303 Decimononò, Dein quod Christus ille, qui natus est in Bethlehem terrestri, & visibili, quique Hierosolymis crucifixus est, malus sit, & habuerit concubinā Mariam Mag- 304 dalenam. Et quòd ista fuerit illa mulier deprehensa in adulterio, Ioann. 8.

305 XX. Præterea quòd sit alia terra noua, & inuisibilis, in qua bonus Christus natus est, & crucifixus, & quod hic nunquam comederit, aut biberit, nec veram carnem assumpserit, neque fuerit vnquam in hoc Mundo, nisi spiritualiter in corpore Sancti Pauli.

306 XXI. Item quod Deus Bonus duas habuerit vxores, Collant, & Colibant appellatas, atque ex ipsis filios & filias procreauerit.

307 XXII. Cuiusdam Albigensium Sectę fuit error affirmantis, quòd vnus quidam fuerit creator, sed quod habuerit filios Christum, 308 & Diabolum. Et quod omnes creaturę bonæ extiterint, sed per filias, de quibus in Apocalypsi, corruptionem magnam acceperint.

309 XXIII. Communiter Albigenses cum Vvaldensibus defendebant, fere totam Romanam Ecclesiam esse speluncam latronum, atque insignem illam meretricem, de qua in Apocalypsi.

310 XXIV. Aiebant aquam Sacri Baptismi à quauis alia fluuiali nequaquam differre. 311 Hostiam item consecratam in nullo dissi- 312 milem esse à pane Laico, & communi. Sacramenta Confirmationis, & Confessionis 313 nullum animæ fructum conferre. In statuque matrimonij neminem posse saluari.

314 XXV. Defendebant abnegata resurrectione, nostras animas esse spiritus illos angelicos, qui eiecti de Cœlo, corpora sua glorificata in aere reliquerunt, atque ipsasmet animas, postquam finierint successiuam qualiumcumque septem terrenorum corporum inhabitationem, quasi tunc demum penitentia peracta, ad illa relicta corpora remeare.

315 XXVI. Ex hæreticis Albigensibus alij appellabantur Perfecti, vel Boni homines, alij 316 verò Credētes: illi habitu nigro induti castitatis obseruatores, ac mendacij osores haberi volebant, esum carnium, ouorum, & casei detestabantur.

317 XXVII. Albigenses autem Credentes absque perfectione, seu bonitate illorum, in huius sectæ fide, cui adhærebant, se saluari 318 posse sperabant, & ad hanc saluationem non esse opus Confessione, aut Pęnitentia, vel restitutione ablatorum asserebant; sed sufficere, si in supremo mortis articulo recitarent, *Pater noster*, & manuum impositionem à suis Magistris (erant isti ex hæreticis Perfectis, qui Diaconi, & Episcopi vocaban- 319 tur) reciperent. Hinc securius, & effrenatius ad rapinas, vsuras, homicidia, carnis illecebras, periuria, atque ad alia scelera animum applicabant.

320 XXVIII. Errabant in eo, quòd si aliquis Albigensium Perfectorum peccatum mortiferum committeret, videlicet minimum quid carnium, casei, aut oui, alteriusue rei sibi prohibitæ comedendo, omnes illos, quibus ipse manum imposuisset, Spiritum sanctum amittere, imo iam saluatos ob manū imponentis peccatum, è Cęlo casuros affirmarent.

321 XXIX. Quorundam ex Albigensibus hęreticis fuit magnus error, quòd nemo ab vmbilico deorsum versus possit peccare. 322 Communis omnium illorum fuit, quòd nō peccet grauius, qui cum matre, vel sorore sua dormiat, quam qui cum alia qualibet.

323 XXX. Tenebant isti hæretici, vsum imaginum quæ sunt in Ecclesia, esse idololatriā.

324 XXXI. Denique tuebantur Ecclesiarum Campanas esse tubas dęmonum. Prædictos errores ex citato auctore Petro Vallis Sarnensis adducunt præcipuè Gualt. dict. c. 17. secul. xij. & Bzouius eo ano. 1199. num. 34. apud quem, si libuerit, plura leges.

325 Non omittam tamen aliqua horrenda, & execrabilia facta hæreticorum Albigensium, quæ ab eisdem auctoribus Gualterio, & Bzouio referuntur post Prateolum citatum, à quo vti antiquiori gratum est audire.

326 Eò verò, inquit, tandem ipsorum malitia, amentia, furor, temeritas, impudentia, atque Diuini timoris, suique obliuio accreuit, vt cùm Vrbis Biterranensis à Catholicorum exercitu obsidione vallaretur, & expugnaretur, in qua illi detenti erant, Sacrum Euangelij codicem arripientes, & super illū mingentes, de muro contra Christianos proijcerent, vt sagittas in eum detorquentes clamarent in hunc modum; Ecce lex vestra miseri: & immediatè post.

327 Traditur etiam, eorum quemdam Tolosæ in odium Christi, & confusionem Fidei,

iuxta

iuxta altare maioris Ecclesię ventrem suum purgasse, & palla altaris suam fęditatem de- 328 tersisse. Alios rursus super altare scortum posuisse in conspectum Crucifixi, cumque eo abusi fuissent, posteà ipsam sacram Imaginē inde detraxisse, eique brachia præcidisse, & collo fune alligato, illam per plateas vrbis intolerandis cum blasphemijs traxisse. Hęc sunt hæreticorum insignia, & tragędiæ. hactenus ille: atque pro Secta hæreticorum Albigensium dicta sufficiant.

329 Quidiam de Ioachimo Abbate? Plura de eo Baronius ann. 1164. circa finem, & 1195. reducuntur benè ad pauca à Gualt. cap. 20. secul. xij. Certum itaque, quòd istius Ioachimi nomen tempore Cęlestini III. anno circiter 1195. multiplici ex capite diffamatū fue- 330 rit. *Primo*, quòd futurorum diuinationem profiteretur, maximè in suis scriptis, quę pro gnosticis asperſit manifesti mendacij, vt ex 331 euentu ipso innotuit. Nam, vt alia nunc omittantur, prædixerat Fridericum Imperatorem hostem Ecclesiæ futurum, cum tamen omnes historiæ illum ad mortem vsque in pace, & tranquillitate Ecclesiæ permansisse tradant, vndè meritò ab omnibus pseudopropheta censetur. ita Prateolus, verb. Ioachimus Abbas n. 16. cū Guidone Carmelita.

332 Secundò, Valde fabulosum fuit illud inter alias eius fabulas, quòd tres hominum status astrueret: Primum carnalem, ab Adamo, vsq; ad Christum: Secundum, partim secundum carnem, partim secundum spiritum, ab eis perductum à tempore Christi Domini vsque ad S. Benedictum: Tertium prorsus spiritualem, protractum à tempore S. Benedicti (sub cuius disciplina ipse Ioachimus militabat) 333 vsque ad finem Mundi. Atque his statibus tres etiam hominum ordines correspondentes assignabat, nempè coniugatorum, cleri- 334 corum, & monachorum. Subiungens, magis exprimendo ipsos, quòd ordo coniugatorum initium sumpserit ab Adam, & fructificauerit in Abraham; ordo vero sacerdotalis inceperit ab Ozia de Tribu Iuda, incensū Deo offerente, & fructum tulerit à Christo supremo Rege, & Sacerdote; ordo denique Monachorum inchoauerit à S. Benedicto, & fructificare cęperit tempore ipsius Ioachimi.

335 Dictæ autem declarationi trium statutū, & ordinum addit Prateolus in Elencho verbo Ioachimus Abbas, nu. 16. in hunc modū: Primo ergo statui lex carnalis data est, vt ille 336 asserit, Secundo lex spiritualis, vt puta Euangelium quod tamen per Apostolos non iuxta spiritualem intelligentiam, sed tantum 337 secundum literam prædicatum fuit. Sed in tertio, quem ponit statu idem Euangelium, fore prędicandum dicit iuxtà spirituale eius intelligentiam, & hoc per Monachos illos D. Benedicti. Hæc ex Alphonso à Castro lib. 3. aduersus hæreses. cuius erroris confutationem lege ibidem. ita ille.

338 Tertiò, Eo quod in libro per ipsum Ioachimum scripto contra Petrum Lombardum Magistrum sententiarum, expressè asserat, in diuinis essentiam generare essentiam, sicut 339 Deus generat Deum. Hæc tamen assertio, vnà cum libro damnata fuit, & hęretica pronunciata à Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. & habetur, extra de Sum- 340 ma Trinitate. Quamquam si dictum Conciliū attente legas, obseruabis (vti rectè obseruauit Blasius Viegas nostræ Societ. Theologus) quòd declaret ipsum Ioachimum nō fuisse hæreticum, cùm arbitrio Sedis Apostolicæ omnia diudicanda, & corrigenda cōmiserit per epistolā hac de re peculiarē, propria manu subscriptam. Vide Gualter. citat.

341 Ex sequacibus autem prædicti Ioachimi, qui doctrinæ eius hæreticæ pertinaciter adhæserunt, præcipuus fuit quidā Petrus Ioannis, qui adiunctis alijs erroribus sectam Pe- 342 troioānitarum instituit. A Celestino Papa III. hæreticus, seù hæresiarcha declaratus, & vna cum libris, quos in Euāgelium Matthęi, & Apocalypsim ediderat, post mortem condemnatus, atque iussu eiusdem Cęlistini ex terra sacra exhumatus fuit, igniq; traditus. ita Prateol. in Elench. verb. Petrus Ioannis, num 20. & Gualt. cap. 21. secul. xij.

343 Huius item hæresiarchæ Petri Ioānis errores huiusmodi sunt: Primò ipse, & eius asseclæ Petroioannitæ errarunt, quòd negarent esse formam humani corporis animam rationalem, non absolutè quidem, sed quia rationalem, quia sub hac ratione nequit ipsa informare corpus. ita cit. Prateol. & Gualt. cum Alphonso à Castro verb. anima, hæres. 1. 344 Vbi damnationem huius dogmatis in Cōcilio Vienensi sub Clemente V. adducit.

345 Secundò, Dicebat, quod Apostoli nō prędicauerint Euangelium secundū sensum spiritualem, sed tantum secundum literalem, vt de Ioachimo Abbate paulo ante dictum. Ita idem Castrus verb. Apostoli, hæres. 1. Prateolus, & Gualt. loc. cit.

346 Tertiò, Tenuit Petrus Ioannis, Christum Dominum lancea perforatum, dum adhuc viueret, contra textum expressum Euangelij Ioann. 19. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lācea latus eius 347 aperuit, &c. Condemnatque hunc errorē idem Concilium Viēnense, vt refert Alphōsus de Castro, verb. Christus, hęres. 4. & cum eo Prateol. & Gualt. cit.

348 Quartò, Idem Petrus Ioannis docuit nequaquam gratiam diuinam, neque virtutes theologicas infundi in receptione Baptismi. Ita Castrus verb. Baptismus, hæres. 4. atque ibid. Prat. & Gualter.

349 Quintò, Defendebat nomine meretricis magnę intelligi debere Catholicā, Romanāq; Ecclesiā, quā vocitabat carnalē Ecclesiā, Bestiā, & Satanę Synagogā, ijdem Prat. & Gual.

350 Sextò, Secūdum hos auctores, Antichristū mysticè Summū Pontificē interpretabatur Petrus Ioānis, in quo & pręcedēti errore pręcursorē hęreticorū nostri tēporis se cōstituit, atque iam his, & Regulam, & Caput feliciter claudimus.

CAPVT XV.

De hæreticis, & hæresiarchis, deque eorum Sectis, ad expugnandam Fidem Catholicam per spatium totius xiij. Centenarij fundatis.

PROOEMIOLVM.

EST equidē quod maximoperè lętemur, & ingentes Deo Opt. Max gratias agamus, quòd extiterint toto seculo præcedenti viri doctrina, & sanctitate insignes, strenuissimi bellatores pro integritate Fidei Catholicæ tuenda, atque contra hæreticam prauitatem seruanda. Pro veritate fidei circa realitatem Eucharisticam S. Bernardus in Summa de Cœna Domini, post medium extat tom. 2. (hunc contra Abailardum & alios hæreticos viriliter præliantem vidimus) Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramen. par. 8. cap. 7. Rupertus Abbas lib. 3. de operibus Spiritus sancti, cap. 21. Richardus de S. Victore cap. 30. explanationis libri Canticorum, atque Magister Sententiarum, Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis in 4. distin. 11. Pro veritate circa adorationem, & inuocationem Sanctorum, Rupertus lib. 7. in Cantica. Goffridus Abbas Vindocinensis in serm 3. de Natiuitate Domini, propè finem, Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis lib. 2. de Miraculis cap. 29. & S. Bernardus serm. 2. de Aduentu. Pro veritate, quòd Fides sola sine bonis operibus, ad salutem non sufficiat, Hugo de S. Victore lib. 2 de Sacramen. par. 11. cap. 6. S. Bernardus serm. 24. in Cantica, & Rupertus in illud Apocal. cap. 2. Scio opera tua, & laborem, &c. Pro alijs fidei veritatibus legenda multa Doctorum testimonia, præcipuè adducta à Genebrardo, & Gualterio in fine xij. seculi. Nos his omissis, iam de Sectis hæreticorum seculi xiij. agamus.

Quid de Almarico, & de Dauide Dinantio hæresiarchis? quid de Sectis per eos institutis?

REGVLA CCLXXIV.

EN statim initio seculi xiij. monstrum valde horrendum, ac perniciosissimum, Almaricus scilicet natione Gallus, Doctor Parisiensis, Patria Carnotensis, qui ad errores contra fidem Catholicam, quos mente conceperat, multos etiam ex viris literatis facile induxit, & circa annum 1204. suam Sectā ex illis formauit.

6 Verùm paulò post de ipsis iudicio Theologorum Parisiensium cōuictus, vti pertinax, vnà cū diuersis socijs vltimo supplicio traditus fuit. Inter sequaces autem dicti Almerici pręcipuè excelluit Dauid cognomēto Dinantius, vnde addito nouo errore indicando, & peculiaris hæresiarcha, & nouæ Sectæ auctor extitit.

8 DE his duobus hęresiarchis, qui vt iam ex ipso Regulę textu apparet, inter se coniuncti sunt, vix quidquam inuenio apud Scriptores nostros pręter eorū hęreses. De priore, nēpe Almarico, siue Amorrico (hoc duplici nomine vocat eum Gualterius cap. 1. secul. xiij. nec indicat cur) audiamus Prateolum, à quo ferè omnes alij desumūt, verb. Almaricus num. 29.

9 Almaricus, inquit, Natione Gallus, patria Carnotēsis, Lutetię Parisiorū Doctoratus lauream assecutus, Philippo Barbarossæ filio imperante, & Innocentio III. Romano Pontifice, emersit anno Domini 1204. de quo sic

10 tradit Cęsarius lib. Dialogorum dist. 5. Eodem tempore, quo manifestatæ sunt hæreses Albigensium, in Parisiensi Ciuitate (in qua est fons totius scientiæ, & puteus diuinarum scripturarum) quibusdam viris literatis persuasio diabolica peruersum instillabat intellectum, quorum Almaricus Magister prauitatis fuit. ita ille cum Cæsario.

11 Subiungit verò statim omnes errores, circa quos iste hæresiarcha dictum Magisteriū exercuit, sicuti subiungunt Gualt. citat. & Bzouius ann. 1215. n. 2. Qui videtur eos desumere ex actis Concil. Lateranen. (ab Innocentio III. vt ait ipse Bzouius, ea potissimum de causa celebratum fuit, vt isti errores condemnarentur) cum ipsos variato caractere proponat: proinde eisdem verbis, quibus ipse, hic libet proponere.

12 Primò, Dicebat Corpus Christi nō aliter esse in pane altaris, quàm in alio pane, & in qualibet alia re, transubstantionē denegans.

13 Secundò, Deum sic locutum fuisse in Ouidio, sicut in Augustino.

14 Teriò, Negabat præterea resurrectionem corporū, Paradisū similiter, & Infernum; sed qui in se Dei cognitionē haberet, illū habere

15 quoq; in se Paradisum. Qui contra, peccatū mortale haberet, eundem Infernum habere in se, non aliter quàm dentē putridū in ore.

16 Quartò, Altaria Sanctis dicata, & Imagines thurificare, sanctorumque inuocationes idololatriam esse asserebat.

17 V. Nō solum cum Armenis Adam, & Euā nunquam carnali copula iungendos, si in

statu illo, in quo Deus illos condidit, permansissent, verùm etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationũ, æquè, atque Angelorum futuram affirmabat. Contra illud, quod in Genesi scribitur: Creauit Dominus hominem ad imaginem, & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum; masculum, & fœminam creauit illos.

18

19 Sextò, Asserebat rursus, Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aere.

20 Septimò. Item illud, quòd aliàs est peccatum mortale, factum in caritate, non esse peccatum: impunitatem peccatorum promittens.

21 Octauò. Affirmabat denique, ideas, quæ sunt in mente diuina, & creare, & creari posse: cum contra, teste Augustino, in mente diuina nil nisi æternum, & incommunicabile sit.

22 Nonò. Somniabat quoque, mentem cõtemplatiui, vel beati, perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale, quod habuit in mente diuina.

23 Decimò. Docebat deinde, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum cõuerti, vt sint vnum indiuiduum cum ipso: vnde per consequentiã in resurrectione duplicem fore sexum negabat.

24 Hactenus de erroribus Sectæ Almarici: circa plures eorum, vide Alfonsum de Castro, verb. Adam, hæres. 3. verb. Beatitudo, hæres. 1. verb. Eucharistia, hæres. 4. verb. Infernum, hæres. 1. & verb. Resurrectio, hæres. 1.

25 Post relationem autem dictorum errorum, notat Prateolus vbi supra, & cum eo Bzouius eodem num. 2. quòd in alijs pluribus contra Fidem Catholicam hæresiarcha Almaricus aberrauerit. Accipe verba ipsius Prateoli. Huius, inquit, Almarici viginti errores colliguntur ex Chronico Summorũ Pontificum. De quo rursus extra de Summa Trinitate, & Fide Catholica, cap. finali, dicitur in hunc modum. Reprobamus, & condemnamus peruersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem pater mendacij sic excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica, quàm insana sit censenda. hæc Prateolus cum textu Decretalium.

26

27

28 Dicta verò reprobatio, & condemnatio iam præcesserat, vt tradunt ijdem Prateolus, & Bzouius citati, Parisijs iudicio Episcoporum, & Theologorum Parisiensium: atque ex vi eius Almaricus, & plures ex ipsius sequacibus vltimo supplicio traditi fuerant (præmissa exauthoratione, hoc est degradatione, vulgariter, sic dicta, vt declarat ipse Prateolus,) & exusti, eorumque cineres per sterquilinium dispersi, excepto Almarici corpore, cui tunc concessa fuit sepultura in campo prophano. Hinc tamen postea eius ossa extracta, & igne consumpta, quando Innocetius III. denuò in Concilio Lateranensi condemnauit, hæreticum pertinacem, & excommunicatum ipsum declarans. ita Prateolus, & Bzouius locis citatis.

29

30 Quod ait hic ipse Prateolus cum Philastico Brixiensi Episcopo, posse hæreticum post mortem condemnari, & excommunicari, iuxta id, quod dabetur causa 24. quæst. 2. cap. sane, quoad excommunicationem intelligi debet de eius declaratione, quam ante mortem hæreticus iam ipso facto contraxerat iniunctam à iure, secundum communem omnium, & prorsus certam doctrinam in materia de censuris, quæ non est, cur hic à nobis magis discutiatur. De condemnatione hæretici post mortem ipsius, infra Deo dante ex professo agemus.

31

32 Vltimo loco, quid scitu dignum, refert Prateolus? Audi ab ipsomet sic loquente: Tradunt autem, inquit, Historici, quòd cum illi (nempè Almaricus, & sequaces) ad supplicium ducerentur, tanta oborta sit aëris inclementia, & intemperies, vt nemo dubitaret, quin ab eis aër fuisset concitatus, à quibus tantus error morientibus fuerat persuasus. Nam dicuntur tunc tam obstinata mente fuisse, vt non solùm ad interrogata nullum darent responsum; sed nec in eis in ipso mortis articulo vllum pœnitentiæ, aut sanæ mentis, & resipiscentiæ perpendi potuisse iudicium. hæc ille, & ex ipso Bzouius dicto anno 1215. num. 2.

33

34 De altero hæresiarcha Dauide Dinantio, deque eius Secta, exiguum valdè, quod dicendum occurrit, apud solos Prateolum in Elencho, verb. Dauid Dinantius, num. 4 & Gualterium c. 2. seculi 13. Quidquid id est, maximè circa eius peculiarem errorem, accipe à Gualterio, non sine eruditione aliqua exprimente, sic.

35 Eodem fermè tempore se agnoscendum præbuit Dauid Dinantius, qui præter quam quod Almarici errores amplectebatur, docuit, Deum esse materiam primam: Error summè pugnans cum Diuinæ Essentiæ puritate, simplicitate, ac perfectione, vt doctissimè demonstrat Sanctus Thomas, tum lib. 1. contra Gentiles cap 17. tum prima parte, quæst. 3. art 8.

36 Et verò, vt indignum planè est Diuinæ essentiæ puritate, ac simplicitate, aliquid illi, qualecumque sit, compositionis genus tribuere: ita enormis est blasphemia aduersus infinitam Creatoris perfectionem, si quis Creatorem, non pro creatura tantùm, sed & pro creaturæ parte, immo pro vilissima, abiectissimaque creaturæ parte, quæ materia est, habeat. Hæc ille, quibus præsens Regula absoluta manet.

Quo-

Quomodo Secta contra Fidem Catholicam Guilielmi de S. Amore, & Desiderij Longobardi instituta?

REGVLA CCLXXV.

37 TRansacta ferè dimidia parte seculi 13. sine hæresiarcha aliquo, præter duos Regula præcedenti expressos, prodijt hic nouus circa annum 1250. Guilielmus scilicet de S. Amore, qui suis erroribus indicandis fundata peculiari Secta, statum Monachorum, maximè professionem, seu modum paupertatis oppugnans, gradum hæresiarchatus obtinuit; sed statim Alexander Papa IV. ipsum vnà cum suis scriptis condem-38 nauit. Desiderius item Longobardus illius vestigia secutus per idem tempus religiosā paupertatem similiter persequendo, ad eundem gradum, & ad institutionem alterius Sectæ hæreseon peruenit.

39 NIhil prorsus, quod inuenire potuerim, de vtroque isto hæresiarcha Bzouius; & quidem mirum, cum omnia diligenter perscrutari, atque haud intactum 40 quidquam relinquere soleat. Scriptores item tres classici, Alfonsus à Castro, Prateolus, & Gualterius citādi, qui de illis ex professò agunt, nulla facta mentione de spectātibus ad eorum genus, patriam, educationem, professionem, &c. in explicāda vtriusque hæresiarchæ Secta breuissimè se expediunt, vnde consequenter nostra expeditio circa idem breuissima erit, relatis ijs, quæ à dictis Scriptoribus adducuntur.

41 De Guilielmo, seu Vuilielmo (vt scribit Castrus) de S. Amore, sic loqui incipit Prateolus in Elencho, verb. Guilielmus de S. Amore, num. 18. Guilielmus de S. Amore, inquit, mendicantium Monachorum acerbissimus hostis, suas hæreses instituit, atque promulgauit sub Alexandro Papa huius nominis IV. à quo & damnatus est per Bullam, quæ incipit, Romanus Pontifex, Conradi IV. Germani Cęsaris temporibus circa annum Domini 1250 hæc Prateolus.

42 Qui statim subiungit tres istius hæresiarchæ errores. Primò tenuit absolutè ipse, quòd nullus homo in Religionibus Mendicantium saluari possit. Præter citatum Prateolum, affert Alphonsus à Castro, lib. 10. aduersus hæreses, verb. Monachus, vbi circa hunc errorem, sic ait.

43 Eodem ferè tempore, quo Vualdenses, aut parum postea, quidam Vuilelmus de S. Amore scripsit librum, in quo persuadere conatus est, hominem non posse saluari in Ordine Mendicantium: sed hunc librum Alexander Papa IV. damnauit, vt hæreticum, & præcepit sub excommunicationis pęna, vt quicumque illum haberet, com-44 bureret, ita ille. Hodie tamen iuxta iam alibi tradita, nulli priuato licet librum prohibitum comburere, sed ad Inquisitorem loci tenetur deferre.

45 Secundò, Errauit Guilielmus de sancto Amore, asserens Monachos ex eleemosyna in ocio viuentes, non acquirere salutem æternam, & ad huius acquisitionem requiri, vt omnes indiscriminatim ad laborem manuum astringantur, vt ex illo victum sibi comparent; & non posse eos alio modo victum parare, quàm per laborem manuum. Ita Castrus, verb. Paupertas, Prateolus ibidem, & Gualt. dict. cap 3. seculi 13.

46 Tertiò, Pertinaciter defendebat ille, quòd sola paupertas habitualis sit licita, non verò actualis; idest, quòd licita sit promptitudo animi ad omnia pro Christo Domino relinquenda, quando vrget necessitas: seclusa tamen hac necessitate, illicita sit paupertas, qua quis renunciat omnibus, quæ possidet, vt liberiùs Deo seruiat. Ita idem Alfonsus à Castro eodem verb. Paupertas, hæres. 3. & verb. labor, hæres. 2. Prateolus ibidem, & Gualterius loco citato.

47 Vbi benè addit, hæc capita doctrinæ illius hæreticæ fuisse quidem longè propulsata crebris Ordinum Mendicantiū approbationibus per Sūmos Pontifices Romanos exhibitis, de quibus Cardinalis Bellarminus lib. de Monachis.

48 Circa alterum hæresiarcham Desiderium Longobardum, erroresque illius, legendi sunt, in primis Alfonsus à Castro dict. verb. Paupertas, hæres. 3. Prateolus lib. 4. verb. Desiderius, Longobardus numer. 6. Bellarminus citatus, & Gualterius cap. 4. seculi 13. à quo huc spectantia compendiosè accipe.

49 Per id temporis, inquit, in paupertatem religiosam pari furore inuectus est Desiderius Longobardus, qui docere non est veritus, Primò, rem esse non solùm inutilem, sed etiam perniciosam, & illicitam, sua omnia propter Christum Iesum relin-50 quere. Quem vt armis decretorijs expugnat Doctor Angelicus S. Thomas in opusculo suo 19. quod totum scriptum est aduersus Impugnatores Religionis; ita & Ecclesia eisdem Decretis damnat, quibus, & Guilielmum de sancto Amore.

51 Secundò, quòd ex primo illo errore conficiebat, nefas esse in Religionem vllam ingredi, quæ vel possessiones saltem in communi, non habeat, vel certè se ex opere manuum viuere non profiteatur. hucusque Gualterius, & nos cum ipso ad finiendam præsentem Regulam.

Quid de Raymundo Lullo? num sectam errorum contra fidem Catholicam, vti hæresiarcha instituit?

REGVLA CCLXXVI.

52 NOn videtur ex vna parte dubitari posse, quod Raymundus Lullus inter hæresiarchas sit enumerandus, & auctor sectæ peculiaris plurium errorum contra fidem nostram constituendus. Quandoquidē non pauci tam ex antiquis, quam ex modernis scriptoribus, hanc ei notam inurunt, & vti talem à Gregorio Papa XI. damnatum 53 fuisse, ostendunt. Ex altera verò parte non defuerunt multi quouis tempore viri grauissimi, qui enixe conati sunt eum à simili nota liberare, & vsque in præsentem diem apud Summum Pontificem efficaciter vrgent, vt 54 omnino innocens declaretur. Vnde cum res hinc inde controuersa appareat, ad id prædictis facile inducimur, vt à ferendo iudicio abstineamus & declarationem circa ipsam à Sede Apostolica expectemus.

---

55 EX antiquis scriptoribus primus, ac præcipuus fuit Nicolaus Eymericus, qui aduersus Raymundum Lullum acre bellum excitauit, & omnem lapidem mouit, quousque omnia eius opera à viris doctissimis fuerunt discussa, & quod erroribus contra fidē infecta reperirentur, vna cum auctore eorū vti hęretico per summum Pontificem dānata. Sed audiamus quæso circa hoc ipsum Eymericum in suo Direct. 2 par. q. 9.

56 Postea, inquit, Dominus Papa Gregor. XI. in Consistorio, etiam de Cōcilio Fratrum, interdixit & condemnauit doctrinam cuiusdā Raymundi Lulli Catalani mercatoris de Ciuitate Maioricarum oriundi, laici, phantastici, imperiti, qui quāplures libros ediderat in vulgari Catalanico, quia totaliter grāmati-57 cam ignorabat. Quæ doctrina erat plurimū diuulgata, quam creditur habuisse à Diabolo, cum eam nō habuerit ab homine, nec humano studio, nec à Deo, cum Deus non sit au-58 ctor hæresum, nec errorum. Licet ipse Raymundus asserat in libris suis, quod eam habuit in quodam monte à Christo, qui sibi (vt dixit) apparuit crucifixus: qui putatur fuisse diabolus, & non Christus. ita ille.

59 Atq immediatè post sic. Quę doctrina durauit fere per octoginta annos, quousq. scilicet Fr. Nicolaus Eymericus Ord. Prędicatorū Aragoniæ Inquisitor ex certis causis habens eandem multùm suspectā de hęretica prauitate, illā multo cū labore transcurrit, postea pręsentauit prædicto Dño Papæ Gregorio viginti volumina: & causa commissa Domino Cardinali Ostiensi, de eius mandato fuerunt per viginti & vltra magistros in Theologia 60 diligenter examinata. Et tandem de Fratrum consilio, vt vere hæreticalia condemnata, & tota doctrina generaliter interdicta; quæ doctrina continebat plusquam quingentos articulos erroneos, de quibus, vt prolixitati parcatur, centum præsentibus inseruntur. huc vsque Eymericus, apud quem eos legas.

61 Addit autem ipse Eymericus immediatè post, duodecim errores peculiares sequaciū illius, seu Lullistarum (apud eundem videri possunt. Ex omnibus tamē prædictis Prateol. in Elencho lib. 16. verb. Raymundus Lullus 62 n. 2 & Gualt. c. 5. sec. xiij. qui præcipuè inter modernos scriptores contra eum insurgunt, & hęresiarcham fuisse censent, licet errores in libris Raymundi plusquam quingentos reperiri affirment, vti affirmauerat Eymericus, solos quinque exprimunt, nempè

63 Primo, quod Deus habeat plures essentias: & id similiter docuit hoc nostro tēpore Beza hæresiarcha, vt infra videbimus. II. quod Deus Pater fuerit antequā esset Filius eius III. quod Diuina essentia, cū non sit ociosa, essentiat, natura naturificat, bonitas bonifi-64 cat, &c. VI. Quod Spiritus Sanct. sit cōceptus de Patre, & Filio: modus loquendi saltem erroneus, cùm Spiritus Sanctus secundum veram fidem à Patre, & Filio, tanquam ab vno æterno principio producatur, nō per cōceptionem, aut generationem, sed per dilectionem spiritualem, & ęternam. ita Gualterius ibidem declarat V. quod sit crimen, & in-65 iustitia, hęreticos vlcisci. ita illi. Meminit autem ibidem Prateolus cuiusdam sententiæ condemnatorię contra Raymundum Lull. & libros eius à Petro Archiepiscopo Tarraconense, & dicto Nicolao Eymerico latę, quam apud alios scriptores non inuenio, nisi apud Bzouium, & cum æquiuocatione, de qua infra.

66 Præ cęteris item recentioribus, qui aduersus Raymundum Lull. scripserunt, enixius, & efficacius persecutus est eum vti hęresiarcham, Abrahamus Bzouius in varijs partibus 67 suorum annalium Ecclesiasticorum. Anno 1260. testatur in indice sui 1 tom. quod fuerit condemnatus ab Alexandro Papa IV. & quod ibi num. 5. referantur illius errores. Inspecto tamen diligenter loco allegato, neutrum quidem inueni in exemplari, quod apud me habeo, Coloniæ Agrippinæ excuso, anno 1621.

68 Sed hanc condemnationem Alexandri IV. vt iam pro parte opposita in fauorem Raymundi Lull. aliqua adducantur, esse sine fundamento assertam, inde aliqui credunt, quia anno 1260. quo damnatus fuisse dicitur, Lullus adhuc nihil scripserat, cum circa annum Domini 1230. natus fuerit, & suæ ętatis anno trigesimo ad Deum conuersus, ac postea scribere cœperit, sicut ex libro eius de contemplatione colligi posse quibusdam videtur & affert parte quinta, sectione tertia, auctor operis inscripti Tran-

69 Transumptum memorialis in causa pij Eremitæ, & martyris Raymundi Lulli, quę nunc Romæ vertitur coram Sanctissimo, peradmodū Reuerendum Fratrem Ioannē Riera Seraph. Ord. Franciscani Theologū, & Regni Balearium Syndicum in Romana Curia hāc 70 causam agentem. Typis autem excusum fuit prædictum Transumptum memorialis Palmæ Balearium, anno 1627. præcedente iussu Illustrissimi, ac Reuerendissimi D.D. Balthassaris Borgiæ Episcopi Maioricensis, diligenti discussione, & legitima approbatione per viros probitate, & doctrina præstantissimos, etiam nostræ Societatis. Iesu præcipuè per admodum Reuerēdum, & Sapientissimum Patrem Matthæum Marinon, (quem vti magistrum meum in professione philosophica, honoris causa nomino) Rectorē Collegij, & Academiæ Societatis Iesu, & sanctæ Inquisitionis qualificatorē, in In-71 sula Baleari. Hoc transumptum ab hinc annis 12. dono accepi ab Illustrissimo Equite Hierosolymitano Domino de Montemaris, nunc Eccellentissimo, & dignissimo Proregē nouæ Franciæ in America: vnde ex eo oportunè ad rem præsentem pauca compēdiosissimè desumo.

72 Diuiditur ab auctore ingeniosè in tres Sectiones totum istud Memorale, perspicuitatis gratia: in quarum prima quatuordecim Prǽludia continentur, per quæ, declaratis terminis Lullianis, via sternitur ad capiendum, qualiter sine vllo errore contra fidem tam multa Lullus docuerit, ac scri-73 pserit. In secunda sectione, quæ subdiuiditur in decem partes, singulæ propositiones doctrinæ Lullianæ, quibus aduersæ partis auctores notam hæreseon tribuere possunt, modis loquendi, magis vsitatis in scholis declarantur, & nullatenus erroneæ ostenduntur, sed omninò conformes Fidei Catholicæ.

74 Tertia verò Sectio Memorialis, subdiuisa in partes vndecim, continet responsionem ad quascunque impugnationes, typo mandatas contra Lullum. Atque omissis alijs quam plurimis, respondetur primò ab auctore memorialis, part. 3. sect. 3 ad illud supra expressum, fuisse scilicet à Gregorio Papa XI. condemnatā Raymundi Lulli doctrinam, quòd Bulla condemnationis, nec in Regestis dicti Pontificis, nec alibi reperiri 75 potuerit, licèt bis etiam auctoritate Apostolica fuerit diligenter perquisita, semel Auinione, vbi data dicitur, viuente adhuc, & præsente Eymerico, iterum post mortem eius Romæ, &c.

76 Dein, si dicta Bulla Gregorij XI. est fictitia, corruit etiam id, quod dicitur de libris, quos Lullus edidit, per istum Summum Pōtificem condemnatis, & omninò prohibitis. Atque inde clarius ostenditur, quia in Indice librorum prohibitorum, iussu Concilij Tridentini edito, nulla fit mentio de tali prohibitione, neque in eo, sicuti ipsa digni, apponuntur, quod affert auctor me-77 morialis in sect. 1. præludio 12. vbi ait, quòd ad dictum Concilium Tridentinum fuerit missus procurator Lullianæ causæ à Principatu Cathaloniæ vir sapientissimus Magister Ludouicus Ioannes Villeta Ca-78 thedraricus. Qui adeò exactè hanc procurationem peregit, vt ab ipso Concilio deputati fuerint multi, nempè Patriarcha Venetus, quatuor Archiepiscopi, totidem Episcopi, vnus Abbas, duo Generales Ordinū, & quatuor Doctores: qui discussa doctrina Lulli, eam approbarunt, & à calumnijs Eymerici iuridicè vindicarunt.

79 Quid quòd iam multò prius, vt refert idē auctor memorialis, ab eisdem ipsam doctrinam Lulli multoties alij iuridicè vindica-80 uerant. Primò octo Magistri deputati, tres Dominicani, & quinque Franciscani, Præsidente Patre Magistro Fr Bernardo Ermengaudio Prouinciali Dominicano, & Generali Inquisitore Barcinone, anno 1380. Secundo Illustrissimus Dominus Leonardus Cardinalis, Cōmissarius Apostolicus in hac causa deputatus à Benedicto XIII. Auinione anno 1395.

81 Tertio Reuerendissimus Bernardus Episcopus Castelli, Cōmissarius, & Iudex in hac causa deputatus per Illustrissimum Alemānum Cardinalem Legatum Apostolicum in Hispania; qui aduersus Eymericum pro Lullo anno 1519. definitiuam sententiam tulit, restituitque doctrinam Lullianam suo primo statui, & annullauit quæcunque contra eam attentata fuerant. Vide plura in dicto præl. 12.

82 At in decimotertio, quid ad nostrum institutum oportunè continetur? Perlibenter sanè adducam, quod ibi expressum, quandoquidem ad mysteriū Cōceptionis immaculatę Virginis Mariæ spectans: Sed conuenientius iudico verba ipsius auctoris memorialis in medium proferre. Sic habet titulus.

83 Præludium decimumtertium. Vnde quæ sparserat Eymericus contra Lullum, postquam per tot acta iuridica iam extincta fuerant, iterum reaccensa fuerint?

84 Dicitur primò, viguisse tempore Eymerici ante annum 1400. inter Eymericum ipsū, & Lullistas, contentionem, de Conceptione purissima Virginis, contendente Eymerico conceptam fuisse cum originali peccato, Lullistis cum Lullo oppositum defendenti-85 bus. Quæ contentio eò peruenit, vt Eymericus à Raymundo de Cortillis Canonico Elnensi, coram Reuerendo Patre Ioanne Ansurre Inquisitore Generali Auinione fuerit accusatus de manifestis hæreticalibus propositionibus ab eodem Eymerico assertis: quæ omnes habentur in publico instrumento accusationis authentico, dato Auinione, anno Domini 1395. Quod apud huius Lullianæ causæ Syndicum extat. & immediatè post.

86 Hęc planè contentio creditur fuisse seminarium eorum, quę contra Lullianam doctrinam

ctrinam inciderunt. Sed tamen Eymericus exul à Regno pulsus à Ioanne Aragonum Rege profugit, vt constat ex eiusdem Regis epistolis contra eundem Eymericum, missis ad diuersos.

87 Postea contra Eymericum pro Lullo tot approbationes, & acta, quot partim supra retuli, sancitæ fuerunt; prorsus vt extincta viderentur omnia contra Lullum attenta-

88 ta, vsque ad annum 1503. Nam ante istum annum ipsimet libri Lulli, quos referebat Eymericus fuisse damnatos, identidem excudebantur, publicè seruabantur, & legebantur, & publicæ Cathedræ de hac doctrina tum erectæ fuerunt.

89 Eodem in Præludio sic dicitur: secundo. Prædicto anno 1503. aut paulò ante, subortam iterum esse eandem de Conceptione Deiparæ Virginis controuersiam inter Fr. Guillermum Caselles Dominicanum simul, & Inquisitorem Regni Balearis, & Lulli scholæ Professores, his, vt supra pugnantibus,

90 & contra ipsos, Inquisitore Dominicano. Tantoque exarsit ardore contentio, vt Romam perrexerit Inquisitor, & egerit coram Sanctissimo contra Lullianos: sed tanto suscepto labore, nec ipsis, nec Lullianæ doctrinæ in aliquo nocere potuit: atque immediatè post de eodem Inquisitore sic.

91 Reuersus tandem ad Baleare Regnum, & in eadem contentione perseuerans, dicitur fuisse pulsus à Regno. Quæ omnia creduntur, nimirum homini fuisse stimulum ad extremum, vt anno 1503. Directorium Eymerici typis mandans Barcinone, simul annexuerit, ex Bulla fictitia eiusdem, calumniam contra Lullum iamdiu conuictam, damna-

92 tam, atque sepultam. De hac secunda contentione fit mentio in Chronicis Fr. Francisci Diago, Prouinciæ Aragoniæ Fratrum Sãcti Dominici. hactenus contenta in dicto præl. 13.

93 Addendum tandem aliquid, vt responsum detur quoquo modo ijs, quæ contra Lullum ab Abrahamo Bzouio proferuntur. Primò circa condemnationem, & sententiam prolatam per Archiepiscopũ Tarraconensem, de qua ipse Bzouius anno 1260. num. 5. iuxta eius indicem, duplex est mani-

94 festa æquiuocatio. Prima, nam auctoritate Alexandri Papæ IV. vt ille affirmat, Lullus ab eo Archiepiscopo nequaquam condemnatus fuit: cum dictus Alexander nequiuerit, per se ipsum condemnare Lullum, eo quòd hic fuerit tempore posterior illo, & scripserit ipso iam mortuo, vt supra n. 68. à nobis traditum: ergo neque per illum Archiepiscopum, tributa ei facultate, condemnari potuit.

95 Dicendum itaque, quòd Petrus Archiepiscopus Tarraconensis, auctoritate accepta à Gregorio Papa XI. processerit, & condemnauerit, vti hæreticum non Raymundũ Lullum (en secunda æquiuocatio) sed Raymundum Neophytum Fratrem Dominicanum, simul cum eius libris; quidquid in contrarium dicant Prateolus, & Bzouius

96 citati. Qui non sine graui calumnia, & iniustitia, errores Fidei Catholicæ oppositos, ac libros prohibitos, præcipuè illum de inuocatione dæmonum, istius Raymundi Neophyti, tribuunt illi Raymundo Lullo. Ita auctor memorialis, par. 5. sect. 3. & ostendit efficaciter testimonio tum ipsius Eymerici in direct. par. 2. quæst 27. tum commentatoris eiusdem, Doctoris Francisci Pegnæ, ibi coment. 52. Audiamus primo Eymericũ ad quæst. sic respondentem.

97 Ad hanc, inquit, respondemus, quòd tempore Domini Gregorij Papæ XI. Dominus Petrus Archiepiscopus Tarraconensis, & Frater Nicolaus Eymericus de Ordine Prædicatorum Inquisitor Aragoniæ, vt verè hæreticales, & erroneos, quendam libellum

98 de dæmonum inuocatione, qui incipit, Misericordia, & veritas; & quendam alium, qui incipit, Vtrum quilibet infidelis tam diuinis, quàm Apostolicis canonibus teneatur obedire: & quædam alia opuscula, vt omninò hæreticalia, & erronea, edita per quendam Raymundum Neophytum, sentẽtialiter cõdemnarũt, propter hæreses, & errores in eis contentos. hucusque Eymericus.

99 Quinam autem sit iste Neophytus, declarat bene commentator illius Pegna exponens illa verba textus, Edita per quendam Raymundum Neophytũ. Hic Raymundus, inquit, sicut constat ex Regesto Domini Gregorij XI. loco quem mox adducemus, dicebatur Raymundus de Tarraga, qui cum priùs esset Hebræus, conuersus ad Fidem Christi, factus est Monachus Ordinis Præ-

100 dicatorum. Cæterum, vt res ipsa demonstrauit, non mutauit mores, etsi Religionẽ mutauerit. Vixit autem hic Raymundus circa tempora Gregorij XI. ad annos Domini 1372. extantque in hoc volumine regesti anni primi Gregorij XI. fol. 225. litteræ Papæ Gregorij ad Archiepiscopum Tarraconensem, & Nicolaum Eymericum Inquisitorem in Regno Arragonum, quibus præcipitur, vt inquirant & procedant contra Raymundum de Tarraga, Ordis Fratrũ Prædicatorum tenentem quosdam hæreti-

101 cales errores & eum puniant, &c. ita ille declarans, cur vocaretur Neophytus, quia nouus in Fide Catholica, & quia non esset natus ab originarijs Christianis, vti alij similes, ideò Neophyti vocari solent.

102 Addit autem idem Pegna in fauorem Lulli sic. Illud verò, inquit, obseruandum est diligenter, quod auctor docet in hac quæstione, videlicet, libellum de dæmonum inuocatione, editum fuisse per Raymun-

103 dum Neophytum. In quo planè decepti mihi videntur Bernardus Lutzemburgus in Catalogo hæreticorum, lib. 3 verb Raymundus Lulli, & Prateolus lib. 16. num. 2. de vitis, & sectis hæreticorum (adde his Bzouium) asserentes, libellum de dæmonũ inuocatione, editum fuisse à Rymundo Lullo; & suspicor hos auctores fuisse allucinatos

natos ex nominis similitudine. hucusq; Peña.
104 Sin in vtramque partem, & cōtra Lullum & pro ipso pauca hęc à nobis adducta, & licet potuissent adduci multo plura, remitto tamen lectorem ad prædictum trāsumptum Memorialis. Ex adductis autem nihil in fauorem Lullianę doctrinæ, neque aduersus eam concludimus; sed iudicio sacræ Congregationis Vrbis. seù Apostolicæ Sedis, quid tenendum sit, decernendum remittimus. hisq. præsens Regula absoluta manet.

Vnde origo, & progressus Secta Fraticellorum? ab Hermanno nè Italo solo? an etiam simul ab alijs?

REGVLA CCLXXVII.

105 PRimus institutor, & propagator Sectæ Fraticellorum, seu Fratrum de paupere vita, assignatur solus Hermannus quidam Italus dictus Pōgilupus, anno circiter 1277. quamquam post mortem transactis iam viginti annis, vti hęresiarcha condēnatus fuit, & iussu Bonifacij VIII. exhumatum eius ca-
106 dauer, atque combustum. Post multum vero temporis eiusdem Sectę restaurator extitit Gerardus Sagarellus sub nomine Apostolorum, seu potius Pseudoapostolorum.
107 Idem postea præstitit quidā Dulcinus Nouariensis anno 1305. (de istis iterum infra.)
108 A dicta tamen institutione huius Sectæ, immunis prorsus censetur quiuis alumnus Religionis Franciscanæ, quidquid in contrarium aliqui dicant.

109 DIsidium aliquod reperitur inter Scriptores tam antiquos, quam recentiores, diuisos scilicet in tres opiniones diuersas video circa hoc punctum de primo auctore, & duce istius Sectę Fraticellorum (qui etiā vocātur Fratres de paupere vita, ac Bisochi, teste Prateolo citando.) Nam Eymericus 2. part. Direct. quęst. 12. & Pegna ibi Comment. 37. relato per hunc Guidone Carmelita, primam institutionem, & propagationem eius Gerardo Sagarello Parmensi manifestè tribuunt. Alij verò Dulcino cuidam Nouarensi, qui post illum tempore Clementis V. prodijt.
110 Nihilominus certum iudicant multi, quibus adhęreo, ab Hermanno Italo dicto Pugilupo per multum tempus illis priore, ortū, & progressum suscepisse hanc Fraticellorum sectam. ita Bernardus à Lutzemburgo, lib. 2. verb. Hermannus, Angelus de Paz, tom. 1. in symbolum lib. 9 cap. 20. Sanderus de Visib. Monarchia ad annum 1303. Prateol lib. 2. verb. Bisochi, ac lib. 6. verb. Fraticelli, & lib. 8. verb. Hermannus, Cardinalis Bellarminus 2. part. Chronologiæ ad annum 1386. Iacobus Gualterius cap. 7. secul. xiij. ac pręter alios per ipsum relatos Fr. Dermicius Thadęi ex Ordine Sancti Francisci cap. 2. suæ eruditissimæ Apologię, quam vocat
111 Nitela Franciscanę Religionis. Vbi benè addit pro aliquali concordia dictarum opinionum, quòd ambo Gerardus, & Dulcinus alter post alterum fuerint restauratores dictę sectæ Fraticellorum, adiunctis nè nouis erroribus? infra videbimus.
112 Primum itaque, quòd Hermannus huius Sectę institutor, & propagator extiterit, deducitur clarè, ex ijs, quæ pręcitati, & alij Scriptores de eo referunt: præcipuè illud valde rarum, ratione cuius apud illos celebris admodum huius hęresiarchę memoria euasit: nempè transactis post sepulturam multis annis (interim cultus ei velut Sancto à quibusdam exhibebatur, vt ait dictus Dermicius Thadęi) declaratus fuit hæresiarcha, & dux Fraticellorum per sententiam Bonifacij Papæ VIII. eiusque cadauer exhumatum, ac in
113 cineres redactum. Quamuis autem non cōcordent ijdem scriptores circa numerum annorum, qui transierunt à tempore sepulturę illius vsque ad dictam exhumationem, & cadaueris combusiionem, cum ab aliquibus, vt à Platina, in Bonifacio VIII. & à Prateolo citato assignētur viginti, ab alijs verò plures,
114 & ab alijs pauciores. Iuxtà computationē tamen Platinæ, ab initio Pontificatus Honorij IV. à quo per Bullam incip Olim. felicis, Fraticelli prima vice condemnati fuere vsq; ad finem Pontificatus Bonifacij VIII. à quo iterata condemnatio illorum vnà cum duce Hermanno, anni 18. numerantur.
115 Non erit abs re, credo, si Bulla ipsa Honorij IV. hic proponatur diuisa per paragraphos, sicuti eam diuidit, & proponit Laërtius Cherubinus tom. 1. sui Bullarij, vt clarius de damnatione sectę Fraticellorū, siue sub nomine Ordinis Apostolorum ab Hermanno institutæ constet.
116 Olim felic. recordat. Papa Gregorius X. Prędecessor noster in Concilio Lugdunensi omnes Religiones, & Ordines Mendicantiū adinuentos post Generale Lateranense Cōcilium, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subiecit, & quatenùs processerant, reuocauit.
117 Verum sicut ad nostri Apostolatus auditum fama querula deferente, peruenit, quidam, qui post generale, & ante Lugdunense prędicta Concilia sub nomine Ordinis Apostolorum, habitu nouæ Religionis assumpserunt, quamquam nullam aliquando confirmationem Sedis Apostolicæ meruissent prohibitionis, ac reuocationis prædictæ temerarij præsumptores, eundem habitum, seu ei consimilem sub eodem nomine, vsque hodie deferentes, quamplures etiam alij assumpto post dictum Lugdunense Concilium, huiusmodi habitu, per diuersas Mundi partes mēdicando discurrere non verentur, facientes ea, quæ non condecent, in animarum suarum periculū, & graue scandalū plurimorū: pręsertim cū nōnulli prauitatis hęreticę vitio laborantes, sub huiusmodi habitu sintinuenti
118 Nos igitur volentes talium præuaricatorum insolentem audaciam refrenari, & prędictam non tam Religionem, quam pernicio-

ciosam Sectam penitus aboleri, ne fortè fidelium simplices falsa sanctitatis eorum imagine seducatur; Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs quoscúque de prædictis in vestris Ciuitatibus, & Diœcesibus inuenire contigerit, eos ad deponendum huiusmodi habitum monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam ap-

119 pellatione postposita compellatis. Monẽtes eosdem, vt si religiosam vitam ducere cupiunt, ad aliquam se transferant de Religionibus approbatis. Quod si aliqui eorum censuram prædictam contempserint, vos contra ipsos ad pęnam carceris, seù aliam pro vt expedire videbitis procedatis, inuocato aduersus eos, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

120 Cœterum, vt prædicti eò facilius à sua insolentia compescantur, quo magis à Christi Fidelibus abijci se viderint, & contemni: Volumus nihilominus, quod huiusmodi processum nostrum in vestrarum Ciuitatum, & Diœcesum terminis iteratis vicibus publicantes, ac facientes per aliquos publicari, eosdem populos auctoritate nostra moneatis, & inducatis attentè, ne aliquem de prædictis pręfatum habitum deferentibus recipere præsumant in hospitio, vel eis aliquos eleemosynas largiantur, nec ad deferendum habitum illum seu ei consimilem, impendant consilium, auxilium. vel fauorem.

121 Datum Romę apud S. Sabinam 5. id Martij, Pontificatus nostri Anno primo, sub anno Dominicę Incarnationis 1285.

122 Hanc autem Bullam Honorij IV. addunt Eymericus loco citato ad ostendendum fuisse ea condemnatos per hunc Summum Pontificem duos illos hęresiarchas Sagarellum, & Dulcinum: quod non videtur posse habere locum, tum quod sint posteriores tempore Papa Honorio, & supponatur iste iam mortuus, quando ipsi prodierunt restaurantes sectam Pseudo-apostolorum seu Fratrũ de paupere vita; & quidem de Dulcino ostendetur peculiariter sequenti seculo, ad quod spectat. Tum quod in proposita Honorij Bulla nequaquam fit mentio de his hęresiarchis. & sane eos nominasset Papa, sicuti apparet verisimile, si tunc vixissent; quandoquidem de ipsis nullus scriptorum tradit, quod fuerint hæretici occulti, quemadmodum ab omnibus ferè traditur de Hermãno, cum pluribus post sepulturam transactis annis (interim vti sanctus à non paucis colebatur) Bonifacius Papa VIII. vt supra diximus, eum heresiarchã declarauerit, ac condemnauerit, iusseritque

124 cadauer ipsius exhumari, & comburi. Per traditam itaque Bullam ab Honorio Papa IV. condemnatur tacite Hermannus occultus hęresiarcha, & expressè instituta per eum secta Fraticellorum &c.

125 Exprimendi tandem errores dicti hæresiarchæ Hermãni, eiusque sequacium. Primò tenuerentur, quod vxores essent communes omnibus, vnde in suis congregationibus, quas in speluncis, & latibulis agebant, extinctis suis pręetensis precibus, extinctisque luminibus, cum ea quisque, ferarum instar, se commiscebat, quæ illi prior extitisset. ita Prateolus verb. Fraticelli, & Gualterius c. 7. seculi 13.

126 II. Si ex dicta commixtione diabolica fęmina aliqua concipiebat, infans inde natus in speluncam deferebatur, ibique tandiù per manus ab omnibus agitabatur, tradebatur, recipiebatur, quoad animam efflaret in alicuius manibus, quem eam ob rem pro suo Summo Pontifice habebant Ita idem Gualterius totidem ferè verbis cum Prateolo citato.

127 Tertiò, Secundum eosdem Prateolum, & Gualterium ibidem, pertinaciter defendebant Fraticelli, nefas maximum esse aliquid proprium habere, vnde ipsi omni proprietate, & possessione prorsus abiecta, ex eleemosynis victitabant.

128 Quartò, Errabant Fratres de paupere vita affirmantes, quòd respublicæ, non sint à Christianis administrandæ. Affert dict. cap.

129 7. cum Prateolo relato Gualterius. Qui conferens hunc errorem Hermanni cum illo Caluini, comprehẽso his verbis ipsius, Promissam in Euangelij libertatem nullum inter homines Regem, nullumque Magistratũ agnoscere; æqualem vtriusque iudicat, seu potius tetriorem Caluinismi. Sed de hoc infra in proprio loco.

130 Quintò, Tandem cum maximo errore contra fidem affirmabant illi, Dei visionem animabus sanctis differri vsque ad finem Mundi. ita relati Prateolus, & Gualterius, qui prædictos solos errores huic Sectæ Frati-

131 cellorum tribuunt. An plures fuerint ei per Sagarellum, & Dulcinum adiuncti? videbimus in Regula, & seculo sequenti, vbi de his hæresiarchis agemus, simulque indicabimus, qualiter fuerint condemnati à Ioãne Papa XXII. per extrauagantem incip. Sãcta Romana, ibi, nonnulli prophanæ, &c.

132 Notat benè citatus Gualterius, à quibusdam confundi hæreticos Fraticellos, seu Bisochos cum Beguardis, & Beguinis, cum isti sint diuersi ab illis, & tempore posteriores, vt patebit ex dicendis infra.

133 Finem imponamus præsenti Regulæ, addito vno verbo ad ostendendam vltimam ipsius clausulam: nempè, si vera sunt hactenùs tradita, quòd Hermannus Italus fuerit institutor, & propagator Sectæ Fratrum de paupare vita, & restauratores eius Sagarellus, & Dulcinus extiterint, vti verè iudicamus, euanescunt prorsus omnia, quibus nonnulli immeritò ausi sunt aduersus Illustrissimam Religionem Franciscanam insurgere, huic originem, & progressum dictæ Sectæ non sine

134 calumnia tribuentes. Legas quæso, ac perlegas attente citatam Apologiam, seu Nitelam Fratris Dermicij Thadęi, & ad satietatem satisfactus manebis.

Qua-

Qualiter Pseudoapostolorum dux Germanus Sagarellus? qualiter Secta Flagellantium prodijt?

REGVLA CCLXXVIII.

135 Sub finem Seculi xiij. circa annum Domini 1296. Sectã Fratrum de paupere vita, siue Pseudoapostolorum restaurauit, & ampliauit Gerardus Sagarellus Parmẽsis, seu potius adiunctis pluribus erroribus, insignis hæresiarcha, & dux nouæ Sectæ Pseu-136 doapostolorum euasit. Hoc autem iussu Bonifacij Papæ VIII. capto, condemnato, & combusto, eius discipuli in spargendis ipsius 137 falsis dogmatibus perstiterunt. Secta item Flagellantium initium sumpsit, & incremẽtum circa annum 1275. & 1313. à quonam autem primo auctore, prorsus ignoratur.
138 Professores eius sic vocati Flagellantes ab actu se virgis nodosis percutiendi in scapulis: hanc flagellationem potiorem esse ad peccata quæcumque delenda, quauis confessione asserebant.

139 Abrahamus Bzouius anno Domini 1285. num. 13. secutus vestigia Eymerici par. 2. Direct. quæst. 12. & ibi Pegnæ eius cõmentatoris, coniungit simul hos duos hæresiarchas, Gerardum Sagarellum Parmẽsem, & Dulcinum Nouariensem: atque per Honorium Papam IV. damnatos fuisse affirmat: Audi verba ipsius, quibus egregie depingit mores, & qualitates sequacium vtriusque.

140 Duo, inquit, insignes apostatæ, Gerardus Sagarellus Parmensis, & Dulcinus Nouariensis per id temporis non tantum Parmam, verum & multas alias Italiæ in Insubria Ciuitates falsis dogmatibus infecerunt. Quod enim Apostolorum vitam, & mores se dicerent imitari, breui quamplurimis seductis sectam fecerant, quam orthodoxi, Pseu-141 doapostolorum appellabant. Hi Christi Apostolos se vocabãt, sed subnullius obediẽtia viuebant, sed tantum se se subiectos soli Deo asserebant: publicè mendicabant: tunica alba longa, ac desuper pallij albi instar mantello ad collum eleuato induebantur: crines longos nutriebant, caput non operiebant: sed nudato vertice, & nudi pedes incedebant, quandoque soleis seductis vte-142 bantur. Per Vrbes, & vicos discurrebant; pœnitentiam per pagos, & plateas prædicabant, virus hæresum variarum disseminabãt: in plateis publicis mensa eis parca, quæcumque apponebantur (nam cibum non discernebant, neque hunc, vel illum petebant) manducabant, &c. ita ille.

143 Qui post enarratos illorum hæresiarcharum errores à nobis statim exprimendos, sic addit ibidem num. 14. prope finem. Hos, inquit, & alios eorum errores, atque in vniuersum sectam Apostolorum condemnauit Honorius Papa publico edicto.

144 Verum sicut supra recessimus, quoad vtrumque ab Eymerico, & Pegna; sic nunc recedendum nobis necessario ab Abrahamo Bzouio, & affirmandum cum alijs scriptoribus, maximè cum Prateolo, & Gualterio citandis, quod prædicti hæresiarchæ Sagarellus, & Dulcinus fuerint tempore posteriores Honorio Papa IV. & quòd iste iam obijsset, quando illi prodierunt; ergo non fuerunt 145 condemnati ab ipso. Cum secundum Platinam in Vitis Summorum Pontificum, inter Honorium dictum, & Bonifacium VIII. cuius tempore prodijsse dicitur Sagarellus, Romanum Põtificatum tenuerint Nicolaus IV. & Clemens V. Dulcinus verò multo post prodijt tempore Clementis V. circa annum 1309. vt videbimus seculo sequenti.

146 Nunc de Gerardo Sagarello hæresiarcha, & de suis sequacibus Pseudoapostolis audiamus Prateolum lib 14. verb. Pseudoapostoli, nu. 41. Pseudoapostoli, inquit, sunt qui pręceptorem Satanam sequuti, fuco pietatis, impietatis venenum inserunt, Christũque auctorem pretexunt, cum Satanæ rem agant, vel cum more diaboli speciem sumũt bonorum, & lucidorum angelorum, vt decipiãt, vel cum tenebras suas suis coloribus sic ornant, vt à luce distare nihil videantur.

147 De quibus Diuus Paulus 2. ad Corinth. cap. 11. loquitur in hunc modum: Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio (nimirum vt in omnibus sine onere me vobis seruem) non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quod sanè eò facio & faciã, vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, vt in quo gloriantur, inueniã-148 tur sicut & nos. Nam huiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelũ 149 lucis. hæc ille cum D. Paulo. Ex quo etiã 1. Thess. 2. eosdem Pseudoapostolos similiter depingit. Post quæ, sic iste Prateolus addit.

150 Exorti sunt autem, inquit, hi Pseudoapostoli cum eorum duce Gerardo Sagarello de Parma, qui in eo errore deprehensus, indeque de eo damnatus, combustus fuit sub Adolfo Cæsare Germano, & Bonifacio huius nominis Octauo Romanorum Pontifice circa annum Domini 1296. hæc ibi Prateolus.

151 Concordat item prædictis Gualterius cap. 8. secul. xiij. breuius perstringens ea sic. Gerardus Sagarellus Parmẽsis dogmata cudere cępit anno circiter 1296. varijsque erroribus aerem inquinare, qui ipsum tandem igni adiudicarunt. Huius discipuli eo dicti sunt Pseudoapostoli, quod se Apostolos, pręsertim in paupertate, imitari iactitarent. ita ille.

152 Varietas autem nõ exigua reperitur inter scriptores circa numerum errorum istius hæresiarchæ Sagarelli (sicut & Dulcini de quo infra, & sequacium eius) Gualterius vbi

supra

supra quatuor tantùm exprimit. Prateolus
153 vero octo. At Bzouius anno 1285. nu.13. tum Eymerico, 2. par. Direct. quæst.12. adducit expresse,& distinctè viginti vnum;miror tantam varietatem, sed vnde proueniat nõ capio: libet tamen omnes cum ipso Bzouio proponere.

154 Primò, Tota auctoritas à Domino Iesu Christo tradita,& collata Ecclesiæ Romanæ, est omnino euacuata, & iam dudum cessauit propter malitiam Prælatorum.

155 Secundò, Ecclesia Romana,quam tenet Papa, & Cardinales, & Clerici, & Religiosi non est Ecclesia Dei, sed reprobata Ecclesia, quæ perseuerat hodie sine fructu.

156 Tertiò,Romana Ecclesia est illa meretrix, quæ à fide Christi apostatauit, de qua scribit Ioannes in Apocalypsi.

157 Quartò, Tota illa potestas spiritualis,quã Christus dedit Ecclesię ab initio, est translata in sectam illorum, qui dicuntur Apostoli, seu de ordine Apostolorum;quam sectam illi vocabant congregationem spiritualem, à Deo missam, & electam in istis diebus no-
158 uissimis. Et ipsi & nulli alij se habere potestatem, quam habuit B.Petrus Apostolus, dicebant.

159 Quinto,Gerardus Sagarellus Parmensis princeps, & auctor huius sectę, fuit noua planta, pullulans in radice fidei, in qua Deus cœpit reducere Ecclesiam suam ad cõuersationem, & perfectionem, & vitam, & statum, & paupertatem Ecclesię primitiuę in illo statu, in quo Christus commisit Ecclesiam B. Petro Apostolo.

160 Sexto,ipsi soli, qui dicuntur Apostoli de prædicta secta, seu congregatione, sunt Ecclesia Dei, & sunt in illa perfectione, in qua
161 fuerunt primi Apostoli Christi. Et ideo nõ tenentur alicui homini obedire, nec Summo Pontifici, nec alicui alteri, quia eorum Regula, quæ fuit à Christo immediatè, libera est, & perfectissimam vitam habet.

162 Septimo, Nec Papa nec aliquis alius potest eis pręcipere, vt deserant statum illum, seu vitam tantæ perfectionis: nec etiam potest eos excommunicare.

163 Octauo, De quolibet statu, & ordine potest quilibet licitè transire ad eorum vitam, & statum, seu ordinem, siue sit religio-
164 sus, siue sæcularis. Ita quod vir sine consensu vxoris, & vxor sine consensu viri potest relinquere statum matrimonij, & aduolare
165 ad ordinem ipsorum. Et quod nullus Pręlatus Ecclesiæ Romanæ potest separare matrimonium, sed ipsi possunt.

166 Nono, nullus de vita seu statu, & Ordine ipsorum potest licitè intrare alium Ordinem, seu Regulam sine peccato mortali,nec
167 potest se supponere obediẽtiæ hominis cuiuscumque. Quia hoc esset descendere à vita perfectissima ad minus perfectam,

168 Decimo, Nullus potest saluari, aut intrare Regnum Cęlorum, nisi sit de statu,seu de Ordine ipsorum:extra statum, seu ordinem illum deinceps nemo saluabitur.

169 Vndecimo, Omnes qui eos persequũtur peccant mortaliter, & sunt in statu damnationis, atque perditionis.

170 Duodecimo, Nullus Papa Romanę Ecclesię potest aliquem absoluere à peccatis, nisi sit ita sanctus, sicut fuit B. Petrus Apostolus, viuens in omnimoda paupertate, sine proprio, & in humilitate, non faciendo bella, nec aliquem persequendo, sed permittendo viuere quemlibet in sua libertate.

171 Decimotertio, Omnes Pręlati Romanæ Ecclesię,tam maiores, quam minores, à tempore S. Syluestri, postquam declinauerunt à modo viuendi priorum Sanctorum,sunt pręuaricatores, & seductores, excepto Fratre Petro de Murono, qui fuit Papa Cęlestinus appellatus.

172 Decimoquarto, Omnes ordines Religiosorum,Sacerdotum,Diaconorum,Subdiaconorum,& Prælatorum,sunt ad fidei Catholicæ detrimentum.

173 Decimoquinto, Laici non tenentur, nec debent dare decimas alicui Sacerdoti, seu Prælato Romanæ Ecclesiæ, qui non sit in tanta perfectione, & in tanta paupertate, in
174 quanta fuerunt primi Apostoli. Neque debent dari decimę, nisi ipsis qui dicuntur Apostoli, & sunt pauperes Christi.

175 Decimosexto, Quilibet homo, & qualibet mulier, nudi simul possunt licitè simul iacere sine omni peccato in vno & eodem lecto, & licitè tangere mutuo vnus alterum in omni parte sui, & osculari se inuicem sine
176 omni peccato. Et quod coniungere ventrem suum cum ventre mulieris ad nutum, si quis stimuletur carnaliter, vt cesset tentatio non est peccatum.

177 Decimoseptimo, Iacere cum muliere, & non commisceri carnaliter, magis est quam mortuum resuscitare.

178 Decimo octauo, Perfectior vita est, viuere sine voto quam cum voto,

179 Decimonono, Ecclesia consecrata non plus valet ad orandum Deum, quam stabulum equorum, vel porcorum.

180 Vigesimo, Ita benè potest Christus adorari in nemoribus, sicut in Ecclesijs, & melius.

181 Vigesimoprimo, Quod pro nulla causa nec in aliquo casu debet iurare homo,nisi pro articulis fidei vel præceptis Dei, & omnia alia potest celare, & quantumcumque iuret dicere veritatem coram Pręlato, seu Inquisitoribus, non tenetur respondere de aliquo alio, nec reuelare doctrinam suam, siue errores suos: nec tenetur defẽdere verbo,seu vo-
182 ce; sed semper corde tenere. Si tamen cogatur iurare metu mortis, in eo casu debet iurare verbo, seu voce solum, sed semper corde tenere. Et quod in nullo casu tenetur respondere veritatem, nisi de his, quæ verbaliter continentur in articulis Fidei, seu Præceptis: et si de alijs requiratur, licet ei sine peccato mortali mentiri, & veritatem suę sectæ negare, dummodo teneat eam in corde, ad hoc vt euadat potestatem Inquisitorum,

ram, sed debet respondere, inficiando, vel negando, seu palliando quocumque modo tergiuersando, quomodocumque possit pertransire. Si tamen non possent aliter mortẽ euadere, tunc in tali casu apertè debent profiteri, & defendere in omnibus, & per omnia prædictam doctrinam suam, & mori in ea patienter, & constanter, & nullatenus aliquos de socijs suis, vel credentibus reuelare.

184 Hactenus Bzouius, ex Eymerico fere totidem verbis, & nos ex vtroque de XXI. erroribus Gerardi Sagarelli: inter eos expressi manent illi octo adducti à Prateolo, & quatuor à Gualterio, vt traditũ supra: circa quos quatuor vide Alphonsum de Castro verb. Apostoli hæres. 1. & verb. Nuptiæ hæres. 5. ac verb. iuramentum hæres. 1. & verb. Votum.

185 Superest declarãda breuiter secta Flagellantium: de istis sic Alphõsus de Castro verb. Aqua hæres. 2. Hi, inquit, circa tempus Gregorij Papę huius nominis Decimi surrexerunt ex Italia, atque indè in Germaniam, & Galliam processerunt. qui ad quadraginta annos vel circa semetipsos flagellando per mundũ transierunt, & ita ab eorum opere nomen sortiti, vt Flagellãtes se se appellarẽtur, quoniam nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant, seipsos flagellabant. ita ille.

186 Gualterius verb. cap. 6 seculi 13. in hunc modum de ipsis. Hos, inquit, Satan procreauit circiter annum 1313. viguerunt. Horum dolus in primis erat, multa crimina, ac mendacia fucoso pietatis, ac mortificationis vultu contegere, præsertim virgis se ac flagellis, interposita nodorum, aculeorumque serie conspersis verberando. hæc Gualterius in communi.

187 Accedat tertio loco declaratio Prateoli aliquanto extensior huius sectæ Flagellantiũ. Hi porrò, inquit loco citato, oberrantes passim, seipsos virgis, ac nodosis flagellis concidebant, in quibus aculei inserti erant ad

188 ostentationem. Quorum multi (teste Carione) circa annum Domini 1343. Spiram venerunt in ipsis Comitiorum diebus magnã religionis speciem pręseferentes. Nomine cuius sanctimoniæ quamplurimi à Ciuibus

189 ad prædia sunt inuitati. Cuius alioqui erroris fucus, vt nihil differebat ab Anabaptistarũ opinione religiosa, ita secta non minus perniciosa erat illis temporibus, Tandem vero damnata est, igne, & gladio extincta. ita ille; & immediatè post.

190 Homines isti rudes erant, cruces in suis vestimentis deferebant. vrbes gregatim tristes, & mæsti ingrediebantur, liuentes ex cre-

191 bris ictibus scapulas præferentes. Neminem rogabant aliquid; oblata sponte sumebant. Ex qua secta nihilominus multi graues & perniciosi errores pullularunt circa fidem, & sacramenta Ecclesiæ. His nempe religiosis signis plurima vitia tegebant, & alebant oc-

192 cultẽ. Quo verò auctore primum instituta est, incertum, nisi illo, qui cæteris dormientibus traditur in Euangelio superseminasse zizaniam. Hactenus Prateolus, à quo & ab alijs scriptoribus hæreses peculiares huius sectæ colligamus.

193 Primò, errabant prædicti Flagellantes, quòd affirmarẽt suam flagellationem ad omnia peccata delenda esse efficaciorem quacumque sacramentali confessione, vel quouis alio medio. ita Prateolus, & Gualterius citati, & Castrus verb. Aqua hæres. 2.

194 Secundò, Eisdem Castro, & Prateolo, & Gualterio testibus, cum maximo errore contra fidem illi asserebant suam flagellationem martyrio æquiparandam esse, imò præferen-

195 dam. Eo quod sua sponte (dicebant ipsi) suum sanguinem effunderent, Martyres verò non nisi vi externa compellente

196 Tertiò, Defendebant Flagellantes, Baptismum aquę terminatum esse, & commutatum cum Baptismo sanguinis effusi per flagellationem suam. Ita Castrus verb. Baptismus, & alij duo ibidem.

197 Quartò, Affirmabant, Aquę benedictæ non plus inesse virtutis, ac roboris, quam ei, quę nullam benedictionem, nullumque exorcismum accepit ita citati Castrus, Prateolus, & Gualterius.

198 Quintò, Aiebant nullum posse, vel saluum, vel verum Christianum esse, nisi suo sanguine per verberum ictus baptizetur, vide eosdem Prateolum, & Gualterium relatos.

199 Sextò, Testabantur, Euangelium iam ipsorum Flagellantium aduẽtu, ad exitum peruenisse. De hoc peculiariter Castrus verb. Euangelium, hęres. 2. nec non ijdem Prateolus, & Gualterius.

200 Septimò, Tandem Flagellantes tenebant licitum esse periurium, iuxta illud: Iura, periura, secretum prodere noli. Ita ijdem Castrus, Prateolus, & Gualterius Atque his, & Regulæ, & Capiti, siue seculo 13. finis.

CA-

CAPVT XVI.

De Sectis hæreticorum, seù hæresiarcharum, quæ ad expugnationem Catholicæ Fidei per totius Decimiquarti Centenarij decursum prodierunt.

PROOEMIOLVM.

1 TAMETSI in Campo Ecclesiæ Catholicę per seculi præcedentis decursum, cum dormirent homines, vt habetur Matth. 13. superseminauerit zizania, errorem scilicet contra Fidem Diuinam, inimicus homo, idest Diabolus per suos ministros hęresiarchas perniciosissimos sectarum suarum institutores; interim tamen non defuerunt multi viri insignes doctrina, & sanctitate, qui in dictis zizanijs colligendis, & à quouis sinceræ fidei arti-
2 culo exterminandis inuigilauerint, atque id effecerint. Extant præclara istorum in libris editis testimonia talem effectum pro præcipuis Religionis nostræ veritatibus exprimentia. Pro veritate Transubstantiationis Eucharistię, & Missæ sacrificij, testimonia, Concilij Lateranensis ab Innocentio Papa III. cap. 1. & adducitur in extrau. de summa Trinit. & Fide Cath. cap. Firmiter. Alexandri Alensis par. 4. Summæ Theol. quæst 10. membro. 5. art. 3. §. 1, Sancti Bonauenturæ in 4. senten. dist. 10. art. 1. quæst. 1 & S. Thomæ 3. par. quæst. 75. artic. 1. Pro veritate Fidei
3 abstinendi à certis cibis, & ieiunij Ecclesiastici, testimonia Innocentij Papæ III. serm. 1. in diem cinerum, eiusdem Sancti Thomæ 2. 2. quæst 147. art. 1. & Nicephori Callisti lib. 17, histor Eccles.
4 cap. 32. Pro veritate catholica Confessionis sacramentalis, testimonia Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. 21. Omnis vtriusque sexus &c. Gulielmi Parisiensis lib. de Sacramento Pœnitentię, & S. Thomæ Aquinatis opusculo 5 de Sacramentis, atque in 4. lib. sententiarum
5 dist. 17. & 18 Pro veritate item Fidei quoad primatum Romani Pontificis, testimonia eiusdem Concilij Lateranensis cap. 5. Nicephori Callisti lib. 1. histor. Eccles. cap. 24. & lib. 2. cap. 14. ac ipsius D. Thomę in opusculo 1. quod est contra Græcorum Schismaticorum errores, & alibi sę-
6 pæ. Remitto Lectorem ad auctores hac de re agentes, maximè ad duos sæpius adductos Genebrardum, & Gualterium sub finem sæculi 13. si plura desiderat; nos proposita attigisse sit satis, vt iam ad exprimendas sectas, & hæresiarchas seculi 14. pro tenuitate nostra animum applicemus.

Quid de secta Beguardorum. & Beguinarum? Primi ipsorum Duces quinam? & quæ alia secta ab illa deriuata.

REGVLA CCLXXIX.

7 CIrca annum Domini 1314. celebris extitit secta Beguardorum, & Beguinarũ ex parte vitam monasticã in habitu, habitatione conuentuali. & in aliqua trium voto-
8 rum Religionis specie profitentium. Huius autem sectæ primarij Duces duo assignantur, nempe Iacobus Iustus, & Bononatus: quorũ prior affirmasse dicitur, quod sint Beati, & Martyres insignes Christi Domini quicumq. ob errores Beguardorum condemnantur. Ex prædicta item secta originem sumpserũt aliæ duæ, nimirum Bertholdi de Borbach, & Turelupinorum, seu Cynicorum amplectentiũ errores illius non sine additamento hæresum aliquarum.

10 DIssident inter se aliquantulum nostri scriptores circa Beguardos, & Beguinas huiusmodi: nam Prateolus lib. 2. verb. Beguardi, & Beguinæ n. 17. bimembrem solummodo diuisionem proponit: ita vt nomi-
11 ne Beguardorũ intelligantur solum viri profitentes vitam monasticam secundum habitum, & habitationem conuentualem in proprijs cęnobijs, ac nonnullam trium Religiosorum votorum speciẽ cum multis ceremonijs, & gestibus externis coniunctam, nequaquam ob id omissa fęminarum societate. No-
12 mine verò Beguinarum intelligantur illæ solę mulierculę, quæ simul honestè, ac religiosè viuere profitebantur, nullius tamen voti vinculo se astringebant, neque facultatibus
13 se suis temporalibus abdicabant. Vnde pro libito huiusmodi viuendi rationem deserebant. ita pręter citatum Prateolum, Gualterius cap. 1. secul. 14 & Bzouius anno 1310. num. 12.

14 Qui hos contra fidem Catholicam errores vtrisque Beguardis, & Beguinis assignant. Primo tenebant posse hominem in hac vita ita finalem beatitudinem iuxta omnem perfectionis gradum adipisci, vti eam in cælesti
15 patria obtinebit. Secundò, Naturam quamlibet intellectualẽ esse in se naturaliter beatam, non autem gratia Dei, nec vllo gloriæ
16 supernaturali lumine. Tertiò, posse dum in hoc mundo viuit homo, ad perfectionis gradum ita sublimen ascendere, vt reddatur impeccabilis, & amplius gratia non proficiat
17 Quartò, Hominis imperfecti esse in virtutum actibus se exercere: & inde concludebant, eo qui

qui ad supremum perfectionis gradum perueniret, nulla bona opera esse facienda.

18 Quintò Hinc cum errore deducebant, nec ieiunare, nec orare oportere, aut obligatorium esse illi, qui talem perfectionis gradũ fuit consecutus. Sextò, Hinc etiam quod 19 homo in dicto statu perfectionis, & consequenter in spirituali libertatis constitutus, nulli humanæ obedientię debeat se subijcere. 20 Septimò, Asserebant hominem sic perfectum diuina contemplantẽ etiam ad eucharisticam Corporis Christi eleuationem, non debere illi reuerẽtiam exhibere, eo quod (aiebant) imperfectio est contemplationis altitudine indigna, ascendere ad mysterium 21 Humanitatis Iesu Christi. Octauo, asserebãt peccatum quidem esse mortale osculari fœminam, quòd natura hominem ad hoc faciendum non impellat, vel inclinet; actum autem carnalem, cum ad hunc natura ipsa propendeat, non esse peccatum, maximè quando tentatur exercens.

22 Pręter prædictos errores excommunicauit & condemnauit Beguardos & Beguinas Concilium Viennense, vt patet ex Clemen- 23 tina, ad nostrum de hęreticis in 6 Circa aliquos ex illis erroribus vide Alfonsum de Castro verb. Beatitudo hæres. 4. & 5. verb. Ecclesia, hæres. 3. verb. Ieiunium hęres. 3. & verb. opera hęres. 3. atque circa omnes vide iam citatos Prateolum, Gualterium, & Bzouium.

24 Cæterum ipse Gualterius cum Sandero per eum relato (vt iam de dicto dissidio inter istos, & alios scriptores innotescat) suprapositę diuisioni bimembri Beguardorũ, & Beguinarum, addit, tertium membrum, Beguinos scilicet viros solos, hisque pecu- 25 liares errores assignat. Primo, eiusmodi Beguini credebant, quod faciant contra perfectionem Euangelicam illi, qui aliquid in commune habet, cùm Christus Dominus & Apostoli (secundum sensum istorum Beguinorum) nihil habuerint neque particulatim, neque in commune.

26 Secundò, Quod Papa non possit dispensare in Regula Sancti Francisci, vel in votis Ordinis illius, neque Fratribus minoribus facultatem concedere, ad alium or- 27 dinem transeundi. Vnde ipsi deducebant Papam Ioannem XXII. sua potestate excidisse, eo quod supra auctoritatem suam concessisset illis habere frumentum in horreis, & vinum in cella vinaria ad viuendum in commune.

28 Tertiò, Fratrum minorum statum esse perfectiorem statu Episcoporum. Hunc errorem rectè confutauit S. Thomas 2.2 quęst. 29 184. art. 7. Vbi demonstrat equidem Religiosis perfectionem congruere, vt ijs, qui perficiuntur; Episcopis verò, vt ijs, qui perficiunt, adeo vt horum sit agere, illorum autem accipere.

30 Quartò, Cum nimia, & temeraria coarctatione potestatis Vicarij Christi Iesu, affirmabant illi, quod nequeat Summus Pontifex dispensare in voto simplici, ne pro bono quidem pacis, vel nationis alicuius ad fidem conuertendæ gratia.

31 Quintò, Beguini isti iudicabant nullam sibi esse impositam necessitatem, aut obligationem respondendi iudicibus, etiam Inquisitoribus, ad eorum interrogata, nisi in articulis fidei, & Sacramentorum. huc vsq. de erroribus Beguinorum peculiaribus ex 32 Gualterio totidem ferè verbis. Qui addit hos Beguinos fuisse comprehensos sub censura, & sententia condemnatoria, lata per Ioannẽ Papam XXII. in Extrauag san- 33 cta Romana, de religiosis domibus in 6. Verum in dicta Extrauagante quamuis Beguini nominatim exprimantur; ibi tamen vidẽtur expresse reduci ad Fraticellos; de quibus iam supra egimus, cum in ea extrauag. ex professo contra istos procedatur.

34 Beguardorum autem, & Beguinorum primarij Duces duo assignantur, nempe Iacobus Iustus, & Bononatus: circa quos breuissime, scilicet quinq. lineis, se expedit Gualterius cap. 5. seculi 14. Bzouius nihil de eis, quod inuenire potuerim.

35 De priore audi Prateolum verb. Iacobus Iustus inter Beguardos; quorum prius meminimus, quique Germaniam inferiorem incoluisse dicti sunt, primicerius, & antesignanus fuit tempore Ludouici Cæsaris Germani, & Ioannis huius nominis XXII. Papæ circa annum Domini 1314. ita ille: Qui pro maiori declaratione huius hęresiarchæ, & ipsius hęreseon, subiungit.

36 Hic cum asseclis, & collegis dicebat, pro Beguardorum hæresibus omnes condemnatos, siue Religiosi, siue laici essent illi, tam per Summum Pontificem in Curia Romana quam alibi per fidei Inquisitores, beatos fo- 37 re & esse martyres Christi. Sed horum hæreses fuerunt tandem Valentiæ damnatę per Fratrem Nicolaum Rosellium Prædicatorij Ordinis Inquisitorem. & paulo post sic. Ho- 38 rum hæreticorum tres iam vita defuncti excommunicati fuere, & vt impęnitentes dãnati, Giulhermus videlicet Gilbertus, & Bartholomęus Faustus, & quidam alius, cu- 39 ius nomen ignoratur. Iacobus verò Iustus septis murorum inclusus fuit, vbi & miseram vitam finiuit. ita Prateolus.

40 De alio verò Bonanato quid? idem Prateolus tibi satisfaciet verb. Bononatus num. 30. in hunc modum: Bononatus, inquit, in Catalonia regione, Vallafranca de Panades, primicerius, & hæresiarcha fuit, quamplurium Beguardorum, Ludouici Imperatoris Germani, & Ioannis XXII. temporibus circa annum Domini 1314. (hic omissa forte à typographo aliqua particula, puta cum multis erroribus, 41 vt sit connexio cum sequentibus) Quos cum prius abiurare recusaret, indeque adeò traditus fuisset vt impœnitens, seculari Curiæ, & ab ea condemnatus ad ignem, cum

iam igne applicato, ex vno latere affatus fuisset, timore pœnæ, & mortis impendentis se finxit pęnitere. Sed tandem relapsus in eandem hæresim, vt impœnitens ignibus ad postremum fuit viuus consumptus. hæc ille, apud quem pauca alia inuenies.

42 Agendum sequitur de duabus sectis, quæ ab explicata hactenus originem sumpsere, seu ex erroribus Beguardorũ, adiunctis paucis alijs denuò institutæ fuerunt. Earum altera institutorem agnoscit Bertholdum de Borbach de quo sic Gualterius cùm Sandero per ipsũ citato cap. xi seculi xjv. Fuit, inquit, à Beguardorum secta atq. ad errores cũ

43 illis communes, hunc adiecit, Christum inter tormenta eosque derelictum fuisse, vt dolore perculsus, ac perturbatus de sua salute dubitarit. hæc ille, conferens statim

44 horribilem blasphemiam cum illa horribiliori hæresiarchæ Caluini, affirmantis Christum pertimuisse maledictionem Dei, ac damnationem, & tandem desperasse.

45 Secta vero altera à Beguardis deriuata dicitur Turelupinorum, seu Cynicorũ; quia sequebantur professores eius errorem illum, quem tenuerant veteres Philosophi Cynici, nempe haud erubescendum esse cuiquam

46 de vlla re, quæ à natura tributa est. Hinc pudenda pro palam absque tegumento gestabant, & turpiter canino seu equino ritu coibant. Ita Prateolus verb. Turelupini num 28. cum Ioanne Gerson in quodam sermone de D. Ludouico Francorum Rege, & Gualterius cap. 13. secul. xiv.

47 Errabant item isti Turelupini in eo quod assererent, orandum esse non voce, sed corde solo, eaque spiritus libertate, quę diuinis pręceptis subiecta non sit. Tradunt ibidem Prateolus, & Gualterius. Qui me-

48 ritò hanc sectam ferinam, & agrestem euocat, additque ad prædictos duos errores, & alios Beguardorum, quos etiam tenebat, damnatam fuisse, & flammis addictam, & penitus erasam tempore Gregorij XI. circa annum Domini 1372. Atque his satis de præsenti Regula.

De secta hæresiarchæ Dulcini quid superest dicendum? Peculiaris ne item secta errorum Templarijs tribuenda?

REGVLA CCLXXX.

49 POst Germanum Sagarellum hæresiarcham longo tempore transacto, prodijt Dulcinus Nouariẽsis homo nequissimus circa annum Domini 1309. ad sectam Fraticellorum denuò restaurandam, seu nouã instituendam sub nomine Dulcinistarum.

50 His autem penè innumeris ad se attrahendis, adeò mirabili dulcium verborum artificio ille vtebatur, vt ni Clemens Papa V. cito contra ipsos Cruciatam publicasset, armisque, & igne, eosdem extinxisset, breui toti Ecclesię multo maiorem perniciem fuis-

51 sent allaturi. Sub eodem Clemente extincta fuit religio Templariorum, congregato ad id Concilio Viennensi Sunt ex scriptoribus classicis, qui inter plura enormia vitia, errores etiam contra Fidem eis tribuant, sunt e contra alij, qui ipsos vti prorsus inno-

52 centes defendant. Circa hoc lectori melius sentienti consultò iudicium relinquo.

---

53 ADhęrens Eymerico Bzouius, vt vidimus supra Regula 278. nu. 140. coniungit Dulcinum cum Sagarello, & vtrumque vti cõdẽnatum ab Honorio IV. ad an-

54 num 1285. in seculo xiij. reponit. At idem Bzouius re fortè melius considerata, (licet id ipse non expresse fateatur) cum Prateolo, & Gualterio citandis, ac alijs, quos sequimur, Dulcinum à Sagarello separat, & in seculo xiv collocat, ac de eo ad annũ 1310. sub Clemente Papa V. num. 13. ex professo agit, deque ipsius sectatoribus: non grauabor aliquid tibi ipsius verbis referre, vt rei cognitionem melius attingas

55 Per ea, inquit, tempora facinus tetrum, & memorabile, in Longobardis accidit. Dulcinus homo nefarius, & supra quam dici potest, temerarius, atque audax, cum Margarita, siue ea vxor, siue amica erat, criminari primum sacerdotum abundantes diuitias & voluptates cepere: tum priuatim ab illorum principibus maledicta orsi, sine discrimine nobiles, & humili loco natos non per virtutem, aut popularium suffragijs, & alio quouis merito, sed largitione, & gratia sacerdotia capessere, sordissimum quemque nunc diuitijs, atque interim lenocinio, & flore ætatis primoribus sacerdotum conciliari, atque inde ad summas dignitates, & honorum fastigia promouentium per luxum atque libidinem ingentes sacerdotum redditus ad templorum ornamenta, sustentiandosque pauperes olim designatos, turpiter

56 dissipari atque absumi. Hæc atque alia idẽtidem iactantes, ceu noui sacri, & perfectioris cuiusdam Religionis antistites, multorum animos erroribus imbuere.

57 Sic ibi prosequitur. Vbi verò vulgata res fuit, viri ac mulieres innumerabiles coiuere: voluptates tunc habitę non solum vini & epularum, sed promiscui, & nefandi coitus: mares passim fęminis miscebantur, nullum pudoris discrimen erat, omnia concessa, quæ ad exaturandam libidinem con-

58 uenire videbantur. Iamque multitudine ipsa defensi, propalam disciplinam profiteri, conuenticula in vrbibus, & agris haberi: denique in omnibus conciliabulis multa in contumeliam sacerdotũ iactari. Secta dein-

59 de excitatur, legesq sectatoribus propositę magna non morũ tantum, sed factorum corruptela. Finitimi hac velut contagione infe-

infecti, tum etiam licentia, & illecebris adducti, Romano sacerdoti fortiter, & palam contradicere cœperunt.

60 Post pauca subdit ita. Ad nouos ritus nefariaq. instituta tollenda, Clemens V. Pontifex primum per nuncios, nefandi facti auctores, & pestiferæ sectę magistros, & disseminatores admonuit: Item grauius increpare cœpit, & propositis diris execrationibus ad sanitatem reducere conatus est: vt scilicet relictis propudiosis sacris, Romano Pontifici se obnoxios, & deditiosos profite-

61 rentur. Ingens erat turba, atque eo vecordiæ, & temeritatis ventum, vt nisi vi & armis coacti, ad reuerentiam Romani Pontificis, Patrumque recta instituta, conuerti

62 vix possent. Quare iussu Pontificis sublata Crux fuit, ad quod signum innumerabilis multitudo arma continuò cœpit. Nam plerique omnes Alpini, quique Padum, ac Ticinum accolunt, Christianam fidem pollui, nefandosque ritus induci, & maiestatem pontificiam violari indignè ferebant. hæc ibi.

63 Vide plura apud eundem Bzouium, qui relata destructione Dulcinistarum, sub finē sic addit. Dulcinus, inquit, & Margarita viui capti sunt, & Vercellas perducti, atque membratim discerpti, cremati sunt, cineribus dispersis. ita ille.

64 De eodem hęresiarcha Dulcino, deque sequacibus eius, in hunc modum Prateolus lib. 4. verb. Dulcinus num. 17. Dulcinus, inquit, à Dulcinistę, tempore Henrici VII. Cęsaris Germani, & Clementis V. Romanorum Pontificis circa annum Domini 1309. veterum, & nouorum errorum integrator, & inuentor fuit. ita ille, qui subdit statim.

65 Hic auctore Bernardo Lutzemburgo in Catalogo hæreticorum, tam pudendæ, & effrenatæ libidinis extitit, vt ad sex millia vtriusque sexus sub caritatis specie cohabitare docuerit, & blandiloquentia quadam, atque suadela impulerit: qui Alpes incolentes in omnem luxuriam prolabebantur.

66 Adeò quidem, vt hæc pestis per duorum, aut trium annorum spatium multos corruperit, tanta quidem vi, vt Summus Pontifex Clemens V. coactus fuerit Ordinis Prædicatorum Inquisitores illuc mittere, qui hunc Dulcinum, & suos complices à tam nefario scelere, aut reuocarent, aut diligenti, & accurata disquisitione facta ad eum referrent, num ita res haberet, vt complu-

67 ribus nuncijs inaudierat. Qui vbi redierūt, & retulissent, quæ viderant, & audierant, aduersus tantam impietatem Cruciada ab eodem Summo Pontifice indicta fuit; indulgentiæ promulgatæ, quas consequerentur, qui se prælio contra tam nefandos homines accingerent: & exinde collectus, & illuc missus exercitus cū Apostolico Legato. Qui

68 tam alacri, & repentino bello eos partim inedia, & frigore, partim in armis oppresserunt, vt Dolcinus cum Margarita vxore sua itidem hæretica, & maxima pars huius sce-

69 leratæ factionis capti fuerint. Qui prius membratim concisi, ad postremum exusti sunt, & in cineres redacti. huc vsque Prateolus.

70 Cæterum per combustionem, & extinctionem Dulcini, & sequacium eius, vt dictum, secta ne Dulcinistarum prorsus extincta? Audi circa hoc eundem Prateolum. Verum hæc pestis omnino deleri, & extingui non potuit, sed in Tridentinis mōtibus, vbi Dulcinus suæ hæresis initium dedit, eius reliquię

71 remanserent. Quæ hac nostra ætate varijs in locis, & Germaniæ, & Galliarum Sacramentarijs easdem reintegrantibus, reuiguerunt. ita ille.

72 Tandem spectantia ad sectam Dulcini, & Dulcinistarum, à Gualterio cap. 2. secul. xiv. compendiosissimè accipe. Effudit, inquit, apostoma Infernus tempore Clemētis V. ad insectandam fędis æque ac varijs erroribus Ecclesię puritatem; quorum præcipuus, & quasi cęterorum scopus erat, omni se luxuriæ, ac spurcitiæ dedere, caritatem, & pro-

73 prietatis odium prætexendo. Quo factum est, vt suis istis fucatæ suauitatis artificijs verborumque lenocinijs, Dulcinus vtriusque sexus asseclas ad sex millia cōgregarit. Quos in Alpibus commorantes ad beluinam cohabitationem inducere, talemque turpitudinem pręclara caritatis, ac communitatis larua contegere docuerat. hæc ibi Gualterius.

74 Concordant in eo, vt patet ex traditis, pręedicti auctores Prateolus, & Gualterius, quod dictus Dulcinus in attrahendis ad suā sectam, quamplurimis, maximo verborum dulcium artificio vteretur, iuxta etymologiam, & in ipso verum fuerit illud antiqui poetæ, Conueniunt rebus nomina sæpe suis.

75 Concordant item, quod neuter eorum, sicut nec Bzouius, exprimunt hic alios permultos Dulcini errores, neque nos exprimemus, cum iam supra, vbi actum de hæresiarcha Sagarello, satis per illos, & per nos fuerint expressi.

76 Gradum itaque faciamus ad Templarios de quorum origine, nomenclatura, ac multiplici gloriosissima expeditione militari sub professione caritatiua Religionis, non est nostri instituti longum attexere sermonem, Legendi historiographi antiqui, & recentio-

77 res, maximè Iacobus Bosius, qui dum res pręclare gestas Illustrissimæ Religionis Hierosolymitanæ recenset, spectantia ad ipsius æmulam, Templariorum Religionem, non omittit; nos hic motiuum extinguendi istā solum attingemus.

78 Verum ne Lectorem beneuolum omninò ieiunum dimittam, en porrigo quæ Gulielmus Tyrius Archiepiscopus, illius temporis scriptor eximius, lib. 12. de bello sacro cap. 7. compendiosè adducit, & ex eo Prateolus lib. 8. sui elenchi num. 4.

79 Tēplarij, inquit, seu Tēplaris militię ordo cœpit

cępit anno Domini 1120. sic autem nuncupatur, quòd iuxta templum Domini Hierosolymis in Palatio Regio à prima eorum institutione mansionem haberent, quemadmodum auctor est Gulielmus Tyrēsis Archiepiscopus in sua belli Sacri historia lib. 12. cap. 7. De quibus, eorumque primor-

80 dio scribit in hæc verba. Eodem, inquit, anno quo Dominus Balduinus de Burgelones Edissenus, secundus ex Latinis Hierosolymorum Rex electus est, quidam nobiles viri de equestri ordine, Deo deuoti, religiosi, ac timentes Deum, in manu Domini Patriarchæ, Christi seruitio se mancipantes, more Canonicorum regularium, in castitate, & obedientia, & sine proprio velle perpetuò

81 viuere professi sunt. Inter quos primi, & pręcipui fuerunt viri venerabiles Hugo de Paganis, & Gaufredus de Sancto Aldemaro. Quibus quoniam neque Ecclesia erat, neque certum habitabant domicilium, Rex in palatio suo, quod secus templum Domini ad australem habebat portam, eis ad tempus concessit

82 habitaculū. Canonici templi Domini, plateam, quam circa prędictum habebant palatium ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus concesserunt. Dominus autē Rex cum suis proceribus, Dominus quoque Patriarcha cum Prælatis Ecclesiarū, de proprijs Dominicalibus certa eis pro victu, & amictu beneficia quædam ad tempus, quędam in perpetuum contulerunt.

83 Prima autē eorum professio, quodque eis à Domino Patriarcha, & reliquis Episcopis in remissionē peccatorū suorum iniunctum est, hoc fuit, vt vias, & itinera maximè ad salutem peregrinorum, qui ex Christiano Orbe ad terram Sanctam vndique confluebant, & a latrunculis quibusdam spoliabantur, cōtra istorum insidias, & incursiones pro viri-

84 bus conseruarent. Hęc ille, & omissis pluribus de regula eis tributa, & assignato habitu albo per Honorium Papam, & de cruce asśūpta ex panno rubeo, quoad reditus eorum, & alia, sic addit:

85 Possessiones autem tàm vltra, quàm citra mare, adeò dicuntur habere, vt iam non sit in orbe Christiano prouincia, quæ prædictis fratribus bonorum suorum portionem non contulerit, & regijs opulentijs pares hodie

86 dicuntur habere copias. Qui cum diù inhonesto se seruassent proposito, professioni suæ satis prudenter satisfacientes, tandem neglecta humilitate (quæ omnium virtutum custos esse dignoscitur, & in imo sponte sedens, non habet vnde casum patiatur) Domino Patriarchę Hierosolymitano, à quo & institutionem, & prima beneficia susceperunt, se se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibue-

87 rant, denegantes. Sed & Ecclesijs Dei decimas, & primitias subtrahentes, & earum indebitè turbando possessiones, facti sunt omnibus valdè molesti. Ita Tyrius Archiepiscopus, & cum eo Prateolus.

88 Præter quem videas circa tradita Bzouium ad annum 1310. num. 10. vbi originem, & officium Ordinis Templariorum indicat: & prius ad annum 1307. numer. 3. proponit accusationem eorum porrectam Clementi Papæ Quinto à Philippo Pulchro Galliarum Rege de plurimis atrocissimis

89 sceleribus. Propter quæ à Concilio Viennensi, & ab ipso Clemente condemnati fuerunt vltimo supplicio, & Religio ipsorum prorsus extincta, vt refert copiosè idem Bzouius anno 1308. à num. 2. vsque ad 6.

90 Noster autem Gualterius cap. 3. seculi xiij. compendiosè, vt solet, hac de re sic confirmans prædicta. Templariorum Ordo sanctè institutus fuerat, vt in seculo xij. annotatum est, ex eo sic nominati, quod Balduinus Rex Hierusalem illos ad tempus in quadam Palatij sui parte

91 Templo vicina collocarat. Verum vbi diu in sancti sui instituti obseruatione perseuerauerant, inuidit spiritus superbiæ Christianitati, tot, quot inde illi obueniebant in Infidelium detrimentum, commoda, primumque illos à Patriarcha Hierosolymitani obedientia auocauit, & ad Ecclesiæ possessiones iniquè turbandas impulit.

92 Vnde vel eam ob rem, vel ob errores, criminaque mox enumeranda, condemnati, igneque digni habiti sunt, Clementis Papæ Quinti, ac Patrum in Concilio Generali Viennensi congregatorum sententia. Posteà verò Rex Philippus eorum memoriam deleuit, combusto Parisijs ipsorum Magistro cum alijs multis: qui tamen errores, ac crimina, quorum rei facti fuerant, diffitebantur. Hæc Gualterius.

93 Capita horrenda, ac pudenda Idololatrię hæreseon, blasphemiæ, atque propudiosę libidinis inter Templarios promiscuè perpetratæ, vti in scripturam publicam redacta fuere, referuntur communiter à scriptoribus, præcipue à Bzouio ann. 1308. num. 3. ex autographo ad Clementem V. misso, M. S. Bibliot. Vatic. num. 401. sic.

94 Primo, Tyrones, qui primo Religionem Templariorum ingrediebantur, Deum blasphemabant, & Christum, Beatam Deiparentem Mariam, & omnes Sanctos abnegabant, super Crucem, & Imaginem Iesu Christi spuebant, eamque pedibus compulsabāt, Christum falsum fuisse Prophetam, neque pro redemptione generis humani passum, aut crucifixum esse affirmabant.

95 Secundò, Caput quoddam faciem albam, quasi humanam præseferens, capillis nigris, & crispantibus, & circa collum deauratis ornatum, quod quidem nullius sancti fuerat, cultu latriæ adorabant, orationes coram eo faciebant, & cingulis quibusdam illud cingentes, illis ipsis, quasi salutares forent, se se accingebant.

96 Tertiò, Verba consecrationis in Missæ sacrificio omittebant.

97 Quar-

97 Quartò, Tyrones receptos osculis in ore, vmbilico, & membris, quæ pudor occuluit, in loco capitulari mox atque habitum induissent, fatigabant.

98 Quintò, Auersa libidine omnes promiscue sese inquinabant.

99 Sextò, Nemini ea reuelare, quæ vel in aurora, vel primo crepusculo agerent, iuramento præstito promittebant, aliaque perpetrabant. Hactenus Bzouius ex dicto autographo.

100 Septimò, Secundum Prateolum, & Gualterium citatos, quod Templarij fuerint auctores receptæ à Turcis, & Saracenis Terræ Sanctæ, quæ tot Christianorum fuso sanguine, & vitæ amissione recuperata pridem fuerat.

101 Octauò, Quod item mortuorum suorum corpora in cinerem redigerent, eoque Templariorum Sectatores potarent, vt confirmati semper in sua dementia manerent.

102 Nonò, Quòd denique infantem ex Templario, & muliere progenitum torrerent, & inde manante liquore suum idolum inungerent.

103 Addit autem Prateolus loco citato in hunc modum. Et alia quam plurima, quæ si quis nosse volet, legat Clementis huius nominis V. Maximi Romanorum Pontificis vitam apud Volaterranum, Platinam, & Polydorum Virgilium, item Francorum annales.

104 Sed quid iam in defensionem Templariorum? Audi eundem Prateolum. Sunt, inquit, tamen nonnulli, qui illos immeritò damnatos esse, & morte affectos asserunt, & Regi Franciæ ea mala, quæ postea pertulit, eam ob causam accidisse, quòd in

105 eorum possessiones inuaserit. Cui opinioni subscribunt Iacobus Maguntinus, Nauclerus, Antonius Sabellicus in historiarum rhapsodia, & Ioannes Bocatius lib. de ruina Principum, aitque se id à patre accepisse, qui sententiæ in eos latæ executioni præsto fuit. Diuus quoque Antoninus Florentiæ Archiepiscopus in 3. par. suæ histo-

106 riæ cap. 21. his videtur accedere. Tu qui locos tenes, vide ibi, quæ censeant illi, & vtrum Templarij sint inter hæreticos adnumerandi, an non. Ego enim aliorum iudicio ea omnia relinquo; hæc ille.

107 En qualiter Prateolus circa hoc aliorum iudicio se submittat similiter se ex parte submittit Gualterius, quorũ vestigijs inhærens, idem præstare conuenientius duxi, vti præstiti in vltimis Regulæ nostræ verbis.

108 Quamquam negari non potest, quòd sententia cōdemnatoria Templariorum à Clemente Papa V. & à Generali Cōcilio Viennensi lata, fuerit iusta, & iuridica secundum

109 allegata, & probata, maximè cum ipse Clemens ad formandos processus contra Templarios assignauerit, etiam transmissis proprijs litteris (quas refert Bzouius dicto anno 1308. n. 2. ex Rub. hist. Rauen. lib. 6.) viros insignes Archiepiscopos, Episcopos, & alios hæreticæ prauitatis Inquisitores,

110 præsertim ex familia Dominicana, præscripseritque eis capita, seu articulos, de quibus præsumptos reos interrogare deberent, vt affert idem Bzouius num. 3. à quo collecta ex supra relato autographo accipe.

111 Primo, Cum in ordinem cooptabantur, in ipsis sacrorum suorum initijs, Christumnè, aut Deum, aut Virginem Deiparam, aut Diuos abiurassent, vel vt abiurarent, moti fuissent, aliosuè ipsi ad abiurandum incitassent.

112 Secundo, An Christum, vel Iesum, Cruciuè suffixum, verum Deum esse, vel passum pro humano redimendo genere, negassent.

113 Tertio, An fuisse Pseudoprophetam, & pro suis ipsis afflictum criminibus, affirmassent.

114 Quarto, An Ordinis Magistrum, qui nullis erat sacris initiatus, crederent, per pœnitentiæ Sacramentum eluere animæ sordes, & peccata posse, & an ipse id fecisset.

115 Quinto, An quæ occulta habebantur in eorum legibus ea, orthodoxæ Romanæ Ecclesiæ vituperationi esse, criminaque, ac errorem fouere, putarent.

116 Sexto, An in ipso Ordinis ingressu edocerentur, posse inter se luxuriosè cōmisceri, idq; esse faciendũ, neq; vllũ ob id perpetrari flagitium, & in hæc tyrones etiam docerét.

117 Septimo, An ordinis sui amplitudini studere, vel contra, quam fas esset, iurassent, ad idque iurandum, alios induxissent.

118 Octauo, An qui cooptabat eos in ordinem, ne spem salutis suæ in Christo Deo positam haberent, illis ediceret.

119 Nono, An conspuissent Crucem, Imaginemuè Christi Dei, aut pedibus protriuissent, ac conculcassent, & die Veneris Sancto, vel alio in eam minxissent.

120 Decimo, An cattum, carniumuè, aut simulachrum quodpiam, & idolum huiusmodi fictum, & commentitium, diuina veneratione coluissent in Magnis Comitijs, alioue fratrum loco, diuitiasque ab eo, & terrarum, arborumque vberes fructus sperauissent.

221 Vndecimo, An quo cingulo interulam, carnemuè cingebant, eo Idolum quodpiam huiusmodi tetigissent.

122 Duodecimo, An Tyrones adolescentulos præsertim libidinosè, intemperanterq; atque alia, quam deceat parte osculati fuissent.

122 Decimotertio, An dum rem diuinam facerent, sacra mysteriorum, & consecrationis verba omisissent.

124 Decimoquarto, An scelestum, & nefarium facinus ducerent. hæc committere.

125 Prædicta autem capita, seu interrogatoria desumpta, & formata fuerunt ex depositionibus testium, & ex confessionibus nonnullorum Templariorum, qui talia delicta

iam confessi fuerant, ad conuincendos omnes negatiuos, vt tradit ibidem Bzouius.

126 Verum fuerint nec ne dictæ depositiones falsæ ex calumnia, ac malitia productæ, & confessiones huiusmodi metu tormentorum, ac vltimi supplicij elicitæ, seu extortæ? hoc opus, hic labor, hinc non pauci innocentiam Templariorum arguere conantur, quibus hoc iudicium commisimus, vt iam finem Regulę imponamus.

Qualiter se habent Sectæ hæresiarcharum Arnaldi à Villanoua: item Barlaami, & Acindyni.

REGVLA CCLXXXI.

127 Extitit valdè celebris medicus, circa annum Domini 1310. in partibus Regni Catalonię, nomine Arnaldus de Villanoua, qui dum non se continuit intra medicinę professionis terminos, sed ad sacram Theologiam voluit, absque fundamẽto requisito, gradum facere, facile, ac mi-

128 sere aberrauit à Fide Catholica. Diuersos itaque edidit libellos, varijs erroribus, statim exprimendis infectos, qui meritò vnà cum illis ab Inquisitoribus condẽnati sunt.

129 Emerserunt item ferè eodem tempore Barlaamus, & Acindynus, cum increata Dei substantia creatos eius effectus confundentes, in quo pręcipuè eorum hęresis consistebat, ac proinde inter hęresiarchas iure optimo computati, & vti tales damnati.

130 Agit de hęresiarcha Arnaldo Villanouano ex antiquis Script. Nicolaus Eymericus par. 2. Directorij, quęst. 11. & 28. atque ab isto sumpsere, quęcumque de ipso tradunt Recentiores, maximè Prateol. lib. 1. verb. Arnaldus à Villanoua nu. 69. & Bzouius anno 1310. num. 14. qui ex relatione Ioannis Villanei lib. 9. eadem confirmat: sed audiamus primo loco Eymericum.

131 Vndecima, inquit, quæstio est: Hæreses, & errores, & temeritates, & falsitates condemnatæ in prædictis partibus Cataloniæ, & Aragoniæ per Inquisitores hæreticæ prauitatis auctoritate Apostolica, licèt non de expresso mandato Domini nostri Papæ super illis in speciali facto, qui

132 sunt? Ad hanc respondemus, quod tempore Domini Papæ Clementis Quinti fuit in partibus illis quidam magnus Medicus, vocatus Magister Arnaldus de Villanoua, qui condidit multos libellos, in quibus erant quam plures insertæ, & multum pe-

133 riculosæ hæreses. Quæ Terraconæ fuerunt condemnatæ per Fratrem Ioannem de Longerio Ordinis Fratrum Prædicatorum, & per Dominum Guifredum de Cruylles Præpositum in Ecclesia Terraconensi, Vicariumque in eadem Sede vacante: & hoc anno Domini 1317.

134 Circa prædicta Franciscus Pegna comment. 36. super particula, Quidam magnus Medicus, &c. sic ait. Hic emersit circa annos Domini 1310. libellos, quos edidit hæreticos, numerat Eymericus paulò post quæst. 28. huius 2. par. Hic cum nollet se intra medicinæ terminos continere, dum temerè vult etiam Theologiam profiteri, mi-

135 serè labitur. Alchymiam etiam profitebatur, in qua tantùm se profecisse iactabat, vt laminas aureas ea arte confectas, diceret omnibus se daturum explorandas, vt scribit Cassanęus in Catalago gloriæ Mundi par. 11. consideratione 40. Ita ibi, & subiungit.

136 Cęterum, ea omnia arte dęmonum, cum quibus familiaritatem habuisse dicitur, constare creduntur. Nam hoc est huic hominum generi valde familiare, vt ex chymica professione ad dęmonum inuocationes, & pactiones accedant, vt docuit Eymericus 3. parte, titulo de signis, quibus Necromantici hæretici cognoscuntur, numer. 115.

137 En quam egregie exprimit Pegna, qualitates, & professiones pessimas huius hæresiarchæ Arnaldi Villanouani, cuius hæreses verbis ipsius Eymerici iam tibi porrigo.

138 Primus error, quòd natura humana, à Deo assumpta, est æqualis Deo in omnibus bonis suis: & quòd tam alta sit humanitas in Christo, quanta Deitas, & tantum possit.

139 Secundus error, quòd quam citò anima Christi fuit vnita Diuinitati, statim ipsa anima sciuit omnia, quæ Deitas scit, quia alias (vt dicebat) non fuisset cum ea vna persona; præcipuè, quia scire est circumstantia pertinens ad suppositum indiuiduale, & non ad naturam.

140 Tertius error, quòd diabolus ingeniosè fecit totum populum Christianum deuiare à veritate Domini nostri Iesu Christi; sicque suxit, & euacuauit populum Christianum, quod non dimisit in eo nisi pellem, idest apparentiam cultus Ecclesiastici, quem fecit ex vsu; & fides quam habet, est talis,

141 qualis fides dęmonum. Et quòd totus populus Christianus ducitur in infernum. Et quòd Christiani per singulos status palam vita, & moribus, & affectibus ipsum abnegarunt: & quod in toto corpore Christi Collegij, vsque ad verticem à planta pedis, non solùm viuit, sed regnat, & imperat talis apostasia.

142 Quartus error, quòd omnes claustrales sunt extra caritatem, & damnantur: & quòd omnes Religiosi falsificant doctrinã Christi.

143 Quintus error est, quòd malè fecerunt Doctores Theologi, qui aliquid de philosophia posuerunt in suis operibus: studium philosophiæ, & philosophiam totaliter condemnando.

144 Sextus error, quòd reuelatio facta Cyrillo est perfectior cunctis scripturis sacris.

145 Se-

145 Septimus error, quod opus misericordię plus placet Deo, quam sacrificium altaris.

146 Octauus error, quod stabiliens capellanias, vel faciens celebrari missas post mortem, non facit opus caritatis, nec ex hoc meretur vitam æternam.

147 Nonus error, quod qui in vita sua scit multitudinem indigentium, & maximè amicorum Dei, & congregat, & retinet superflua ad stabiliędum capellanias, & ad perpetuandum Missas post mortem, cadit in ęternam damnationem.

148 Decimus error, quod in sacrificio altaris Sacerdos offerens, vel offerri faciens, nihil Deo de suo offert, neque etiam voluntatem.

149 Vndecimus error, quòd in eleemosyna magis repręsentatur passio, quam in sacrificio altaris.

150 Duodecimus error, quod in sacrificio missæ non laudatur Deus opere, sed solum ore.

151 Tertiusdecimus error, quòd in consultationibus Papalibus non est scientia, nisi operum humanorum.

152 Quartusdecimus error, quod nunquam Deus comminatus est ęternam condemnationem peccantibus, sed malum exemplum præbentibus.

153 Quintusdecimus error, & falsitas est, quod anno ab Incarnatione Domini 1335. mundi finis totaliter esset futurus.

154 Hactenus errores Arnaldi de Villanoua cum Eymerico: è quibus solos decem exprimit Prateolus loco citato, omnes verò quindecim distinctè adducit Bzouius vbi supra.

155 Qui cum Ioanne Villaneo citato ait, dictũ hęresiarchã Arnaldum vixisse Parisijs, & innuere videtur ibi edidisse suos libellos hęreseon infectos, quorum catalogum non erit abs re hic tibi apponere, vt adducit Eymericus quæst. 28. par. 2. Direct. sic.

156 Primus libellus: de humilitate, & passione Iesu Christi, & incipit: Si l'amor natural. Secundus; de fine mundi: & incipit: Entes per vostras letres. Tertius: Informatio Beginorum, seu lectio Narbon. & incipit: Tots à quells. Quartus: Ad Priorissam, vel de caritate, alias vel caritatem, & incipit: Beneyt sia, e loat Iesu Chrit. Quintus, Apologia, & incipit. Ad ea, quę per vestras. Sextus seu littera, quæ incipit: Domino suo charissimo. Septimus: Denunciatio facta coram Domino Episcopo Gerundensi, & incipit: Coram vobis. Octauus: De eleemosyna, & sacrificio, & incipit: Al Catholich Inquisidor. Nonus, qui incipit: Percò com molts desigen saber. Decimus, alia informatio Beguinorum, & incipit: Dauant vos senyer en Iachme per la gratia de Deu Rey de Arago. Duodecimus, qui incipit: Quant suy Auinio. Tertiusdecimus: Responsio contra Bernardum, alia Benedictum, Ricardi.

157 Huc vsque de Arnaldi libellis hęreticalibus, qui vt vides, omnes ferè lingua Gotolana inscripti fuerunt; vnde licet Parisijs editi, vt dictum, meritò Tarracone præcipua tunc totius Regni Gotolani ciuitate, condẽnati, vt ait Eymericus dict. quęst. 11 cum magno consilio Theologorum Gotolanorum, qui illam linguam perciperent.

158 De alijs autem duobus hęresiarchis Barlaamo, & Acindyno, neque Bzouius, neque alius, quod inuenire potuerim, quidquam attingunt pręter Gualteriũ: & Prateolũ, atq; isti paucissimis rem expediunt. Audiamus primo Gualterium, qui proposito titulo c. 4. de Barlaamo, & Acindyno, sic ait.

159 Horum præcipuus error in eo versabatur, quod creata Dei effecta cum increata eius substantia confunderent, essentialesque ipsius operationes effecta creata referrent.

160 Aeque apertè (Cum caluinismo facta collatione addit) Caluinus internam, increatamque Dei operationem cum effectis eius creatis confundit, quando Verbi Diuini generationem pro actione terminata, ac temporali habet, scribitque lib. 1. instit. cap. 13. §. 29. *Stultè in Deo Patre fingi continuum actum generandi*. ita ille.

161 Prateolus vero lib. 1. verb. Barlaamus, & Acindynus num. 10 dicto errori in communi adiungit hunc in specie, quòd illi tenerent, id quod in Tabor monte efulsit Diuinum illud lumen, phasma idest spectrum dumtaxat fuisse, & creaturam, quæ ortum habuit, & interitum. Fuisse tandem condemnatos hos duos hęresiarchas Barlaamũ, & Acindynum per Concilium generale celebratum coram celeberrimo illo Græcorũ Imperatorũ Domino Michaele Andronico, cognominato Palæologo, tempore Ioannis Papæ XXII. circa annum Domini 1313. ab eodem Prateolo traditur: nec aliud huic Regulæ addendum occurrit.

De sectis hæresiarcharum Lolhardi Vualteri, & Ioannis de Poliaco, ac Petri de Cugnerijs, quid notandum?

REGVLA CCLXXXII.

163 SEcta Lolhardorum, licet aliter alicui sentiant, viguit in Germania circa annum Domini 1315. instituta à quodam Lolhardo Vualtero, ex erroribus tum communibus cum Petrobrussianis, Vualdesibus, Henricianis, & Albigensibus, tum ex alijs

164 proprijs statim exprimendis. At secta Ioannis de Poliaco Doctoris Parisiensis, non ita latè se extendit, cum hic tres tantum hæreses post subijciendas contra confessionẽ auricularem docuerit, propter quas à Ioanne Papa XXII. damnatus fuit. Doctrina item erronea Petri Cugnerijs sexaginta sex articulis huc solum tendebat, vt iurisdictionẽ & libertatem Ecclesiasticam tolleret; sed frustra laborauit.

165 Coniun-

165 Coniungimus simul sub hac Regula hos tres, Lolhardum Vualterum Lolhardorum parentem, & Ioannē de Poliaco, ac Petrum de Cugnerijs, quia exiguum valde de vnoquoque eorum scribentes nostri tradunt; ne tituli absque necessitate multiplicentur; & quia ferè eodem tempore sub eodem Summo Pontifice Ioanne XXII. exti-
166 terunt. Quamquam quoad priorē, est aliqua dissensio inter auctores: nam Prateolus lib. 10. verb. Lolhardi num. 7. originem eius, sequaciumque ipsius ex Anglia assignat, & cum secta Vvicleffitarum, de qua nos infra, eosdem coniungit circa annum Domini 1360. gubernante Ecclesiam Innocentio Papa VI. in id ipsum videtur inclinare Bzouius, cùm de ipsis agat sub finem dicti anni.

167 Verum Gualterius cap 7. seculi 14. cum Sanderio, & Genebrardo per ipsum citatis benè affirmat, Lolhardum Vualterum, & asseclas eius fuisse antiquiores, viguisseque circa annum 1315. atque eodem Genebrardo teste in Ioanne XXII. anno 1321. dictum Lolhardum fuisse Coloniç crematum, ob sequentes præcipuè errores.

168 Primò docuit Luciferum cum socijs eius iniuria è cęlo deturbatum, atque aliquando in Beatitudinem cum ipsis recipiendum. ita Gualterius, & Bzouius citati.

169 Secundò, secundum hos duos scriptores ibidem, Lolhardus Vualterus, & eius sequaces, Sanctum Michaelem, & Beatos Angelos omnes ęternis supplicijs esse destinandos.

170 Tertiò, ore admodum blasphemo affirmarunt illi, Beatissimam Dei Matrem à partu Virginem esse desijsse, alioquin (ita isti bardi) non hominem peperisset, sed Angelum.

171 Quartò, Errarunt asserentes, fugere diuinos oculos, aut minimum vltrices manus, ea scelera, quæ sub terra perpetrantur. Qua de causa exercebant impudicitias subterraneis in locis. Adeo vt cum ex puella quadam flammis addicta Gisla nomine quæreretur inter ipsos ignes, virgo ne esset? illa responderit, Super terram virgo sum, non sub
172 terra. Horrenda sanè blasphemia, vt quæ ipsam Dei sapientiam, & iustitiam petit. Afferunt hunc, sicut & præcedentes errores eisdem omnino verbis relati Gualterius, & Bzouius, desumuntque ex Sandero de visibili Monarchia, hęres. 163. per ipsos citato.

173 Prętereà quoad Ioannē de Poliaco Doctorem Parisiensem, testatur Gualterius c. 8. secul. 14. prodijsse hunc, & seminasse suos errores contra sacramentalem confessionem circa annum Domini 1323. gubernante Imperium Ludouico Bauaro Germano, & Ecclesiam Catholicam Ioanne Papa XXII. à
174 quo propter ipsos damnatus fuit, & coactus retractare, vt patet in extrauagante, Vas electionis, de hæret. in 6. Adducit etiam Prateolus lib. 9. verb. Ioannes de Poliaco nu. 26. & ante eum Sanderus hæres. 164.

175 Primò errauit affirmans, quod Religiosis Mendicantibus nequaquam sint confitenda sacramentaliter peccata; & si qui hoc faciant, quod maneant obligati eadem proprijs Curionibus, seu Parochis in confessione manifestare.

176 Secundò, Quod stante canone, omnis vtriusque sexus &c. nequeat summus Pontifex, imò nec ipse Deus dispensare cum Parochianis, vt alteri confiteantur, quàm proprio Parocho, quia aiebat hoc contradictionem implicare.

177 Tertiò, Quod non possit Papa, ac nec Deus quidem, cuiquam generalem facultatē concedere excipiendi confessiones, & qui tali Sacerdoti confessus esset, quod teneretur ad iterādam eam confessionem cum proprio Parocho.

178 His traditis adiūgit ibidem Gualerius sic Hæc sanè, inquit, seueritas plurimum derogat sūmi Dei, atq. eius in terris Vicarij potestati, cum certū sit, ius esse legumlatoribus in proprijs legibus, ac statutis dispensandi, eaque modo pro voluntate ac libito laxandi, aut constringendi. ita ille.

179 Tractat deniq. de peruersa doctrina Magistri Petri de Cugnerijs Genebrardus in Ioanne Papa XXII. & cum eo Gualterius cap. 9. seculi 14. qualiter ille propositis 66. articulis
180 coram Rege Philippo Valesio (cuius Aduocatus erat, vel secundum alios, Procurator Generalis in Senatu Parisiensi, vel vt habetur in actis, quę extant tom. 4. Bibliot. Patrum edict. 1589. Miles, & Consiliarius Regius) & coram Prælatis, ac Baronibus Galliæ de tollenda iurisdictione, & libertate Ecclesiastica copiosè egit, disputatis etiam dictis 66. articulis, idque ad executionem perducere enixe curauit.

181 Verum inter illos Prælatos peculiari prouidentia Dei Opt. Max. repertus est vir ille summæ auctoritatis, & doctrinę, Cardinalis Bertrandus tunc Augustodunensis Episcopus, qui perelegantì, & eruditissima oratione, quasi ex tempore habita, soluit locupletissimè omnia adducta à Magistro Petro de Cugnerijs, ipsumque prorsus refutauit, ostendens libertatem, & iurisdictionem Ecclesiasticam esse de iure naturalli, & diuino nedum humano positiuo, fundatam in do-
182 ctrina Euangelica. Vnde & Regi, & reliquis astantibus per Cardinalem Bertrandum adeo satisfactum, vt ipse Petrus de Cugnerijs suæ nimiæ audaciæ, sicuti notāt citati Genebrardus, & Gualterius, iure optimo mercedem tulerit, perpetuam scilicet infamiam.

183 Cuius etiam, inquit Gualter. hodię supersunt vestigia, tū in ridendo illo simulachro informi, & fimo, quod ad angulum Chori B. V. Marię Parisien. positū, obuius quisq; pugnis, & cultellis impetit; quod ipsi erectum dicit Genebrardus in Ioanne XXII. vt omnium posterorum salibus, & ludibrio, ipsius exponeretur impietas: tum etiam in eius nomi-
184 nis celebri contemptu. Quo vtuntur Galli in hominem stolidum, aut eum, in quem iocis agere volunt: illum quippe vulgò vocitant

185 citant Maistre Pierre de Cugner. Quòd si homo ille impotens tot in hac ipsa vita, suæ in iura Ecclesiastica petulantiæ, iusto Iudicis æterni iudicio pęnas luit, quam quam non inuenio eum ab Ecclesia defecisse, &c. Hæc Gualterius, eximens illum ab hæresi formali.

186 Pari modo (id à nobis hoc in loco sit additum) Gualterius, tametsi cap. 6. sec. xiv. instituat contra Michaelem de Cesena, & Gulielmum OKam, hosque à Ioanne XXII. eodem ferè tempore excommunicatos fuisse asserat, eò quòd docuerint Christum Dominum, eiusque Discipulos, ac veros imitatores nihil habuisse suum, neque particulatim, 187 neque in communi. Quam doctrinam esse in se hæreticam, declarauit dictus Papa Ioannes XXII. per Extrauag. Cum inter, de verbor. signif. in 6. illos tamen, qui eam tradiderunt, non reputari inter hæreticos, nec ab Ecclesiæ Romanæ gremio decessisse, ex mente aliorum, ipse Gualterius testatur.

188 Circa prędictam autem doctrinam hęreticam legendi sunt Venerabilis Beda lib. 4. in Lucam cap. 54. S. Antoninus 4. part. Summæ Theolog. tit. 12. cap. 4. §. 23. & 3. part. Chron. tit. 24. cap. 9. §. 15. ac præcipue Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Romano Pon-189 tifice, cap. 14. Vbi egregiè ostendit, quòd non discordent inter se dictus Ioannes XXII. & Nicolaus IV. circa decisum in citata extrauagante, cum inter. Atque hæc obiter de ijs duobus Michaele de Cesena, & Guilielmo OKam, licet non fuerint expressi in titulo præsentis Regulæ, pro qua satis dictum.

Quomodo reponẽdi inter hæresiarchas Richardus Armacanus, Nicolaus Calaber, & Bartholomeus Ianouezius?

REGVLA CCLXXXIII.

190 PRotulit Mundo Insula Hyberna circa annum Domini 1360. sub Carolo IV. Imperatore, & Innocentio VI. Summo Põtifice, Richardum Armacanũ, hostem infensissimum Ordinis Sancti Francisci, eo quòd turpe censeret Christiano, vltrò ac spontè mendicitatem amplecti; ob quem errorem, & alium exprimendum, nomen hæresiarchæ 191 meritò obtinuit. Ad eundem gradum hęresiarchatus ascẽdit Nicolaus Calaber, quia diuersas hæreses statim indicandas contra 192 fidem Catholicam euomit. Eodem ferè tempore ex Balearibus emergens, librum edidit Bartholomæus Ianouezius aliquibus erroribus eidem Fidei oppositis, infra subijciendis valdè infectum, ac propterea numerum hęresiarcharum auxit.

193 DE Richardo Armacano Natione Hyberno tractat breuiter pro re præsenti Alphonsus de Castro lib. 13. verb. Sacerdotium, hęres. 5. atque alij Scriptores pauca admodum, quæ circa eam attingunt, ab ipso desumunt, præcipue Prateolus lib. 1. sui Elenchi alphabetici, verb. Armacanus num. 62. vbi in hunc modum ait.

194 Armacanus Hybernus Natione, florebat anno Domini 1360. sub Carolo IV. Imperatore, & Innocentio VI. Summo Romanorum Pontifice, vir quidem eruditus; sed suam eruditionem contra Franciscanos potissimum exercens (vt auctor est Volaterranus, 21. in Ord. Francis.) docebat turpe esse Christianis, sua sponte mendicos esse. Ita ille, ita etiam Gualterius cap. 10. sec. xiv.

195 Præcipuus tamen error, cuius primus inuentor teste Alphonso à Castro relato, extitit dictus Richardus Armacanus, in eo consistit, quòd hic teneret absente Episcopo, inferiores Sacerdotes posse exercere munia Episcopalia, vt consacrare altaria, oleum, & chrisma benedicere, ac Ordines Sacros con-196 ferre. Ad condemnandum autem hunc errorem, & primum ipsius inuentorem Armacanum, & huius Sectatorem Ioannem Vvicleffum (de quo Regula sequenti) congregatum fuit Concilium Hispalense Secundum, cuius decretũ circa hoc affert Alphonsus à Castro loco citato, & ex eo Prateolus ibidem, nec erit abs re, si nos ad verbum referamus; sic habet.

197 Quintò, iudicio ad agnitionem nostri examinis, Agabrensis diaconi relatu deductũ est de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis, quorum dum vnus ad presbyteri, duo ad Leuitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum oculorum dolore detentus, presbyter quidam fertur manum suam super hos tantùm posuisse, & contra Ecclesiasticũ or-198 dinem, benedictionem eis dedisse. Qui videlicet propter tantam pręsumptionis audaciam poterat accusatus pręsenti iudicio damnari, si adhuc in corpore positus, non 199 fuisset mortis vocatione præuentus. Sed quia iam ille examini diuino relictus, humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ elogium perceperunt, ne sibi licẽtiam talis vsurpatio faciãt, decernimus, vt à gradu Sacerdotalis, vel Leuitici Ordinis, quem peruersè adepti sunt, depositi æquo iudicio abijciantur: tales enim meritò iudicati sunt remouendi, quia prauè inuenti sunt constituti. Hæc Concilium Hispalense. Atque hactenùs de spectãtibus ad hæresiarcham Armacanum.

200 Dein circa Nicolaum Calabrum nihil inuenio apud citatos auctores Castrũ, Prateolum, & Gualterium, nec fere apud alios, præter pauca, quæ ex Eymerico 2. part. Direct. quæst. 11. adducit Bzouius 1359. num. 7. subijciam ea verbis ipsius Eymerici, vt magis rei veritas innotescat, cum hic fuerit testis oculatus, imo iudex ad illum cõdemnandum, & Magistratui seculari tradẽdum, vt ignibus vti relapsus exureretur: quod benè ipse Bzouius notauit.

201 Item

201 Item tempore, inquit, eiusdem Domini Innocentij Papæ VI. insurrexit in partibus illis, videlicet in Barcinona, quidam vocatus Nicolaus de Calabria oriundus, sed in Hispania conuersatus. Iste publicauit subscriptas hæreses, & errores, qui fuerunt cōdemnati Barcinonæ solemniter, & publicè per prædictum Fratrem Nicolaum Eymericum in illis partibus Inquisitorem, & per Dominum Arnaldum de Busquetis Vicarium illis diebus Domini Episcopi Barchinon. Errores autem, & hæreses isti erant.

202 Primò, quòd quidam Hispanus hæresiarcha magnus, vocatus Gondisaluus, de Episcopatu Lonxēsi oriundus, erat Dei filius in Cęlis æternaliter generatus, licet videretur patrem, & matrem in terris habuisse.

203 Secundò, Quòd dictus Gondisaluus nūquàm esset moriturus, sed in æternum victurus.

204 Tertiò, Quòd Spiritus Sanctus debebat futuris temporibus incarnari, & tunc ipse Gondisaluus totum Mundum conuerteret.

205 Quartò, Quòd in die iudicij Gondisaluus pro omnibus in peccato mortali decedentibus, ad Inferni supplicia damnatis oraret, eiusque precibus omnes liberarentur, atque saluarentur.

206 Quintò, Quòd in homine sunt tria: anima quam formauit Deus Pater: corpus, quod formauit Deus Filius: & spiritus, quē creauit Spiritus sanctus: *adducens illud Sacræ Scripturæ*. Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in eum spiraculum vitæ, & factus est in animam viuentem. Huc vsque de de Nicolao Calabro, cui qualiter nomen hæresiarchæ competat, iam ex dictis innotescit.

207 Sequitur tertio loco declaremus hæresiarchatum Bartholomæi Ianouesij; de quo multi agunt ex antiquis Scriptoribus, præcipuè Eymericus in Direct. 2. part. quæst. 9. cum suo Commentatore Franc. Pegna, qui oportunè aduertit commentario 36. super particula: Quidam vocatus Bartholomeus Ianouesius, quam variè legatur in Bononiensi, & Sabellano Ianuensis, in Codice Cardinalis de Gambara Ianouelli, sed rectius in Barcinonensi, Ianouesij.

208 Emersit hic hæresiarcha circa annū Domini 1363. tempore Vrbani Papæ V. & Imperatoris Caroli IV. Quamuis autem oriūdus fuerit ex Insulis Balearibus, siue ex Maiorica, vt cum citato Eymerico afferunt Bzouius anno 1359 num. 9. & alij, siue ex Minorica, vt ait Prateolus lib. 2. verb. Bartholomæus Ianouesius num. 11. repertus est tamē Barcinonæ scripsisse librum quendam varijs erroribus contra fidem Catholicam infectū: propter quos ibi ab Episcopo Barcinonensi Beringerio de Aril, & ab ipso Eymerico tūc Inquisitore vnà cum libro fuit condemnatus.

209 Huiusmodi autem sunt errores hæresiarchę Ianouesij apud Eymericū. Primò, quòd prefigeret ille certum tempus Aduētus Antichristi, & diem indicaret, quo ipsius discipuli in lucem prodituri essent, nempe diem Pentecostes, anni 1360. non attendens ad illud Actorum cap. 1. Non est vestrum nosse tempora, &c.

210 Secūdò, Quòd tempore dicti Antechristi futurum sit, vt cesset incruentum sacrificiū & alia Ecclesiæ Sacramenta.

211 Tertiò, Quòd Christiani omnes libero arbitrio præditi, qui ab Antichristo peruertentur, & siue in fronte, siue in manu charactere eius inurentur, sic immobiliter sint adhæsuri doctrinæ illius, vt nunquam ad fidem Christianam reuersuri censeantur, nec possint conuerti, neque ęternam damnationem vllo modo declinare; quinimo flammis e Cęlo dimissis sint exurendi; & quod ille character tantam efficaciam in manibus eorum sit habiturus, vt inflexibilis arbitrij ipsos obstinatos esse cogat.

212 Quartò, Quòd non modo Christianorū infantes, sed etiam omnes Iudæi, Saraceni, alijque cuiuscunque ætatis infideles, ab Antichristo aliquando seducti, eo tandem extincto, ad Christum se se conuertent; non autem Christiani, qui iam adulti compotes rationis Antichristo adhæsissent, adeò vt vniuersa Ecclesia Iudæis, alijsq; Infidelibus, quos Ianouesius aiebat forè conuertendos, sit

213 constituenda. Hos errores tribuunt huic hæresiarchę cum Eymerico auctores citati, excepto secundo, quem nescio cur Prateolus & Gualterius omiserunt: atque hęc satis pro ista Regula.

De Sectis hæresiarcharum Gondisalui, & Ioannis Vvicleffi, parentis Vvicleffistarum, quid?

REGVLA CCLXXXIV.

214 Circa annū Domini 1359. Ecclesiæ gubernacula tenente Innocentio Papa VI. & Imperij Germaniæ Carolo IV. vixit hæresiarcha Gondisaluus, cuius Secta ex aliquibus hæresibus instituta parum durauit, sicut & eius auctor, qui vti relapsus ignibus

215 fuit damnatus. Declinante autem iam hoc seculo xiv. maximam perniciem dictæ Ecclesiæ intulit, presertim in partibus Septentrionalibus, Secta Vvicleffitarum, cuius institutor fuit Ioannes Vvicleffus Natione

216 Anglus homo pessimus. Post huius vero mortem eiusdem Sectæ instauratores; & propagatores discipuli illius, vocati etiam à vulgo Lollardi extiterunt.

217 Qvoad priorem hæresiarcham Gondisaluum paucissima inuenio, apud solum Bzouiuum anno 1359. num. 8. quæ ipse desumit ex Frācisco Diago in histor. Prouin. Arag. Ordin. Prædic. lib. 1. cap. 24. vbi ait hunc peruersissimum hæresiarcham ob varias hæreses, quas blasphemando protulit,

ab Archiepiscopo Toletano ignibus vti relapsum fuisse damnatum.

218 Hæreses autem fuerunt huiusmodi. Primò, quòd esset germanus S. Michaëlis. Secundò, quòd pro eo seruaret Deus locum desertum Luciferi. Tertiò, quòd ipse esset prima veritas, & scala Cęli. Quartò, quòd singulis diebus hora designata scanderet Cęlum, & obscularetur illud. Quintò, quòd aduenientem Antichristum ad singulare duellum prouocaret, & Cruce Christi diademate spineo ornata impium prosterneret. Sic Bzouius totidem verbis, nec aliud dicendum occurrit.

219 E contra verò de Secta Vvicleffitarum, ac de eius auctore Ioanne Vvicleffo, multi copiosissime tractant. Alphonsus à Castro aduersus hæreses multis titul. Prateol. lib. 9. sui Elenchi verb. Ioannes Vvicleffus, nu. 22. Gualter. cap. 14. sec. 14. & præ alijs maximè recentioribus Bzouius anno Domini 1377. num. 7. & seqq. Qui exorditur cum Thoma Vvalsingamino sic.

220 Per idem tempus surrexit in Vniuersitate Oxoniensi quidam Borealis dictus Magister Ioannes Vvicleff, secularis, in Theologia tenens publicè in Scholis, & alibi conclusiones erroneas, & hæreticas, ac statui vniuersalis Ecclesiæ contrarias, & absurdas, præcipuè contra Monachos, & alios Religiosos possessionatos venenosè sonantes.

221 Qui vt suam hæresim cautiùs palliaret, ac sub exquisito colore dilataret latiùs, congregauit iniquitatem sibi, videlicet comites, atque socios vnius sectæ, insimul Oxonis, & alibi commorantes, talaribus indutos vestibus de russeto, in signũ perfectionis amplioris incedentes nudis pedibus; qui suos errores in populo ventilarent, & palam, ac publicè in suis sermonibus prædicarent. Huc vsque cum Thoma Vvalsingamino Bzouius.

222 Qui statim exprimit aliquas hęreses pręcipuas (infra à nobis cum reliquis subijciētur) Ioannis Vvicleffi, quæ & aliæ vsque ad 23. cum fuissent exhibitę, & perlectę coram Summo Pontifice Gregorio XI. hic eas damnauit, & iniunxit per litteras Archiepiscopo Cantuar. & Episcopo Londinensi, vt ipsorum auctoritate dictum Vvicleffum facerent cōprehendi, & super illis hæresibus diligenter

223 examinari. Hoc autem peracto examine dicti Presules solummodo indixerunt silentium huic hæresiarchæ, & sequacibus eius, ne de huiusmodi materijs sermones inirent, aut eas vllo modo publicè vētilarent: ex quo factum, vt illi per aliquod tempus omnino siluerint; sed nequaquam diù in hoc silentio se continētes, denuò venenum hæreticæ doctrinæ euomere cęperunt. Affert idem Bzouius, qui sequentibus verbis indicat, quàm sollicitus esset Papa Gregorius in adhibendo remedio huic pesti, ne magis serperet.

224 Paucis diebus, inquit, ante Natale Dominicum misit Dominus Papa Bullam suam Vniuersitati Oxonię ministerio Magistri Edmundi Stafford, increpans eos correctione paterna, super eorum desidia manifesta, eò quòd tāto tempore opiniones erroneas ipsius Antichristi discipuli, scilicet Magistri Ioannis Vvicleff radicari permiserant inter eos, dùm non fuerat, qui ferrum doctrinæ Catholicæ assumere laboraret ad extirpandam tam pestiferæ plantationis radicem.

225 Cuius Vniuersitatis moderni procuratores, siue rectores, quantum declinauerint à prudentia, seù sapientia antiquorũ, per hoc facile conijci poterit, quod audita causa dicti papalis Nuncij, diu in pendulo hęrebant, vtrum Papalem Bullam deberet cum honore recipere, vel omninò cum dedecore refutare. Hæc & plura ille.

226 Dictam verò Bullam adducit per extensũ ipse Bzouius ib. n. 9. sicut & litteram ad supra relatos Archiepiscopum, & Episcopũ, ac aliam ad Regem Angliæ Eduardum, qua Papa Gregorius XI. requirit enixè ab eo, vt dictis Pręsulibus in prosecutione negotij ipsis commissi contra Vvicleffum, & Socios suo

227 fauore, & auctoritate assisteret. Quod ipse non videtur prestitisse, cum potius conniueret, vt pestifer homo ille semen suorum errorum, præsertim eorum, qui contra Ecclesiasticam Hierarchiam, & in fauorē Principum, ac Dominorũ Secularium erant, magis magisque spargeret, ac defenderet: sicuti ipse Vvicleffus sparsit etiam extra Regnũ Anglicanum, pręcipuè apud Boemos, de quo Polidorus Virgilius lib. 19. Angl. histor. vt refert ibid. Bzouius num. 19. per sequentia verba.

228 Extitere, inquit, hoc tempore aliqui viri infamia insigni, quorum caput, & princeps fuit Ioannes Vvicleffus. Is (vt fama est) à primo indignatus, quòd non potuisset ad summos sacerdotalis ordinis ascendere honores, factus inde Sacerdotibus cunctis inimicior, cępit diuina scripta peruersè interpretari, atque nouam instituere sectam, vsquè eo, vt in Nobili Oxoniensi Gymnasio publicè sit in Sacerdotes, quasi legis auersores essent, debacchatus. Et vt impunè tantum facinoris, fautore pariter atque audacia armatus faceret, Regi ante omnes summum in cunctos ordinis Pręfectos imperium tri-

229 buit. Pręterea homo nocendi cupidus, certum habens nō facile viros doctos veneno infici, vt potè, qui rationes admittant, cogitauit imperitum vulgus in suam in primis sectam sibi trahēdum, quod illud soleat pertinacius, id quod semel imbuerit, modis omnibus retinere. Non contentus itaque impleuisse codices latinè scriptos de sua hæresi, etiam ex illis commentarios patria lingua conscriptos fecit, atque protinus edidit, vt etiam agrestes maleficę superstitionis pe-

230 ritos redderet. Ad extremum homo nimium confidens, cùm rationibus veris cogeretur ad bonam redire frugem, tātum abfuit, vt pareret, vt etiam maluerit voluntarium petere exilium, quàm mutare sententiam: qui ad Boemos, nonnulla heresi antea inquinatos, profectus, à rudi gente magno

in

in pretio habitus, eos in ea remanere sentẽtia, hortatus est, vt ordini Sacerdotali parũ honoris, & ad Romanum Pontificem nullum respectum haberet. Ita Polydorus diuersa de Vvicleffo attingens.

231 Circa temporis circumstantiam est aliqua differentia inter scriptores, quãdonam cœperit iste hæresiarcha suis erroribus Ecclesiam Dei impugnare? Prateol. loc. citat. vult circa ann. 1352. Summum Pontificatum tenente Clem. VI. cui meritò reliqui contradicunt, assignantes annum vel 1377. vt Bzouius, vel 1380. sub Gregorio Papa XI. vt Gualt. cap. 14. sec. 14. Durauit autem secta Vvicleffi per multos annos etiam post eius mortem, innouata sæpius, ac propagata ab ipsius assectis vsque ad Pontificatum Martini Papæ V. qui cępit ann. 1417.

232 Huius autem Summi Pontificis iussu, & auctoritate congregatum fuit Concilium Constantiense, tum ad alia diuersa pro felici statu Ecclesiæ Catholicæ, tum ad errores sectę Vvicleffi, & Vvicleffitarum extirpandos. Iubet hic apponere, quæ Prateolus circa hoc seu potius Ioannes Niderius in form. lib. 3. adducit sic.

233 In Anglia, inquit, infra 60. annos viuebat quidam sacerdos secularis, artium professor, acer ingenio, & eloquentia lepidus, sed errore, scriptis, & vita ne dùm hæreticus sed & hæresiarcha, Ioannes Vuicleff dictus, qui suis libellis in Anglica, & Latina doctrina noua editis, rem publicam subuertere molitus est, & cuius articuli valdè occulti

234 sunt. Hieronymus de Paga in Anglia studens, huius venenum auide hausit, & po-

235 stea Pragę copiosè effudit. hæc ille. Tandem verò (addit Prateolus) Deo miserante apud Constantiam Generale Concilium coactum est pro totius Ecclesiæ per huius hæretici impiam doctrinam iam dissipatæ reunione, atque reformatione: in quo inter reliqua ibidem acta 45. articuli ex eius libris excepti condemnati fuere. ita Prateolus.

236 Afferunt hos 45. articulos, seù errores ipse Prateolus, & Gualterius dict. cap. 14. eisdem ferè verbis, quibus sessione 8. eiusdem Concilij Constantiensis (hoc extat tom. 4. Concil.) exprimuntur, nos similiter illorum vestigia secuti ad vnum omnes referamus.

237 Primò, substantia panis, & vini materialis post consecrationem remanent in augustissimo Sacramento Eucharistiæ.

238 Secundò, Accidentia panis, & vini non remanent sine subiecto in eodem Sacramento.

239 Tertiò, Christus non est in eodem Samento identicè, & realiter in propria persona corporali.

240 Quartò, Si Episcopus, aut sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

241 Quintò, in Euangelio fundatum non est, Christum Missam instituisse, vel ordinasse.

242 Sextò, Deus dedit debere obedire Diabolo.

Septimò, Si homo debitè contritus fuerit, confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.

243 Octauò, Si Papa malus est, & consequẽter membrum Diaboli factus, super fideles potestatem non habet ab aliquo sibi datam nisi forte à Cæsare.

244 Nonò, Post Vrbanum Sextum non est aliquis recipiendus in Summum Pontificẽ: sed viuendum more Græcorum moribus proprijs, sine vlla coactione superioris imperantis.

245 Decimò, Contra scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

246 Vndecimò, Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat illum excommunicatum à Deo; & qui aliter excommunicat, ex hoc efficitur hæreticus, & excommunicatus.

247 Duodecimò, Prælatus excommunicans Clericum, qui ad Regem, vel ad Concilium Regni prouocauit, ipse proditor est Regis, & Regni.

248 Decimotertiò, Qui propter excommunicationem hominum concionari desinunt, vel audire Dei verbum, sunt re ipsa excommunicati, & in die iudicij proditores Christi habebuntur.

249 Decimoquartò, Licitum est cuiuis Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei absque Sedis Apostolicæ, siue Episcopi Catholici permissu, & auctoritate.

250 Decimoquintò, Domini temporales ad arbitrium suum possunt bona temporalia ab Ecclesiasticis auferre, ijs, qui ea possident, habitualiter, idest non solum actu, sed habitu delinquentibus.

251 Decimosextò, Populares, & subditi possunt pro arbitrio suo Dominos delinquentes corrigere.

252 Decimoseptimò, Decimę sunt puræ eleemosynę, quas etiam parochiani possunt propter prælatorum suorum peccata ad libitum illis auferre.

253 Decimoctauo, Speciales orationes vni personæ per prelatos, vel religiosos applicatæ, non plus illi prosunt, quam generales cęteris paribus.

254 Decimononò: Ille, qui Fratribus Religiosis eleemosynam confert, eo facto excommunicatus est.

255 Vigesimò, Siquis Religionem priuatam qualiscumque sit, seu possessiones habentiũ, seu mendicantium, ingrediatur, hoc facto ad Dei mandatorum obseruationem redditur ineptior, & inhabilior.

256 Vigesimoprimò, Sancti qui Religiones priuatas instituerunt, sic eas instituendo peccauerunt.

257 Vigesimosecundò, Religiosi in priuatis Religionibus degentes à Religione Christiana excluduntur

258 Vigesimotertiò, Fratres Religiosi manuum labore sibi vitam comparare tenentur,

tur, & non per mendicitatem.

259 XXIV. Qui Fratribus religiosis in tēporalibus subueniunt, omnes sunt simoniaci, tum etiam Religiosi ipsi, qui se pro illis orare vouent, & adstringunt.

260 XXV. Oratio prçcisè nulli valet, aut prodest.

XXVI. Omnia de necessitate absoluta eueniūt.

261 XXVII Confirmatio, ieiunium, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur Papae, & Episcopis, ob lucri temporalis, & honoris ambitionem.

262 XXVIII. Vniuersitates, studia, collegia, graduationes, & magisteria, ab eisdem Papa, & Episcopis sunt vana gētilitate introducta, & nō plus Ecclesiae prosunt quàm diabolus.

263 XXIX. Excommunicatio Papae, vel cuiuscumque Praelati non est metuenda; quòd censura sit Antichristi.

264 XXX. Claustra fundantes, ac ea ingredientes peccant, & sunt viri diaboli.

XXXI. Ditare Clerū est contra Regulā Christi.

265 XXXII. Syluester Papa, & Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando.

XXXIII. Quotquot sunt ex mendicantium ordine sunt haeretici, & qui eis eleemosynam tribuunt sunt excommunicati.

266 XXXIV. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, inhabiles sunt ad diuinorum praeceptorum obseruationem, & consequenter ad Regni aeterni consequutionē, nisi ab eis apostatauerint, aut alio modo defecerint.

267 XXXV Papa cum omnibus sui Ordinis possessiones habentibus, sunt haeretici, eò quòd contra ius diuinum possessiones retineant: itemque omnes consentientes eis, videlicet Domini seculares, ac cæteri laici.

268 XXXVI. Ecclesia Romana est Synagoga Sathanae; nec est Papa immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum.

269 XXXVII. Epistolę Decretales sunt apocryphæ, abducuntque à Christi fide quamplurimos, ex quo stulti iudicantur Clerici, qui eis operam dant.

270 XXXVIII. Imperator Constantinus, cæterique temporales Domini, vt Ecclesiā bonis temporalibus dotarent, à Dæmone seducti fuerunt.

271 XXXIX. Electio Summi Pontificis à Cardinalibus, à Dęmone fuit introducta.

272 XL. Credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias, non est de necessitate salutis.

273 XLI. Error esset nō leuis, si quis per Romanam Ecclesiam intelligeret vniuersalem Ecclesiam, aut Concilum Generale, aut Primatum Summi Pontificsi alias particulares excellere.

274 XLII. Fatuum est credere, Indulgentias Papæ, & Episcoporū aliquid momēti habere.

275 XLIII. Iuramenta quę fiūt ad humanos contractus, & commercia ciuilia roboranda, illicita sunt.

276 XLIV. Augustinus, Benedictus, & Bernardus, nisi pœnituerint, dānati sunt, quòd Religiones instituerint, & intrarint, & possesiones temporales eas habere voluerint, et permiserint.

277 XLV. Ex quo concludendum omnes Religiones indifferēter introductas esse à Diabolo. Hi sunt 45. Articuli Ioan. Vvicleffi syllabatim descripti ex Conc. Constantien. per quod exprimuntur, et condēnantur. Quibus alios 15. adiungunt Doctores prçcipuè Castrus, et Gualt. citādi, ex illius scriptis collectos, nempe:

278 XLVI. Est hominem carere libero arbitrio, ita Castrus verb. libertas, hæres. 1. et Gualt. cap 14. sec. 14.

279 XLVII. Omnia prędestinatorū peccata esse venialia, reproborū autem omnia esse lethifera: ex quo sequitur homini reprobo peccatū esse mortiferum, si ligulam, aut aciculā furetur, hoc est, aeterna morte dignū; & infertur, dignū patibulo, dignū rota, dignū quauis alia tēporali morte: quippe quod planum est semper esse morte aeterna leuiorem. ita Castrus verb. peccatū haeresi 2. & Gualt. ib.

280 XLVIII. Quòd neq; honorandi, neq; inuocandi sint Sancti. Castr. verb. SS. & Gualt.

281 XLIX Nec Sanctorum nec Christi ipsius Reliquijs veneratio est exhibenda. idem Castrus verb. Reliquiæ, & Gualt.

282 L. Crux Redemptoris Nostri, nullo penitus modo debet adorari: Cū Castro verb. Adoratio, cit. Gualt.

283 LI. Quod manifesta sit idololatria habere imagines in Ecclesijs, idem Castrus verb. Imago, & Gualt. cit.

284 LII. Docebat Vvicleffus, vota omnia esse prorsus da mnan da. Castrus verb. Votm, & ibid Gualt.

285 LIII. Quod sit repugnās libertati Christianæ, aliquem ad horas canonicas recitandas, vel ad preces certo aliquo statoque tempore fundendas obligari. Castrus verb. horæ canonicae, & Gualt. loc. cit.

286 LIV. Tenuit Vvicleffus, Cātum ecclesiasticum esse deridendum, eosq; qui in Ecclesia concinunt, Sacerdotes Belial nuncupandos. verb. Cantum ipse Castrus, & Gualt. ibid.

287 LV. Quòd benedictiones omnes ecclesiasticae spectent ad vsum necromantiae. ita Castr. verb Benedictio, & ibid. Gualt.

288 LVI. Nequaquā esse meritū in ieiunio, nec in abstinētia à certis cibis, tenuerūt Vvicleffitae, Castr. verb. Ieiunium, et Gualt.

289 LVII. Quod item Baptismus infantibus non sit ad salutem necessarius, Castrus verb. Baptismus, haeres. 9. & Gualt.

290 LVIII Errabat etiam Vvicleffus affirmās Baptismo non esse admiscendam oleivnctionem. Castr. verb. Baptismus, haeres. 8.

291 LIX. Defendebat Vvicleffus, Episcopum non esse simplici Sacerdote superiorem. Castr. verb. Episcopus, haeres. 1. et Gualter. Qui bene notat cum Genebrardo in Innocētio VI. illum tali errore ideo fuisse infectū, quod se indignaretur non potuisse consequi Vigornensem quem ambiebat Episcopatum.

292 LX. Quod lege diuina licitum sit matrimonium inter fratrem & sororem, nec nisi humana inuentio fuerit interdictum. Ita Gual-

Gualterius vbi supra.

293 LXI. Tandem errauit Vvicleffus asserens quamlibet creaturam esse, ac vocari posse Deum, quòd illius perfectio sit in Deo, vt in causa sua & quidem modo ideali, atq; exē-
294 plari. Hunc errorem refutatum inuenies apud S. Cyrillum Alexandrinum lib. I. in Ioann. cap. 6. Thomam Vvaldensem, lib. I. in doctrinal. art. I. cap. I. cum seqq & Gregorium de Valentia par. I. disp. I. quæst. 4. prope finem.

295 Hactenus de vltimis quindecim erroribus hæresiarchę Vvicleffi, quos omisit Prateolus contentus illis 45. expressis à Concilio Constantiensi; à quo dictus hæresiarcha iam diu antea vita functus, habita prius diligenti, & accurata examinatione super eius finali impœnitētia, & peruicacia, denuò fuit
296 declaratus hæreticus. Et statutum, vt eius ossa, (si quoquomodo ab alijs fidelium corporibus possent discerni) effoderentur, & exhumata extra Ecclesiam proiecta manerent, ita Prateol. loc. cit.

297 Apud eundem Prateol. lib. I. verb. Lollardi num. 7. qualiter aliqui sequaces Vvicleffi appellati fuerint Lollardi inuenies: atque dictis hactenus pro sectis sec. 14. sit tibi satisfactum.

CAPVT XVII.

De Hæreticis, aut Hæresiarchis, deque eorum Sectis perniciosissimis Ecclesiæ Catholicæ, quæ ad impugnandam eius Fidem toto centenario XV. institutæ fuerunt.

PROOEMIOLVM.

1 ABRAHAMVS Bzouius dignus Eminentissimi Cardinalis Baronij successor in formādis Annalibus Ecclesiasticis, quos ille morte pręuentus aliquorum Centenariorum omiserat, non incongruè sub finem cuiusq; Centenarij apponit pręcipuarum rerum Breuiarium: in quo vestigia Genebrardi, & Gualterij sequens, in primis attingit ex SS. Patribus, & Doctoribus nonnulla firmissima testimonia pro stabiliendis magis respectu nostri præcipuis veritatibus Fidei Catholicæ, & consequenter pro diruendis magis dogmatibus hæreticis, eidē
2 fidei oppositis. Nos hoc idem hactenus præstitimus, ac meritò prosequimur, eodem seruato in præcedentibus ordine, nempè in Proœmiolo præsentis Centenarij respectu præcedentis. Vnde pro veritate Eucharisticæ Transsubstantiationis, & sacrificij Missę, adsunt testimonia Nicephori Calixti multis in locis, pręcipue lib. 12. cap. 41. & lib. 16. cap. 36. Ludolphi Carthusiani part. 2. Vitæ Iesu Christi, cap. 56. Heruei in cap. 7. ad Hebræos, Ioannis de Teneramunda lib. de Sa-
3 cramento Altaris, & plurium Scholasticorum lib. 4. sent. dist. 10. & seqq. Pro veritate Sacramenti Baptismi, testimonia eiusdem Nicephori Calixti lib. 7. cap. 33. & lib. 14. cap. 12. Cantacuz. Apol. 4. Pachimeri in Ecclesiast. Hierarch. cap. de Sacramento illuminationis, & Scholast. lib. 4.
4 sentent. Pro veritate adorationis Imaginum, & Reliquiarum, testimonia Augustini Triumphi Anconitani quæst. 17. Summæ de potestate Ecclesiastica art. 3. & qu. 48. art. 4. Nicephori Gregoræ lib. 9. cap. vl. Cantacuzen. Apolog. 3. contra Mahometanos, & orat. 3. contra eosdem, &
5 aliorum plurium. Pro veritate liberi arbitrij, testimonia Durandi de S. Porciano in 2. sentent. dist. 24. qu. 1. 2. 3. Pauli Burgen. in Biblia. Aluari Pelagij lib. 2. de Planctu Ecclesiæ cap. 8. Nicephori Calixti, lib. 1 cap. 3. & non paucorum in 2. sentent. dist. 25. 26. & 28. sicque de reliquis Fi-
6 dei præcipuis veritatibus. Pro quibus peculiaria apud dd. script. Genebrar. Gualt. & Bzou. test. collecta in fine sec. 14. tibi legēda relinquimus, vt iam serm. de sectis hęresiar. 15. sec. instituamus.

Secta Ioannis Hus, & alia illi connexa, vt Ioannis de Zischa, Hieronymi de Praga, &c. qualiter se habent.

REGVLA CCLXXXV.

7 EX natione Bohema circa ann. Dñi 1407. prodijt pestifer ille, & famosissimus hæresiarcha Ioan. Huss, qui Vvalden. & Vvicleff. recoquēs errores, & hos alijs artic. & propositionib. suspectis aspergēs, ipsisq; Eccles. Cat. valde inficiens, perniciosissimæ Hussitar. sectę
8 auctor extitit. Vnde postea vti pertinax in illis à Concil. Constantien. condemnatus fuit,
9 atq; igne punitus. Ioānes verò de Zischa pręcipue in spargēdis Huss errorib. facē Hussitis præferēs, magnū apud Bohemos nomē cōsecutus, nouæ sectę Thaboritarū dux euasit.
10 Hieronymus itē de Praga, sicut se sociū præ cæteris Ioann. Huss in prędicatione dictorū errorum prębuit; ita eadē per ipsum Concil. Cōstantien. cōdemnatio, & ignea punitio ei
11 cōtigit. De huius secta, & de alijs hæresiarchæ Huss coniunctis aliquid dicetur.

12 HEu quā infelicia, & turbulēta apparuērūt initia huius sec. 15. occasione istius mōstrosissimi hæresiarchæ Ioan. Huss. nā quid quid asserat Prateol. lib. 8. verb. Hussitæ n. 21. apponēs ipsum Huss in sec 14. circa an. 1377. reliqui Scriptores ad secul. 14. reducunt.
13 Gualterius (cui in Regula adhæsimus) ca. 1. affirmat, quòd cœperit inficere Ecclesiam suo hæreseon veneno anno circiter 1407.

14 Bzouius verò vult quòd ille id aliquanto prius præstiterit, nempe anno 1408. ibid. 8. copiosissime de rebus eiusdem in sequentibus tractans quoad præsens institutum sic aggreditur.

15 Et quidem hactenus (vt Dubrauius memorat) recepta semel ab Sede Apostolica à Bohemis Christiana Religio cum omnibus ceremonijs inuiolata, inconcussaque in Bohemia perdurauit, sensim inde vacillare, & labescere, simulatque Ioannes Huss, quod vocabulum *anserem* sonat, strepere inter olores, eorumque suauem cantum strepitu suo, propter inualescentem factionem superare coepit. 16 Popularem enim causam inter populares suos agendam suscepit aduersus Germanos, & aduersus Sacerdotes, quibus vtrisque Bohemi non valde propitij erant, vt ipse quamquam Sacerdos, capitalis nuper inimicus vtrisque factus, dum impatientissimè ferret in honore cuiusdam sacerdotij prælatũ sibi fuisse Germanae nationis cãdidatum suffragio Germanorum, & fauore primorum sacerdotum. Hæc & alia ibi Bzouius.

17 Quibus iã de significatione nominis Huss anserem sonantis innotescit, ac simul de motiuo, quo inductus est iste hęresiarcha ad prolabendum in multos errores contra fidem, ex nimio scilicet & effrenato ambitionis affectu. Vnde nam autem huiusmodi errores hauserit, & quantum eos sparserit, à Prateolo citato audiamus.

18 Hussitæ, inquit, à Ioãne Huss genere Bohemo appellati sunt. Hic cum impiam Vvaldensium, & Vvicleffitarum sectam, & insaniã amplexatus fuisset, tanta dementia in eorũ doctrina profecit, vt velut viperinum exitiale germen matris suæ Ecclesiæ viscera corrodere nunquam cessarit, donec in Concilio Constantiensi damnatus, viuus exustus est. Coepit autem apud Pragenses primum publice docere contra Indulgentias põtificias atque ex hac occasione perniciosi tunc tumultus in Bohemia contra Sacerdotes, & Monachos exorti sunt.

19 Eorũ verò insania, (vt scribit Aeneas Syluius, qui postea Pius Secundus Romanus Põtifex dictus est, in de origine Bohemorum cap. 35.) talem ortum habuit. Quidam, inquit, nobilis Bohemus, ex domo, quam putridi piscis vocant, apud Oxoniam Angliæ Ciuitatem studens, libros Ioannis Vvicleff inuenit, & secum tanquam thesaurum patrię suæ intulit, & hoc virus foetidum tanquam putridum piscem, in suos ciues euomuit. Et 20 post recessũm Teutonicorũ de Praga ad Lipsiam, Ioãnes Huss de libris Ioannis Vvicleff multa attulit in medium, asserens in eis omnem veritatem contineri: & ita multos ad se pertraxit, qui coeperunt latrare in sacerdotes & ab Ecclesia Catholica recesserunt, & impiã Vvaldẽsium sectam atque peruicaciam amplexi sunt. Adeò quidem, vt ab isto Ioanne omnes pene Bohemi infecti fuerint. ita ille.

21 Verum dicti libri hæresibus infecti à Ioanne Vvicleffo compositi, cum Pragæ multiplicati nimis essent, magnique æstimarentur, per Archiepiscopum vocatum Sbinco, virum magni nominis, & auctoritatis, ex vi etiam edicti Regij ibi vulgati, plus ducenti fuerunt collecti, & omnes ad vnum igne consumpti; ac simul Huss concionibus prorsus interdictum. 22 Propterea ipse relicta Praga ad oppidum Husinetz, vnde oriundus erat, se contulit: Vbi ex permissione veteris Domini sui, vsum concionandi resumpsit, apud magnum hominum coetum, semen suæ hæresis spargens. Affert cum citato Aenea Syluio ibidem Bzouius: addens quod ille hoc dicto nimis impudenter gloriari soleret, nimirum; *Si eiusmodi colaphum Romanæ Ecclesiæ impacturum, vt liuorem eius, ne post centum quidem annos aboleat.*

23 Delato autem nuncio ad Alexandrum Papam Quintum de ijs, quæ à Ioanne Huss, & à complicibus eius in detrimẽtum Ecclesiæ agebantur, & qualiter ille contra prohibitionem sui Antistitis, vsum concionãdi prosequeretur, hæretica doctrina simplicem populum inficiens, Romam citatus ab ipso Sũmo Pontifice, noluit huic obedire, sicut nec 24 obedierat Prælato suo ordinario. Ad quẽ dictus Summus Pontifex Bullam misit, per quam duo ei iniungebantur: primum, vt nõ permitteret ab vllo homine cuiuscumque gradus, & conditionis articulos Vvicleffi, publice, vel occulte astrui, asseri, aut dog- 25 matizari. Secundum, vt assumptis ad hoc quatuor in Sacra Theologia Magistris, & duobus Doctoribus Decretorum, de ipsorũ consilio super his procederet, ac prohiberet, ne quis in Ecclesijs, siue in scholis, aut quibusuis alijs, locis prædictos articulos doceret, defenderet, aut approbaret. Ita quod si quis contrarium faceret, velut hęreticus censeretur, &c. Ita Bzouius ann. 1409. num. 18.

26 At Ioannes Huss, iam obstinatior effectus, aduersus dictam Bullam diuersa obiecit, & grauem querelam excitauit, vt videre est apud ipsum in eo libro, quem de Ecclesia composuit, cap. 18. præcipue circa illud, quod præceptum ipsi iniunctum esset factis, & verbis Christi, & Apostolorum eius contrarium. Vnde à tali Bulla ad Papam friuole appellauit. Ita Bzouius ibid.

27 Eo autem fere tempore, Dei Opt. Max. peculiari prouidentia congregatum fuit Vniuersale Concilium in Ciuitate Constantiæ: ad illud item vt Ioannes Huss veniret pro purganda sua, & totius Regni Bohemi infamia propter hęresim, quam profiteri dicebatur, vbique gentium diuulgata, curauit diligenter Imperator Sigismundus, missis ad eum aliquot nobilibus Bohemis Consiliarijs suis, qui id ipsi suaderent, datisque publice securitatis litteris, ne sibi alicubi discrimen aliquod præparatũ esse existimaret: quarum exemplar adducit Bzouius ann. 1414. num. 17.

28 Verum absque tali excitatione Imperatoris, & absque litteris securitatis oblatis, ex se ipso inductus est Hus Constantiam venire, & Vniuersali Concilio adesse, ad effectum ostendendi se innocentem, & ab omni hæresis labe immunem, vti ipsemet Pragæ testatus est per scripturas, seu litteras in publicis locis dictæ Ciuitatis, quin & ostio Aulæ Regiæ af- 29 fixas. Quibus prouocabat quoscumq; ad dicendum, vel coram Archiepiscopo Pragensi, vel in conspectu præfati Concilij, vel etiam Summi Pontificis, si quid haberent contra se, quod Fidei Catholicæ esset oppositum, offerens se, si probaretur, ad quamlibet iuridicam condemnationem, sin minus, illi pœnam 30 Talionis subirent. Dictarum litterarum copias inuenies apud eundem Bzouium à n. 17 & plura alia huc spectantia, maximè publica virorum grauium testimonia, quæ ipse Hus fraudolenter procurauerat ad probandū doctrinā à se traditam, fuisse absque vllo errore.

31 Nihilominus quamprimum iste hæresiarcha Hus in conspectu Vniuersalis Concilij Constantiensis se præsentauit, inita cum ipso concertatione, à viris doctissimis, præsertim à Stephano Paletz præexcellēti Theologo, in grauibus erroribus contra Fidem Catholicā non paucis fuit deprehensus, de eisq; prorsus 32 conuictus. A quibus cum noluerit vllo modo resilire, etiam post multas monitiones tū ab alijs Cōciliarijs grauibus, tum ab ipso Imperatore Sigismundo ei serio factas, fuit tandem ad vltimum supplicium condemnatus, & vti pertinacissimus, viuus igne cōsumptus, vt patet ex Act. dicti Concilij: lubet tamen sententiam condemnatoriam ex eisdem Act. hic apponere cum Bzouio ann. 1415. fol. 425

33 Consequenter Episcopus Cōcordiensis legebat sententiam contra Ioannem Hus de Regno Bohemiæ, qui fuit degradatus in præsentia Concilij, & traditus Curiæ Seculari.

Sententia contra Ioannem Hus.

34 SAcrosancta Generalis Cōstantiensis Synodus Ecclesiam Catholicam repræsētans, in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad perpetuam rei memoriam. Quia teste veritate, arbor mala fructus malos facere consueuit; hinc est, quòd damnatæ memoriæ Ioānes Vvicleff sua mortifera doctrina non in Christo Iesu per Euangelium, vt olim Sancti Patres filios genuere, sed contra Christi salutarem fidem velut radix virulēta plures genuit filios pestiferos, quos sui peruersi dog- 35 matis reliquit successores. Aduersus quos hæc Sancta Synodus tanquam cōtra spurios, & illegitimos filios cogitur insurgere, & eorū errores ab agro Dominico tanquam vepres nociuas, cura peruigili, & cultro auctoritatis Ecclesiasticæ resecare, ne vt cancer serpant in perniciem aliorum.

36 Cum itaq; in Sacro Generali Concilio nuper Romæ celebrato decretum fuerit, doctrinam damnatæ memoriæ Ioann. Vvicleff, dānandam esse, & libros eiusmodi doctrinam continentes fore tanquam hæreticos cōburendos, & doctrinam ipsam damnatam, & libros eius talem doctrinam insanam, & pestiferam includentes, combustos fuisse cum effectu, & huiusmodi decretum auctoritate Cō- 37 cilij fuerit approbatum. Nihilominus tamē quidam Ioannes Hus in hoc Sacro Concilio hic personaliter constitutus non Christi, sed potius Ioannis Vvicleff hæresiarchæ discipulus, post, & contra damnationem, & decreta huiusmodi ausu temerario contrauenies, errores eius plures, & hæreses tam ab Ecclesia Dei, quam etiam à cęteris olim Reuerēdis in Christo Patribus, Dominis Archiepiscopis, & Episcopis diuersorum Regnorū, & Magistris in Theologia plurium studiorum condemna- 38 tos, dogmatizauit, asseruit, & prędicauit. Presertim damnationi Scholasticæ ipsorum articulorum Ioannis Vvicleff factæ pluries in Vniuersitate Pragensi cum suis complicibus in Scholis, & in prædicationibus publicè resistendo, ac ipsum Ioannem Vvicleff virū Catholicum, & Doctorem Euangelicum, in fauorem eius doctrinæ corā multitudine Cleri, & populi declarauit; certos etiam articulos infrascriptos, & plures alios, & meritò dānabiles, tanquam Catholicos esse asseruit, & publicauit, qui in libris ipsius Ioannis Hus, & opusculis notoriè continentur.

39 Quapropter habita per prius plenaria informatione de præmissis, & diligenti deliberatione Reuerendiss. in Christo Patrum, Dominorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharū, Archiepiscoporum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum, & Doctorū Sacræ Paginæ, & Iuris Vtriusq; in multitudine copiosa, hæc Sacrosancta Constantiensis Synodus declarat, & definit, articulos infrascriptos, qui habita collatione per plures Magistros in Sacra pagina, reperti fuerunt contineri in eius li- 40 bris, & opusculis manu propria scriptis; Et quos etiam idem Ioānes Hus in publica audiētia coram Patribus, & Prælatis huius Sacri Concilij confessus fuit in suis libris, & opusculis contineri; non esse Catholicos, nec tāquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis pluresesse erroneos, alios scādalosos, aliquos piarum aurium offensiuos, pluresq; eorum esse temerarios, & seditiosos, & nonnullos eorumdem esse notorie hæreticos, & iam dudū à Sacris Patribus, & Generalibus Cōcilijs reprobatos, & damnatos, ipsosq; prædicare, dogmatizare, aut quomodolibet approbare districtè inhibendo.

41 Sed cū infrascr. artic. expressè contineātur in libris, seu tractatib. suis, videlicet in libro, quē intitulat de Ecclesia, & alijs suis opusculis: ideò libros prædictos, & doctrinā, & singulos alios tractatus, & opuscula in Latino, siue vulgari Bohemico per ipsum editos, aut in quocūq; alio idiomate per aliū, vel alios trāslatos, hæc Sacrosancta Synodus reprobat, atq; condēnat, ipsos cōburendos publicè, & solēniter in præsentia Cleri, & Populi in Ciuitate Cōstātiēsi, & alibi decernit, & definit.

42 Adijciens, propter pręmissa, omnem eius doctrinam meritò esse & fore suspectam de fide,

fide, & ab omnibus Christi fidelibus euitandam. Et vt de medio Ecclesiæ illa doctrina eliminetur, hęc sacrosancta Synodus prorsus iubet per locorum Ordinarios tractatus & opuscula huiusmodi per censuram ecclesiasticam, etiam si opus fuerit, cum adiectione pœnæ, & fautoriæ hæresis, diligenter requiri, & repertos ignibus publicè concremari. Siquis autem huius sententiæ, ac decreti violator, aut contemptor extiterit, statuit eadem sancta Synodus, per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ prauitatis, contra talem, vel tales veluti suspectū, vel suspectos de hæresi procedēdū.

45 Visis insuper actis, & actitatis in causa Inquisitionis, de & super hæresi contra prędictum Ioannem Huss habitis, & factis, habita per prius fideli, & plenaria Commissariorum in huiusmodi causa deputatorum relatione, aliorumque Magistrorum in Theologia, ac Doctorum Iuris vtriusque inde & super actis, actitatis, ac dictis testium fide dignorum, & plurimorum, quę dicta ipsi Ioanni Huss palam, & publicè lecta sunt coram Patribus, & Prælatis huius sacri Concilij, per quorum testium dicta apertissimè constat, eundem Ioannem multa mala scandalosa, seditiosa, & periculosas hæreses dogmatizasse in publico, & per multa annorum curricula prædicasse. Christi nomine inuocato, hæc Sacrosancta Synodus Constantiēsis solum Deum præ oculis habens, per hanc diffinitiuam sententiam, quam profert in his scriptis, pronunciat, decernit, & declarat dictum Ioannem Huss fuisse, & esse verum, & manifestum hæreticū, ipsumq. errores & hæreses dudum damnatas, & plurima scandalosa, piarum aurium offensiua, temeraria, & seditiosa dogmatizasse, & publicè prædicasse, in non modicā offensam Diuinæ Maiestatis, ac Vniuersalis Ecclesiæ scandalum, & Fidei Catholicæ detrimentum. Claues etiam Ecclesiæ, & censuras Ecclesiasticas vilipendisse in quibus per annos multos perstitit animo indurato, Christi fideles per suam pertinaciam nimium scandalizans. Cum appellationem ad Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam ad summum Iudicium, omissis Ecclesiasticis medijs, interposuerit, in qua multa falsa, & iniuriosa posuit, & scandalosa, ipsius Sedis Apostolicæ, censurarum ecclesiasticarum, & clauium in contemptum.

49 Idcirco propter præmissa, & alia plura præfatum Ioannem Huss hæreticum fuisse, & esse hæc sancta Synodus pronunciat, & tanquam hæreticum iudicandū & condemnandum fore iudicat, & condēnat per præsentes, dictamq. appellationem tanquam iniuriosā scandalosam, & illusoriam iurisdictionis Ecclesiasticę reprobando. Ipsumque Ioannem Huss populum Christianum, maximè in Regno Bohemię, in prædicationibus suis publicis, & scriptis per eum cōpilatis seduxisse, ac eiusdē populi Christiani nō veracē prędicatorem Euangelij Christi secūdum expositionem sanctorum Doctorum, sed fuisse verius seductorem.

51 Verum quia per ea, quę hæc sacrosancta Synodus vidit, & audiuit, cognouit eūdē Io. Huss pertinacem, & incorrigibilem, & adeò totaliter, quòd non cupiebat ad gremiū sanctæ Matris Ecclesiæ redire, neque hęreses, & errores per eum publicè defensatos, & prædicatos velle abiurare. Idcirco hoc sacrum Concilium Constantiēse eūdem Ioann. Huss ab ordinatione sacerdotali, & alijs ordinibus quibus existit insignitus, deponēdum, & degradandum fore declarat, & decernit. Committens nihilominus Reuerēdis in Christo Patribus Archiepiscopo Mediolanensi, Feltrēsi, Astensi, Alexandrino, Bagarensi, & Vaurensi Episcopis, vt in præsentia huius sacrosanctæ Synodi dictam degradationem, secūdum quod ordo iuris requirit, debitè exequantur. Hæc sancta Synodus Constantiēsis Io. Huss, attento quod Ecclesia Dei non habeat vltra quid gerere valeat, iudicio seculari relinquere. & ipsum Curiæ seculari relinquendum fore decernit.

54 Hactenus de sentētia contra Io. Huss, quæ sic per extensum fuit à nobis expressa, vt extaret in nostro opere forma condēnandi famosum aliquem hæresiarcham, & sententiā contra ipsum ferēdi, vsu adhibita à sacris Cōcilijs Generalibus. Nunc exprimendi articuli, circa quos peculiariter iste hæresiarcha Ioannes Huss à recto tramite recessit.

Articuli damnati Ioannis Huss, de quibus supra fit mentio.

55 PRimò. Vnica est sancta Vniuersalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum Vniuersitas. & infra sequitur. Vniuersalis sancta Ecclesia tantum est vna, sicut tantum est numerus vnus omnium prędestinatorum.

56 II. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

57 III. Pręsciti non sunt partes Ecclesię, cum nulla pars eius ab ea finaliter excidat, eo quod prædestinationis caritas, quæ ipsam ligat, non excidit.

58 IV. Duæ naturæ diuinitas, & humanitas, sunt vnus Christus.

59 V. Præscitus etsi aliquādo sit in gratia secundum præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctę Ecclesię: & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis.

60 VI Sumendo Ecclesiam per cōuocationem prędestinatorum, siue sint in gratia, siue non, secundum præsentem iustitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

61 VII. Petrus non fuit, nec est caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

62 VIII. Sacerdotes quomodolibet criminose viuentes, sacerdotij polluunt potestatem, & sicut filij infideles, sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de clauibus, officijs, censuris, moribus, ceremonijs, & sacris rebus Ecclesiæ veneratione reliquiarum, indulgentijs, & ordinibus.

63 IX. Papalis dignitas à Cæsare inoleuit, & Papæ præfectio, & institutio à Cæsaris potentia emanauit.

64 X. Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quòd esset particularis Sanctæ Ecclesiæ, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ.

65 XI. Non oportet credere, quod iste quicumque est particularis Romanus Pontifex, sit caput cuiuscunque particularis Ecclesiæ Sanctæ, nisi Deus eum prædestinauerit.

66 XII. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter à Deo recipiat procuratoriam potestatem, quia ad illud officium Vicarij, requiritur, & morum conformitas, & instituentis auctoritas.

67 XIII. Papa non est manifestus, & verus successor Principis Apostolorum Petri, si viuit moribus contrarijs Petro: & si quærit auaritiam, tunc est Vicarius Iudæ Scariothis.

68 Et pari euidentia Cardinales non sunt manifesti, & veri successores Collegij aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, seruantes consilia, & mandata Domini Nostri Iesu Christi.

69 XIV. Doctores ponentes quòd aliquis per Censuram Ecclesiasticã emendandus, si corrigi noluerit, iudicio seculari est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Pharisæos, qui Christum nolentem eis obedire in omnibus, dicentes, Nobis nõ licet interficere quemquam, ipsum Seculari iudicio tradiderunt; eo quòd tales sunt homicidæ grauiores, quàm Pilatus.

70 XV. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinuentionem Sacerdotum Ecclesiæ, prẹter expressam auctoritatẽ Scripturẹ.

71 XVI. Diuisio immediatè humanorũ operum est, quod sint, vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiosè: & si est virtuosus, & agat quicquam, tunc agit virtuosè: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, siue peccatum mortale, inficit vniuersaliter actus hominis vitiosi, sic virtus viuificat omnes actus hominis virtuosi.

72 XVII. Sacerdos Christi viuens secundum Legem eius, & habens notitiam scripturæ, & affectum ad ẹdificandum populum, debet prẹdicare, non obstante prẹtensa excommunicatione: & infra. Quod si Papa, vel aliquis Prẹlatus mandat Sacerdoti, sic disposito nõ prẹdicare, non debet obedire subditus.

73 XVIII. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi, prætẽsa excommunicatione non obstante.

74 XIX. Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem euidens est, quòd ab Antichristo tales procedant censuræ, quas vocãt in processibus suis fulminationes, quibus clerus principalissimè procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, quam clerus maximè pro se vsurpabit.

75 XX. Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc vt Iudas Apostolus est Diabolus, fur, & filius perditionis, & non est caput Sanctæ Militantis Ecclesiæ, cùm nec sit membrum eius.

76 XXI. Gratia prædestinationis est vinculũ, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet eius mẽbrum iungitur Christo capiti insolubilitèr.

77 XXII. Papa, vel Prælatus malus & præscitus, est æquiuocè pastor, & verè fur & latro.

78 XXIII. Papa non debet dici Sanctissimus, etiã secundùm officium, quia aliàs Rex etiam deberet dici Sanctissimus secundùm officiũ; & tortores, & præcones dicerentur Sancti, imo etiam Diabolus deberet dici Sanctus, cùm sit officiarius Dei.

79 XXIV. Si Papa viuat Christo contrariè, etiamsi ascenderet per ritam, & legitimam electionem secundùm constitutionẽ humanam vulgatam, tamen aliundè ascenderet, quàm per Christum; dato etiam, quòd intraret per electionem à Deo principalitèr factã: nam Iudas Scarioth ritè, & legitimè est electus à Deo Iesu Christo ad Apostolatum, & tamen ascendit aliundè in ouile ouium.

80 XXV. Condemnatio quadraginta quinq; articulorum Ioannis Vvicleff per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & malè facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quòd nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

81 XXVI. Non eo ipso, quo electores, vel maior pars eorum consenserint viua voce secùdùm ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitimè electa, vel eo ipso est verus, & manifestus Vicarius, vel Successor Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio Ecclesiastico; Vndè siue electores benè, & malè elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso, quo quis copiosiùs operatur meritoriè ad profectum Ecclesiæ, habet à Deo ad hoc copiosiùs potestatẽ.

82 XXVII. Non est scintilla apparẽtiæ, quòd oporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conuersetur, & conseruetur.

83 XXVIII. Christus sine talibus capitibus mõstruosis, per suos veraces discipulos, sparsos per Orbem terrarum, meliùs suam Ecclesiam regularet.

84 XXIX. Apostoli, & fideles Sacerdotes Domini strenuè in necessarijs ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summè impossibile, Papa, vsque ad diem iudicij.

85 XXX. Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

86 Hucusquè de articulis Ioannis Huss, quos excogitauit, & adiunxit omnibus alijs ampliùs

plùs trecentis Ioannis Vviccleff, vt se eius plusquam discipulum demonstraret (hoc benè notauit Gualterius citatus) & famosiorē sectam institueret: circa quam vide Bzouiū, ex quo haud dubiè ad satietatem satisfactus manebis.

87 Ex prædicta autem secta aliæ prodierunt, præsertim illa Ioannis de Zisca, de quo sic idem Gaultetius cap.3.sec.15. Præbuit hic, inquit, in primis facem Hussitis: qui cum diu militiæ se ducem gessisset, oculorum orbatus altero, dux cœcorum spiritualiter fa-88 ctus est circa annum 1411. Suis enim victorijs magnum apud Bohemos nomen consequutus, vt de Cœlo demissus Angelus, & audiebatur ab eis, & adhærentes habebat. Hac ratione rabiem suam expleuit, tum imaginibus conterēdis, tum depellendis Monachis, deprædandis, demoliendisque Templis, & 89 Monasterijs. Quò autem id tutius, magisque impunè præstaret, munitam arcem occupauit catholici cuiusdam, Vlrici nomine, quem cum tota familia trucidauit: arcem verò nominauit Thabor, asseclasq; suos Thaboritas, vt sic facilius persuaderet visam ab ipsis fuisse cum tribus Apostolis in monte Thabor transfigurationē Saluatoris, illincq; haustas ipsorum opiniones, quas fidei veritates appellabant. Ita ille cum Prateolo, verb. Ioannes de Zischa, & verb. Thaboritæ, cum Genebrardo in Martino V. & cum Castro, verb. Templum.

90 Qualitèr item ex secta Ioannis Huss aliæ emerserint, maxime in Bohemiæ Regno, his paucis ostēdit idem Gualterius cap.9.sec.15. Bohemi, inquit, lepra Ioannis Huss infecti, in tres sectas præcipuas (vt mos est hæresis, tantum odisse vnitatem, quantum verę fidei est eam ipsam complecti) diuisi sunt: Pragēsium nimirum, qui mitiores cæteris, & mi-91 nus intolerabiles videbantur. Thaborinorum, hoc est, partis vnius discipulorū Zischæ superius memorati, qui etiam post mortem ipsius, Thaboritarum nomen retinuerunt. 92 Et Orphanorum, hoc est, partis alterius discipulorum Zischæ, qui propter mortem Magistri, ac progenitoris sui, nomen sumpserūt 93 Orphanorum. De his non dicam aliud, nisi quòd ipsorum phrenetica rabies exaudita, patefactaque fuit potissimum in Sacerdotes, & Religiosos, quorum non poterant exsatiari cruore: in Templa, & Monasteria, quæ deprædabantur, & funditus euertebāt: in Sanctorum Imagines, quas, aut igne cremabant, aut in frusta comminuebant: in oleū sanctum, & sacrum Chrisma, quo ocreas, & 94 calceos inungebant. Tum pollutis animabus, & manibus per hęc sacrilegia, aliaque huiusmodi nefanda facinora, probe se paratos ad Communionem censebant, quam nō solum sub vtraque specie recipiebāt, sed nulla etiam præuia confessione sacramentali: pręcipuum vtique impietatis suæ scutum, & clypeum ducentes arma, & sanguinis effusio-95 nem. Porrò licet Orphani cum alijs sectis Bohemicis in veris Christianis, & Catholicis insectandis conuenirent; sic tamen inter se se pugnabant, vt verbis, & factis se se impetere cessarent nunquam. Hæc Gualterius de tribus istis sectis, de quibus etiam Prateolus verb. Orphani, & alij.

96 Reponitur etiam inter insignes sectatores, & propagatores sectarum Vviccleff, & Huss, istorumque venenosæ doctrinæ, quidā vocatus Ioannes de Rocsesana, qui prodijt circa annum 1430. teste Prateolo, lib 9. nu. 97 21. vbi ex Aenea Syluio de eo sic. Est, inquit, Oppidum Pragensis Ecclesiæ, cui Rocsesana nomen est; ex hoc loco puer obscuris parentibus, sensuque tenuissimo natus, Ioānes nomine, Pragam venit, mendicatuque victum quæritans, grammaticam, & dialecticam didicit, fuitq; Iacobelli auditor; Presbyter ordinatus Verbum Dei prædicare Pragensibus cœpit, & pseudo eorum Apostolus factus est. Ita ille.

98 Congregatum autem fuit tunc temporis Concilium Basileense, ad quod iste hæresiarcha Ioannes de Rocsesana comitatus suis asseclis accessit, & recessit cum saluoconductu (vti solet concedi similibus personis) magis inobediēs, & pertinax in suis erroribus, præ-99 cipuè in istis. Primò, quòd detestaretur Imagines in Ecclesijs. Secundò, quòd teneret, Laicos sub vtraque specie communicare debere. Tertiò, quòd affirmaret, Dei Ecclesiam ex solis prædestinatis, & in gratia exi-100 stentibus constare. Hostis infensissimus Religiosorum, & Monachorum extitit, quos Dęmones nouos appellabat, & ipsos in hoc quotidie incumbere, vt nos à veritate auertant, asserebat. Ita Prateolus loco citato ex dicto Aenea Syluio.

101 Addit verò Gualterius cap. 4. secul. 15. quod iste Ioannes de Rocsesana in prædictis prestandis habuerit protectorem quendam vocatum Procopium hominem militarem. 102 Ob quam protectionem, & eò, quòd iste Procopius fuerit Dux, & Rector Thaboritarum haereticorum, meritò inter haeresiarchas enumerat ipsum Prateolus lib.14.verb. Procopius.

103 Vltimo loco de Hieronymo Pragēsi haeresiarcha, discipulo, & cōplice Ioannis Huss aliqua attingenda ex multis, quae de eo adducunt scriptores, praecipuè Bzouius diuersis in locis; qui anno 1402. num. 8. sic de illo.

104 Interim Pragae, inquit, Hieronymus, & ipse liberalium artium Magister, atq; ipsius Huss collega, & consectaneus, communem sectam contra Germanos Doctores, qui ibi remanserant, crebris disputationibus propugnare, multis bilem concire, alios argumētis, & oratione tenere: nam & acutus, & disertus habebatur, eandemq; in scholis, quā Huss in Templis palmam ab auditoribus ob-105 tinebat. Fieri autem non potuit, quin multa in populum emanaret, quae inter parietes disserebantur; quibus vulgo cognitis pro captu quisque suo, aut has, aut illas partes fouebant, tam a postremo contentione,

vt

vt partium studio plebs vrbana diuisa mutuis inter se pugnis, plagisque interdum, & saxis concurrerent, senatoribus Vrbis à Doctoribus Germanis, plebe autem à Hieronymo, vt corporis sui membro (Pragæ enim natus erat) stante. ita ille.

106 Ad Concilium verò prædictum Constātiēse venit pari modo iste hæresiarcha Hieronymus de Praga, ac venerat prius Ioannes Huss, cuius condemnationem, & combustionem cum vidisset, seù reclusus in carceribus audisset, ille timore similis mortis inductus est ad abiurandum suos errores, quos tamen non multo post resumpsit: quā abiurationem non erit abs re hic ex parte saltem exprimere cum Bzouio anno 1415. fol. 439. ex act. dicti Constantiensis Concilij.

Abiuratio Hieronymi de Praga.

107 EGo Hieronymus de Praga artium liberalium Magister, cognoscens verā Catholicam Ecclesiam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizauerunt, & tenuerunt Ioannes Vicclelff, & Ioannes Huss in suis opusculis, libellis, seu sermonibus ad clerum, & ad populum propter; quam causam prædicti cum suis dogmatibus, & erroribus damnati sunt ab hac Constantiensi Synodo tanquam hæretici, & eorum doctrina prædicta sententialiter dānata, maximè in nonnullis articulis expressis in sententijs per hoc sac. Concilium contra

108 ipsos latis. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & huic sac. Concilio, & ore, & corde profiteor in omnibus, & per omnia, & præsertim de clauibus, sacramentis, ordinibus, officijs, & censuris ecclesiasticis, indulgentijs, & reliquijs sanctorum, & ecclesiastica libertate, ac etiam de ceremonijs, & alijs omnibus ad Religionem Christianam pertinentibus,

109 prout ipsa Romana Ecclesia, & Apostolica Sedes, & hoc sacrum Concilium profitetur; & specialiter quod prædictorum articulorū plures sunt notoriè hęretici. Hęc ibi, et multo plura dictę abiurationis magis particulariter, quæ videas apud ipsum Bzouium.

110 Nō tardauit tamen iste hęresiarcha Hieronymus de Praga easdem hæreses, et errores pertinacius defendere, & spargere. Propterea denuò accusatus ab eodem Concilio Constantiensi ad mortem, & combustionem condemnatus vti impœnitens viuus igne consumptus fuit. Tradunt Prateolus lib. 8. verb. Hieronymus Pragen. n. 17. & Gualterius c. 7. sæculi 15. atque post istos Bzouius admodum copiose anno 1415.

111 Accusatio autem cōtra eundem formata est, peculiariter super articulis sequentibus, vt affert ipse Bzouius ibidem fol. 477. col. 2. num. 48.

Articuli accusationis contra Hieronymum de Praga.

112 PRimò. Quamuis nō latuerit Hieronymum de Praga libros, & articulos Vuicclelffi Romæ in Concilio Generali à Ioanne Papa XXI. celebrato condemnatos, & sub pœna fautoriæ hæresis interdictos anno Domini 1412. ipse tamen cōtumaciter eosdem, & in scholis, & in Templis publicè docuit, & prædicauit in contemptum clauium Ecclesiæ, & graue Cleri odium, dissidium, populique scandalum.

113 II. Nuncupauit Ioannem Vuicclelff virum sanctum, euangelicumque Prædicatorem, et verę fidei Doctorem, habuitque in cubiculo suo illius imaginem cum diademate depictam, quam religiosè veneratus est.

114 III. Quando Archiepiscopus Pragensis ex commissione Sedis Apostolicæ præcepit omnes libros Vuicclelffi ad se deportari, Hieronymus præcepti eius contemptor intulit eos in Collegium Caroli, ac publicè intimauit se doctrinas eorundem librorum defensurum esse.

115 IV. Alios quoque Magistros ad defendendum, docendumque vetitos illos libros induxit, non solum in Collegio Caroli, & in nigra Rosa, verum etiam alibi quaqua versum in vniuersitate Pragensi.

116 V. Exquisitos modos defendendæ illius doctrinæ nequiter excogitauit, vi, ac fraude grassans in eos Magistros, atque Clericos, qui cōdemnationem 45. articulorum Vuicclelffi comprobarunt: nam per incarcerationes, & bonorum direptiones, aliasque oppressiones eos deterrere satagebat à Vuicclelffi reprobatione.

117 VI. Quendam honestum virum cultellificem Pragensem fecit capi, carcerari, in mediastino verberari, atque illic ligatum crudeliter vexari, putridis ouis, peponibus, luto, lapidibusque emissis, & in eum proiectis, tanta sanè proiectorum vi, ac multitudine, vt ab illis proiectionibus obrutus interierit, ac mortuus fuerit.

118 VII. Fratrem Nicolaū Ordinis Carmelitarum concionatorem Monasterij S. Mariæ in arena, ob eandem causam manu violenta fecit extrahi simul cum duobus alijs è Monasterio, & captiuos abduci ad iudicem nouæ Ciuitatis Pragensis: qui duos illos haud secus ac fures in publico detinuit carcere, Nicolaum verò domi in priuato carcere retinens diuersis tormentis excruciauit.

119 VIII. Cum non posset Nicolaum illum ad reuocandum ea, quę contra doctrinam Vuicclelffi dixerat, compelli, fecit eum educi ad flumen, vt submergeretur: proiectus itaque ille è naui in Multauia submersus vtique perijsset, nisi clientis cuiusdam auxilio ereptus fuisset.

120 IX. Eam Vuicclelffi hęresim de pane materiali in sacramento, quod non transubstātietur

tietur, nec corpus Christi sit ibi præsentialiter, & secundum corporalẽ, & realem existẽtiam, sed solum significatiuè, sicut signatum in signo, varijs scripturis, & rationibus præconcinnatis, maximè asseruit.

121 X. Docuit publicè, neminem ad confessorum virginumue, aut etiam martyrum laureolam peruenturum esse, nisi corde crederet, confitereturque ore fidem, & doctrinam Vicclefli.

122 XI. Quò latius Vuicclefli hæresim propagaret, verba Canonis per cãtilenas Bohemicas in vulgari fecit, vt etiam rustici crederent, si verba consecrationis pronunciassent, se posse conficere corpus Christi, non minus, quam Sacerdotes, idque singulis horis, quando libet.

123 XII. Confinxit & alias diuersas cantilenas in vulgari Bohemico, & Bibliæ, & Euãgeliorum verbis sensibusque contextas, pro confirmatione suæ hæreseos, vt per eas laici sui sacram scripturam melius nosse, & intelligere crederentur, quàm cæteri Christiani.

124 XIII. Docuit, laicos sectæ suæ vtriusque sexus posse conficere, confessiones audire, ac quæcunque alia sacramẽta (prolatis modo aptis verbis) efficere, atque conferre; eaque maioris esse virtutis, & efficaciæ, quam alia, quæ à presbyteris Romanę Ecclesiæ conficerentur.

125 XIV. Pragæ, & in diuersis locis publicè inuulgauit nullam excommunicationem timendam esse, nisi quis resciuerit se prius à Deo excommunicatum esse.

126 XV. Interdictum Pragæ propter, & contra Vuicclefistas positum, iussit fortiter cõtemnere; quia nemini, ne Papę quidem, data sit potestas à Deo quempiam excommunicandi, aut interdicendi. Propter quod Clerus Pragensis compulsus fuit celebrare tempore interdicti, etiam sub necis interminatione.

127 XVI. Docuit prętereà, nullã esse Papæ auctoritatem Indulgentias concedẽdi: quare persequutus est Indulgentiarum prædicatores per brachium seculare, multas eis irrogans iniurias. In oppido itaque Nouę Domus duos Presbyteros Indulgentias publicaturos capi fecit, & incarcerari, qui tamen fuga elapsi sunt ope Catholicorum.

128 XVII. Anno Domini 1411. post octauas Pentecostes quendam indulgentiarum prædicatorem captum, currui cum meretricibus (ad quarum mammas indulgentiarum literas suspendit) Pragæ imposuit, eumque toti ciuitati illudendum circumuexit, ac tãdem illius literas publicè combussit, annitentibus armatis plurimis Vuicclefistis, & currum stipantibus, ne quis suppetias ferret.

129 XVIII. Inuulgauit item, cuique laico licere verbum Dei prædicare, vbi, & quando visui esse crederet, & quocunq. loco vellet.

130 XIX. Dehortans homines à veneratione imaginum, cum Christi Saluatoris Crucifixi imaginem Pragę è regione domus dictæ Kreisse pictam vidisset, quæ in veneratione deuoti populi fuerat, eam non solum irrisit, sed etiam deiecit, & stercore humano instrauit dicens, nequicquam pingendas esse imagines.

131 XX. Reliquias quoque Sanctorum contempsit, iniurijs plebi deridendas exposuit: extractis quippe de altari Reliquijs in monasterio S. Mariæ in arena Pragę, eas luto instrauit, & pedibus calcauit.

132 XXI. Dixit, quod non minori veneratione obseruandus esset, quem Christus equitauerat, asinus, quàm peplum, velumq. Mariæ Virginis, quod in eodem Monasterio habebatur.

133 XXII. Cum Pragæ ob hęresim, & seditionem quidam Vuicclefistæ capite plexi fuissent, ipse adiunctis sibi socijs, eorum corpora sustulit, & in processione non *Absolue*, sed *Isti sunt sancti*, decantauit: & in Missa non *Requiem*, sed *Gaudeamus* cecinit, habens illos pro sanctis Martyribus: excitata igitur per hoc seditione, Senatus Populusq. Catholicus per 15. dies in periculo fuerunt.

134 XXIII. Idem in Russiam profectus, cum Vuitoudus, frater Regis Polonię, publica pompa introduceretur in oppidũ VuitebsK, progressis ei obuiam cum Reliquijs, tum Catholicis Christianis, tum Ruthenis schismaticis; ipse relicto Christianorum cætu, ad Ruthenos publicè transijt, eorum tabulas, & reliquias veneratus.

135 XXIV. Nisus denique fuit prædictum Vuitoudum cum sua Christianorum caterua à fide Catholica auertere, & ad Ruthenorum sectam inflectere: Ideò & synagogas Ruthenorum introiuit, eorumque sacramenta publicè genu flexo adorauit.

136 En articulos 24. (plures id genus omittuntur) en causas legitimas, cur iste hæresiarcha Hieronymus de Praga accusatus, cõdemnatus, viuusque vti pertinax igne consumptus. Atque his Regula præsens absoluta manet.

Quid de sectis hæresiarcharum PiKardi, Bedrici, Nicolai Galeci, & Ruthenorum, aut Moschouitarum.

REGVLA CCLXXXVI.

137 Secta PiKcardorum, seu nouorum Adamitarum, ortum sumpsit à quodam PiKardo è Flandria oriundo, qui in perniciẽ Ecclesię Catholicæ circa annum 1414. pro-

138 dijt Quatuor verò annis post, quidam vocatus Bedricus, natione Morauus, detestan-

139 dam sectam Orebitarum instituit. Nicolaus item Galecus ex Bohemia originem ducens, exequuta delegatione in Concilio Basilensi nomine Bohemorum, peculiaris sectę cum erroribus exprimẽdis auctor fuit.

140 Deniq. secta pestifera Russiorum, aut Moschouitarum, præter schisma Græcorum ab ipsis receptum, aliquibus hæresibus indicandis constat.

141 Quo-

141 QVoad prædictos hæresiarchas, eorumque sectas, pauca admodum inuenio apud Doctores, atque ideò sub eadem Regula oportunè coniugo. De prima sic habet Prateol. lib. 14. verb. PiKardi n. 26.

142 PiKardi, inquit, genus hæreticorum est, quod (teste Hosio lib. de vtriusque speciei communione) non apud orthodoxos modo, verum & apud hæreticos summę semper fuit abominationis, à PiKardo quodam ex Gallia Belgica oriũdo sic appellati, qui Adamitarum hæresim in Bohemiam inuexit, sub Sigismundo Rom. Imperatore & Ioanne XXIII. huius nominis Summo Pontifice circa annum Domini 1414.

143 Hic (authore Aenea Syluio lib. de origine Bohemorum cap 41.) transmisso Rheno per Germaniam in Bohemiam penetrauit: qui præstigijs quibusdam fidem sibi conciliians, breui tempore non paruã mulierum, virorumque plebem ad se traxit, quos nudos incedere iubens, Adamitas vocauit. Et occupata insula quadã amne Lusimitio cincta, filium Dei se dixit, Adam vocari voluit. ita ille cum scriptoribus ab ipso citatis.

144 Hæreses autem huius sectę PiKardorum fuerunt huiusmodi. Primo, affirmabant ipsi, reliquos homines esse seruos, se verò, & qui ex ipsis nascerentur, liberos. Ita Prateolus vbi supra, & Gualterius cap. 6 sec. 15. cum Sander. hæres. 174. & Geneb. in Sixto IV.

145 Secundo, Admittebant promiscua inter ipsos connubia, cum subordinatione tamen ad Adamum sectæ auctorẽ, hoc modo, quod vbi quisquam libidine incensus in aliquam peculiariter exardesceret, eam manu apprehendens, ad Principem adduceret, eique diceret: In hanc spiritus meus concaluit: responderetque Princeps: Ite, crescite, & multiplicamini: nec aliter licitum erat ad vllam accedere. Afferunt ibidem Auctores citati.

146 De ruina item dictorum hęreticorum sic idem Prateolus cum Aenea Syluio relato. Ex his, inquit, porrò quadraginta viri insulam exiere, & intrantes vicinas villas, euaginatis gladijs supra ducentos agrestes interfecerunt, quos Diaboli filios asserebant. Zischa his auditis, quamuis sceleratus, scelus tamen exhorruit; habet enim hoc natura hominum, vt aliena magis, quam sua quisq. vitia exhorrescat: neque summa mala diù inulta manent, victoremque mali malum

147 cernere licet. Direxit itaque ille in eos exercitum, expugnataque insula, Adamitas omnes gladio deleuit, duobus tantum reseruatis, ex quibus gentis superstitionem cognosceret. Hactenus ille.

148 Sequitur dicendum de secta Bedrici hæresiarchæ natione Moraui, vt ait Prateolus lib. 2. verb. Bedricus num. 16. qui ex Aenea Syluio lib. de origine Bohemorum cap. 47. adducit quę spectant ad hunc hæresiarcham & ad eius sectam, ac ea paucis Gualterius cap. 8. seculi 15. sic comprehendit.

149 Circa annum, inquit, 1418. Bedricus initium dedit detestandæ sectę Orebitarum, quæ malitia non cessit Thaboritarum sectæ, siue in discerpenda Ecclesia, corrumpendo doctrinam fidei, pręcipuè circa ea, quę pertinent ad filij Dei Incarnationem: siue in trucidandis, martyrioque multiplici afficiendis sacerdotibus, quos obuios habuit. Hæc ille.

150 Verum eadem, prẹsertim originem, & impietatem Orebitarũ, paulo extensius audiamus à Bzouio, ad annum 1420. num. 5. vbi sic. Cum adhuc, inquit, Sigismundus in castris suis se contineret, factus est à Cuthnensibus certior, ingentem promiscuorum hominum multitudinem ad montem non longè à Lipnicia iacentem conuenisse, vt orgya sua cum sacrificulis suis celebrarent, eũque montem ab illis Oreb, & ipsos Orebitas cognominari. Quorum bona pars ex

151 eo numero esset, qui paulò ante carbones mineris conflandis ad officinas suppeditare soliti fuerant, nunc sub prętextu Religionis nouę, ac prophanę, rapto viuere, quàm labori operam dare male; per quæ officinę desererentur, & perfidorum cætus inualesceret. Territorium Gręcense, vicinasq. gen-

152 tes, ea hæreticorum factio, fratrum Orebitarum appellata, magnis affecit cladibus. Sanè fuit pestifera, atque immanis, neque Thaboritarum crudelitate vlla ex parte inferior, aduersus quam Martinus V. Pontifex Maximus nominatim Crucem decreuit, neque tamen in plures annos extirpari po-

153 tuit. Huius sectæ homines, quoties Sacerdotes Catholicos intercepere; aut igne cremauerunt, aut nudos rigente hyeme super glaciem colligatos diuiserunt; quos autem parui momenti existimauerunt, dissectis virilibus abire permiserunt. Huc vsque Bzouius de prædictis Orebitis, circa quos nihil superest addendum.

154 Dein sectam Nicolai Galeci breuissimè explicat Gualterius cap. 10. sec. 15. hoc modo. Hic, inquit, vnus ex illis fuit, quos ad Concilium Basileense Bohemi delegarũt circa annum 1434. Qui inter errores cæteros asserebat, neminem in lege gratiæ etiam iudicis sententia iusta morte multari posse: cum id, vt ipse aiebat, Testamentum no-

155 uum non statuat. Addebat, Ioannem Huss, & Hieronymum Pragensem iniustè condẽnatos Constantię, & concrematos fuisse; eos doctores fuisse Catholicos causatus. Eadem de Vuicclesso affirmabat. ita ille.

156 Clarius hoc vltimum Prateolus lib. 12. verb. Nicolaus Galecus num. 6. nempe quod iste hæresiarcha assereret, doctrinam Vuicclessi Pragæ doctissimis viris examinatam, & veram catholicamque inuentam fuisse.

157 Quid tandem de Ruthenis, siue Russis, aut Moschouitis? Audiamus eundem Gualterium cap. 12 ex Prateolo verb. Rutheni, & ex Genebr. in Alexandro VI. sic dicentẽ:

Gens

Gens, inquit, est Liuoniæ proxima, barbara, & agrestis (Russios vulgò nominant)
158 Quę quamuis Christianam se Religionem retinere simularet, ab Ecclesia tamen Romana discessit, in varias falsasque imaginationes, præcipuè vero in schisma Græcorum
159 circa annum 1445. Quinimo anno 1500. Rutheni, Polonię Regis subditi, cum ab Alexandro Lithuaniæ Duce ad vnionem cum Ecclesia Romana redintegrandam adigerentur, dedidere se se Moschouiæ Imperatori schismatis ipsorum fautori: ad quod sequentes præcipuè errores adiungebant.

160 Primò, Negabant S. Petrum summum fuisse Ecclesiæ Pastorem, & Sedis Romanæ Episcopum; idemque negabant de ipsius successoribus.

161 Secundò, Negabant Ecclesiam Romanam cæterarum caput esse.

162 Tertio Reijciebant scripta sanctorum Doctorum Latinorum.

163 Quartò, Non recipiebant definitiones, canones, & decreta Conciliorum Oecumenuorum.

164 Quintò, Nihil faciebant excommunicationem, & confirmationis, atque extremæ vnction is sacramenta cum Purgatorio tollebant.

165 Sextò, Eucharistiam non in pane azymo, sed tantum in fermentato consecrandam. Huc vsque totidem Gualterij verbis.

166 Qui ibidem post collationem de more, cum hæresibus Nouatorum, claudit dictum cap. 12. attingendo reconciliationem Ruthenorum cum Ecclesia Catholica, & Ro-
167 mana anno 1595. actam. Ad quam ablato schismate summopere cooperatus est S. Casimirus Regis Poloniæ filius, inducens etiam parentem suum ad ferendam legem disponentem ne schismatici noua templa construere, nec vetera collabentia restaurare possent, vt habetur in legenda vitę eius, Atque his satisfactum Regulę pręsenti.

De sectis Hermanni Rissuich, Petri de Osma, Ioannis Behaim, & Matthæi Palmerij, quænam aduertenda?

REGVLA CCLXXXVII.

168 Comparuit circa annũ Domini 1499 in Hollandia quidam nomine Hermannus Rissuich, Batauus natione, suis erroribus, & blasphemijs hæreticalibus infensissimus fidei Catholicæ hostis, qui cum sententiam mutasset, & carceri perpetuo mancipatus fuisset, ex eo aufugiens, denuò captus, & eisdem, ac alijs peioribus hæresibus adhærens, pœnam mortis igne viuus subijt.
169 Petrus vero de Osma circa confessionem errauit, asserens in suo libro, eam esse non ex institutione Dei, sed ex inuentione do-
170 minorum; propterea merito damnatus. At Ioannes Behaim, licet imperitus, & infimę sortis homo, noua dogmata de non soluendis decimis, vectigalibus &c. prædicare cœpit; hinc inter hæresiarchas meritò
171 reponitur. Pari etiam modo Matthęus Palmerius ob hæresim repertam in libro, quem de Angelis scripsit.

172 QVoad primum ex dictis quatuor hæresiarchis sub hac Regula comprehensis, ob causam sæpius dictam, ne tituli frustra multiplicentur, concordant Prateolus lib. 8. verb. Hermannus Rissuich, nu. 10. & Gualter. cap. 15. secul. 15. (apud Bzouium nullum de ipso verbum, sicut nec de alijs tribus reperio) circa nationem, quod ex Batauia hodie vocata Hollandia originem ducat. Accipe quę de isto hæresiarcha Hermanno dictus Prateolus breuiter affert.

173 Hermannus Rissuich, inquit, quemadmodum refert Bernardus de Luxemburgo in catalogo hæreticorum, Batauus fuit natione, quem Hollandinum vulgari nomine nuncupamus. Hic cum in multos errores lapsus fuisset, indeque admonitus, & tandẽ pœnitentia motus palinodiam cecinisset, à Magistratu misericordiam consequutus, ad perpetuos carceres damnatus fuit, anno Domini 1499. sub Maximiliano Imperatore
174 Germano, & Alexandro VI. Papa Verum cum postea carceres euasisset, in priorem dementiam relapsus, multa etiam longè peiora quam antea effutiuit Propter quæ iterum captus anno Domini 1512. per hęreticę prauitatis Inquisitores damnatus, & Curiæ sæculari traditus, eiusdem iudicio viuus exustus est. ita ille.

175 Errores autem eius contra fidem catholicam sunt huiusmodi. Primò, Affirmabat Angelos siue bonos, siue malos, à Deo creatos non esse, eo quod id nusquam in scriptura sacra (vt ipse ait) testatum reperiatur.

176 Secundo asserebat, animam hominis per mortem eius simul cum corpore interire, nullamque post hanc vitam aliam fore particularem: vt mortuo Socrate, moritur anima eius, sicut cum corpore incœpit.

177 Tertiò, Solebat Hermannus irridere Catholicos, quod infernum esse crederent, quem non esse ipse pertinaciter defendebat.

178 Quartò, Testabatur item, materiam, qua constant elementa, non à Deo productam, sed ipsi coæuam esse, & consequenter non incœpisse per creationem, vt scribit Moyses, quem ideò ipse stultum vocabat.

179 Quintò, Ore impijssimo affirmabat Christum Dominum (ò inauditas, & horrendas blasphemias) esse stultum, amentem, varijs imaginationibus delusum, seductorem vilis plebeculę; quin imo ipsum damnasse vniuersum mundum, & neminem saluasse. Quot namque homines (dicebat impius ille) propter ipsum, suumque stultum euangelium interfecti sunt!

180 Sextò, Etiam blasphemabat hęreticaliter dicens, quidquid Christus egit, totum id generi humano, ac rectæ rationi esse contra-

trarium, atque hinc inficiabatur ipsum Christum esse Filium omnipotentis Dei.

181 Septimò, Defendebat simul hæresiarcha Rissuich, fabulam esse, quod docet fides nostra, stolidas Scripturas, ficta Biblia, atque Euangelium delirationem omnimodam.

182 Octauò, Errabat quoque ille affirmans Moysem non accepisse à Deo legem in signo aliquo visibili, nec cum eo loquutum esse facie ad faciem, etsi id scriptura disertè testetur.

183 Nonò, Euangelium tandem nostrum Hermannus falsi insimulabat; nam (dicebat ipse) qui mundum absque incarnatione creauit, eum etiam sine Incarnatione saluare potuit. Hactenus de hæresibus Hermanni Rissuich, vti traduntur à citatis Gualterio, & Prateolo, qui his verbis finem facit.

184 Omnes ergo istos articulos, & consimiles, impurus hic ore proprio, & sana mente coram Inquisitore, Notario, & testibus confessus est, cum horum verborum adiectione. Ego quidem Christianus natus sum, sed iam à Christianismo descivi, quod omnes Christianos amentissimos esse iudicem. Hæc ex Fratre Bernardo Lutzemburgo: ita ille.

185 Cum Alfonso item de Castro, verb. Cõfessio, & Genebrardo in Sixto IV. bene declarat paucis Gualterius, cap. 14. seculi 15. quisnam fuerit Petrus Osma, & qualiter ipse à fide Catholica discesserit, aliosque discedere docuerit. Professor fuit, inquit Theologiæ in Salmaticensi Academia: sed cum sui oblitus scripsisset in libro, quem de confessione edidit, eam non ex Dei institutione sed hominum inuentum esse, damnatus est non à Theologis modo, sed etiã à Sixto IV. Pontifice, idque peculiari decreto. ita ille: nec aliud circa istum Petrum de Osma occurrit.

186

187 Quid item de Ioanne Behaim? Audi de eo eundem Gualterium cap 13. sec. 15. cum Sandero hæres. 179 & Geneb. in Calisto III. sic loquentem. Haud multò post, inquit, Ioannes Behaim, non contentus tympanistæ, & pastoris pecorum officio, noua dogmata prædicare cœpit, negans cum Vuicleffo, soluendas decimas Clero; cuius vitam accusabat, & vituperabat acriter. Addens insuper nullam esse obligationem soluendi vectigalia, & tributa: quin, & aquas, & nemora omnibus esse communia. Hæc Gualterius, quæ de Ioanne Behaim sufficiant.

188

189 Deniq. accipe ab eodem Gualterio c. 11. de Matthæo Palmerio Florẽtino hęc pauca. Ille est, inquit, qui produxit annales ab anno 449. in quo destiterat S. Prosper Aquitanus ad annum 1449. Postea verò hæresis conuictus ex libro, quem de Angelis scripserat, damnatus est, & igni adiudicatus. hæc ille, quibus iam finis, & Regulæ, & Capiti.

CAPVT XVIII.

De sectis hæreticorum, aut hæresiarcharum pro impugnatione fidei Catholicæ in varijs mundi partibus per totum seculum XVI. diuersimodè institutis.

PROOEMIOLVM.

1 SVB finem præcedentis seculi 15. in suo Breuiario Bzouius contra prædictos hæresiarchas, vel hæreticos plura affert testimonia virorum doctrina, & virtute prętantium, & Generalium Cõciliorum pro confirmandis, & stabiliendis præcipuis Christianæ fidei veritatibus: sed multò plura Genebrard. & Gualterius ibidem ad eundem scopum tendentes adducunt. 2 Pro veritate Transubstantiationis Eucharistiæ, & sacrosancti Missę sacrificij, testimonia Thomæ Vualdensis tom. 2. doctrinalis fidei cap. 21. & tom. 3. tit 4. cap. 28. Concilij Constantiensis sess. 13. & sess. 45. Concilij Florentini in Decreto Eugenij IV. sess. 25. §. Tertium est. Et alia diuersorum (vt ait ipse Gualterius) vt B. Laurentij Iustiniani, Ioannis Gersonis, Thomæ de Kempis, S. Antonini Archiepiscopi Florentini, Bessarionis Cardinalis, S. Bernardini Senensis & Dionysij Carthusiani, ac ceterorum, qui dicto seculo suis scriptis floruerunt. 3 Pro veritate honoris, & inuocationis Sanctorum, cultusque Imaginum, ac Reliquiarum, testimonia Græcorum in Horologijs, & Menologijs suis, ac in Euchologio, vbi peculiariter de Crucis collocatione cap. 30. & exaltatione, cap 93. Dionysij Carthusiani serm. 4. de omnibus sanctis. Thomę Vualdensis tom. 3 tit. 13. cap. 118. & Ioannis Gersonis Cancellarij Parisien. in Colloquio de 4 Meditatione spirituali par. 2. Pro veritate admittendi Purgatorium, & animabus ibi detentis, precibus, & pijs operibus auxiliandi, testimonia in Apologia Græcorum de purgatorio igne &c. Gabrielis Bielis in Canon. Missæ 56 & duobus sequentibus. Thomæ Vualden. tom. 3. tit. 11. cap. 107. Alphonsi Tostati Abulen. Episcopi in cap. 25. Matthæi quęst. 681. Et sic pro alijs Fidei Catholicę veritatibus adsunt similia testimonia, quæ nunc omittimus, videnda à lectore apud citatos Auctores, Genebrardum, Gualterium, & Bzouium, vt iam quę ad hæreticos, & hęresiarchas 16. seculi, eorumque sectas spectant, more nostro discutiamus.

Qui suam

Quisnam fuerit Martinus Lutherus? & qualiter Sectam plurium errorum formauerit?

REGVLA CCLXXXVIII.

5 PEperit Germania in Regione Saxoniæ, & Islebij circa annum Domini 1507. mõstrum præcæteris sæculorum præcedentium horrendissimum, & Catholicæ Ecclesiæ perniciosissimum, videlicet Martinum Lutherũ. 6 Qui post iuuenilem educationem, & emissã in Illustrissima Familia Sancti Augustini Regularem professionem, à Religione, & à Fide simul apostatauit; & ab Indulgentiarũ contemptu, ac reiectione, venenum suç hęreseos vomere incipiens, famosissimus hæresiarcha extitit, sectamque innumerabilium penè errorum instituit, adeoque locupletem ad hoc, vt per multæ aliæ hæresiarcharum sectæ ab ea dimanarint.

---

7 ANte declarationem doctrinæ in hac Regula contentæ, præmittendum aliquid in communi, quod ex omnium Scriptorum mente adducit Gualterius cap. 1. sec. 16. nimirùm, nunquàm fuisse Ecclesiam Catholicã ita hæresibus, ac hæreticarum sectis commotam, & diuexatã, sicuti fuit in isto sec. xvi. attenta tàm earum malignitate, quàm multitudine, & varietate. Quòd extiterint admodum malignæ, & peruersæ huius temporis hæreses, & ipsarum sectæ, constabit infrà 8 vbi sigillatim fuerint à Nobis expressæ. Nũc ingẽs, ac penè innumerabilis multitudo earumdem, & varietas, vel maximè ex eo innotescit, quòd, teste eodem Gualterio, tametsi diuersi, vt Lindanus, Prateolus, & Sanderus diligentissimam nauauerint operam in colligendis, & indicandis huiusmodi hæresiarcharum sectis, aut saltem synopticè in tabulas digerendis, nullus illorum id completè 9 præstare potuerit. Neq; ipse Gualterius iuit inficias se nequaquàm præstasse. Quòd si hic tantus vir, adeo excellens in hac professione ita de se ingenuè fatetur, & sentit, quid de me tantillo sperandum, & sentiendum?

10 Adde, quòd his nostris præcipuè diebus, dicta multitudo, & varietas sectarum hæreticę prauitatis in partibus Septentrionalibus in immensum excreuerit: Quippè vix est vllus hęreticorum minister, etiam in quouis paruo oppido, qui immutando ritus, & errores aliorum, nouosque addendo, gradum, & honorem hæresiarchę pertingere non in- 11 tendat. Id autem duplici via omninò certum, & exploratum habemus, tùm ex veridico testimonio Religiosissimi, ac Doctissimi Viri Patris Isidori de Sancto Ioseph ex Illustrissima Familia S. Teresę Consultoris in S. Officio Meliteñ ex Belgio oriundi, & consequenter circà ritus, & errores hæreticorũ 12 Septentrionalium admodum practici. Tùm ex innumeris penè processibus eorum, qui apud nostrum Tribunal S. Inquisitionis frequenter reconciliantur: nam haud vllus ferè reperitur, qui quoad errores alteri concordet, ob dissidium inter se Ministrorum. His sic præmissis.

13 De Martino Luthero iam primo loco, antequàm eius errores exprimamus, pauca attingẽda ex multis, quæ circa eius originem, educationem, & vitę prioris curriculum copiosè adducunt Scriptores, pręsertim Abrahamus Bzouius locis citandis. Ad annum Christi Domini 1517. num. 7. agit de ipsius natiuitate Islebij Oppido Saxonię in ditione Comitum Mansfeldensium ex Ioãne Luthero, & Margarita Lindemana coniugibus.

14 Quamquam nonnulli illum ab incubo cacodęmone ex dicta Margarita genitum fuisse 15 volunt, teste eodem Bzouio. Qui addit statim eodem num. 7. mutationem cognominis ab illo factam, priùs cùm ipse vocaretur duplici cognomine, nempè Lotter (sicut pater eius) seu Lautherus, quorum alterum, quòd hominem scurram, seu impurum, aut nebulonem; alterum verò Antichristi numerum, de quo in Apocalypsi, seu malum omen indicaret, vt vtrumque effugeret, Luther vocari voluit, quod Germanica lingua purum, seu lucidum sonat: sed cognomen (vt benè 16 ait ipse Bzouius) Lutherus mutare potuit, colorem tamen, & suum quasi fatum mutare non potuit, &c.

17 Prosequitur num. 8. idem Bzouius, qualiter à parentibus missus fuerit adhuc puerulus in Ciuitatem Magdeburg, vt primis literarum rudimentis imbueretur; vbi statim sui acris, & felicis, sed vehementis simul, ac pertinacis, impetuosique ingenij indicia manifestè prodidit: quam pertinaciam, atque impetuositatem parentes eius non fouendam, sed illicò in pueritia frangẽdam potiùs iudicarunt, idque diligentèr curarunt exequi & per se ipsos, & per præceptorem adeò rigidũ, vt aliquandò ab isto quinquies ille eodem die vapularet; vnde ipse tanti rigoris impatiens, semel & iterum ab eis aufugit.

18 Cum iam xv. ætatis annũ ageret, Magdeburgo discedẽs ex parentũ pręscripto Isenacum adijt, quę est Ciuitas Thuringię, vt ibi à consanguineis matris aliquid subsidij ad vitæ sustentationem acciperet; erant enim illorum facultates adeò tenues, vt ipsum alibi nequaquam sustentare possent; propterea coactus fuit sępius mendicato viuere vtrobi- 19 que, Magdeburgi, scilicet, & Isenaci. In ista Ciuitate per trienniũ mansit, & positis plusquam sufficienter Latinę linguę fundamẽtis transijt ad aliam nomine Erphordiã præ cæteris Regionis Thuringię amplitudine sua, & Vniuersitatis ornamento valdè insignem, vt 20 ibi vberiorẽ caperet ingenij culturam. Peracto itaq; Philosophiæ, ac liberaliũ artium nõ exigua cum laude curriculo, Iurisperitiæ studio adhæsit suasu amicorum, qui ipsum ad id aptum iudicabant.

21 Verũ ab eo paulò post omninò destitit ob eam causam, quòd perterritus duplici horribili casu, nempè quidã ex socijs, quẽ vnicè diligebat inopinato confossus perijt, & ipse

dum iter ageret Erphordiam versus, suborta tẽpestate à fulminis ictu periculosissimo, implorata D. Annę intercessione, emisso voto amplectendi vitã religiosam, miraculosè se liberauit: pro eius adimpletione Religionem Augustinianam statim ingressus fuerit, mirantibus valdè cunctis eius familiaribus, qui hactenus in ipso nullam pietatis, aut religionis scintillam, sed potius manifesta omnium vitiorum, ad quæ iuuenilis ætas procliuis esse solet, semina, & indicia iugiter videbant. Ingressum autem filij in Religionem audiens pater non solum ægrè admodum tulit, sed excurrens etiam Erphordiam, post obiurgationem, quòd se inconsulto, monasticæ vitæ iugum subijsset, conatus est quantum potuit, vt à suscepto itinere retrotraheretur: infructuosi tamen extiterũt huiusmodi conatus.

22

23 Expleto tyrocinij tempore, & emissa solẽni votorum professione, vt nu. 9. & 10. eiusdem anni 1517. ait idem Bzouius, studijs Scholasticæ Theologiæ se totum tradidit, adeoque ingentes progressus in eis fecit, vt laurea Doctoris summa cum omnium approbatione insigniri meruerit in ijs Theologiæ, Philosophiæ, ac bonarum artium facultatibus, quas statim Vvittembergę aliquandiù professus est. Hinc Lutherus vbique incępit nimis cornua erigere, & quoad literaturam, maximè in arguendo, & defendendo, omnibus non solum sui Ordinis Augustiniani, sed cuiusuis etiam alterius, ac cuiuscumque status hominibus superbissime se præferre; tametsi multis tunc vitijs obscuraretur. Audi qualiter à citato Bzouio ex Gesnero Lutherano depingatur.

24

25 Fuit idem, inquit, magnę lectionis, vt qui quatuordecim annis, quibus regularem egit vitam, bonos libros sedulò euoluerit: Nullus vel in Philosophia, vel Theologia cum ipso Sophista congressus est, quem non labyrintheis nexibus inuoluerit; adeò, vt plerique totius Ordinis primas ipsi inter scholasticos disputatores detulerint. Sed hæc omnia æquabant, & contaminabant ingentia vitia, in primis fera quædam, insolens, & intolerabilis arrogantia. Dissimulari non potest, inquit, Gesnerus, Lutherum ingenio fuisse vehementi, & qui neminem, qui cum ipso non sentiret, ferre posset. Adeò impatientis hominis animũ ambitio transuersum rapiebat: merum virus lingua eius fundebat, adeò, vt aculeos eius, & morsus vix quisquam etiam amicorum potuerit effugere. Quinetiam ne sanctissimorum quidem hominum cineri pepercit. Tantum certè sibi tribuebat, vt tãquam alter Iupiter Mineruam capite inclusã tenere, aut tanquam Hyppias alter omnia præterita, & futura scire se arbitraretur. Hęc ille, & post multa, sic.

26

27

28 Quin & sui, inquit, nu. 11 fiducia elatus, D. Thomam, aliosque scholæ Doctores inter docendum carpere cępit, & sugillare: quasi paulatim viam sibi sterneret ad explodẽdos hoc genus Theologos, & euertendam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, quam scholastici à maioribus suis acceptam, adhibitaq; methodo diligenter explicatã posteris tradiderunt.

29 Iam & in disputationibus acer erat, ac vehemens, & in concionibus ad populum felix: vtrobique enim in scholis, & Ecclesia laborem subibat; quare multorum animos, in primis vero Federici Principis Electoris, sibi conciliauit, cui nouerat hoc vnum in votis esse, vt Vniuersitas auspicijs ipsius non ita pridem erecta, continuis virorum insignium laboribus, & industria magis magisq; efflorescceret; quam ad rem omniũ iudicio Lutherus magnum allaturus momẽtum reputabatur. Ita ibi, & post pauca ex Vvilhelmo Lindano lib. Dubitantiũ ferè totidem verb. sic idẽ Bzou.

30 Fretus hoc, inquit, pręsidio Lutherus, non liberè minus, quàm insolenter, & proterue scholasticis cõtradicebat, quæq; erant in scholis omnium consensu recepta vocabat in dubium, & à cõmuni Doctorum sententia frequenter in diuersum ibat. Has autem nouas variasq; quæstiones non tam ingenij cõfidentia, aut doctrinæ præstantia, quã contentionis studio, rixandiq; libidine, iam annos aliquot in Aristotele, & huius ętatis sophismatibus haud infeliciter exercitatus spargere aggrediebatur, non solũ Vvittẽbergę, vbi Theologiã profitebatur, sed Heidelbergam quoq; cursitabat, vanissimũ glorię quęritandę mãcipiũ disputaturiens. Atq; themata valuis affigẽs, de libero arbitrio, de operũ meritis, de indulgẽtijs, de pęnitentia, & iustificatione, ac de illo in primis articulo symboli, *Credo remissionem peccatorũ*, quẽ vt sensu nouo, atq; alijs inaudito, veteribusq; ignoto, ita à deliro quodã sene Augustiniani Ordinis hausto, vbi deprauasset, magnã istam exitialẽ Germaniis mouit tragędiã, quæ vti rei Ecclesiæ peruersionẽ, ita Imperij etiã labefactationẽ cõplexa videri queat. Vnde Lutherũ turbarũ omniũ Germaniæ causã esse fatetur Ioachimus Camerarius, culpamq; omniũ ærumnarum, quibus adhuc conflictatur Resp. Christiana, trãsfert in illius cõtentiones. Hactenus Bzo.

31

32

33

34 Apud quẽ, & apud Lindanũ citatũ, ac alios multò plura inuenies pro cognoscẽda magis qualitate huius peruersissimi hæresiarchę, cuius sectæ institutionẽ nostrũ est nunc indicare per expressionẽ errorũ contra fidẽ catholicã, quos ipse vel ab antiquis hęresiarchis inuẽtos, vel iã extinctos denuò excitauit, vel peculiari suggestione Dęmonis huc vsq; inauditos adinuenit. Dicta autẽ expressio ordine alphabetico adducitur egregiè per extẽsum à Prateol, lib. 10. Elechi, verb. Lutherani, nu. 15. sed præstat eã accipere breuiorẽ non seruato tali ordine, sed magis vberẽ, quoad numerũ errorũ, à nostro Gualt. ann. 1600. cap. 1. citatis auctoribus, vti ab ipso citãtur, ex quibus desumit, præcipuè ex d. Prateol.

35

36 I. Lutherus magnã partem Scripturæ sacræ, vti apocrypham resecauit, ac repudiauit, nempe Tobiam, Iudith, multa capita Esther, Iob, Ecclesiasten, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, partem aliquam Danielis,

lis, libros Machabeorum, Epistolam S. Pauli ad Hæbreos, Epistolam S. Iacobi, secundam D. Petri, duas vltimas S. Ioannis, Epistolam D. Iudæ, & Apocalypsim. Vide Bellarmin. lib 1. de verbo Dei, & Prateol. ac Gualter. relatos.

37 II. Docuit, ac tenuit, Sanctos nō esse honorandos, neq; inuocandos; propterea ægrè ferebat eorum festa celebrari, cupiebatque abrogata esse. Ita Castrus, verb. Sancti, Prateol. & Gualter. ibid.

38 III. Reijciebat Lutherus scientias speculatiuas, & quamcumque earum errorem vocabat. Castr. verb. Scientia, & Prateol. ac Gualter. ibid.

39 IV. Non admittit ille in homine liberum arbitrium, & consequentèr omnia necessitate absoluta, & ineuitabili euenire affirmabat Castr. verb. libertas hæres. 1. Prateol. & Gualter. ibid.

40 V. Ex eodem erroneo principio, quòd homo careat libero arbitrio, & omnia ex necessitate fiant, deducebant Lutherani alium errorem, nimirum, orationem esse inutilem. Castr. verb. Oratio, hæres. 3. & Gualter. ibid.

41 VI. Falsum fuit dogma Lutheri, quòd homo gratia Dei excidens, nihil aliud facere possit, nisi peccatum, Castr. verb. Libertas, hæres. 1. Prateol. & Gualter. cit.

42 VII. Ecclesiam Catholicam ex solis hominibus bonis constitui defendebat ille pertinaciter, Castr. verb. Ecclesia, hæres. 1. Prateol. & Gualter. ibid.

43 VIII. Docuit Lutherus neque Apostolos, neque Prælatos illorum successores, habere à Christo Domino vllam auctoritatem condendi canones, aut leges. Prateol. & Gualter. ibid.

44 IX. Item, quòd Concilium Generale etiā ritè congregatum possit errare circa fidem, & circa mores. Prateol. & Gualter. cit.

45 X Nequaquam esse licitum vllis humanis legibus aliquem obstringere, sed posse vnūquemque, prout libuerit, viuere, affirmabat Lutherus; atque hinc concludebat, non solum esse licitam, sed etiam necessariam cęlibatus, & Monachatus violationem. Prateol. & Gualter. cit.

46 XI. Dein aiebat ille, quòd haud sit obtēperādum Prælatis, nisi in in rebus à scriptura manifestè expressis. ibid Prateol. & Gualter.

47 XII. De Summo Pontifice ita sentiebat, videlicet, eum non esse alijs Episcopis superiorem. item nomen Papæ nihil aliud esse, nisi Regnum Babylonis; atque ipsius Principatū esse tyrannicum. Ita Castr. verb. Papa, Prateol. & Gualter. loc. cit.

48 XIII. Ex sententia Lutheri Antichristus non est particularis aliqua persona, sed diuersis tribuitur, præsertim cuiuis Summo Pontifici. Feuardentius in Appendice ad Castr. verb. Antichristus, & Gualterius vbi supra.

49 XIV. Non solum errabat ille circa Papam sed hunc etiam, quicunque esset, quoad poterat, continuò persequebatur. De quo sic Prateol. ibid. num. 39. Adeò autem, inquit, Papæ odium imbiberat, vt si etiam in cineres redigeretur, ad eum insectandum reuicturum se putaret, & assereret. Omnium enim suorum scriptorum is vnus est scopus, vt Papam, si possit, à sua sede deijciat, ac deturbet, omnemque, quam à Christo in terris

50 habet, potestatem adimat. Et vt hoc consequeretur, nihil intentatum reliquit, nullumque non mouit lapidem. Nam pro hac re tuenda, totam Ecclesiæ domum subruere, & funditus euertere modis omnibus curanit. Hæc ille; atque infrà prosequens vitam Lutheri ex Lindano adducto, addit.

51 Rursus, inquit, libro contra Regem Angliæ, viuens, ait: Papatus hostis ero; exustus bis hostis ero: facite porci Thomistæ, quod potestis: Lutherum habebitis vrsum in via,

52 leænam in semita Porrò, quàm fuerit istud Lutheri in Romanum Pōtificem odium planè internecinum, testatur eius epitaphium, quod sibi viuo (ait Pomeranus) composuit.

Pestis eram viuus, moriens tua mors ero, Papa.

53 Quod adeò verum esse affirmat Pomeranus oratione funebri in exequijs Lutheri, vt prophetiæ elogio exornare non dubitarit.

54 XV. Ecclesiam, seu personas Ecclesiasticas non posse, nec debere habere bona, agros, vllasue possessiones, statuit Lutherus vti certum. Hincque suadebat Principibus sæcularibus, vt Ecclesiam suis rebus spoliarent; cuius suasionis effecta innumera, tum in Germania, tum in Gallia, alijsque in locis extiterunt. Ita Castrus verb Ecclesia, hæres. 4. Prateol. & Gualter. ibid.

55 XVI. Docuit item, excommunicationem non esse timendam, sed cum gaudio suscipiēdam, atque adeò procurandam. Prateol. verb. Lutherani, num. 17. & Gualterius ibid.

56 XVII. Si non Lutherus, at certè quidam eius discipuli, Sāctorum Imagines impugnarunt. Castr. verb. Imago, hæres. 1. & Gualter. loc. cit.

57 XVIII. Turpissimè errauit circa iustificationem nostram, affirmans eam esse sitam in sola peccatorum remissione, absque vlla interni hominis renouatione. Sander. hæres. 182. & Gualter. ibid.

58 XIX. Affirmans itèm non produci à Deo iustitiam in nobis, neque in nobis inhærere; sed Christi dumtaxat iustitiā nobis propter fidem imputari; addens, semper in nobis manere peccatum. Ita ibid. Sander. & Gualter.

59 XX. Docuit præterea sola fide homines iustificari, & nullo modo ad eorum iustificationem esse necessaria opera, neque ad eam ipsa vllo pacto concurrere, etiam dato quòd fiat. Castr. verb. Spes. verb. Fiducia, & verb. Opera. Prateol. & Gualter. ibid.

60 XXI. Tenuit quoque Lutherus, quòd iustus certò, etiam certitudine fidei, sciat se esse in statu gratiæ, quamuis nullam eius reuelationem specialem habuerit. Castr. verb. Gratia, hæres. 3. Sander. Prateol. & Gualter. cit.

61 XXII. Error illius maximus, Christianum non posse salutem perdere, tametsi vellet, nisi velit non credere, quoniam (aiebat Luthe- nis in sua captiuitate Babylonica, & alibi) nullum peccatum inferre damnationem potest, nisi incredulitas; cæteraque omnia peccata ab eadem fide momento absorbentur. Ita totidem verbis Gualter. ibid. cum Sander. cit.

62 XXIII. Auget eundem errorem id, quod consequenter addit, nempe peccata non imputari habenti fidem. Ita Castr. verb. peccatum. Hæres. 5. & Gualter. ibid.

63 XXIV. Hinc deducit nullum aliud peccatum reperiri, nisi infidelitatem. Castr. verb. peccatum, hęres. 10. & Gualterius ibidem.

64 XXV. Secundùm eosdem Castrum, verb. Fides, hæres. 3. Prateol. & Gualter. citatos, parùm concordat cum præcedentibus id, quod Lutherus adiûgit, nempè quouis peccato lethifero fidem Christianam amitti.

65 XXVI. Dein ait, nullum esse præceptum in tota lege Euangelica, sed exhortationes dumtaxat, & obsecrationes. Castr. verb. Euangelium, hęres. 1. & verb. Pręceptum, hæres. 1. Prateolus, & Gualterius citati.

66 XXVII. Docet item, Deum pręcepisse nobis seruatu impossibilia; exemplificat peculiariter in pręcepto diligendi Deum, & in præcepto, Non concupisces: hæc enim duo dicit non posse in hac vita seruari. Castrus verb. Præceptum, hęres. 4. Prateol. Sander. & Gualter. citati.

67 XXVIII. Testatur ipse primos hominis motus esse peccata. Ita Sander. vbi suprà, & Gualter. cit.

68 XXIX. Timorem quemuis seruilem, idest, qui ob pœnam à peccato auocat, ait Lutherus esse inutilem, imò perniciosum. Castr. verb. Timor Dei hęres. 1. & idem Gualterius.

69 XXX. Asseruit nullum esse hominis meritum ad gloriam consequendam. Tantum enim gratiæ tribuit, vt non relinquat locum libero arbitrio, neque hominis operibus; quę non solum reijcit tanquàm ad salutem conse- 70 quendam inutilia; sed etiam damnat, affirmans, quæuis opera hominis quantumuis benè sint facta, esse peccata. Prateol. verb. meritum, & verb. opera, Gualterius ibidem.

71 XXXI. Nihil discriminis esse in Euangelio (hoc è diametro pugnat cum tradito num. 26.) inter consilia, & pręcepta, eaque omnia, quæ in Euangelio commendantur, esse pręcepta: Nihil Deo gratum esse, nisi quod ipse pręceperit; ac consequenter consilia esse interdicta. Castrus, verb. Pręceptum, hęres. 2. Prateol. & Gualter. loc. cit.

72 XXXII. Circa quatuor inde errabat Lutherus, primo, Quòd mendicitas religiosa sit lege diuina prohibita. Castr. verb. mendicitas, Prateol. & Gualter. ibid.

73 XXXIII. Dein, quòd obedientia non sit Prælatis exhibenda, quamuis ad eam se voto quis obstrinxerit. Castr. verb. votum, Prateol. & Gualter. ibid.

74 XXXIV. Item, quòd cęlibatus censeatur inhibitus, virginitas sit mala, diuino mandato opposita, & obseruatu impossibilis. Castrus verb. Virginitas, Prateol. & Gualterius ibid.

75 XXXV. Tandèm, quòd status monachalis, seu religiosus sit damnabilis, votaque religiosa, monastica, vti impia, & diabolica retractari debeant. Castrus verb. Monachatus, & verb. Votum. Prateolus, & Gualterius ibidem.

76 XXXVI. Circa Indulgentias, & satisfactiones quid? Audi Prateolum ibid. sic. Et cum Purgatorium, inquit, admittat, negat tamen vllam fore pro peccatis satisfactionem: dicit enim illum obligatum non esse ad alicuius pœnæ satisfactionem, qui à culpa fuerit absolutus, indeque adeò eum liberum esse ab omni pœna; ex quo colligit Indulgẽtias nullius esse momenti: sed eas asserit pias esse fraudes fidelium. Hactenus verba Prateoli.

77 Nulli autem mirum videri debet, quòd tam erronee, tamque impudenter locutus fuerit Lutherus contra Indulgentias, quas dudum vti valdè vtiles admiserat, & laudauerat, cum occasione earum ipse à Catholica exiuerit Ecclesia. Casum abundè referunt Scriptores, præsertim Bzouius in Annalibus dicto anno 1517. à num. 14. ad quem te remitto: Nunc paucis accipe ab eodem Prateolo ex Lindano desumptis.

78 Illud ergò, inquit, nouæ doctrinæ genus cùm magna ingenioli ostentatione, maximaque iactaret verborum contentione Lutherus, contigit Leonem Romanum Pontificem Templi Romæ D. Petro à Iulio Secundo inchoati, tandem absoluendi, aut (vti ait Tilius) Turcici belli causa, Indulgentias, atque peccatorum condonationes, siue pœnarum relaxationes elargiri, quas Archiepiscopo Moguntino per Germaniam distribuen- 79 das, has Augustiniani commendatas solebant populo proponere. Verùm Moguntinus hoc tempore illas ad Dominicanos trãstulit inuulgandas: vndè simultas inter illorum Mendicantium Ordines haud sanè leuis 80 exorta fuit. Lutherus vt erat ingenio acri, vbi quæstum ad se, suosque redire solitum, aliò cum animi dolore, rei culinariæ detrimento videret translatum, cum non valeret eripere, studuit saltem impedire, alijsque optatam illam prædam imminuere, vt si totam non excuteret, saltèm maiori ex parte aucrteret.

81 Publicè igitur, anno 1516. in Indulgentiarum vim, atque efficaciam est inter concionandum magna cum animi contentione inuectus. Huic turbæ frigidam infundebat Staupitius Augustinianorum Prouincialis, vehementer illis obtrectans, earumq; vim extenuans. Contra Tetzelius Dominicanus sua pro auctoritate illas propugnabat.

Mutuis ergo, contrarijsq; assertionibus populo Saxoniæ dubitandi ansam præbuere, opinionibus per contentionum studia in peius declinantibus. Cum Lutherus etiam Indulgentiarum potius abusum, quam legitimum earum vsum, quem antea laudauerat, fuerit insectatus, qui & ipse cum suis ob earum promulgationem, maximoperè speratum soliti iam quæstus lucrum, multò sane maximum captarat. ita ille, apud quem inuenies plura circa hoc.

83 XXXVII. Errauit Lutherus affirmans ieiunium nullius esse meriti; & quod sit licitum quibuslibet vti cibis omni tempore, etiam diebus Veneris, & Sabbathi. secundum traditur à Castro, verb cibus, hæref. 2. & vtrumque à Prateolo, & Gualterio citat.

84 XXXVIII. Ait Lutherus, quod sit merè nouum Theologorum commentum, affirmare per aliquod sacramẽtum imprimi characterem. Castr. verb. character Prateolus, & Gualterius ibidem.

85 XXXIX. Hęresis censetur ab illo asserere, per aliquod sacramentum conferri gratiam recipienti illud, quæcunque sit eius præparatio. Prateol. & Gualter. cit.

86 XL. Admittit Lutherus Baptistimum, negat tamẽ peccatum per ipsum delirio. Castr. verb. Baptismus hær. 10. Gual. ibid.

87 XLI. De Confirmatione verò sic loquitur ipse, quod non sit sacramentum, neque gratiam conferat; sed quòd mera ceremonia, & ritus quidam existat. ita Prateolus, & Gualterius ibidem.

88 XLII. Multipliciter errauit circa Eucharistiam, & celebrationem Missæ. Primo, Reijciendam ait transubstantiationẽ eucharisticam, nempe conuersionem panis in corpus & vini in sangninem Iesu Christi, ipsumque eundem panem, ac ipsum idem vinum, quod ante consecrationem erat, etiam post consecrationem manere. Castr. verb. Eucharistia, hæref. 5. Prateol. & Gualter loc. cit.

89 XLIII. Dein asserit non esse in Eucharistia verum Christi Domini corpus secundũ existentiam permanentem, sed tantum secundum vsum, id est, eo dumtaxat tempore, quo manducatur, & sumitur: Ac consequenter Eucharistiã in Altari, aut alibi nunquã esse seruandam post celebratam Missam, etiã quacunq. occurrente necessitate. Castr. eodem verb. Eucharistia hæref. 12. Prateolus, & Gualterius ibidem,

90 XLIV. Præterea docet, vnicuiq. Christiano cuiusuis sexus, & conditionis necessariã esse cõmunionem sub vtraq. specie, panis, scilicet, & vini, adeò vt peccãt, si aliter fecerit. Prat. & Gualterius loco citato.

91 XLV. Item, quod Eucharistiæ communioni non debet premitti peccatorum examen, aut confessio, vllaue pœnitẽtia, sed quod sufficiat sola fides, qua quis credat, & cõfidat, se in ea gratiam accepturum. Castr. verb. Eucharistia, hæref. 10. Prateol. Gualt. ibid.

92 XLVI. Voluit etiam, quod in Missę celebratione non sit admittenda aqua, licet id dubitans, & fluctuans asserat. Sander. hęres 204. pag. 925. & Gualt. ibid.

93 XLVII. Verum, quam acerbus hostis fuerit Lutherus peculiariter contra sacrificiũ Missæ, audiamus Prateolum ibid. qualiter id exprimat. Non solum, inquit, negat Missam esse à Christo Domino institutam, sed eam prętcrea negat esse sacrificium: imo, quod multo peius est, illam negat esse aliquod bonum opus: tanto odio illam prosequens, & aduersus eam librum scribere non erubuerit, cui titulum fecit. De abroganda Missa.

94 Eius verba in eo libro sunt hæc. Missę, quas Sacrificia vocant, summa sunt idololatria, & impietas. ita ille.

95 XLVIII. Denique tenuit non posse offerri Missam pro peccatis; neque prodesse alijs, siue viuis, siue defunctis, sed soli Presbytero Castr. verb. Missa hæref. 3. & Gualterius ibidem.

96 XLIX. Plures etiam fuerunt Lutheri errores circa sacramentum Pœnitentię, & partes eius. Primo quod non constet ex tribus partibus, & quod optima pœnitentia sit noua vita. Castr. verb. Pœnitentia hęr. 1. Prateolus, & Gualterius ibid.

97 L Errauit secundò dicens eam contritionem, aut pœnitentiam, quæ initium sumit ab horrore inferni, esse perniciosam, atque adeò peccatum, vnde reprobatur ab illo Castr. verb. contritio Prat. & Gual. ibid.

98 LI. Tertiò, quod confessio auricularis nõ à Deo, sed ab hominibus fuerit instituta. Prat. & Gualter. loc. cit.

99 LII. Quartò, absolutionem vsque adeò esse à sola fide: vt pœnitens verè absolutus sit dummodo illud ita esse credat, licet contritione careat, neque certo à sacerdote absolutus sit, sed tantum ioco. Castr. verb. absolutio, hær. 1. Prat. & Gualt. ibidem.

100 LIII. Quinto, in pœnitentia, & remissione peccatorum nihil amplius facere Papam, vel Episcopum, quam minimum sacerdotem: quin etiam, si desit sacerdos, quemlibet Christianum, imò fęminam, imò puerum, posse idem ęquè perficere Castr. verb. absolutio hæref. 2. Prat. & Gualt. ibid.

101 LIV. Tandem, quod nemo, vbi absolulutus fuerit, satisfactionis nexu obligatus teneatur, Castr. verb. satisfactio. Prateolus & Gualterius loco citato.

102 LV. Errauit Lutherus, dum conatus fuit sacramentum ordinis ab ecclesia reijcere, affirmãs Ordinem neque esse sacramentum, neque in eo esse vllam imparitatem, vt vnus ordo sit alio, vel dignitate, vel potestate maior, aut eminentior: sed omnes Christianos dicit esse in eodem ordinis gradu. Ita Prateol. citat. ferè totidem verbis, & Castr. verb. ordo sacramentum.

103 LVI. Fuit etiam error Lutheri, extremam Vnctionem non esse sacramentum; admittebat tamen vt ceremoniam. Vide Bellarminum lib. de extrema vnctione, c. 1. Prateolum & Gualterium citat.

104 LVII. Admittit quidem Lutherus Purga-

gatorium; negat tamē probari posse ex scriptura sacra: in quo, vt benè notauit Prateolus citat. manifestò sibi contradicit, cum alibi doceat, nihil esse credendum, quod apertè non possit ex sacris literis colligi. Castr. verb. Purgatorium, & Gualt. ibidem.

105 LVIII. Ait item, Animas in purgatorio detentas posse adhuc mereri, ac demereri, & consequenter eas de sua salute non esse securas. Castr. verb. purgatorium hæres. 25. Prateolus, & Gualter. loc. citat.

106 LIX. Addit ille, quod dictę animæ in purgatorio assiduè peccent, quia quærunt quæ sua sunt contra voluntatem Dei. Castr. verb purgatorium, hæres. 4. & Gualt. ibid.

107 LX. Error item fuit Lutheri, quod matrimonium inter Christi fideles initum nequaquam sit sacramentum. Ita Castr. verb. nuptiæ, hęres. 4. & Gualter. ibid.

108 LXI. Dein, quod sacerdotes non teneātur cælibatum obseruare, sed quod possint matrimonium inire. Hinc ipse Ecclesiam ab vxoribus sacerdotes abstinere cogentem

109 irridebat. Vt vero (ait Prateolus) quod verbo docebat, opere confirmaret, monialē: quandam seductam sibi matrimonio copulauit, ex qua etiam aliquot suscepit filios cuius exemplo motus idem fecit Ioannes Oecolampadius, qui Monachus fuerat ordinis D. Brigidę. Eidem errori adhęsit verbo, & opere Vvolffgangus Capito argētinensis.

110 Quo mortuo eius vxorem accepit Martinus Bucerus: & hoc idem fecerat prius Andreas Carolstadius, idemque fecerant ferè quotquot Lutherano nomine censentur sacerdotes, & monachi. huc vsque Prateol.

111 LXII. Quod polygamia sit licita, hoc est liceat viro simul plures habere vxores, defendit Lutherus in propositionib. 61 65 & 66 de Bigamia Episcoporum, & in Genes. 26. edit. 1525. lege Bellarm. lib. de matrimonio cap. 10 & Gualter.

112 LXIII. Item, quod sit licitum coniugi permutare coniugem, quoties alter ab altero ad furtum aliudue peccatum inducitur, docuit idem Lutherus, lib in 1. Cor. 7. vt affert idem Bellarmin. ibid. cap. 15. & cum eo Gualter. cit. cit.

113 LXIV. Idem esse licitum vxori, si à virò ethnico, vel pseudochristiano deseratur, docuit etiam ille ibidem, vt tradit ibidem Gualrerius.

114 LXV. Docuit præterea Lutherus, lib. de causis matrimonialibus, posse diuortium fieri, & matrimonium dissolui inter maritum pauperem, & vxorem diuitem, quam ille ne retinere queat, ab eius propinquis, vel amicis impeditur. Traditur a Gualterio ibidem.

115 LXVI. Similiter posse dissolui matrimonium, si coniugati ęgrè cohabitare valeant ob frequentes rixas, asserit Lutherus dict. lib. in 1. Cor. 7. affert Gualterius ibidem.

116 LXVII. Tenet etiam ipse in sermone de matrimonio habito anno 1522. tom. 5. quod possit vir vxorem ducere patruelem suam, aut consobrinam, imò & neptem ex fratre, vel sorore. adducit loco cit. Gualt.

117 LXVIII. Addit etiam ibidem (quamuis fluctuando, & dubitando loquatur) quod possit frater matrimonio sibi copulare sororem suam paternam vel maternam, id est, dummodo non ex vtroque parēte soror existat Ita Gualter. citat.

118 LXIX. De diuortio etiam ibidem affirmat, quod possit dissolui matrimonium, & iniri aliud, quando alter coniux alteri debitam beneuolentiam, vel debitum coniugale deneget. *Hic opportunum est* (inquit ipse Lutherus) *vt maritus dicat: Si tu nolueris, alia volet: si domina nolit, adueniat ancilla*. ita refert cit. Gualterius.

119 LXX. Errauit item Lutherus dicens, omnes cuiusuis sint conditionis, exceptis, qui prædicationi operam nauant, teneri vitã sibi manuum opere comparare, ita vt mendicare non liceat, ne Religiosis quidem id ipsum profitentibus. Gualter. ibidem.

120 LXXI. Nequaquam esse licitum, defendit Lutherus, vlli qui iniuriam patitur, coram Iudice expetere, vt illa sarciatur. Ita Castr. verb. iniuria. Prat. & Gualt. ibid.

121 LXXII. Tandem errauit ille, iudicans nefas esse bellū gerere cum Turcis; quandoquidem (aiebat ipse) illud est refragari voluntati Dei, qui per illos visitat, ac corrigit in quitates nostras. Ita Castrus verb. bellum, hæres. 2. prateol. & Gualterius loco citato.

122 De erroribus hactenus Lutheri, ac Lutheranorum, non quidem de omnibus, cum adinaton censeatur eos ad vnum enumerare, eo quod ad quascumque fidei veritates se extendant: de quo sic Prateolus loco citato.

123 Tot denique, inquit, sunt peruersa peruersi Lutheri dogmata, vt vix sit res vlla ad fidem, aut probos mores spectans, de qua non docuerit impium aliquid Lutherus.

124 Ex quibus omnibus iam manifestissimū apparet, quam vana, quamque ridicula, ac prorsus falsa sint illa encomia, quæ de hoc pessimo, atque perniciosissimo hæresiarcha diuersi eiusdem farinæ homines protulerūt. Attingam cum Gualterio relato vnum, vel

125 alterum, ne nimis diffundi videar. En qualiter Caluinus lib. 1. de libero arbitrio contra Albertum Pighium in eius laudem. *Non dissimulanter*, inquit, *testamur Lutherum nos habere pro insigni Christi Apostolo, cuius maximè opera, & ministerio restituta*

126 *hoc tempore fuit Euangelij puritas*. et rursum in eodem lib. *Res ipsa clamat, non Lutherum initio loquutum, sed Deum per os eius fulminasse*. ita ille.

127 En qualiter eundem laudanus Beza in prætensis suis virorum Illustrium Iconibus, ait, Lutherum Euangelicę lucis flammæ è densissimis tenebris sensim proferendæ præconem, à Deo Opt. Max. humani generis misserto excitatum, & ad repurgandum Dei Tem-

128 Tertiplum euocatum esse. Et paulo post. Lutheri laboribus tantum debere Ecclesiam instauratam, quantum à multis sęculis vix cuiquam debet. hæc Beza: nec est, cur aliud hoc spectans addatur.

129 Superest ostendenda vltima pars Regulæ, quomodo ex secta Lutheri alię multæ originem sumant: quibus omnibus cum secta Lutheri hoc imprimis commune est, quòd tam institutores, quam sequaces earum, E-

130 uangelicorum nomen sibi tribuant. Quia vnaquæque cum condemnatione alterius falsissimè, & superbissimè sibi arrogat, fuisse à se verbum Dei, pręcipuè Euangelium, instauratum, & in pristinũ nitorem restitutum quod fuerat prius corruptum, & adulteratum; cum nulla denuò extiterit Lutheranorum, seu Euangelicorum secta, quæ non magis ac magis ipsum Dei verbum corruperit, vt benè cum Lindano ostendit Prateolus, vbi supra, vers. Ex his tandem.

131 Circa multitudinem autem ingentem, & diuersitatem sectarum à dicta Lutherana dimanantium, sic loquitur in communi idem Prateol. paulò post ex eodem Lindano.

132 Itaque cum captiuitatem, inquit, quandam Babylonicam Draco ille Apocalypsicus nunc Dei permissu solutus, per Lutherum, aliosque Euangelicos istos populo Dei moliretur inducere, varias paulatim sectas prætextu Euangelij inuexit per quosdam improbos, qui rem istam Reip. Christianæ perniciosam, ac Romano Imperio exitialem

133 suo procurarent studio. Euangelicorum igitur, qui Euangelij istius noui, quod iactant, doctrinam per Lutherum, aliosue adulteratam sectantur, in tres distinguas commodissimè classes: tametsi tanta sit varietas, confusio, & doctrinæ inconstantia, vt tot existant ferè factiones, quot capita:

134 tot propè hæresiarchæ, quot sectarij. Alij namque sunt Lutherani, alij Semilutherani; alij Antilutherani: de quorum nobilioribus tantum factionibus in hoc opere, secundum Alphabeti ordinem reperire licet titulos, & capita.

135 Nam si quis omnes huius fermentati sæculi errores (ait Hedio epistola ad Melanchthonem) numeret de fide Trinitatis, de Christo Deo, sacramentis, & cæteris ferè totidem inueniet, quot ætas habuit Augustini, idest 128. hactenus Prateolus.

136 Quamuis autem in sequentibus Regulis magis peculiariter explicabuntur à nobis præcipuè ex sectis, quę à Lutherana deriuantur: quin etiam de singulis ferè minus præcipuis aliquid cum Gualterio dicemus; opportunum tamen duxi, apponere hic earum catalogum ea diuisione, & forma, seù tabella, sub qua proponitur ab ipso Prateolo initio sui Elenchi ex Lindano, & Staphylo.

Nostri sæculi sectarum ex Lutheri pseudoeuangelio natarum catalogus è Lindani Ruræmundensis Episcopi Dubitantio desumptus.

137 Euangelicorum igitur, qui Euangelij istius noui, quod iactant, doctrinã per Lutherum, aliosue adulteratam sectantur, tres classes reperiuntur.

138 videlicet (Lutherani / Semilutherani / Antilutherani) Ab anno 1517. vsque ad annum 1567.

Prima Euangelicorum Classis.

139. Lutherani.

Illyricani.	1.
Maiorani.	2.
Antinomi.	3.
Ianenses.	4.
Osiandrani.	5.
Stancariani.	6.
Musculani.	7.
Iustificatorij.	8.
Mansfeldenses.	9.
Pastillarij.	10.

Secunda Euangelicorum Classis.

140. Semilutherani.

Interimistæ.	1.
Adiaphoristæ.	2.
Luteroansiandriani.	3.
Luthero Zuingliani.	4.
Vbiquetij.	5.
Belliani.	6.
Heshusij.	7.
Melancthonici.	8.
Frontores.	9.
Luthero papistę.	10.

Tertia Euangelicorum Classis.

141. Antilutherani.

Sacramentarij.	1.
Zuingliani.	2.
Oecolampadiani.	3.
Martyriani.	4.
Bucerani.	5.
Farrellistæ.	6.
Caluinistæ.	7.
Bezanitæ.	8.
Boquinij.	9.
Richerij, seu Marcionistæ.	10.
Valentinistę.	11.
Seruetiani.	12.
Alascanij.	13.
Campanistæ.	14.
Hamstedij.	15.

Antilutherani.

Suuencfeldiani.	16.
Postellani.	17.
Deistæ, seu Trinitarij.	18
Antimariani.	19.
Anabaptistæ.	20.
Muntzerici.	21.
Apostolici.	22.
Nudipedes.	23.
Spirituales.	24.

Catha-

Antilutherani.

Cathari.	25.
Tacentes.	26.
Euchutæ.	27.
Enthusiastę.	28.
Adamitæ, seu Adamiani.	29.
Mennonitæ.	30.
Tibbæ.	31.
Malimpi.	32.
Liberi.	33.
Adiaphori.	34.
Hutitæ.	35.
Ambrosiani.	36.
Augustiniani.	37.
Melchioritæ.	38
Monasterienses.	39.
Clancularij.	40.
Manifestarij.	41.
Baculares.	42.
Scripturarij.	43.
Ollarij.	44.
Dauid georgiani.	45.
Batemburgici.	46.
Pacifici.	47.
Pastoricidæ.	48.
Sanguinarij.	49.
Aegidiani.	50.
Libertini.	51.
Quintinistæ.	52.
Antichristianl.	53.
Dęmoniaci.	54.
Dęmonicolæ.	55.
Epicurei, seu Athei.	56.

142 Isthæc est origo Martini Lutheri Quinti Euangelistæ, genealogia, seu posteritas, aut successio.

143 Hanc rursùs Staphylus libro quem de Lutheranorum inter se concordia edidit, in tres immundos spiritus, seu busonos partitur.

Nempè. Anabaptistas.
Sacramentarios;
& Homologistas, seu Confessionistas, qui Protestantes Ecclesiastæ nuncupantur.

144 Primus itaque (inquit) spiritus immũdus, seu buso, est Bernardus Rotmanus, laicus quidem ille, & indoctus, filius tamen Lutheri, & pater Anabaptistarum, qui cępit anno Domini 1524. ex eo prodiere.

Muntzerani.	1.
Adamitæ.	2.
Stebleri.	3.
Sabbatarij.	4.
Clancularij.	5.
Manifestarij.	6.
Dæmoniaci.	7.
Communia habentes.	8.
Condormientes.	9.
Eiulantes.	10.
Georgiani Dauidici.	11.
Mennonitæ.	12.
Polygamistę.	13.

145 Secundus spiritus immundus, & buso est Carolstadius filius Lutheri, & pater Sacramentariorum, qui cæpit anno Domini 1521. quẽ postea Zuinglius, & Caluinus secuti sũt.

146 Est autem Sacramentariorum multiplex genus. Primò, nouem sunt sacramentariã factiones, quas Lutherus ipse in sua parua confessione de Cœna Domini Zuinglianis impingit. Deindè sex sunt aliæ, quas Philippus Melanchthon vult esse inter Lutheranos; quemadmodum in eius Iudicio, quod ante obitum suum ad Rheni electorẽ Principem scripsit, & anno 1560. Heidelbergæ editum est; luculenter, ac perspicuè videre, licet. communiter verò sunt ea, quę sequũtur.

147. Sacramentarij.

Significatiui.	1.
Tropistæ.	2.
Energici.	3.
Arrabonarij.	4.
Adessenarij.	5.
Metamorphistæ.	6.
Iscariotistæ.	7.
Neutrales Sacramentarij.	8.
Iconoclastę.	9.

148 Tertius immundus spiritus, seu buso, Melanchthon est, pater Confessionistarum filius Lutheri Pseudoprophetę, cępitque anno Domini 1530. Quorum sunt contrarię Classes.

149 Primi horum sunt Rigidi, & Stoici Lutherani, qui sine vllo delectu omnes Lutheri absurditates defendunt; adeò quidem rigidè, vt nihil Lutherus potuerit aliquando tam rancidum, fędumque dicere, quod illi pro sacrosancto, & puro Dei Euangelio non prædicent, & tueantur. Snnt autẽ ij.

150 Rigidi Cõfessionistæ.

Antinomi.	1.
Samosatemici.	2.
Infernales.	3.
Infernales alij	4.
Antidęmoniaci.	5.
Amsdorffiani.	6.
Antidiaphoristę.	7.
Antosiandriani.	8.
Antisuencfeldiani.	9.
Anticaluiniani.	10.
Manusimpositorij.	11.
Bisacramentales.	12.
Sacerdotales.	13.
Inuisibiles.	14.

151 Secunda Clasis Confessionistarum ea est, in qua sunt molles illi Philosophi, Theologi Vittembergenses, qui volunt ciuiles, & mansueti, omnibusque supradictis (sunt enim sectarij plerique omnes seditiosi) cordatiores videri, & quoquomodo cum alijs Sectis pacem colere, sicut quondam Melitiani, & Rethorij. Dumque ex libro INTERIM aliquantulum se propiùs ad Catholicos adiungere velle simulant, ex alijs erroribus in alios ęque fędos, prioribusque contrarios prolabuntur, alicubi ex Manichæis facti Pelagiani. Sunt autem ij.

152. Cõfessionistæ molles.

Biblistę.	1.
Adiaphoristę.	2.
Trisacramentales.	3.
Quadrisacramentales.	4.
Luterocaluiniani.	5.
Semiosiandriani.	6.

Maio-

	Maioristę.	7.
	Pœnitentiarij.	8.
	Noui Pelagiani.	9.
	Syncretizantes.	10.

153 Tertia Confessionistarum Classis est ea, in qua sunt extrauagantes. Qui tametsi doctrinam Augustanæ Confessionis non obscurè oppugnent; greges tamen istorum prophetarum sub Augustæ confessionis prætextu, se pro Lutheranis gerunt, idque propter auctoritatem Principum, qui eidẽ confessioni nomen suum dederunt; re ipsa tamen longius vagantur à placitis Lutheri, quàm cętera turba Confessionistarum. Sunt autem ij.

154

Extrauagãtes Confessionistæ.	Suencfeldiani.	1.
	Osiandriani.	2.
	Stancariani.	3.
	Antistancariani.	4.
	Noui Pelagiani.	5.
	Noui Manichęi.	6.
	Manichęi, & Marcionistę	
	Caluiniani.	7.

155 Hæ porrò sectæ, generali appellatione, his nomenclaturis vulgò nuncupantur.

Hæreticorũ nostri temporis vulgaris appellatio.	Hugonistæ.	1.
	Euangelici.	2.
	Sacramentarij.	3.
	Sectarij.	4.
	Idololatræ hæretici.	5.
	Cacangeli.	6.
	Satanistæ.	7.
	Falsi Profetæ, seu Pseudoapostoii.	8

156 Hæc est ergo Martini Lutheri omniũ recẽtiorũ hereticorũ patris origo, & successio; quã quò ad viuum magis cordatus lector cõtemplari possit, viuaciusque, atque tenacius suæ menti infigere, hac tabella depictam ob omnium oculos ponere operæpretium duximus. Sic Prateolus ex Lindano, & Staphylo, penes quos sit fides dictorum; sicut & infelicissimi exitus è viuis eiusdem

157 Martini Lutheri. Nam post multas calamitates toti Germaniæ, immo vniuersæ Ecclesiæ per ipsum inuectas, vt doctissimus Hosius literis prodidisse reperitur, benè potus, & hilaris, postridie manè in lecto repertus fuit mortuus; ac secundùm sceleratissimæ vitæ merita (adde) in inferno sepultus. Atque ijs satisfactum propositæ Regulæ.

Qualiter intelligenda trimembris illa diuisio, Lutheranorum, Semilutheranorum, & Antilutheranorum, etiam quoad multas particularitates.

REGVLA CCLXXXIX.

158 DE primo membro patet manifestè ex voce ipsa, Lutherani: nimirum censentur illi omnes, qui ad amplectendos, & propagandos Lutheri errores animum applicuere: qualis fuit Iacobus Præpositus

159 cum cęteris indicandis. Semilutherani verò dicuntur, qui peruersis Lutheri dogmatibus noua quædam prætextu Euangelij adiungunt, vti sunt Interimistæ. Vbiquetrj,

160 ac reliqui exprimendi. Vocantur denique Antilutherani, qui occasione Lutheranismi à vera fidei doctrina dissentientes, placita Lu-

161 thero opposita sequuntur: inter præcipuos infra explicandos (cum alijs minus præcipuis) reponuntur Anabaptistæ, negantes pueris ante vsum rationis, baptismum conferendum, & consequenter volentes esse rebaptizandos, qui sine vsu rationis sunt baptizati; quorum primus Auctor, quidquid alij dicant, Thomas Muntzerus assignatur.

---

162 A Luthero, seu ab eius Lutheranismo sequaces ipsius vocati sunt Lutherani, qui quam primùm perniciosissimus heresiarcha iste in lucem prodijt, venenumque suę hereseos vomere cępit circa annũ Domini 1517. breuissimo tẽpore adeò multiplicati sunt, vt totum ferè orbem illicò Lutheranismus peruaserit, sicut alibi de Arrianismo diximus. Audiamus Prateolum, vbi supra vers. hęc dum per Saxoniam, circa hoc ita loquentem.

163 Etsi verò aliquando resipiscentiam simularet errorum, si qui deprehenderentur, palinodiam pollicens, ac Apostolicę Sedis iudicio se, suaque submittere; nouis tamen heresibus alias effingere in dies non desiste-

164 bat. Quibus cum non deessent suffragatores, non solùm de plebe, poëtę, rhetorculi, atque grammatici, literiones non ignobiles, verùm etiam Principes, atque Nobiles plurimi, cępit hoc incendium tantula ex scintillula natum, totum ferè Orbem Christianum sua flamma, si non accendere, certè amburere, atque omni propè ex parte adustulare. hęc ibi Prateolus.

165 Suffragatores autem inter illos meritò primo loco collocandus Iacobus Prępositi natione Belga, professione Augustinianus, qui post amplexas Lutheri hereses supra iã expressas, comprehensus fuit, & ad palinodiam decantandam condemnatus in Ecclesia maiori Bruxellensi corã innumeris penè

166 hominibus circa annũ Domini 1523. Verùm paulò post ad vomitum rediens, cunctos sui Conuentus Antuerpien. Religiosos Lutheranismo infecit, ac propterea isti etiã carcere inclusi fuerunt, dictusque Conuentus iussu Summi Pontificis Adriani VI. funditus deletus est, & solo adequatus. Ita Gualter. sęcul 16. cap. 2. cum Prateolo in Elencho, verb. Iacobus Pręposlti, apud quẽ plura videas ex Bernardo à Lutzemburgo in Catalogo hereticorum, pręcipuè tenorem abiurationis, quam edidit ille, expressis in ea omnibus suis erroribus, antequam in ipsos relaberetur.

167 Fuit etiã discipulus Lutheri, & suffragator famosus Lutheranismi, quidam nominatus

tus Matthias Flaccus, Illyricus, qui inter auctores Centuriarum Magdeburgensium numeratur. Errauit pręcipuè in reijcienda prorsùs operum bonorum necessitate; in renouando item Manichęismo, quoad causam, & essentiam peccati; atque in Arrianismo totaliter instaurando; propter quod peculiariter Vittembergę cōdemnatus fuit.

168 Ab huius autem hęresiarchę cognomine sequaces ipsius vocati sunt Flacciani, vel Illyricani. Ita Prateol. verb. Illyricani, & Gualter. cap.47. sed de hoc hęresiarcha copiosius infra.

169 A quodam Georgio Maiore hæretici Maioristę seu Maiorani nomen sumpserunt; qui sunt secta Lutherani, seu Molles Confessionistæ ad primam Euangelicorum Classem spectantes. Hi opponuntur omninò dictis Flaccianis, contrarium errorem tenentes; nimirum, quibusuis hominibus etiam infantibus bona opera esse necessaria ad salutem, nec vllum sine eis ab ipsomet elici-

170 tis posse iustificari. Hancque falsam doctrinam ex Lutheri scriptis eliciunt, nec mirum, cum iste haud semel in his, quę tradit, sibi ipsi contradicet: Affert Gualter.cit.c.35.post Sanderum, hæres.

171 187.& Prateolum verb.Maiorani. Qui cum Stolzio notat dictum Georgium per Lutherum è stercore erectum, in sua patria horrendum monstruum euasisse: notat item istos Maioristas viguisse Lipsiæ, & Vittembergæ eosque oppugnari à Mansfeldensibns, atque Ienensibus, de quibus dicendum sequitur.

172 De prioribus sic Prateol. verb. Mansfeldenses, ex Lindano Dubitantij Dialogo 2. Mansfeldenses, inquit, sunt secta Lutherani, ad primam nostri temporis Euangelicorum classem spectantes. Sunt autem ij, qui confessionem sectantur Comitum Mansfeldensium Iuniorum, qua non paucas Lutheranorum damnarunt sectas: Inter alias verò Adiaphoristas assertores bonorum operum, defensores liberi arbitrij, siue Melanchothonicos, Osiandricos, Stancarianos. hæc ille, & cum ipso Gualterius cap. 37. dict seculi 16.

173 At posteriores, nempe Ienenses, hoc modo explicat idem Gualterius, cap.52. Secta quædam est, inquit, Lutheranorum, quæ confessionem Ducum Vinariensium amplectitur, qua nouem alij rami eiusdem trunci reprobantur; atque inter alias Vittembergensium & Lipsensium sectę. ita Gualterius cum Prateolo, & hic cum Lindano, Dialogo 2. sui dubitantij.

174 Quid item De Antinomis? secundum Staphylum, & Lindanum, quibus citatis adhæret Prateol.verb. Antinomi. Secta istorum ramus est Lutheranismi, continens Rigidos Confessionistas. Eius primus institutor extitit quidam Ioannes Agricola Luthe-

175 ri discipulus. Qui, ac simul ipsius sequaces edocti à Magistro Luthero defendunt, ad extollendum nimis suum Euangelium; legem quamuis, siue diuinam, siue humanam esse prorsus inutilem, & obseruationem eius tam ante, quam post iustificationem, nullo modo necessariam, sed satis esse si habeas fidem seu credas, non imputari tibi peccata in violatione eius. Ita etiam Sander.hęresi.288. & Gualter. cap.36.

176 Sequitur dicendū de Osiandrianis, quorum dux Andreas Osiander circa annū 1551. incipiens, aliquandiù professus est Lutheranismum, sed postea, vt ait Gualt.cap.19. altare suum seorsum erexit, secundū Henoch se esse iactans, ac speciatim docens hominem iustificari non per fidem, vt Luthe-

177 rani, ac Caluinistæ prędicant; sed per essentialem Dei iustitiam; formalemq. nostrę iustificationis causam esse illam ipsam iustitiam, qua Deus essentialiter iustus est. Verba sunt ferè omnia dicti Gualt.vide Onuph. ann 1551. Prat. verb. Osiandriani Bellarm. lib 2 de iustif.cap. 1.3. Florim.lib 2 cap. 14. num.6.per illum citatos.

178 Parens fuit Stancarianorum, seù Antiosiandrianorum, Franciscus Stancarus Mantuanus, qui teste Lindano dial.2.sui Dubitantij, vt se opponeret dicto Osiandro, tametsi in alijs Lutheranismi concordarent, defendit cum suis sequacibus, Christi Domini humanitatem solam esse causā nostrę iustificationis, seu Iesum Christum secundum humanam naturam tantum, exclusa omninò

179 diuina, esse nostrum iustificatorem. Errabant etiam isti Stancariani dicentes dari recipientibus Eucharistia tanquam corporis Christi. Atque quoad hoc spectant ad tertiam classem nostri temporis Euangelicorū, vt ait idem Lindanus, & cum eo Prat.verb. Stancariani Florim. lib.2. cap. 15. num. 1. & Gualterius cap.30.

180 At Andreas Musculus, & eius asseclæ Musculani sic dicti ab ipsius nomine, seu Antistancariani ab eo, quod dicto Stancato obsisterent, admittentes quidem Christum Dominum esse hominis iustificatorem, secundum vtramque naturam, humanam, & diuinam, in alium peiorem prolapsi sunt errorem, cum indè affirmarent, diuinam Christi Domini naturam esse mortuam in Cruce, vnà cum humana natura. Prat.verb. Musculani. Florim. loc.cit. & Gualter.c.31.

181 Qui benè notat diuersum esse Musculum istum ab alio Sacramentario, de quo Sander. hær.212.& Onuph.in Chronico ad an. 1549.

182 Valdè celebris est secta illa Iustificatoriorum à Luthero deriuata, quę asserit errans, in hominis iustificatione duo tantum contineri, nempè remissionem peccatorum, & cum Deo Patre reconciliationem; quasi verò satis sit exuisse veterem hominem, & si nouum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate, & iustitia veritatis, non induamus, cùm hoc sine dubio ad iustificationem requiratur. Ita cum Hosio lib. de fide, & symbolis, Prat. verb.Iustificatorij, & Gualterius cap.

183 Verum ijdem auctores, & alij, pręcipuè Lindanus Dubitantij sui dial. 2. vniuersalius lo-

loquentes de istis Iustificatorijs affirmant esse quoscunque Lutheranos, qui inter se discordant circa dogma istud, in quo consistat iustificatio, seu quomodo ista acquiratur: ac sunt diuisi in sectas viginti, teste etiã
184 uno ex illis Osiandro. Quas breuissimò exprimit sigillatim Prateol. ex Hosio, apud quem videas. Nobis satis fit referre verba, quæ ipse affert ex Lindano citato, quibus id in communi declararur.
185 Iustificatorios, inquit, haud immeritò appelles omnes, qui Lutherum sequuti magistrum, de Iustificationis modo dissentiunt: ex varijs enim sui hæresiarchæ verbis, & inconstantibus, varium quoque discipuli concipiebant sensum. Cum enim Osiandro se opponerent, Dux Prusiæ anno Domini 1541. à Lutheranorum prædicatoribus
186 (sic enim gaudent illi appellari pastores sectam) iudicium petijt super iustificationis modo; qui omnes Ecclesiarum suarum nomine ita responderunt, vt plus esset ipsis inter se, quam cum Osiandro, mutuæ dissensionis. Priuatam enim quisque iustitiæ definitionem obtrudebat, omnes contrariã, nullus catholicam. hactenus Prateol. cum Lindano.
187 Vltimo loco de Pastillarijs, quorum secta, ex Prat verb. Pastillarij, num. 6. paucis exprimitur à Gualt. cap. 54. in hunc modum Ità nuncupati, inquit, sunt inter alios quatuordecim ministri Lutherani Sueuię, qui in commune aduersus Occolampadium scripserunt; quandoquidem horum opinio erat Christi Domini Corpus esse præsens vere in
188 Eucharistia. Verum esse in pane, vel sub pane eodem modo, quo farina est in pastillo, aut pilulæ in ouo reconditæ. hæc ille.
189 Sed occasione huius Pastillariorum sectæ quæ ad primam Euangelicorum nostri temporis classem spectat, affert Prat. ibid ex Lindano cit. qualiter multiplices, & oppositæ reperiantur sectæ Lutheranorum, præsertim admittentium esse realiter Christi Domini corpus in Eucharistia, diuerso tamen modo, præstat hoc loco indicare proprijs eius verbis.
190 Lutheri nempe sectam esse circiter in 34. sectas diuisam, ait Bredenbachius in Psal. 67 quæ se mutuum editis libris oppugnant, præter eas, quę in indocta plebe latent. Plura enim Lutheranorum deprehendes genera, si (vti ait Cleiuuizius) supputes varias pręsentis corporis Domini in Eucharistia sententias. Alij enim adesse, alij inesse, alij subesse, alij esse cum pane, alij circa panem: alij deniquæ aliter nouum Lutheri figmentum efferunt.
191 His alias adde Lutheranorum sectas, quę suam, quam dicunt, Missam euangelicam aliter atque aliter celebrant; Alij semilatinam; alij habitu laico, alij ecclesiastico: aliter denique Vittembergæ, aliter Norimbergę, aliter per Brandemburgensem, aliter per Bauariam superiorem. hactenus cum
192 Lindano Prateol. En quanta multitudo, diuersitas, & contrarietas sectarum Lutheranismi, sed multo maior apparebit ex infra dicendis.

De 2. membro Semilutheranorum.

193 AGendum sequitur de Semilutheranis ad secundam Euangelicorũ nostri temporis classem spectantibus. Vocantur sic Similutherani, vt tactum in Regula, & affert ex Lindano dialog. 2. sui Dubitantij, Prat. verb. Semilutherani num. 24. quicunq. erroneis Lutheri placitis, Euangelij pretex-
194 tu, noua quædam aserunt. Horum multiplex est notio, seu classis: quadruplex assignatur à Gualterio cap. 59. Verba eius, si placet, audiamus.
195 Commune est, inquit, hoc Semilutheranorum nomen ijs omnibus, qui cum Lutheri dogmatis alia noua dogmata consuerunt. Inter quos post Interimistas & Adiaphoristas, Lutheropapistæ primas tenent; qui Ecclesiæ Romanæ excommunicationes æmulari videntur, Sacramentarios, scilicet, e suis conuenticulis eijciendo, contra cęterorum Lutheranorum morem, qui Zuinglium omnino condemnare non audent. Huius classis censent aliqui fuisse Vuestphalum cum suis fœderatis.
196 Secundæ classis sunt Luthero-Zuingliani, qui Zuinglianismum Lutheranismo conciliare student, cuius modi dicuntur esse Melanchthoniei, & Brentiani
197 Tertię verò classis sunt Luthero-Caluinistæ, qui cum sint ex Mollium Confessionistarum factione, persuadere nituntur populo non disentire Caluinum à Luthero, nisi in modo loquendi. Huius sectæ est Iacobus Smidelinus.
198 Quartę demum classis sunt Luthero-Siãdriani, qui delirationem Osiandri cum Lutheranorum somnio copulare moliũtur. Tales esse putantur Pseudo-Theologi Tubingenses, ac Brentius. Præter eos autem, quos retuli, sunt & alij multi Semilutherani. huc vsque Gualterius.
199 Semilutheranorum verò Interimistarũ duplex est species; alij enim sunt Interimistæ, qui Augustanum Interim sequuntur, anno Domini 1584. confectum, cum iam mortuo Luthero, falsi quidam fratres (ait Polladins de suis loquens Euangelicis) iniquitatis mercede conducti, cum aduersarijs (catholicos intelligens) conuenerint, & Augustæ, INTERIM, vocatum compilauerint. Ita totidem fere verbis Prat. verb. Semilutherani, ex Lindan. cit. & Gualt. cap. 55.
200 Alij autem sunt Interimistæ, dicti etiam Lipsenses, quia INTERIM Lipsense cum Lutheranismo coniunxerunt: vocantur itẽ isti Adiaphoristæ, eo quod adiaphora, idest indifferentia habeant, cum sibi in animum inducant, rem esse indifferentem obseruare ceremonias, & constitutiones Ecclesiæ,
201 ac Conciliorum. Vnde sicut, qui eas obseruat, ita qui violat, vel mutat, secundum illos

illos nequaquam peccat. Circa hos, Interimistas, præter tres auctores relatos, vide Fiorimundum Raemundum lib.2.c,14.nu.8.

202 Dein numerantur inter Semilutheranos Vbiquetij, vel Vbiquetarij; sic inde vocati, quòd cum transubstantiationis doctrinam reijcerent, veram tamen, & realem Corporis Christi Domini in Eucharistia præsentiam tueri vellent, nouum modum realis præsentiæ excogitauerint, affirmantes Christi Domini Corpus, ex quo tempore cœlum ascendit, esse vbique.

203 Primus inuentor huius erroris fuit Ioannes Brentius, vir non minima eloquentia, & ingenio præditus, prodijtque anno 1540. atq; ab eius nomine vocati sunt etiam Brentiani quicunque eius sequaces.

204 Huic hæresiarchæ, & ipsius asseclis, duo alij errores tribuuntur. Primò, quamuis cõcederent per Baptismum peccatum originale deleri, tamen affirmabant, per illum non manere deletum aliquod peccatum, nempè concupiscentiam, quam iudicabant esse pec-

205 catum. Secundo, propriè loquendo, Euãgelium non esse legem, sed tantum bonum, iucundumque nuncium. Afferunt cum Lindano relato Prateol. verb. Brentius, & verb. Vbiquetij. Sander. hæres 205. Florim. lib.2. cap.14. num.4. & Gualter cap.19. sec.16.

206 Quo cum paulo ante indicauimus clare, quinam sint Lutherosiãdri; sed cum Prateol. hoc verb. clarius sic. Lutherosiandriani, inquit, (eodem Lindano auctore) siue Brentiani, à Ioanne Brentio dicti, sunt secta Semilutherani; nimirum qui hac nostra ætate Lu-

207 therum Osiandro, conciliare student. Is enim epistola ad Ducem Vvittembergẽsem anno 1552 docet cum Luthero contra Osiãdrum, hominem hac in vita imputatiuè haberi iustum; & post hanc vitam cum Osiandro contra Lutherum affirmabat, hominem oportere eadem iustitia, qua Deus iustus est, iustũ re ipsa fieri. Hunc sectantur Theologi Tubingenses, teste Staphylo in defensione. Hæc Prateol. cum Lindano.

208 Pari modo ex Gualter. cap.59. indicatum à nobis, quinam sint Lutherozuingliani, & magis indicabitur, cum ex professo infrà de Zuinglio sermo erit. Audi interim Prateolum, verb. Lutherozuingliani, nu.18.

209 quid de eis sentiat. Lutherozuingliani, inquit, (vt auctor est idem Lindanus) sunt etiam secta Semilutherani ad secundam Euangelicorum nostri temporis classem spectantes, videlicet, qui Luthero cũ Zuinglio, hoc est, albo cum nigro conuenire posse sibi persuadent. Ita ille.

210 Adnumerantur item inter Semilutheranos Belliani, sic vocati a Bellio Montfortio, eorũ duce; de erroribus huius hæresiarchæ nihil extat, nisi quod docuerit contra Caluini doctrinam, hæreticos non esse occidendos. Ita ex Beza Lindanus, vt refert Prateolus, verb. Belliani, & cum isto Gualterius, cap.60.

211 Quid iam de Heshusijs, seu Heshusianis? Sunt secta Semilutherani, ad secundã classem Euangelicorum nostri temporis spectãtes; vocantur sic à Tilmanno Heshusio, quẽ Caluinus de Seruetianismo, & Boquinus de Arrianismo accusant. Ita cum Lindano Prateol. verb. Heshusij, & Gualter. cap. 61. secul.16.

212 Atque hactenus de Semilutheranis, quibus addi posse videtur Ioãnes Sturmius hæresiarcha; cuius secta sic exprimitur à Gual-

213 ter. cap.51. Anno 1578. inquit, Argentinæ conatus est Ioãnes Sturmius nouam sectam introducere, quam vocabat *Viam mediam, eamque sine Catholicorum, & Protestantium offensione.* Ea vtique de causa cupiens ex singulis decem Imperij Prouincijs septenos conuocari de eorum numero, qui sine alterius partis offensione scripserãt; vt à septuaginta conuocatis statueretur concordia, admittendo ex Concilio Tridentino, quod illi probarent, & hominibus gratum futurum iudicarent, cætera autem reijciendo. Hæc ille.

De tertio membro Antilutheranorum.

214 REstat pro completa traditæ diuisionis intelligentia, de Antilutheranis tractandum: huiusmodi hæreticos in communi sic explicat Prateol. hoc verb. num.45. Antilutherani, inquit, sunt (auctore Guilhelmo Lindano, lib. quem Dubitantius inscripsit, Dialog. 2.) ex tertia classe Euangelicorũ nostri temporis, nimirum qui Lutheri occasione ab Ecclesiæ doctrina dissentiẽtes, dogmata sectantur Luthero contraria. Hæc ille.

215 Sub isto autem tertio mẽbro Antilutheranorum innumeræ pene sunt sectæ hæreticorum, seu hæresiarcharum Antilutheranorum; omnes tamen adæquata subdiuisio ad tria etiam membra generalia reducit, nempe Anabaptistarum, Sacramentariorum, & Homologistarum, seu Confessionistarum, qui etiam Protestantes Ecclesiastæ vocantur.

216 Tres item præcipui duces eorum, per metaphoram immundi spiritus, seu bufonis, à Staphylo indicantur. De prioribus, nempe Anabaptistis, in residuo præsentis Regulæ agemus; de alijs vero, Sacramentarijs scilicet, & Confessionistis in Regulis sequẽtibus.

217 Doctrina circa istos Anabaptistas in vltima parte nostri textus Regulæ tradita, exprimitur a Prateol. hoc verb. num.35. in hunc modum. Anabaptistæ, inquit, (auctore Guilhelmo Lindano, lib. qui Dubitantius inscribitur, Dialogo 2.) ab iterato Christi baptismo nomen inuenere, quod baptizatos in pueritia retingant. Hi enim cum ex epistola Lutheri ad Vvaldenses (inquit Staphylus) siue Pikardos scripta legissent, quod præstat Baptismum in paruulis omitti, quàm eos baptizari absq; fide ipsorum: hinc variæ exortæ sunt sectæ Anabaptistarũ. Ita ille ibi.

218 Sed expressius ibidem paulo post cum Hosio lib. de hæres. nostri temporis, idem Prateol. Existimas fortasse, inquit, duas tan-

tum

tum esse sectas has, nimirum Lutheranorũ, & Zuinglianorũ, seu Caluinistarũ, quæ sibi hoc nostro infelici seculo nomen, & auctoritatẽ Euangelij vendicare sint ausæ? erras, si id putas. Est perniciosior etiam tertia, quæ quoniam à Catholicis legitimè baptizatos rebaptizat, Anabaptistarũ secta vocatur, de quo genere videntur etiam fuisse fratres Vualdenses, quos & ipsos non ita pridem rebaptizasse constat. huc vsque ille.

219 Controuersum autem est inter Scriptores quisnam fuerit primus institutor sectæ Anabaptistarum? sex diuersæ circa hoc circunferuntur sententiæ, diuersis primam illorum originem tribuentes. Alij enim tribuunt ipsi Luthero, cum ad Vualdenses scripserit, satius esse baptismum omittere, quam infantes baptizare, qui ante non crediderint, &c.

220 Alij, vt Staphylus in Catalogo eius supra adducto, dicunt Bernardum Rotmãnum esse primum spiritum immundum, seù bufonem 221 patrem Anabaptistarum. Quidam verò tenent, vt Erasmus Alberus, illorum an- 222 tesignanum extitisse Carolstadium. Alij palmã hanc Zuinglio deferunt, cum in lib. eius de Baptismo reperiatur scriptum, vtilius esse pueris Baptismũ non conferre, do- 223 nec rationis cõpotes sint facti. Item quidam, vt doctus Echius, Balthassarem Pacimontanum Anabaptistarum parentem assignant; ipse tamen hanc paternitatem non videtur sibi tribuere, dum ait in suo libro se accepisse à Zuinglio, quod non probaret, pueros adhuc vsu rationis carentes baptizari.

224 Verum Gualt. cap. 3. sęcul. 16. post relatas breuiter ex Prateolo verb. Anabaptistæ n. 35. & ex alijs prędictas omnes sententias, re benè perpensa inclinat in hanc, cui adhereo; quod prima origo, & institutio sectæ Anabaptistarũ sit tribuenda Thomæ Muntzero, alias Monetario, Lutheri discipulo, (ex cuius nomine sequaces ipsius vocati sũt 225 Muntzerici) Quamquam addit ipse Gual. prędictos Lutherum, Rotmannum, Carolstadium, Zuinglium, & Pacimontanum, ad instituendam, vel propagandam Anabaptistarũ sectã, antecedenter, aut consequenter non parum cooperatos fuisse.

226 Recenseamus iam errores Muntzeri, & eius sequacium Mũtzericorum, sicuti recẽsentur à Prat. & Gualter. cit. I. vt iam dictũ baptismum nihil prodesse pueris vsu rationis carentibus; propterea non esse baptizãdos, & si fiat, rebaptizari debere, quando iam per se ipsos actus fidei elicere possunt. 227 II. Filium Dei non assumpsisse carnem ex 228 B. V. Maria. III. Nequaquã publicè ministerium concionandi esse exercendum, sed 229 secretò, & priuatim. IV. Realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia non reperiri, & sacrificium Missæ reijci debere. 230 V. Secundum errorem Chyliastarum, seù Millenariorum, post resurrectionem vniuersalem per mille annos esse ducendam vitam 231 in voluptatibus corporis. VI Cubilia omnium infidelium, idest, non sequentium

sectam ipsius Muntzeri, esse polluta, & haberi vti dæmonum prostibula; ac propterea dictos infideles omnes cum Principibus, & Magistratibus eorum esse occidendos. VII. 232 Quamlibet fæminam obligari eius, qui se concupierit, voluntati seruire; & vicissim quemlibet virum teneri illius, qui se 233 rogauerit libidinem admittere. VIII. Credendum vnicuique, peccata sua omnia propter Christum sibi condonata esse, & se in statu gratiæ viuere, nec aliud requiri ad 234 vitam æternam acquirendam. IX. haud fidendum vllis scripturis, sed habenda esse somnia, tanquam signa certissima accepti 235 à se Spiritus Sancti. X. Sequaces veros Thomæ Muntzeri loca secreta quærere debere; ibique sæpe cogitare, quid sit Deus? aliquamne eorum curam gerat? rectane sit eorum fides? & à Deo signa petere, quibus intelligant, se illi curæ esse, suamque 236 fidem esse orthodoxam. XI. Ob hypocrisim, & interius venenum hæreseon dissimulandum, vnicuique à sceleribus publicis abstinendum, corpus ieiunijs, asperis vestibus & taciturnitate affligendum, obliquis oculis intuendum, barbam non radendam, &c. 237 XII. Denique affirmabant Muntzerici libertatem in Euangelio promissam, à Principibus fuisse extinctam, eamque esse armis recuperandam.

238 Vnde dictus Thomas Muntzerus occasione, quod ipse (vt refert citatus Prateol. post Lindanum, & Staphylum) anno circiter 1524. sibi à spiritu reuelatum esse gloriaretur, gladio Gedeonis (quem se accepisse à Deo dicebat) vniuersum orbem per ipsum cogi debere ad nouum Christi regnum instituendum: sequenti anno 1525. vt rem exequi inciperet, Rusticos per totam Germaniam excitauit, vt in suos Dynastas arma 239 capesserent. Quorum Rusticorum plures centum millibus interempti sunt: ipse etiã Muntzerus coniectus in vincula cum suorũ quamplurimis, absciso capite, vitam finiuit. Ita post alios, qui copiosè referunt, breuiter Gualter. dict. cap. 3. Atque hactenus de Muntzero, & Muntzericis.

240 Quamuis Balthassari Pacimontano primam originem sectæ Anabaptistarum non concedamus; inter ipsos tamen adeò insignis fuit, adeoque institit in spargendis paulò antè expressis huius sectæ erroribus, maximè in partibus Vuestphaliæ, vt nomen, & gradum hæresiarchæ facile obtinuerit.

241 Viguit circa annum 1534. sceptra tenentibus Carolo V. Imperatore, & Paulo III. Rom. Pontifice summo. Ita Prateol. verb. Balthassar Pacimontanus, apud quem plura inuenies, & Gualter. cap. 13.

242 Ramus etiam sectę Muntzeri, seù Anabaptistarum, fuit Christophorus Schaplerus qui extitit præcipuus dux Rusticis illis, de quorum internecione ad centum millia pulò ante diximus. His pergratum id erat, quod ille in primis docebat, & vna cum ipsis defendebat, nempè. *Nullũ esse Magnatibus soluẽdũ tributũ.* Propterea famosus heresiarcha,

cha, & institutor nouę sectę Rusticorũ euasit, Prat. verb. Chrystophor. Schapl. & Gual. c. 9.

243 Numerantur itẽ inter Anabaptistas Polygamistæ, quorum secta plures simul fæminas eidem viro concedit. Et quamuis huius erroris diuersis retrò temporibus varij extiterint defensores, & hæresiarchæ, vt alibi vidimus de Mahomete; hoc tempore meritò illis adiungitur, & Polygamistarum Dux assignatur Bernardinus OKinus, eo, quod data opera librum scripserit, de licita vxorũ multitudine, Sander. hæres. 203. Prat. verb. Polygam. Florim. 3. c. 5. n. 4. & Gualt. cap. 39.

244 Secta Mẽnonitarũ (qui etiã Tibbę, & Maliapi vocati) ad Anabaptismũ spectat. Eius auctor fuit Mennon Simonis Frigius, à quo nomen Mennonitæ sumpserunt. Præter dictum errorem de rebaptizandis pueris in statu vsus rationis; defendebant isti Christũ Dominum non esse natum ex carne S. Virg. seu humana substantia: sed corpus suum de cęlo, hoc est, de substantia Patris attulisse. Ita post Prateol verb. Mennonitæ, nu. 13. & Florem. lib. 2. cap. 15. num. 5. Gual. cap. 69.

245 De Clancularijs ita Gual. c. 76 sęcul. 16 Anabaptistarũ inquit, genus est, qui licere sibi putãt, si interrogẽtur, nũ sint Anabaptistæ? id pernegare; satisque sibi esse, quòd ipsi priuatim sciant, quæ credunt, tametsi palam ea non confiteantur. Ingens est in magnis

246 vrbibus horum numerus. In Ecclesias nõ introeunt, sed domi se, suosq; instruunt, vel in hortos conueniunt; quam ob causam dicũ-

247 tur, *Fratres Hortenses*. Quin etiam sunt ex illis aliqui vsq; eò secreti, vt Occulti occultorum nominentur. Hæc Gualt. cum Sander. hæres. 196. & Prateol. verb. Clancularij.

248 Alij verò prędictis oppositi sunt omninò, de quibus in hunc modum idem Gual. c. 77 E contrario, inquit, Manifestarij, qui aliam Anabaptistarum sectam in Prussia frequentem componunt, impium esse existimant, si cùm rogantur: se quod sunt, negent esse A-

249 nabaptistas. Immo id ipsum varijs modis profitentur. hactenus ille cum Prateol. verb. Manifestarij, num. 8. & hic cum Lindano, & Staphylo per ipsum citatis.

250 Spectat etiam ad ad Anabaptistas secta Ambrosianorũ, qui pariter vocãtur Pneupmatici. Primum nomen sumpserunt à quodam Ambrosio, qui sui spiritus suggestiones, & suas prætensas reuelationes diuinas tali accentu iactitabat, vt Scripturas sacras vtriusque Testamenti reijceret: ita Prateol. verb. Ambrosiani, cum Lindano, & Ioanne Echio, quos ipse citat, & Gualter. cap. 72. sæcul. 16.

251 Pertinet pari modo ad Anabaptistas secta Baculariorum; atque inde hoc nomen sibi acquisierunt, quòd malum esse sibi persuaderent, aliquem in iudicio accusare, aut alia ferre arma, nisi baculum, quandoquidem per scripturam prohibetur, ne gladiũ, aut peram portemus. Ita cum Lindano, Prateolus, verb. Baculares, & Gualterius cap. 78. qui notant istos Anabaptistas, vocari etiam Stebleros.

252 De Monasteriensibus hæc tradit Gualterius cap. 75. Hoc nomine, inquit, vocata est secta quædam Antilutheranorum, & Anabaptistarum; eorum videlicet, qui Ioannem Bocheldi Leidensem ex sartore, ac sordido institore, Regẽ Monasterij (vrbs Vvestphaliæ est ab illis capta) per seditionem

253 factum secuti sunt. Quam vrbem quasi Capitolium quoddam, aut arcem Sion pararunt, *& nouam Hierusalem* vocarunt. Egregium hunc Regem Sartorem legimus complures duxisse vxores, quarum aliquas

254 postea iussit obtruncari. Porrò secta hæc suam prætentam reformationem in eo posuit, vt in sua Cœna, verba Christi Domini, Hoc est corpus meum, cum his verbis commutaret: Accipe, ede, memento Domini. hæc ille post Prateol. verb. Monasterienses, & verb. Ioannes de Leiden.

255 Anabaptistæ sunt quidam, qui seipsos dæmoniacos vocant, eò quod teneant dæmones in fine mondi saluandos: ac propterea Satanam adorant, & decies in die inuocant, Prateol. verb. Dæmoniaci, Sander. hæres 197. & Gualter. cap. 87.

256 Sequitur dicendum breuiter de Sabbatharijs, quorum secta Anabaptismi est; appellanturque hoc nomine, quòd diem Sabbathi, spreto dominico die, more Iudæorum colant. Errant etiam in eo, quòd solũ Patrem inuocent; Filium, ac Spiritum Sanctum negligere videantur, Prateol. verb. Sabbatharij, Sander. hæres. 195. & Gualter. cap. 89.

257 Communia habentes inter Anabaptistas numerantur, & sic nuncupati sunt à communitate vxorum, filiorum, ac rerum omnium, iuxta consuetudinem belluarum inter ipsos seruatam, Republica Platonis, & Nicolaitarum ab eisdem instaurata. Prateol. verb Communia habentes. Sander. hæres. 198. & Gualt. cap. 90.

258 Secta Condormientium, Anabaptismi surculus est, disponens sub præcepto, vt viri, ac feminę, iuuenes, & virgines, eodem in loco viuant, & in eodem cubiculo dormiant; nouam charitatem euangelicam suę turpitudini belluinæ prætexendo. Cum Staphylo, Prateolo, verbo Condormientes, Sander. hęres. 199. & Gualterius c. 91. sęcul. 16.

259 Quid item de Pastoricidis? Et hi quoque (inquit Gualterius cap. 83.) sunt Antilutherani, & Anabaptistę, quorum factio in eo versatur, vt in Presbyterorum, ac Pastorum Ecclesię vitam conspiret. Horum scelere multi per Rynlandiam, & Galliam periere. Ita ille ex Lindano, libro sui Dubitantij, Dial. 2 & Prateolus, verb. Pastoricidę.

260 Ponuntur inter Anabaptistas quidam vocati Sanguinarij, qui humanum sanguinem bibunt, vt se ad exequenda sua sacrilegia, & homicidia obstringant. Tales aliquando Antuerpiæ inuenti sunt. Ita cum Prateolo verbo Sanguinarij, Gual. cap. 84. totidem fere verbis.

261 Eiu-

261 Eiulantes similiter sunt Anabaptistæ, qui certo sibi suadent, nullam esse deuotionem Deo æquè gratam, ac perpetuo lacrymari, ac eiulari. Cum Staphylo Prateol. verb. Eiulantes, & cum vtroque Gualt. cap. 92.

262 Batemburgi sunt simul Antilutherani, & Anabaptistæ: istorum Antesignanus fuit Ioannes Batemburgus miles vagus. Ab eo didicerunt, se cęteris seditiones præbere, Ecclesias diripere, & sacrilegijs omnia commaculare, Prat. verb. Batemburgici, & Gual. cap. 81.

263 Fuit enutrita in Anabaptismo secta Pacificorum, seu Pacificatorum; inde sic dicti, quòd se palam in concursu populi pacis amatores profiteantur, & suam cabalã vocent *Domum pacis*. Eam autem amplectuntur, donec in aliorum bona, vel corpora potestatẽ acquirant, Prateol. verb. Pacifici, Sander. hęres. 232. & Gualt. cap. 82.

264 Ad Antilutheranos, & Anabaptistas spectat secta Nudipedium, qui etiam Spirituales, ac Separati vocari solent; placuitq; eis sic appellari, ob peculiarem ipsorum viuendi modum. Nam in Morauia imitatores vitæ Apostolicæ haberi cupientes, relinquebant omnia, & vniuersis communia faciebant.

265 Relictis autem domibus, liberis, & negotijs suis, per agros vagabãt, à calceis abhorrentes, & populi æstimationem vna cum cibis, & armis detestabantur, Prateol. verb. Nudipedes, & verb. Spirituales, & Gual. c. 68

266 Claudãt iam præsentem Regulam duo. 1. id quod affert Gualt. c. 65. loquens de Hamstedijs. Et nomen, inquit, & originẽ sumpserunt ad Adriano Hamstedio, ex Selandia in Angliam profugo; vndè & postea relegatus est. Mens eius erat Anabaptismum Anglorũ errori cõciliare propositionibus sequẽtibus.

267 In primis, liberum vnicuique esse putabat infantes per aliquot annos absq; baptismo seruare, neq; hac in re posse vllius con-

268 scientiam ad certum tempus adigi. Secũdò, non esse fundamentum Religionis Christianę, sed tantùm fundamenti circũstantiã, credere Iesum Christum ex fęmina natum esse, ac nostræ carnis, & humanitatis factum

269 participem: Adeò, vt qui id negauerit, non negauerit Religionis fundamentum, sed fundamenti dumtaxat circumstantiam. ita ille de secta Hamstediorum, cum Prat. verb. Hamstedij.

270 Alterum est id, quod de Aegidianis adducit idem Gualter. c. 83. sic. Alia, inquit, Anabaptistarum turma, nomen sortita est à quodam Aegidio Aquensi, qui prętentos Anabaptismi Doctores videns magnũ quæstum facere, & tres interdum aureos num-

271 mos ex rebaptizatione accipere, simili cupiditate illectus rebaptizare cępit. Verum postea ab eis excommunicatus fuit, ac tãdè Antuerpiæ supplicio mortis addictus, abiuratis erroribus. hæc Gual. cum Prat. verb. Aegidiani. Atque hactenus de sectis Anabaptistarum: si quæ alię sunt, curabo infra attingere.

Quid de Andrea Carolstadio Sacramentariorum Parente? Quid de eorum Sectis post illum institutis?

REGVLA CCLXXXX.

272 ANdreas Carolstadius natione Germanus, Vittembergensis Archidiaconus, primùm Lutheri assecla, & amicus admodum charus extitit; postea acerbissimæ inter ipsos inimicitiæ exarserunt. Inde earum sumpta origo, quòd ille circa annum 1524. antiquo Berengarij errore instaurato, realem Christi corporis, & sanguinis in Eucharistia præsentiam impugnans, Missam abrogauit, Eucharistiam profanauit, Ima-

273 gines è Templis eiecit, &c. Quæ audiens Lutherus, qui tunc fortè aberat, ægrè tulit, quod se inscio, & sine sua auctoritate essent facta. Hinc diuersimodè, præsertim scriptis libris, diù persecutus est Carolstadiũ.

274 Qui tamen in dictis, & alijs erroribus persistens, Sacramentariorum sectam instituit.

275 Huius vestigia secuti sunt Ioannes Oecolampadius, Guillhelmus Farrellus, & alij, qui diuersarum sectarum fundatores euaserunt.

276 COncordant Scriptores circa omnia ferè, quæ de hoc nequissimo, & perniciosissimo hæresiarcha Andrea Carolstadio traduntur, circa nationẽ ex Germania, circa dignitatem, quam habuit, Archidiaconatus Vvittembergensis, & transitum ad statum laicalis matrimonij; quippe ipse primus, qui ex clero apud Germanos vxorẽ

277 duxerit. Circa amicitiam item cũ Luthero adeo strictam, vt tanquam filius eius valde dilectus, vti ait Staphylus, aut tanquã addictissimus ipsius frater haberetur, vti ait Gual. c. 4. sæcul. 16. qui addit talem amicitiã vix per biennium durasse, & postea secutam fuisse inter eos capitalem inimicitiam.

278 Prateol. in suo Elencho alphabetico, verb. Carolstadius, num. 8. hunc vocat virum insanum; de qua insania, & nimia animi ferocitate, carentia, ingenij, & doctrinæ, notatur ipse non solùm ab auctoribus catholicis, sed etiam ab infidelibus, seu hæreticis. Audi circa hoc testimonium hæresiarchæ famosissimi (de quo infra peculiari Regula dicemus) Philippi Melanchthonis in epistola ad Fridericum Micorium in hunc modũ.

279 Carolstadius, inquit, primum excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium, aut intelligere, aut facere animaduertimus; tantùm abest, vt in eo manifestatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. hęc Melanchthon, quæ referunt cum Hosio, lib. 1. de hæres. nostri temporis, Prat. & Gualt. cit.

280 Vnde mirabitur fortè quis, quòd cum huiusmodi homine ita insano, & feroce Luthe-

tus amicitiam inierit; cessabit tamen admiratio proculdubio, si aduertat, eam ab isto fuisse directam ad propagationem Lutheranismi, & ad maioris famæ adquisitionem, atque augmentum gloriæ popularis.

281 At vbi vidit Lutherus, hanc sibi minui, & Carolstadio in dies excrescere per enormiores ab isto introductos errores, & per facta horribiliora executa; inuidia, & ira in eum excandescens, odio plusquam Vatiniano ipsum prosequi per multos annos non destitit.

282 De hoc dissidio inter Lutherum, & Carolstadium, de causa eius, & de effectibus sequutis copiosè tractant Scriptores, præsertim Abrahamus Bzouius anno 1524. à num. 26. Sed aliqua succinctè dicta accipia-283 mus à Gualterio vbi supra. Huius dissidij, inquit, hæc fuit origo, quòd Luthero Vittemberga absente, Carolstadius illo inscio, & repugnante, illic Missam abrogarit, habitum ecclesiasticum abiecerit, Eucharistiam profanarit, Imagines è Templis abiecerit. Quod post reditum indignissimè ferens Lutherus, non tam propter admissam impietatem, quàm, quòd, se inscio, auctoritateque non sua negotium transactum esset, rem acriter repudiauit, & contra eam

284 duos libros scripsit. Atque hic obseruandum est ex ipso Melanchthone Lutherano, vt odio Pontificis adductus omnia gessit Lutherus, quæ gessit; Ita Carolstadium non vlla pietatis opinione, sed Lutheri inuidia factum esse Sacramentarium. hæc ibi Gual.

285 Explicare statim expedit, quid significet, Carolstadium factum esse Sacramentarium, seu quinam dicantur Sacramentarij, vt de primo, & præcipuo eius errore constet, & alij, quos tenuit faciliùs exprimantur. Prateol. ex Lindano, verb. Sacramentarij, num 6 tradit egregiè explicationem paucis hisce verbis.

286 Sacramentarij, inquit, sunt secta Antilutherani, ad tertiam videlicet nostri tẽporis Euangelicorum classem. Hi, auctore Lindano Dubitãtij sui Dialog. 2. ab Andrea Carolstadio Archidiacono Vittembergen. originem ducunt, quòd is, teste Melanchthone (commentario in epistolam ad Coloss.) primùm disputarit nõ esse presens in cena Corpus Domini, primumque de Eucharistia excitarit tumultum an. 1524. verba Christi in hunc detorquens sensum: Corpus meum, quod pro vobis datur, est hoc, quod hic as-287 sidet mense. hec Prateolus, secundùm quem, & secundùm omnes, idem est fieri Sacrametarium, atque negare realem, & verã corporis, ac sanguinis Christi Domini præsentiã in Eucharistia, ac Missæ sacrificio.

288 Primus itaq; ac precipuus error Andreæ Carolstadijs, & asseclarũ eius fuit, quòd negarent dictã realẽ præsentiam corporis, ac sanguinis Iesu Christi in Sacram. Eucharistiæ.

289 II. tenuerunt sacrificium Misse nullius esse valoris, & fructus, ac proinde abrogandũ,

290 sicuti abrogauit Carolstadius. III. Errarunt circa vsum habitus Ecclesiastici, & sacrarum vestium, quòd sit abijciendus, vti ab

291 illo fuit abiectus. IV. Quòd imagines Sanctorum non debeant adorari, sed potius à Templis eijci, quemadmodum ab eodem

292 fuerunt eiectæ. Quinto, esse licitum sacerdotibus ducere vxorem; vnde ipse cum summo scandalo aliorum eam duxit. De prædictis tradit Gualt. dict. cap. 4. cum Prat. verb. Carolstadius, Sander. hæres. 206. & cum alijs.

293 Sexto Errauit Carolstadius, vt referunt idem Gualt. & ante eum Feuard. in Append. ad Castrum verb. artes liberales, nempe persuasisse multis (verba sunt Gualterij) nullas artes liberales, aut philosophicas sciẽtias addiscendas esse, sed soli, nudoque Bibliorum textui operam impẽdendam: & eo

294 Scholasticos Vuittembergenses adduxisse vt scientiarum humaniorum libros comburerent, seque ad opificia exercenda conferrent; quemadmodum re ipsa factus est ipse agricola, non secus ac Melanchthon eodem errore imbutus de repente pistor euasit. ita ille.

295 Ex isto autem sexto errore Carolstadij, quòd soli, & nudo textui Bibliorum debeat quiuis operam suam impendere, fundata est noua secta eorum, qui vocantur Biblistæ, de quibus agit Gualter. cap. 107. post Prateol. verb. Biblistæ, & Sander. hæres. 192. quamquam primus dicti erroris auctor fuit Lutherus, vt cum Florim lib. 1 cap. 15. ostẽdit idem Gualter. apud quem plura videas.

296 Alia etiam secta ex eodem errore fundata extitit, cuius sequaces nominati sunt Scripturarij, quia solam Scripturam adeò arctè profitentur, vt extra eam nullum admittant scriptum veterum Patrum. Ita post Prateol. verb. Scripturarij Gualter. c. 79.

297 seculi 16. addens ibi sic. Ex his, inquit aliqui per Vattenlandiam. Paulinos se appellant, quod erga S. Paulum afficiantur, & ad illum studium suum applicent. Atque hæc de duabus his sectis obiter sint tradita.

298 Reuertamur iam ad Carolstadium, dictis vnum verbum de eo addentes: nimirũ ob illos errores, & ob scelera eius enormissima, ipsum multa mala in vita, & in morte passum fuisse: in vita, quia Lutherus vix vnquam destitit ab ipsius persecutione; pro cuius executione quem lapidem non mo-

299 uit? E Saxoniæ finibus, vt eijceretur, & exul procul diu maneret, diligenter curauit, obtinuit, vt nullibi fides ei haberetur in ijs, quæ docebat circa Eucharistiæ Sacramentum, Imagines Sanctorum, &c. literas suasorias scripsit ad diuersos, præcipuè ad Argentinenses. Vide hæc copiosè tradita apud Bzouium, dicto anno 1524. num. 29.

300 Qui tamen affirmat, num. 44. quod Carolstadius Lutherum sibi offensum reconciliauerit; si ita est, crederem non fuisse difficilem reconciliatioem, dum in humili agriculturæ exertitio aliquandiu mansit.

301 Sed quænam tandem mors hæresiarchæ Carol-

Carolstadij? infelicissima, horrendissima, pessima; iuxta illud Psalm. 33. Mors peccatorum pessima; quòd si cuiusuis peccatoris impęnitentis, quanto magis istius adeò insignis in malitia, iniquitate, obstinatione 302 errorum, & finali impęnitentia? Fertur in concione viso spectro terribili, ab eodem post triduum moriens raptus. Ita post alios citatus Bzouius, & Gualter. in fine dict. c. 4. Atque de Carolstadio Sacramentariorum Antesignano hactenus.

303 Agendum sequitur de ijs, qui Sacramentarianismo ipsi adhæserunt, instituentes nouas eiusdem sectas. Ac primo de Ioanne Oecolampadio, cuius asseclæ ex cognomine ipsius Oecolampadiani appellantur. Hic similiter Germanus natione, & S. Brigittæ quondam Monachus, & Lutheri doctrinam per tempus aliquod amplexus, tandem Antilutheranus, & Sacramentarius famo-304 sus euasit. Nam statim post Carolstadium, nempe anno sequenti 1525. scripsit contra realitatem Eucharisticam, exponens sic verba Christi, quibus Sacramentum conficitur. HOC EST CORPVS MEVM, idest, hoc significat corpus meum, vel hoc est figura corporis mei. Ad hoc autem clarius capiendum, proponenda hic verba ipsius Oecolampadij, vti referuntur à Prat. verb. Io. Oecolampadius, num. 18.

305 Tempus est, inquit, vt accedamus ad id, in quo status est sermonis: nempè, vt probemus verba Cęnæ Dominicæ eodem tropo dicta, quo illa, quæ Apostolus dixit: Petra autem erat Christus: hoc est, Petra significabat Christum, vel erat figura Chri-306 sti. Nam in hoc totum dissidium est. Si enim hyparticos, & substantiuè absque tropo exposuerimus: Est, asseremus Corpus Christi in altari, non tantùm sacramentaliter, vt vocant, sed tam verè, ac in cœlo est, adesse; sin nostra conuenit expositio de transubstantiatione, vel de consubstantiatione (vti liceat aduersariorum verbis) su-307 spicandum nihil. Ita sæpè ex minimis verbulis summæ quæstiones emergunt. Neque in hoc contenderim, si quis per corpus magis figuram corporis intelligi, quàm verbū, est, velit per significat, interpretari. Nam id ipsum mihi arridet; vtrumque tamen probo, eò quod eundem sensum reddit; siue est, significat, interpreteris, siue corpus figuram, & Sacramentum corporis. Nos sensum, non verba quærimus. Hucusq; Oecolampadius. Et ex eo Prateolus.

308 Alijs etiam erroribus Oecolampadius, & sequaces sectæ ipsius Oecolampadiani infecti fuerunt. Nempè, negabant, licitum esse Christianis bellum gerere: Item in homine arbitrij libertatem tollebant: Dein Sanctos non esse inuocandos, neque honorandos tuebantur. Ita ex Castro, verb. bellum, & verb. adoratio. ex Prat. cit. & ex Sāder. hæres. 210. tradit succinctè prędicta omnia, Gualter. cap. 5. sęcul. 16.

309 De morte Oeçolampadij sic addit idem Gualter. De eo, inquit, Cochlęus in Actis Lutheri narrat, cùm serò lectum sanus petijsset, postero die mane in cubili mortuum, à prætenta coniuge repertum esse: siue ipsa eum occiderit, vt plerique dicunt; siue ipse sibi manus intulerit, vt volunt alij: seu tortorem dęmonem habuerit, quemadmodum scribit Lutherus in lib. de missa priuata: multum Bezæ contrarius, qui in suis Iconibus ait, Oecolampadium, quem Basileensium Ecclesiæ restauratorem appellat, peste illic extinctum esse. ita ille. Vide Bzouium ann. 1531 num. 11.

310 Quid de secta Guillelmi Farelli, & sequacium eius Farrellistarum? ex Prat. verb. Farrellistæ, num. 2. & ex Florim. lib. 7. de orig. hæres. cap. 17. num. 2. paucis his loquitur Gualter. cap. 14. sęcul. 16. Vapinci in Delphinatu ortum habuit, & Geneuam veneno suo infecit, antequam Caluinus eam attigisset, qui tamen eam illi postea eripuit, adeò, vt deinde Neocomensis minister creatus sit. Diem obijt, prout refert Beza in suis Iconi-311 bus, ann. 1565. Quod ad eius errores attinet, prætérquam quòd Antilutheranus erat, & Sacramentarius, Pauli Samosateni hæresim in integrum restituit, docens Spiritum Sanctum esse quendam motum creatum. Qua de re repetendum est caput de Paulinianis, seu Samosatenis. Elcesaitarum 312 quoque dogma refricat, dicens nolle se eos damnare, qui periculorum formidine adducti, fidem suam dissimulant, modò Idololatriam exterius non profiteantur. ita ille.

313 Sectæ item Valentini Cratoaldi, & asseclarum eius breuissimam declarationem tradit ijs verbis, idem Gualter. cap. 28. Valentinus, inquit, Cratoaldus Sacramentarius, vt refert discipulus eius Ioannes Langus, nouam adinuenit explicationem verborum Eucharisticorum: Hoc est corpus meum; docens illa sic esse disponenda. Corpus meum est hoc, videlicet, panis, & cibus spiritualis, qui de cęlo descendit. Hucusque Gualter. & ante eū tradidit Sander. hæres. 211.

314 Præterea Boquiniorum secta instituta fuit à Boquino Ministro Sacramentario, qui eos docebat duplicem errorē. Primo, Christum Dominum non esse pro omnibus peccatoribus crucifixum, sed tantùm pro fidelibus, & probis. Secundo, istos solos corpus ipsius manducare. Ita Prateol. verb. Boquinij, & Gualter. cap. 62.

315 Auctor SuuenKfeldianorum extitit Gaspar SuuenKfeldius, cui inter alia, hæc falsa dogmata tribuuntur.

Primo, Vti Sacramentarius peruertebat ordinem verborum, quibus fit Augustissima Eucharistia, sicque glossabat: Meum corpus est hoc, idest panis, vel cibus

316 Secundò, Quòd humana Christi Domini natura non sit creatura Dei, sed Spiritus Sancti genitura, & quasi quid medium inter creatorem Deum, & creaturam homi-

nem; Ita tamen, vt eadem Christi humanitas post ascensionem eius in cęlum omninò 317 Deus effecta sit. Hinc addebat ille corpus Christi Domini præsens equidem esse in Eucharistia, nunc tamen illud esse ipsam Dei essentiam.

318 Tertiò, Quòd homo quiuis eadem sapientia, iustitia, charitate, ac omnibus alijs virtutibus, quæ in Deo essentialiter existũt, præditus sit; & quidem pari modo, ac dignitate; immo quod per hanc eandem naturam diuinam sit Deus.

319 Quartò, Quòd omne verbum scriptum, & quoduis eius ministerium sit repudiandum, vti repudiabat cum Anabaptistis ipse SuuenKfeldius, asserens scripturam non esse verbum Dei, & Fidem ab eo nõ pendere, atque Fidem accommodandam non esse ad Scripturam, sed Scripturam ad Fidem.

320 V. Quod Christus Dominus corpus suũ de cœlo attulerit: quæ est antiqua Valentini hæresis, & deliratio.

321 VI. affirmabat, energiam, quæ in verbo Dei prædicato inest, esse ipsum filium Dei, & Verbum. Ita cum Prat. verb. SuuenKfeldiani, & Sander. hæres. 191. & 216. tradit Gual-322 ter. cap. 66. Addens ibi sic. Hoc autem, inquit, animaduertendum est, SuuenKfeldianos in varios item ramos diuidi, scilicet Vvratislauiensium, Suiduicensium, & Glo-323 gouiensium. Cuinam harum sectarum conueniat, quod de SuuenKfeldianis dicitur, baptismum ab illis vocatum esse, *Suillum balneum*, haud satis scio. hactenus Gualterius.

324 Tandem claudamus pręsentem Regulam exposita vna tantum secta (de diuersis alijs infra) Sacramentariorum, nempè Campanistarum, qui sic appellati Campanistæ ab eius auctore Ioanne Campano. Circa ipsã compendiosè in hũc modum Gualter. c. 64. 325 eiusdem secul. 16. Alia est, inquit, Antilutheranorum secta, de qua illud tantum vniuersè legi, peculiaris eam fuisse opinionis circa Cœnam, non modo Luthero contrarię, verum etiam à cæterorum Sacramentariorũ 326 opinione dissidentis. Ac præterea Campanum neutiquam credidisse Filium, & Spiritũ sanctum esse duas personas à persona Patris distinctas. hæc ille. Vide Prateolum, verb. Campanistæ, & Florim. lib. 2. cap. 16. nu. 7.

Zuinglius qualiter Sacramentarius? qualiter Bucerus, & alij ipsum sequuti, suasque sectas formauerunt.

REGVLA CCXCI.

327 Vldaricus Zuinglius, Canonicus Cõstantiensis, prius Lutheri discipulus ad scholam Carolstadij transijt, tamque insignis Sacramentarius effectus est, vt inter ipsum, & Magistrum suum Lutherum non exigua dissidia emerserint, seque inuicem, editis ab vtroque libris acriter oppugnarint.

328 Perstitit tamen Zuinglius, & eius secta ex Sacramentarianismo, & ex alijs erroribus 329 formata. Dein Martinus Bucerus, Ordine S. Dominici, quem professus fuerat, derelicto, prius Luthero, postea Zuinglio, atque huius morte audita, iterum Luthero adhęrens, nec vtriusq; sectis satisfactus, tertiam erexit, quæ cum Lutheranis Sacramen-330 tarios coniungeret. At Ioannes Alascus, & alij semel Sacramentarianismum amplexi in eo, & in proprijs eiusdem sectis permanserunt.

331 Post Carolstadium, & Oecolampadiũ Lutheri discipulos, ad defendendum præcipuum Sacramentariorum errorem, negantium realitatem Eucharisticam, prodijt eodem anno 1525. Vdalricus, seu (vt alij vocant) Hulricus Zuinglius Canonicus Con-332 stantiensis. Qui cum in discipulatu etiam Lutheri aliquandiu permansisset, & eo relicto, doctrinam Carolstadij, quoad dictum saltim errorem Sacramentarianismi, amplexus esset, hinc hostis illius acerbissimus euasit, hinc ingentes, & implacabiles inter Lutherum, & Zuinglium, tum verbis prolatis tum editis libris excitatæ dissensiones. Agunt de his Sander. hæres. 209. Genebrard. in Leone X. & in Clemente VII. & præ cæteris copiosè Bzouius anno 1525. nu. 31. sic.

333 Zuinglius, inquit, interim non contentus à Luthero dici Lutheranus, sed ipse potius de suo nomine sectam auspicari cupiens non solum catholicos transubstantiationis assertores, sed etiam Lutherum ipsum, vna cum pane, & vino verum Christi corpus, & sanguinem in Eucharistia haberi dicentem 334 oppugnare cœpit. Hoc quidem pessimè habuit Lutherum, & hæc res occasionem præbuit atrocissimæ inter Lutheranos, & Zuinglianos digladiationi, quæ in hunc vsq. diem componi non potuit. hęc ille, & statim sic.

335 Rectè hoc permisit sapiens, & bonus Deus, vt Lutheri arrogantia à proprio discipulo comprimeretur, & mortales omnes intelligerent rectissimè dixisse S. Hieronymũ: scripturas non in legendo, sed in intelligendo consistere Ab vtraque enim parte isti sectarij verbum Dei crepant. Scripturas certatim proferunt; ac tamen cum certissimum sit, non posse vtrosque verum docere, dum 336 contraria dicunt: At nihilominus alij alijs cedere nolunt, & vtrique praua diuinæ scripturæ interpretatione, & se, & suos omnes miserabiliter perdunt; cum vtrosque rectè iam olim damnarit, hodieque damnet catholica fides, qua certissimè credimus, in Eucharistia sub speciebus panis, & vini, post Christi verba in sacrificio prolata ipsissimum Christi corpus, & sanguinem substantialiter contineri, etiam extra sumptionem. ita Bzouius, apud quem plura ad rem inuenies.

337 Ex dictis verò iam patet, quam inimici & discordes inter se fuerint Lutherus, & Zuin-

Zuinglius; nec vnquam in concordiam potuerunt adduci, tametsi non defuerint, qui id diligenter curarint. Videamus quod in particulari circa hoc affert Genebrard. in Clem. VII. anno 1528.

338 Eodem, inquit, anno iussu Philippi Hassiæ Landtgrauij fit conuentus Marpurgensis vt Lutherani, & Zuingliani inter se agerent de concordia Religionis; sed cum decreuissent, vt à scriptis famosis vtrinque abstineretur (quod Melāchthon violauit anno proximo) re infecta discessum est, Luthero recusante Zuinglianos fratrum loco habere, licet plurimum hortaretur Landtgrauius, & Zuinglius palam cum lacrymis coram Landtgrauio, & omnibus rogaret, vt saltem frater appellaretur à Lutheranis. hæc Genebrard. ex Surio in histor. & ex Brentio in append.

339 Verum de infesissimo, & auersissimo Lutheri animoaduersus Zuinglium, & sequaces eius innotescit clarius ex verbis ipsius Lutheri, quæ adducit Gualter. cap 7. seculi 16. primo in assertione 27. contra articulos Lo- 340 uanienses, sic. *Hæreticos* (inquit) *serio censemus, et alienos ab Ecclesia Dei* Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant corpus, & sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia. ita ibi, & in Epistola ad Iacobum Presbyterum Ecclesiæ 341 Bremensis doctorem. *Mihi*, inquit, *satis est omnium infelicissimo vna ista beatitudo*. Beatus vir, qui non abijt in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zuinglianorum, nec sedit in Cathedra Tigurinorum. Habes quid sentiam. huc vsque Lutherus, & ex eo Gualterius.

342 Qui optimè addit ibi. Ita Ecclesiæ, inquit, hostes, dum se inuicem rostris, vnguibus, & pennis lacerant, spiritus perditionis imitantur, seq. iam in inferorum suburbijs habitare docent, vbi confusione atque horrore perpetuo plenissima omnia, scriptura esse testatur. hęc ille.

343 Duo autem notantur peculiaria, in quibus Zuinglius circa errorem Sacramētariorum, præ cæteris excelluit, Primum, in quo ipse valde gloriabatur, quod cælitus illuminatum se crederet in modo defendendi illum; vel potius, quod Dæmon ad rem adeo execrabilem eidem arma suppeditasset: capietur clarius auditis verbis ipsius hæresiarchæ Zuinglij, quæ ex Serario in opusc. de Magistro Caluini affert Gualter. in 1. veritate 1. seculi §. 2. vbi sic.

344 Denique Zuinglius idem illud de se ipso, licet fluctuans, confitetur in lib. de subsidio Eucharistiæ. Cum enim anno 1525. ex scriptis cuiusdam Bataui didicisset, in verbis Christi, Hoc est corpus meum (est) commutare cum (significat); exemplum tamen ex sacris literis non suppeteret, vbi parabolicus sermo non esset, suam ipse hæsitantiā, æstumque patefecit his verbis.

345 Restabat (inquit idemmet Zuinglius) adhuc non minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus quę nulla cum parabola coniuncta forent. Cœpimus omnia cogitare: attamen aliud nihil exemplum occurrebat. Vera narro, adeoque vera, vt celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertijt, nō ignorans quā- 346 tis me contumelijs, risibusque exponam. Cum tredecima Aprilis appeteret, visus sum mihi in somno, multo cum tædio denuò cōtendere cum aduersario scriba. Ibi tanquam e machina visus est monitor adesse (ater fuerit, an albus, nihil memini, somnium enim narro) qui diceret. Quin ignaue respondes ei, quod in Exodo cap. 12 scribitur: Est enim Phase, idest, transitus Domini? Protinus, vt hoc Phasma visum est, simul expergefio, & è lecto exilio. hæc Zuinglius.

347 Sed non est, cur glorietur ipse de dicta visione, vti à Domino immissa, cum dæmoniaca, & non diuina, merito ab omnibus iudicetur, à Gualterio citato, à Prateolo, verb. Zuinglius, cum Tilmanno Heshusio, & ex ea Lutherus, & discipuli eius fortissima sumant arma contra illum. Vt hæc innotescant, audiamus conclusionem Gualterij, quam ex verbis Zuinglij dict. §. 2. circa medium eius in hunc modum deducit.

348 Ex quibus, inquit, perspicuum est, non abs re Lutherum, cuius verba in §. 8. transcripturus sum, diabolicam censere penitus hanc sacramentariam Zuinglij doctrinam; neque absre Schlusselburgium Lutheranum in 2. Theologiæ Caluinianæ libro, sic ea 349 de re loquutum. Vniuersæ, inquit, Ecclesię Dei innotescat, quis nam sit ille spiritus à quo Zuingliani suam opinionem sacramētariam hauserunt: nempè spiritus iste tenebrarum ater, qui noctu ob ambulans lucem fugit. Hic spiritus fallax sua fallacia somnia Zuinglio somniatori inspirauit. ita ille.

350 Alterum peculiare, quo excellit vti Sacramentarius, Zuinglius, est, quod loco sacræ Eucharistiæ, & Missę, quam prorsus abolere, tam communem, & celebrem, quam priuatam cuiusuis sacerdotis curauerat, & obtinuerat, maximè apud Tigurinos; ne reducti homines ad atheismum viderentur, eis Cœnam supposuit, & certos ritus pro eius celebratione instituit. De vtroque multa Bzouius anno dict. 1525. num. 64. & 65. quoad ritus Cœnę, accipe ab eo pauca.

351 Finita, inquit, concione, mensa infertur, & munda mappa insternitur: huic imponitur canistrum pane azymo plenum, catini quoque & pocula lignea (nihil enim hic periculi est, vbi nullus est sanguis Domini, sed vinum) quæ vino implentur. Accedit ad mensam Ecclesiæ minister cum adiuuis, & totum cœrum ad attentionem 352 excitat. Mox vnus ex adiuuis subijcit institutionem cœnæ Domini ex epist. ad Corinth. (de qua tamen institutione, & eius ritibus ipse dicit Apostolus eodem loco: *Cætera, cum venero, disponam*. tanquam copiosius Corinthijs traditurus cęnæ peragendę ritum; quod isti, quia dati

dati sunt in reprobum sensum, nolunt aduertere) alter verò recitat partem cap. 6. 353 Ioannis. Mox recitato Fidei symbolo, minister admonet, vt quisque se ipsum examinet, & exploret, ne indignè accedendo corporis, & sanguinis Domini, reus fiat: cùm alioquin non potest esse reus corporis, & sanguinis Domini, qui illud re vera non accipit. ita ibi, & statim sic.

354 Postea omnes se in genua demittunt, & ministro præeunte orationem Dominicã dicunt. Ea absoluta minister accipit panem (& certè nihil aliud, quàm panem, quia isti ministi, neque sunt sacerdotio initiati, neq; credunt verum Christi corpus, & sanginem in Eucharistia, neque intendunt, quod Ecclesia intendit) & rursus ipse quoque alta voce recitat institutionem Cęnæ Dominicæ; deinde illum adiuuis distribuit, & poculum porrigit, qui panem in catinis, & vinum in cyathis circumferunt, & populo ex-355 hibent. Quisque in manus sumit, quod traditur à ministris, & comedit, ac proximè assidenti offert partem eius, quod accepit; similiter porrigens & poculum. hæc Bzouius.

356 Qui prosequitur dicendo, qualiter tunc etiam profanum panem, & vinum, ac alia astantes sumant vsque ad satietatem, si libuerit, & qualiter finiantur ritus cęnæ in memoriam passionis Christi Domini cum gra-357 tiarum actione. Addit præterea, quòd isti ritus Cęnæ non sint ijdem apud omnes, sed variantur pro sectarum Sacramentarianismi, & Ministrorum varietate. Vide hæc copiosius tradita apud ipsum Bzouium: No-358 bis attigisse sit satis hoc loco, occasione, quòd Zuinglius dictæ Cęnæ Sacramentariorum fuerit primus institutor.

359 Non ommittam tamen illud hic notare, esse, scilicet commune quibuscunq; Sacramentarijs dictam Cœnam appellare Sacramentum, cùm re vera non sit, vt per se constat. Quæ appellatio clarè nobis innotescit ex innumeris pænè processibus eorũ, qui sponte accedentes, in nostro Tribunali Meliten. S. Inquisitionis, abiurata hæresi 360 ad Fidem Catholicam reconciliantur. Hi enim in examine interrogati, quot sint Sacramenta in eorum sectis? Omnes eodem modo respondent, esse tantùm duo, nempè Baptismum, & Cęnam.

361 Verum exprimamus iam sigillatim omnes errores sectę Zuinglianę. Primò, Declarauimus, qualiter Zuinglius realitatem Eucharisticam negauerit, & abrogata Missa Cęnam loco eius supposuerit. Lege ea, quę adducit Gualt. in prima veritate primi sęculi § 2 & 8.

362 Secundò, Vestigia Lutheri sui Magistri sequutus, anno 1519 Indulgentias, vt rem inutilem oppugnare cępit. Geneb. in Leo. X. & Gual. cap. 7. sęcul. 16.

363 Tertiò, de peccato originali, quòd sit tantùm naturę morbus, & non peccatũ, defendebant Zuingliani. Ita Prat. verb. Zuinglius, num. 2. & Gualt. loco cit.

364 Quartò, Corrumpit verba c. 1. S. Ioannis, legens, Verbum caro facta est, pro Verbum caro factum est: in qua corruptione Zuinglius imitatur Nestorianos, teste etiam Luthero, vt ait Gualter. ibid.

365 Quinto, Reijciunt Zuingliani gratiam, aut saltem cum Pelagio gratiæ necessitatẽ nõ tenent, quòd homo solis viribus naturę, ac proprijs meritis possit ad gloriã per-366 uenire, vt docet ipse Zuinglius de Catone, ac Scipione, quos in suo contra Vrbanum Regium libro affirmat salutem ęternã fuisse consequutos. Ita Prateol. & Gualt. loco citato.

367 Quid tandem de morte Zuinglij? de ea ait Bzouius anno 1521. num. 11. Zuinglius in bello cęditur: Gualter. item sic. Occidit in pręlio contra Catholicos gesto anno 1531 Eius verò corpus postea combustum. Sed audiamus eruditionis causa Prateolum.

368 De eius, inquit, morte ita quoque tradit idem Lindanus eodem Dubitãtio, dial. 3 in hæc verba. Etsi plerosque Pseudoprophetas Deus optimus iustissimis pęnis hac in vita excruciandos ad immortales ęternorum ignium abripuit cruciatus: quosdam tamen in speciem honestè mori, honorificèque sepeliri permisit; quemadmodũ, & Luthero, vt aiunt sui, & Dauid Georgio, quo-369 dam ad tempus concessum videmus. Certè dira Zuinglij mors, suorum ciuium sanguine, ac bello fratrum intestino cruenta, non minus est memorabilis, quàm aut Arrij, cui viscera viuo euellebantur; aut Nestorij, cui viuo linguam exedebant vermes; aut Luciani, quem viuum rabidi discerpsere canes. hęc Lindanus, & ex eo Prateolus.

370 Sequitur agendum breuiter de pessimo hęretico, seu hęresiarcha Martino Bucero, Argentinę nato Huius inconstantia, & mutabilitas in statu vitę, religionis, & doctrinę, seu sectę, fuit valdè mirabilis. Ex sęculo ad Illustrissimam S. Dominici familiam trãsijt; qua deserta cum summo omnium scandalo, Saramentarijs adhęsit: his postea relictis Lutheri discipulum se declarauit; neque hoc contentus denuò pręcipuum Sacramentarium sequutus est, nempè Zuingliũ; cuius morte paulò post sequuta in bello, vt 371 dictum, Lutheranismo se tradidit. Verùm cum neutrius partis doctrina satisfactũ sibi putaret, adiecit animum ad instituendam tertiam Sectam, quę Sacramentarios cum Lutheranis coniungeret. Ita Prat. verb. Bucerus, & Gual. cap. 11.

372 Quamquam Genebrardus in Paulo III. non tot Buceri mutationes adducit, nec vllam dictę tertię sectę mentionem facit: audi eius verba, & non nihil huc spectans percipies.

373 Martinus, inquit, Bucerus ex Dominicano primò Lutheranus, postea Zuinglianus, tandem in magna Lutheranorum Synodo apud ædes ipsius Lutheri habita, Vittem-

tembergæ anno 1536. cum multis alijs à Zuinglianis ad Lutheri partes transijt (Func. in Chro.& Alan. Copus dial. 6, Lauather. in hist. controuersiæ sacram. idem etiam testãtur eius Synodi acta publicè edita) præcipuos duos errores Zuinglianorum reuocans de baptismo paruulorum, quem negant esse necessarium: hoc enim ipse antea scripserat in Matth. cap. 3 quosdam infantes sine baptismo æternam vitam consequi, quosdã licet baptizatos delabi in infernum, & de Cœna, ipse in Comment. in Ioann. cap. 6. & Matth. 26. vbi veniam precatur à Deo, & Ecclesia, quod multos Zuinglij hæresi fascinauerit, quam tamen antea scripserat in epist. ad Norimbergẽses esse diuinitus à Christo traditam, & Lutheri doctrinam esse nouam, & cum sacris literis pugnantem: immò in Epist. ad Estingenses vocauerat Lutheranos phanaticos, suermeros, furiosos, &c. huc vsque Genebrard.

374

375

376 Diuersi errores hæresiarchę Bucero assignantur.

I. Quod Christi Domini corpus, & sanguis in Eucharistia adsit pręsens, dum recipitur, alias tamen nunquam: in quo præcipuè errauit Lutherus. Ita Gualt. cit. cum Sandero hæres. 215.

377 II. tenuit, quod sensus verborum Christi Domini in Eucharistia *Hoc est corpus meũ* iste sit legitimus, *hoc est protestatio, & memoriale beneficiorum Dei*. Ita idem Gualt. cum Prat cit.

378 III. Errauit, vt iam dictum, affirmans, quod puerulus infans etsi baptismo initiatus sit, non saluetur: quamquam alibi ipse concedit baptismo peccatum originale deleri. Cum cit. Prat. ibid. Gualterius.

379 IV. Quisquis habet solam fidem historicam (nempe illam, qua creditur veritas mysteriorum Religionis Christianæ) in Eucharistia nihil aliud accipit, nisi signum corporis Christi. Prat. ibid. Sander. hæres. 204. & Gualterius.

380 V. Ait cum errore, quod haud deleantur omnia peccata; quia concupiscentia carnis non extinguitur, quam esse peccatum iudicat, tametsi à Deo non imputetur. Ita vbi supra Prat. & Gualt.

381 VI. Quod nullum detur peccatum mortale, præter incredulitatem; in quo errore sequutus est Lutherum primum eius inuentorem. Ijdem Prat. & Gualt.

382 VII. Quod non obligentur Sacerdotes cælibatum seruare; vnde ad ducendam vxorem eos non solum hortabatur, sed etiam si quem cælibem permanere videret, ipse Bucerus reprehendebat. Prat. & Gualt. ibid.

383 VIII. Grauissimè in hoc errauit, asserens quod homines etiam quibuslibet sceleribus admissis, debeant firmiter credere, se per Christum esse Deo gratos, & acceptos. Prateol. & Gualter. loc. cit. Qui de eius morte & sepultura affirmant, quod fuerit defunctus in Anglia anno 1551. & quod ibi eius ossa sint combusta anno 1557.

384

385 Addit autem idem Gualterius ex Posseu. lib de Atheismis hæret. cap. 8. quid valde notabile de pessimo Bucero, per sequentia verba. Dicitur in morte, inquit, Iudaismum professus, & negasse Messiam adhuc venisse.

386 Quæ res Bezam deterrere debuerat, ne eum laudibus efferret suis iconibus, diceretque inter alia, *Ciuitatem Argentinensem Bucero restitutam apud se Ecclesiam debere*. huc vsque Gualt.

387 De Ioanne item Alasco, parente Alasconorum, pauca occurrunt notanda. Hic natione Polonus, cum ad dignitatem Episcopatus fuisset euectus, in Lutheranismum inde lapsus est: sed statim ad Sacramẽtarios Zuinglianos trãsijt, & sectam peculiarem ex duplici errore præcipuè instituit. Ita Prat. verb. Alasconij, Sander. hęres. 207. & Gualt. cap. 23.

388 Primus error fuit circa verba eucharistica, Hoc est corpus meum; Quippe ne suis Magistris ingenio cedere videretur, præter alias duodecim falsas eorum interpretationes, nouam sic finxit: *Hoc*, inquit, *id est, non panis*, sed vniuersa hęc cœnę actio, est corpus meum. Quam interpretationẽ, ait quidam Vvestphalus, à Caluino traditam esse, negat tamen Beza. ita Prat. loc. cit & Gualt. ibid.

389

390 Secundus error fuit circa Baptismum, de quo tam malè sentiebat, vt ipsum reijceret & esse conuersum in idololatriam affirmaret nouus hic hæresiarcha Ioannes Alascus, de quo addit Gualter. dict. cap. 23. quod aufugerit in Angliam anno circiter 1551. & ibi obtinuerit à Rege, vt Ecclesiæ peregrinorum curam haberet, atque quod ibidem fuerit mortuus mense Ian. anno 1560.

391

392 Circa hæresiarcham Petrum Martyrem quid? de eo nihil Prateol. aliquid alij, vt Sãder. hæres. 218. Florem de orig. hæres. lib. 3. c. 5. num. 2. & 3. Onuphr. anno 1549. & Genebrard. in Pio IV. sed audiamus Gualt. c. 21.

393 Petrus, inquit, Virmillus Florentinus, qui Martyris nomen sibi arrogauit, ex Canonico Regulari, factus est Satanæ tubicen anno circiter 1549. Eo particulatim nomine infamis, quod contenderit non posse Deum efficere, vt Iesu Christi corpus in pluribus simul locis existat, etiam sub speciebus panis consecrati. Cæterum, tametsi Sacramentarius fuit, fide tamen à Caluinismo discrepabat; quandoquidem auditis in Possiacensi colloquio Caluini ministris asserẽtibus, Iesu Christi corpus realiter in Eucharistia sumi licet realiter in ea non existat; contrarium cum exclamatione testatus est: scilicet, neque illud in Eucharistia esse realiter, neque in ea realiter accipi. Et verò non sine veneni à Caluinistis propinati suspicione extinctus est eo ipso tempore, quo se se & ad Brẽtium Vbiquetariorum parentem, & ad prædictam realem asque reali existentia receptionem ab Hugnosticis inuectam refutandam accingebat, anno nimirum 1562. mense Nouemb hactenus ille: neque de hoc hæresiarcha quidquam aliud occurrit.

394

395

396 Vnum

396 Vnum tamen verbum de hæresiarcha Henrico Bullingero ex Onuph. anno 1549. & ex Sander hæres. 233. à Gualt. prolatum.

397 Circiter eundem, inquit, annum 1549. fœtidas falsæ doctrinæ suę merces exposuit Henricus Bullingerus Zuiglianus, eo inter alia mendacia, nomine damnatus, quod in præfatione suarum in Apocalypsim homiliarum scripserit, non alium Antichristum in mundum esse venturum, quam qui iam venit in Romanis Episcopis; quandoque per 398 intolerandam calumniam S Ioannem Euangelistam Idololatriæ ob honoratum Angelum incusarit. homil. 84. & 97 in Apocal.

399 Brentio respondit anno 1563. & diem vltimum Tiguri confecit anno 1575. de eo plura Florem. Raymund. lib. 3 de orig. hęres. cap. 5. num. 1. huc vsq. Gualter. quibus finita ista Regula manet.

Quid de summo hæresiarcha Ioanne Caluino? quid de perniciosissima secta Caluinistarũ.

REGVLA CCXCII.

400 Circa annum Domini 1534. prodijt ex Vrbe Nouiodunensi Prouinciæ Picardiæ cunctorum hominum pessimus, ac præ cæteris hęresiarchis quorumcunque penè errorum contra fidem diuinam inuentor, aut instaurator pestilentissimus, nempè Ioannes Caluinus. Hic ob iuuenilis ætatis 401 improbitatem à patria sua, imo à tota Gallia exilium pati coactus est (vtinam tunc coactus fuisset pati vltimum igne suppliciũ, vti pro suis nefandis sceleribus merebatur ne tanta equidem Ecclesiæ catholicæ detrimenta intulisset) & Geneuam, vt ad locum 402 tutum aufugit. Ibi spatio 23. annorum pedem fixit, & quà dogmata sua falsa spargendo, quà Remp. illam in spiritualibus administrando, primas semper tenuit, atque nouam Caluinistarum sectam instituit, comprehendẽtem propè omnes quarumlibet sectarum hæreses, quibus vniuersam pene Galliam, & alias Europę regiones valdè infecit, neque inficere, quod magis dolendũ, vnquam cessat.

---

403 Epiteton, summi, appositum à nobis in titulo Regule meritò tribuit hæresiarchæ Caluino Prateol. verb Caluinistæ. num. 4. Caluinistæ, inquit, à Ioanne Caluino nostri seculi summo hæresiarcha, Picardo natione, patria Nouiodunensi, dicti sunt

403 Quippe iste cum suis asseclis ad summum peruenit nequitiæ, falsitatis, & corruptionis Sacramentorum, diuinarum scripturarũ, ac sacrorum rituum, quo perueniri posse videtur, vt sigilatim ex dicendis apparebit.

405 De eo idem Prateol. quoad nequitiam, & falsitatem, ac incõstantiam ex testimonio Ioannis Vacqueri, in lib. de tentationibus, sic ait: Eundem (nempè Caluinum) noue- runt inter dissolutos suæ Vrbis viros dissolutissimum, inter inconstantes, & fidifragos inconstantissimum. ita ibi: & paulo post ex Lindano Dubitantij tui Dial. 2. sic.

406 Hic igitur Gallicani ingenij fastu, vanæque eloquentię cothurno, ac doctrinæ suæ opinione tumidus, primum Basileæ delitescens, tum Argentorati exulans, ac profugorum ibidem factus concionator, post Geneuensis Ecclesiæ arrepta contra Dei legem, pulso Vicecomite, & Episcopo, gubernatione, non modo Sabaudiam, sed totam adeò Galliam suis infecit, euertit, perdidit blasphemijs, propter nouum suę Cœnæ figmentum, quo Christum, licet absentem, imaginatur sua tantum vi, & efficacia præsentem per metonymiam. hæc ille, ex quibus nonnulla de contentis in Regula aliqualiter innotescunt.

407 Non est nostri instituti multis vitam, mores, ac res gestas huius pessimi hominis longè attexere: id præstiterunt diuersi, (ad istos lectorem remitto) tum ex catholicis nostris, vt Ioannes Vetus, & Claudius Sanctesius, ac cum vtroque Prateol. loc. cit. vers. sed Caluini vitæ: tum ex contrarijs infidelibus, 408 maxime Theorus Beza. Qui studiosè cauit (vt ait Gualter. cap. 15.) ne facinus proderet, quod liliatum Caluinum Gallię finibus egredi compulit, prout refert Hieronymus Bolsecus in vitæ Caluini cap. 5. Et verò tam spurcum illud est, & à natura alienum, vt me ipsum quoque enarrare pudeat. hactenus verba Gualt.

409 Quod autem per fugam à pęna vltimi supplicij tali facinori debita se liberauerit, adducit breuiter cum alijs huc spectantibus Genebrard in Marcello II. Ioannes Caluinus, inquit, ex matre pontificij sacrificuli concubina, Canonicus Nouiodunẽsis (*Vuestphalus Lutheranus in Apologia*) incipit clarescere, & de fori rabula Theologus de repente prodire, vbi ad pœnam quæsitus cum quodam Capo tunc Academiæ Parisiensis rectore, Regij Magistratus manus subdolè effugisset hæc ille.

410 Effugerat autem, vt dictum, primo Basileam, ibique latuit; postea Argentoratum quas vrbes iuxta Rhenum flumen licet Germani habitent; sunt tamen sitę intra confines Gallię; proindè pro maiori securitate in Italiam venit, ac inde non multo post rediens, Geneuam ingressus, pro sua, & aliorum commoditate hanc Ciuitatem elegit, 411 vt sedem propriam. Vbi statim applicatus est ad concionandum, & docendam suam prætensam Theologia, formamque confessionis, ac disciplinæ vna cũ suo cathechismo componere non tardauit. Ita ex relatione Bezæ Gualterius.

412 Dixi, pro sua, & aliorum commoditate; nam ibi pro suâ ad attrahendos multos idoneos, pro instituenda noua hæreseon secta, nihil commodius. Audi Prateolum ex Io-413 anne Vetere vbi supra circa hoc. Vbi primum, inquit, Caluinus, suam illam impuden-

dentiæ, ac impietatis scholam aperuisset, & ad eiusdem sceleris societatem nonnullos, quos fore vtiles sibi, ac idoneos arbitrabatur, verborum blanditijs, magnisque pollicitationibus pellexisset, tunc homo vafer, & astutus, qui nobilitandi sui nominis, & propagandæ factionis ardore incendebatur, laqueos complures struxit, quibus incauti, semidocti, & sibi minus cauentes facile irretiti caperentur. hæc ille.

414 Pro commodo item aliorum, nihil commodius, nihil opportunius Geneuensi vrbe vt ad ipsum Caluinum in ea residentem vndecunque effugientes, & exulantes recurrerent. Vnde idem Prat. cum dicto Io. Vetere 415 de illo sic ait. Quod ipse sese asylum in proximis Galliæ finibus constituisse, ac muniuisse, ad quod exules, damnati, aborigines, & omnium ordinum, gentiumque perditi, ac deplorati greges suis finibus ablegati confugiant, & in quo tamquam in tutissimo portu placidè conquiescant, significat. ita ille.

416 Superest, vt de qualitate Caluinistarum sectę agamus: & quidem, quod superet quascunque sectas multitudine, & grauitate errorum contra fidem catholicam, omninò extra controuersiam mihi videtur, nec vllus 417 credo, ibit inficias. An autē quotquot hęreses extiterunt decursu præcedentium sæculorum, & in præsenti existunt, ex quibus reliquæ sectæ fuerunt institutæ, in hac vna Caluiniana comprehendantur? dubitabit forte aliquis; sed non, vt iudico, noster Iaco-418 bus Gualterius. Cum hic in suis tabulis chronographicis à Christo nato ad annum 1631. adiuncto Appendice, in singulis seculis, & sectis collationē veterum errorum cū hæresibus Caluinianę sectæ exactè percurrat, & in partem affirmantem, manibus pedibusque omninò inclinare videatur.

419 Verum quidquid sit de hoc dubio, cuius decisionem iudicioso lectori libenter relinquo, modum illum loquendi moderatum ipsius Gualterij valdè approbo, nimirum 420 cum dict. cap. 15. secul. 16. sic ait. Eo spectat vniuersa, quæ mihi ad manum est, præcipuarum blasphemiarum, ac falsitatum enumeratio (loquitur de falsitatibus Caluinianis), quas Satan illis pro veritatis, & sapientiæ axiomatis venditat: pręcipuarum dico, quod omnes enumerare nequeā, partim vt me promissæ breuitatis memorē prębeā, partim quod numerus sit propemodū 421 infinitus. Quandoquidē, vt nihil de ijs dicam, qui & studiosius perquisierunt, & accuratius recensuerunt, illud asseuerare ausim, neque in symbolo fidei articulum esse vllum. neque vllam in oratione Dominica petitionem, neque vllum, siue Dei, siue Ecclesiæ mandatum, neque Sacramentorum vllum, aut ceremoniam sacramentalem esse, quam non illorum ministri vel exterminauerint, vel mutilarint, vel deprauarint. hæc ibi, & addit statim augendo.

422 Quin etiam verum dixero, si dixero, habere me vndè illis demonstrem complures vel in vnum Apostolorum symbolum erro-423 rum centurias; quorum quinquaginta nimirum, ipsum primum symbóli verbum, *Credo*, impetunt, hoc est, fidem vniuersè acceptam; siue necessitatem, vnitatē, naturam obiectum, effectaque eius peruertendo; siue eius adipiscendę modum, ac diuturnitatem ignorando; siue eius contraria, vel reguiam atque adeò symbolum ipsum, quo illa summatim comprehenditur, pręposterè intelli-424 gendo. Ita ille. En qualis secta Caluiniana. En quam abundans, & superabundans erroribus: quid igitur? percurrendi ne omnes, & sigillatim indicandi? Id quidem nimis prolixum, & attenta ingenioli nostri tenuitate, sine dubio adynaton. Inhærendum itaque quoquomodo Gualterij vestigijs, qui immediatè post vltima eius verba adducta, sic prosequitur.

425 Ex hoc ingenti, inquit, ac propè infinito errorum numero, centum nunc dumtaxat eligam, quibus quasi perspicuis notis facile erit deprehendere prodigiosos pestilentis illius hydræ sinus, quam reformationē 426 vocitant. Prius tamen rogatum lectorem velim, vti documenti initio à me traditi non immemor sit; mirandum vtique non esse, quod in recensendis Caluini, ac similium erroribus, nobis interdum objiciuntur quædam alia eorum scripta, in quibus contrarium asserunt; & quidem non raro in vno eodemque libro, ac nonnunquam in eodem capite. Hæc enim excusatio adeo illos non excusat, vt manifestæ contradictionis accu-427 set. Et vero tam solemne est hæresi secum ipsam pugnare, ac semetipsam destruere, quam naturale est veritati, spiritu amoris, vnitatisque sustentari. hęc Gualt.

428 Qui deinde ostendit, qualiter sancti Patres, vt D. Ireneus, D. Basilius, D. Epiphanius, D. Gregorius Nazianzenus, D. Augustinus, & alij consueuerint vti hoc modo conuincēdi hęreticos sui temporis per propria eorum testimonia, & verba, ex ipsorummet libris, aut scriptis desūpta: sicuti Sanctus Rex Dauid 1. Reg. 17. Goliath proprio ipsius 429 gladio gloriosissimè interfecit. Idem promittit Gualt. ipse se pręstiturum in exprimēdis dictis centum erroribus Caluini, & sectæ Caluinianæ, statque promissis, etiam syllabatim verba ipsius inimici hęresiarchæ de-430 scribens: In qua descriptione, & indicatione errorum abundantius, & prolixius se gerit, pluribus testimonijs, vel locis in probatione adductis: nos ab huiusmodi abundantia & prolixitate in eisdem cētum erroribus indicandis quoad poterit, abstinebimus, vno, vel altero loco contenti ex relatis ab ipso Gualt.

431 Primus error Caluinismi, quod fides nō sit vna, neque futuram esse vnam vsque ad finem mundi. Eundem tenuerunt (vt vidimus in seculo 2. 3. & 7. diuersę alię sectę Appellistarum, Manicheorum, Rhetorianorū. 433 & Mahometarum. nam Mahometes in suo

suo Alcorano docet, & Iudeum, in Iudaica, & Christianum in Christiana, & Mahometanũ in Mahometana fide, seu religione posse saluari. Ita Caluinus multiplicem esse fidem tenuit, vt refert in eius vita Beza, qui fuit infectus eodem errore, vt magis de vtroque ex Regula sequenti patebit.

433 Excelluit in prædicto errore post Caluinum, & Bezã, quidam Sebastianus Castellio Geneuensis, qui inter hæresiarchas reponitur seperatim à Gualt. cap. 22. secul. 16. vbi de eo sic ait. Ludimagistrum Geneuæ egit, qui teste ipso Beza (in vita scilicet Caluini) rem indifferentem ducebat, eam sequi Re-

434 ligionem, quam quisque voluerit. Excelluit etiam in alio errore idem Sebast. Castellio, quod cum Anabaptistis defenderet Canticum Canticorum esse colloquium, vel cantilenam prophane amatoriam, atque impudicam Salomonis cum amasia quadam

435 sua; adeò vt, eodem Beza teste, palam iusserit illud ex Canone abradi non sine atrocibus in eos conuicijs, qui obnitebantur. ita cum Sander. hæres. 190. idem Gualt.

436 II. Error Caluinismi est, quod fides semper incredulitate sit permixta: hæc autem permixtio dissona, & repugnans est, ac si calidum frigido, humidum sicco, auditus surditati, visus cęcitati coniungatur; nihilominus ita docuit Caluinus lib. 3 suæ insti-

437 tut. cap. 2. §. 4. *In cunctis*, inquit, *semper mixta est fidei incredulitas*; & infra adducto

438 exemplo Dauidis: *Nullum*, inquit, *illustrius, vel magis memorabile exemplum fidei proponit scriptura*, quàm in Dauide, præsertim, si continuum vitæ cursum spectes; Ille tamen quàm non semper pacato animo fuerit, innumeris querimonijs declarat, ex quibus paucas eligere sufficiet, dum animæ suę turbulentos motus exprobrat, quid aliud, quam suæ incredulitati succenset? Hæc Caluinus scilicet.

439 Sed postea ibid. §. 21. sibi ipsi contradicens, ait, *non intus in cordibus piorum* regnat incredulitas, sed foris oppugnat. & §. 27. expresè affirmat, *A terrore incredulitatis longè differre fidelium timorem*. ita ille à se ipso cum manifesta contradictione alienus.

440 III. Error Caluini, quod fides semper sit coniũcta cũ dubitatione & incertitudine, & ex terminis ipsis clarè patet distinctum esse præcedentẽ errorẽ ab isto tertio; quẽ docuit

441 manifestè Caluin. lib. 3. c. 2. §. 17. Dicẽs. *Nos certè dum fidem docemus esse debere certam, ac securam, non certitudinem aliquam* imaginamur, quę nulla tangatur dubitatione; nec securitatem, quæ nulla sollicitudine

442 impetatur. ita ille; & vult talem fuisse fidem cum dubio coniunctam, sanctorum Patriarcharum Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iobi, Dauidis, &c.

443 Verum quis non videat, quod suum prædictum assertum destruit idẽ Caluinus, quando in dicto cap. 2. §. 7. sic ait. Excludenda est dubitatione mixta intelligentia, quæ non solidè sibi constet, sed ipsa secum disce-

444 ptet. & sic §. 19. *Summa hæc sit, vbi primum vel minima fidei gutta mentibus* nostris instillata est, iam faciem Dei placidam, & serenã, nobisque propitiam contemplari incipimus, procul id quidem, & eminus, sed ita certo intuitu, vt sciamus nos minimè allucinari. ita ille: vide plura apud Gualter.

445 IV. Error, quod fides sæpè, imo, & semper, sit erroribus permixta, profert eum Caluinus lib. 3. institut cap. 2. §. 4. & 31. *Nos vero*, inquit, *fidem quandiu in mundo peregrinamur, implicitam esse concedimus, non solum, quia nos multa adhuc latent, sed quia multis errorum nebulis circumdati non omnia assequimur*. ita ille. Sed spiritu vertiginis agitata lingua ipsius oppositum statim ibi asserit, *ab ipso* (Spiritu Dei) *profectam reuelationem*, vel mendacij, vel incertitudinis, vel ambiguitatis insimulare, horrendum est sacrilegium. hæc Caluinus.

447 V. Error, quod fides simplex, & implicita non sit, nisi commentum, & crassa ignorantia, & quod vera fides claram cognitionem requirat. Inter errores Petri Abailardi reponitur iste, vt vidimus, in secul. 12. Caluinum eum renouauit, vt patet lib. 3. cap. 2. §. 2. vbi loquens de catholicis sic

448 ait: Commentum fabricarunt implicitæ fidei, quo nomine crassissimam ignorantiam ornantes, miseræ plebeculæ cum magna pernicie illudunt.

449 Sed hanc implicitam fidem admittit, vt necessariam, Caluinus sibi ipsi oppositus varijs in locis, præcipuè §. 3. dict. cap. 2. vbi. *Equidem non inficior* (*qua sumus ignorantia circumsepti*) *quin plura nobis implicita nũc sint, & etiam sint futura, donec deposita carnis mole propius ad Dei præsentiam acces-*

450 *serimus*. ita ibi, & §. 4 addit. Nos verò fidem, quandiu in mundo peregrinamur, implicitam esse concedimus.

451 VI. Error, quod fides non aliud habeat obiectum, aliumue scopum, nisi bonitatem Dei, & indubitatã specialis singulorum fidelium salutis promissionem, & quod integra fidei definitio in eo sita sit, vt certò credam

452 me saluum futurum. Atque hic est (addens inquit Gualter.) apex, & quinta, vt sic loquamur, essentia Caluinismi, vt scilicet populo credulo persuadeatur, se planè securum esse de sua salute, imò tam securũ, quam ipsum Christum Dominum: quamuis nec credat Deum esse, nec scripturam veracem existere, siquidem Caluinus conceptis verbis affirmat id nullius esse momenti. ita ille.

453 Qui circa prædicta citat Caluinũ lib. 3. cap. 2. § 9. 10. vbi sic ait circa vltimum. *Credere*, inquit, *certe plurimos Deum, Euangelicam historiam, ac reliquas scripturæ partes veras esse arbitrari &c.* statim subiungit.

454 *Talibus quidem fidei testimonium tribuitur sed per abusum: quoniam Verbum Dei non impugnant manifesta impietate*, vel reijciunt vel contemnunt, sed quandam potius obedientiæ speciem præseferunt. Verum hęc fidei

fidei seu vmbra, seu imago, vt nullius est momenti, ita indigna est fidei appellatione. 455 & immediatè post ait, *eam procul abesse à solida veritate fidei*: heu ingens blasphemia!

456 At circa primum audi eundem Caluinũ à Gualt. citatum dict. cap. 2. §. 82. vbi. *In Diuina*, inquit, *beneuolentia, quam respicere dicitur fides*, intelligimus salutis, ac vitæ æternę possessionem obtineri. & §. 29 Fidei fundamentum facimus gratuitam promissionem, quod in ipsa propriè fides consistat. 457 & statim. Fides propriè à promissione incipit, in ipsa constat, in ipsam desinit. item §. 43. Fidei vnicus est scopus, Dei misericordia, in quam vtroque (vt ita loquar) oculo respicere debeat. & lib. 3. cap 3. § 19. Proprium fidei obiectum est Dei bonitas, qua peccata remittuntur. Tandem de fidei 458 definitione lib. 3. cap. 2. §. 7. sic. *Nunc* inquit, *iusta fidei definitio nobis constabit si dicamus esse diuina erga, nos beneuolentiæ firmam, certamque cognitionem*, quę gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum, & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur. En qualiter Caluinus de natura, obiecto, ac definitione fidei loquatur.

459 Verum idem Caluinus suo se gladio iugulans lib. 3. cap. 2. § 7. sic ait. *Non negamus quin fidei officium sit veritati Dei subscribere, quoties, & quidquid, & quocunque* modo loquitur. Et paulò post. *Fateor generale fidei obiectum* esse Dei veritatem, siue minetur, 460 siue spem faciat gratiæ. Atq; §. 30. Nos immerito grauant calumniatores, ac si negaremus, fidem habere respectum ad omnes verbi Dei partes. ita ille.

461 VII. Error, quod fides non possit esse sine spe, immò quod nihil aliud sit fides, nisi spes, seu fiducia. Tradit expresè Caluin. lib 3. instit. cap. 3. §. 5. vbi ait; *sine spe fidem non esse*. Et in epist. ad Rom. 10. sic: *fidem dico firmam esse, & efficacem fiduciam*. Item dict. lib. 3. §. 43. *Iam docuimus*, inquit, *nihil aliud* 462 *spem esse*, quam fidei alimentum, & robur, seù firmitatem, & perseuerantiam. ita ille.

463 Ruit tamen hęc erronea Caluini doctrina vel vnico Apostoli testimonio, 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent* fides, spes charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. & D. August. in Enchi. cap. 7. vbi optimè distinguit de fide, & spe, vti de duabus rebus, quod illa feratur in res bonas, & malas, ac præteritas, quas credimus; spes verò in solas bonas, & futuras, quas desideramus, Inuenies plura apud Gualt.

464 VIII. Error, quod sola scriptura sacra ita ad salutem sufficiat, vt reijciendum sit verbum non scriptum, quod catholici vocãt Traditionem. Eundem errorem, vt vidimus, tenuerunt multi ex hæreticis antiquis, vt Valentiniani, Marcionistæ, Manichei, Arriani &c Renouauit ipsum Caluinus, vt patet 465 lib. 4. instit. cap. 8. §. 8. vbi. *Esto*, inquit, *hoc firmum axioma, non aliud* habendũ esse Dei Verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primum, & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur. Item cap. 10. 466 §. 30. de scriptura loquens, ait, Dominus & totam veræ iustitiæ summam, & omnes cultus numinis sui partes, & quidquid ad salutem necessarium erat, sacris suis oraculis, tũ fideliter complexus est, tum perspicuè enarrauit. hæc ille, quibus excludit quodcunq. aliud pręceptum in scriptura non contentum, & quancunque traditionem.

467 Audi tamen, quam manifestè contraria Caluinus proferat lib. 4. cap 10. §. 5. Etsi, inquit, leges singulæ (loquitur de humanis) conscientiam non attingant, generali tamẽ præcepto Dei tenemur, quod magistratuum auctoritatem nobis commendat. En eiusdẽ rei affirmationem cum negatione copulatã, contra primũ Arist. 4. Metaphys. cap. 3. axio-468 ma. Qui enim fieri potest, vt leges humanæ conscientiam non ligent, si Dei præcepto ad eas obseruandas adigimur? Et verò quoad Traditiones, Ecce quam manifestè eas admittat Caluin. dict. cap. 10. §. 30. vbi

469 [Testatur eas demum humanas constitutiones se probare, quæ & Dei auctoritate fundatæ, & ex scriptura desumptæ, adeoque prorsus diuinæ sint. & statim subiungit exẽplum sit in geniculatione, quæ fit, dum solemnes habentur precationes Quæritur sit ne humana traditio, quam repudiare, vel negligere cuiuis liceat? Dico sic esse humanam, vt simul sit diuina. Dei est, quatenus pars est decoris illius, cuius cura, & obseruatio nobis per Apostolum commendatur. 1. Corinth. 14. Omnia honestè, & secundum 470 ordinem fiant. Hominum autem, quatenus specialiter designat, quod in genere fuerat indicatum magis, quam expositum. Ab vno exemplo æstimare licet, quid de toto hoc genere sit sentiendum. hæc ille: ex quibus deducit Gualterius, Quis, inquit, non videat hac Caluini confessione omnes Ecclesiæ traditiones non scriptas confirmari?

471 IX. Error, quod ex sacro Canone scripturæ sanctæ debeant abradi libri Tobiæ, Iudith, pars Esther, Sapientiæ, & Ecclesiasticus Salomonis, Propheta Baruch, pars Danielis, & libri Machabęorum, tanquam apocryfi, vt Caluiniani ministri proclamant, 472 & tales eos iudicant, vt patet ex ipsorum Biblijs editis anno 1551. absque vllo dictorum librorum, contra communem sensum sanctorum Patrum, & decisionem sacrorum Conciliorum, pręcipuè Tridentini, sess. 4. decret. de Canonicis scripturis, vbi dicti libri sancti, & Canonici declarantur.

473 X. Error, quod Veteris Testamenti solus textus hebraicus sit authenticus, non autem versio vlla. Est manifestè contra decretum Concilij Tridentini sess. 4. vbi versio latina antiqua, qua exemplo sanctorum

Patrum, & Doctorum inducti communiter
474 vtimur, authentica declaratur. Verùm declaratio ista valdè displicuit Caluino, vt ipse indicat in suo prætenso Concilij Tridentini Antidoto, sess. 4. eo quòd in votis haberet, vt omnia reducerentur ad vnam textus Hebraici normam pro testamēto veteri, pro nouo autem testamento omnia ad solam Græci textus regulam.

475 Quamquam ipsemet Caluinus sæpius se sua ista coarctatione illaqueat; quippe crebrò textum hebraicum relinquit, & nostra communi versione vtitur, lege Card. Bellarminum lib. 2 de verb. Dei, c. 2. & Iacobum Gordonum, tom. 1. controuers. 1. c. 8. qui in probationem varia adducunt exempla.

476 XI. Error Caluinismi, quòd solus textus Græcus noui testamenti sit authenticus; non autem vlla versio. Pari modo de hoc, atque de præcedenti errore philosophandum, nec addendum quidquam occurrit, præter citatos Bellarm. & Gordon. vide, si lubet Gualt. loc. cit.

477 XII. Error, quòd Scriptura sacra non sit ex se certa, neque erroris, aut falsitatis expers. Primam partem inde tenet Caluinus lib. 1. Institut. cap. 8. §. 13. & malè ostendit; quia falsò supponit certitudinem Scripturæ interna reuelatione fundari.

478 Tum verè, inquit, demum ad saluificam Dei cognitionem Scriptura satisfaciet, vbi interiori Spiritus Sancti persuasione fundata fuerit eius certitudo. Atque prius eodem lib. 1. cap. 7. §. 4. sic ait. *Non ante Fidem reperiet sermo in cordibus hominum*, quam interiore Spiritus testimonio obsignetur. hæc ille, qui sine dubio decipitur.

479 Pro secunda parte, quod Scriptura non sit expers falsitatis, affert Caluinus diuersa eius loca, in quibus vult aliquid falsum contineri. Vt in fine Commentarij sui in Iosue proferens, quæ in Actibus Apostolorum, cap. 7. dicit Sanctus Stephanus de sepulchro empto ab Abraham, Genes. 23. illudque confundens cum parte agri empta à Iacob Genes. 33. (quasi Iacob illic nominari debeat loco Abrahæ) ita loquitur: Quod autem ait agrum emptum esse ab Abraham, error est circa nomen, qui temporis decursu in eum locum irrepsit. ita ille, & retuli ad verbum ex Gualt. apud quem plura leges.

480 XIII. Error, quòd Scriptura sacra ex se sit clara, & facilis intellectu; & quamuis parum consonans duodecimo præcedenti, talis tamen, qui sæpe in Caluinistarum ore versatur, & passim ab eis scriptitatur. Lib. 1. Institut. cap. 7. §. 2. sic ait Caluinus: Non obscuriorem veritatis suæ sensum Scripturæ præ se fert, quàm coloris sui res albæ, & nigræ, saporis suaues, & amaræ. ita ille valdè errans. Nam omissis multis, quæ obscuritatem Scripturæ sacræ, & difficultatem ostendunt, solum ipsum Caluinum, quomodo palynodiam cantet, audiamus. lib. 3. Institut. cap. 2. §. 4. sic ait.

481 Quotidiè legendo in multos obscuros locos incidimus, qui nos ignorantiæ coarguunt. At hoc fræno in modestia nos Deus Fidei mensuram singulis assignans, vt optimus etiam quisque Doctor ad discendum paratus sit. Quid clarius?

482 XIV. Error, deriuatus quoquomodo à præcedenti, quòd peculiaris cuiusque fidelis iudicij sit Scripturam interpretari, ac Fidei controuersias dirimere; ita vt non requiratur ad Ecclesiæ determinationem recurrere: quin etiam vnicuique licere tum ipsius Ecclesiæ definitiones, tum Conciliorum etiam generalium Decreta examinare, ac censura notare. de hoc Caluinus lib. 4.

483 cap. 8. §. 11. Ex promissionibus (inquit de nobis ille) quas allegare solent, multæ non minus fidelibus singulis, quàm toti Ecclesiæ datæ sunt. Nam tametsi duodecim Apostolis loquebatur Dominus, cum dicebat; Ecce voobiscum sum, vsque ad consummationem sęculi, Matth. 28. Item, ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Ioan. 14. Spiritum scilicet veritatis: non tantùm duodenario numero id promittebat, sed illis quoque singulis, immo alijs similiter discipulis, vel quos iam assumpserat, vel qui postea accessuri erant. ita ille priuatum iudicium nimis extollens.

484 E contra nimis deprimit commune Ecclesiæ iudicium, dicens lib. 4. cap. 9. §. 8. *Ecclesia sensim a sua recta puritate declinauit*. & idem lib. 4. cap. 8. §. 10. auctoritatem Conciliorum sic contemnit. *Quoniam pro confesso* (inquit ille de nobis) *sumunt vniuersale Concilium esse veram Ecclesiæ imaginem, hoc principio sumpto simul absq; dubio statuit regi immediatè a Spiritu Sancto eiusmodi Concilia, ideoque errare non posse*. Sed id irridens, reijcit lib. 4. cap. 9.

485 § 9. *Bant nunc Romanenses, & affixum, alligatumque suis Concilijs Spiritum Sanctum pro more iactent*. & §. 3. Hoc autem perpetuum esse nego, vt vera sit certa Scripturæ interpretatio, quæ Concilij suffragijs fuerit recepta. hucusque ille.

486 Verum eodem §. 13. tela contra seipsum retorquet Caluinus sic: Nos certè libenter concedimus, si quo de dogmate incidat disceptatio, nullum esse nec melius, nec certius remedium, quam si verorum Episcoporum synodus conueniat, vbi controuersum dogma excutiatur: multo enim plus ponderis habebit eiusmodi definitio, in quam communiter Ecclesiarum pastores, inuocato Christi Spiritu, consenserint, quàm si quisque seorsum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines priuatim eam conficerent. Hæc ille, quibus similia plura eiusdem lege, si lubet, apud Gualterium citatum.

487 XV. Error, quòd Fides non infundatur nisi electis, & prædestinatis. Clare de eo Caluin. lib. 3. c. 11 *In fidem inquit, non illuminantur, nec Euangelij efficaciā vere sentiunt, nisi qui*

qui praeordinati sunt ad salutem. Atque adstatim, *Reprobos non percipere certum Fidei lumen*.

488 Sed en, quomodo sibi ipsi contradicere cogatur Caluinus ibid. *Nihil absurdi est*, inquit, *quòd cælestium donorum gustus ab Apost. Hebr. 6. & temporalis fides a Christo, Luc. 8. illis adscribitur*. & paulò post. *Nec verò nego, quin hucusque eorum mentes irradiet Deus, vt eius gratiam agnoscãt*. ita ibi.

489 XVI. Error, quod fides nunquam possit amitti. Tradit Caluinus in Harmonia super Matth. 13. *Cordibus*, inquit, *fidelium semel infixa Dei veritas, nunquam effluit, sed vsque in finem viget*. & ferè mox. *Porrò vt nunquam*, inquit, *extinguitur Spiritus ille; ita & fidem, quam semel insculpsit piorum cordibus, euanescere, & perire im possibile est*. hæc ille pro confirmatione huius erroris.

490 Pro reiectione autẽ eius, idem Caluinus exponens verba illa Apostoli ad Hebr. 11. (Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis) sic ait. *Notandum tamen est, fidem, quæ hic laudatur, valde fuisse imbecillam*. Nam cum posthabito mortis suę metu Moysen deberent educare, eum exponunt. Patet igitur illorum fidem, breui non 491 tantùm vacillasse, sed fuisse collapsam. & clarius lib. 3. Instit. cap. 2 §. 24 *Neque tamen*, inquit, *inficior, quòd nuper dixi, quasdam interruptiones fidei contingere, prout eius imbecillitas inter violentos impetus huc, vel illuc flectitur. Ita in densa caligine tentationum suffocatur eius lumen*. Sic sibi contrarius ille.

492 XVII. Error, quòd homines nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternã mortem sint prædestinati. Eisdem ferè verbis docet Caluin lib. 3. Instit. c. 23. §. 2. Additq; §. 3. *Ab initio Deum ad mortem aliquos prædestinasse, qui cùm nondùm essent, mereri iudicium mortis, nondum poterant*. & prius §. 2. ait. *Deum non alia de causa illos reprobare, nisi quòd ab hæreditate, quam filijs suis prædestinat, illos vult excludere*. Atq; §. 4. idem 493 affirmat de damnatione dęmonũ. Nec vnquã ab hoc manifesto errore se retractauit.

494 XVIII. Error, quòd Deus aliquos creauerit, vt peccarent, & in perpetuum damnarentur. Præcedenti admodũ coniunctus 495 est iste error 18. cap. 23. § . 3. Atque vt centies Deum esse damnationis illorum auctorem confitear, quod verissimum est, non protinus tamen crimen eluunt. ita ille; neq; vlla similiter huius erroris retractatio à Caluino facta apparet; sicut nec diuersorum sequentium.

497 XIX. Error, quòd Deus sit auctor peccati, imò cuiusuis peccati. Prosequitur Caluinus blasphemo ore contra Dei bonitatem insurgere; atque pari modo philosophandum de isto errore 19. ac de duobus præcedentibus 17. & 18. locaq; Caluini adducta ad ostensionem eorum, æquè præsentẽ ostendunt; proinde non adducam alia denuò, quæ copiosè apud Gual. pro isto errore 19. relata inuenies.

498 XX. Error Caluinismi est, quòd Deus non sit absolutè omnipotens. Caluinus super cap. 23 Isaiæ sic ait: Commentum illud de absoluta potentia Dei, execranda blasphemia est & lib. 3. Instit. cap. 23. §. 2. sic: Neque tamen, inquit, commentum ingerimus absolutæ potentiæ, quod sicut profanum est, ita meritò detestabile esse debet. Varias itaque coarctationes absolutę omnipotentię Dei Caluinus, & asseclæ eius assignant, cum nullis limitibus circumcludatur.

499 Primò coarctant eam respectu quorumcunque, quæ nunquam fuerunt, nec sunt futura, iuxta illud Caluini lib. 2. cap. 7. §. 5. *Impossibile*, inquit, *appello illud, quod nec fuit vnquam, & ne imposterum sit, Dei ordinatione, ac decreto impeditur*. ita ibi, quasi 500 id à Dei voluntate pendeat. Vnde Caluinus ipse in Harm. super Luc. 1. sic ait. *Non temerè solum, & inutiliter, sed etiam periculosè disputatur*, quid sit Deo *possibile, nisi simul occurrat, quid ipse velit*.

501 Secundò, Coarctant, vt tantùm intelligatur omnipotentia Dei respectu eorum, quæ per eam actu ipse exequitur. Caluinus lib. Instit. 1. cap. 16. §. 3. Et sanè, inquit, omnipotentiam sibi vendicat, ac deferri à nobis vult Deus, non qualem Sophistæ (intelligit nos Catholicos) fingunt inanem, otiosam, & ferè sopitam; sed vigilem, efficacem, operosam, & quæ in continuo actu versetur. hæc ille, maximè errans.

502 XXI Error, quòd in essentia diuina sit distinctio realis. Caluiniani ita sentientes, coguntur cum antiquis hæreticis Manicheis condemnatis in tertio sæculo, cum Tritheistis reiectis in sexto sæculo, & cum alijs admittere tres Deitates, & tres Deos, contra Apostolum clamantem ad Ephes. 4. Vnus Deus, vna Fides. nec occurrit aliud hic addendum

503 XXII. Error, quod Deus Pater genuerit Filium suum, & produxerit Spiritum Sanctum, quia voluit; ita quod potuerit illum non producere. Docet Caluinus in Opusc. contra Valentinum Gentilem: Nam relata decima Valentini propositione per hæc verba. *Deus potuit generare, & producere, quia voluit. Quocirca genuit Verbum ante sæcula, & produxit Spiritum*. respondet eam oppositionem admittendo hunc in modum.

504 *Per hanc sententiam Fides nostra nulla in re corrumpitur; quandoquidem ingenuè diximus nomen Dei per prærogatiuam propriè attribui Patri*. hæc ille: ex quibus infertur, quòd generatio Filij, & productio Spiritus Sancti potuerint non esse, & non competat eis esse necessarias, naturales, immutabiles, & æternas, & consequenter, quòd Filius, ac Spiritus Sãctus rebus creatis sint adnumerandi, vt de Filio tenuerunt Arriani, & de Spiritu Sancto Macedoniani, abnegantes vtriq; diuinitatẽ.

505 XXIII. Error, quòd Filius Dei non generetur continenter à Patre suo æterno. Paucis verbis exprimit eum Caluinus lib. 1. Instit.

cap. 13. §. 29. *Stultè*, inquit, *fingitur actus cōtinuus generandi*: & in Gallicana editione sua continuum illum generandi actum, vocat commentum superuacaneum, & friuolum. ita ille: ex quo, efficitur necessario, vt Pater sit mutabilis, quia generare destitit, quod est contra fidem Catholicam.

506 XXIV. Error, quod sanctissima Trinitas minimè sit inuocanda. Sic tenet Caluinus in sua Epistola ad Polonos. Hæc precatio, inquit, comuniter recepta, Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nobis, mihi non placet, & suam planè barbariem redolet. & ibidem non multo post, *stolidam fatuam, ac profanam vocat illorum fidem, qui sentiunt, credere in Deum, esse credere in Trinitatem*. heù, quam impudens, & intolerabilis Caluini blasphemia, qua sanctissimæ Trinitati diuinitas aufertur.

507 XXV. Error, quod Christus Dominus nō sit propriè creator cœli, & terrę. sic Caluinus in opusc. contra Valentinū, p. 1924. *Certè nos*, inquit, *vno consensu confitemur Christum impropriè vocari creatorem cœli, & terræ, habita ratione distinctionis Personarum.* hęc ille; non apparet tamen vllo modo, cur ipse ob distinctionem Personarum auferat id à Christo Iesu, esse scilicet propriè creatorē totius mundi; Cum receptissimum sit sanctorum Patrum, & cunctorum Thelogorum axioma, externa Dei Opt. Max. opera omnibus tribus personis diuinis esse communia vt & ipsam diuinitatem.

508 XXVI Error, quod filius Dei non sit Patri æqualis. Hinc ipse Caluin. in cap. 14. Io. exponens hæc Christi verba, *Pater maior me est*, arguit Sanctos Patres, & sacros expositores, quòd ea de Christi Humanitate interpretati fuerint, & ait, *Nec rectam, nec consentaneam fuisse Patrum solutionem.* At-

509 que hinc similiter contendit lib. 2. instit. cap. 14. §. 3. omnia scripturæ loca, in quibus agitur de subiectione, humiliatione, & exinanitione Christi, debere intelligi de vtraque simul natura; non autem speciatim, ac simpliciter de natura humana. Plura ad idē affert Gualter.

510 XXVII. Error, quod Filius Dei non acceperit essentiam à Patre lib. 1. cap. 13. §. 26. ait de Deo Patre Caluinus: *Deitatis est principium, non essentiandi, vt fanatici nugantur, sed rationis ordinis.* Et in præfatione li-

511 bri contra Valentinum. *Verbum*, inquit, *semper fuit Deus, quare neutrum illi a Patre datum est, vt esset.* & ibidem paulo post. *Porro essentiare, siue essentiam dare, quidquid est, nisi creare? iste enim actus tribuendi essentiam, illud secum necessariò trahit, vt qui ante non erat, esse cœperit.* & infra. *Cum dicis essentiam illi esse datam a Patre, tu negas illum a se ipso esse, cui rei cōtradicit Spiritus sanctus, qui æternum illum vocat.* hactenus ille.

512 XXVIII. Error, quòd Christus Dominus secundùm naturam humanam fuerit ignorans. Ita Caluin. Harm. in Luc. 2. affirmat in communi *eius animam subiectam fuisse ignorantiæ*. Atque Harm. in Matth. 21. & 24. exemplificat, *ignorasse Christum, quanam esset arbor, cui maledixit, & ignorasse diem*

513 *Iudicij*. Sed huic manifesto errori multa loca scripturę se opponunt, præcipuè illud Isa. 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, &c.* & illud ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, &c.*

514 XXIX. Error, quod Christus Dominus ita personam nostrā susceperit, vt peccator fuerit, & maledictionis reus. de hoc Calu. in Epistolam ad Galatas 3. imitatus Lutherum ibidem, cōmen. 2. tom. 5. cuius hæc sunt verba: *Omnes Prophetæ viderunt hoc in spiritu quod Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus, &c.* & quod Caluinus non erubescat Christum Dominum multis peccatis se, & per se contaminatum facere, constabit magis ex erroribus infra indicandis.

515 XXX. Error Caluinismi est, quod B. V. Marię virginitas, & integritas non sit credenda. Sæpiùs damnauit Ecclesia catholica hunc turpissimum errorem contra Cerinthianos, Ebionitas, Heluidianos, & alios: hoc tempore denuò excitarunt ipsum Caluinistę, adeoq; ei adhærent, vt Harm. in Matth. 1. affirmet Magister eorum Caluinus, *Neminem*

516 *vnquam hac de re quæstionem moturum, nisi curiosum; neminem institutum, vel contradicturū, vt refert editio Gallica, nisi contentiosum rixatorem*.

517 XXXI Error, quod eadem B. V. Deipara, peccatorum multorum sit rea. Tenet Calu. & ostendere incipit Harm. in Luc. 1. vbi primò eam accusat, potentiæ Dei malignè restrictæ, quando Angelo dixit, *Quomodo fiet istud, &c.* & subiungit. *Nec verò magnopere laborandum est, vt eam purgemus ab omni vi-*

518 *tio*. secundo in Luc. cap. 2. *quassatæ fidei*. tertiò *propensionis ad ius suum tuendum, posthabito etiam Dei respectu, ac Dei honore suo fundari*, in Luc. cap. 3. quarto Quod eam impulerit carnalis affectus vehementia, vt plus iustò satageret, in Luc. 8. quinto importunitatis, & quod præposterè cursum doctrinæ Christi abrumpere tentarit, in Marc. 10.

519 sexto peccati in eo, quod fines suos excessit, seq; ingerendo Christi gloriam obscurare potuit. hæc ille; vide plura apud Gualt. citat.

520 XXXII. Error, quod ea omnia, quę ad mediatoris officium spectant, de vtraq. simul natura in scriptura dicuntur. Ita Calu. lib. 2. instit. cap. 14 tribuens peculiariter diuinitati passibilitatem, sicut alij hæresiarchæ tribuerunt, & in Cruce eam passam fuisse affirmarunt.

521 XXXIII. Error, quod Christus Dominus recusauerit, ac refugerit, quoad potuit, officium Redemptoris. Harm. in Matth. 26 de Christo Domino loquens Caluin sic ait. *Nō apparet placida illa moderatio, quam dixi, quia mediatoris officio defungi, quantum* in

in se ss, renuit, ac detrectat. hæc ille.

522 XXXIV. Error, quod Christus Dominus tempore passionis suæ fuerit inquinatus affectu vitioso, obstupefactus, caligine offusus implicitas, & perplexas, minimeque rectum & æquabilem cursum tenentes preces *fundens*, alternis votis quasi vacillans, votum subito elapsum castigans, præsenti cælestis decreti memoria *priuatus*, non reputans se hac lege missum esse humani generis Redēptorem, salutis nostræ oblitus, & perplexus. hæc omnia Caluin. lib. 2. cap. 16. §. 12. & 523 Harm. in Matth. 26. Quibus opponitur scriptura sacra multis in locis, præcipuè. 1. Petri 2. vocans eum, *Agnum immaculatum qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. & Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui &c.*

524 XXXV. Error, quod Christus Dominus de animæ salute timuerit. lib. 2. instit. cap. 16. §. 12. de hoc errore sic ait. *Nihil mirum, si horribilis exitij abyssus* metu, & anxietate duriter eum cruciauit. & in Matt. 27. sic: 525 *nihil* autem magis horribile, quam Deum sentire Iudicem, cuius ira mortes omnes superat. Ergo cum species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti. Totum hoc ille, quo quid magis contra veram fidem, quæ docet Christum Dominum iam ab instanti Incarnationis fuisse beatum?

526 XXXVI. Error, quod Christus Dominus desperauerit. Hac adeo impia, & horribili voce sæpius blasphemauit Caluinus, vt lib. 2. instit. cap. 16. §. 11. *Et certè*, inquit, *nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quā sentire te à Deo derelictum, & alienatum, & cum inuocaueris non exaudiri, perinde ac si in tuam perniciem ipse conspirasset. Eò Christum videmus fuisse deiectum*. & Harm. 527 in Matth. 26. & 27. nihil, inquit, erat spei vt in rebus deploratis fieri solet. ac statim addit, Christo elapsam esse desperationis vocem. Omitto reliqua, cum error iste ex se nimis clarus sit ne aures piorum amplius offendantur talia audiendo.

528 XXXVII. Error, quod Christus damnatus fuerit, & damnatorum tormenta perpessus. lib. 2. cap. 16. §. 10. sic ait Caluinus. *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus, sed operæ simul pretium* erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret, quo & ira ipsius intercederet, & 529 satisfaceret iusto iudicio: Vnde etiam cum opportuit cum inferorum copijs, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus luctari. Vide apud Gualter. alia in manifestationem istius erroris, & eiusdem efficacem refutationem.

530 XXXVIII. Error, quod Christus Dominus nihil fuerit promeritus habita ratione diuini iudicij, ac ne sibi quidem. Tradit Caluin. lib. 2. instit. cap. 17. §. 1. per hęc verba. *Equidem fateor, si quis simpliciter, & per se Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore merito locum, quia non reperietur in homine dignitas*, quę possit Deum promere-531 ri. & §. 6. Quærere vero an sibi ipse meruerit (quod faciunt Lombardus, Scholastici) non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio, vbi hoc idem asserant Quid enim opus fuit descendere vnicum Dei Filium, vt sibi acquireret quicquam noui? & consilium suum exponens Deus omnem dubitationem eximit: non enim Filij vtilitati consuluisse dicitur pater in eius meritis. hæc ille ibi, & alibi similia.

532 Verum, quid magis iteratum in scriptura, quam quod Christus, & sibi & alijs promeruerit? Isa. 62. *Ecce Saluator tuus veniet. ecce merces eius cum eo*. Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius*. Peculiariter exēplificant Theologi, quod Christus promeruerit sibi glorificationem corporis: omitto alia loca, quæ passim occurrunt.

533 XXXIX. Error (hunc peculiariter tenet Beza in acta Apost. 2.) quod Christus Dominus non descenderet verè ad inferos, sed huiusmodi descensus sit intelligendus de eius sepultura. Cui opponitur illud ad Ephes. 4. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descen-534 dit primum in inferiores partes terræ? Quæ vltima verba, maximè attenta vi textus Greci, vt notat Gualterius, non possunt intelligi de descensu Christi ad sepulturam, cum in superficie terræ, & non in partibus eius inferioribus sepulturę fieri soleant.

535 XL. Error Caluinismi est, quod non aliter Christus Dominus descenderit ad inferos, quam diros damnatorum cruciatus in Cruce patiendo. Ita Caluin. lib. 2. Instit. c. 16. §. 8. reijciens interpretationem discipuli sui Bezę de descensu ad sepulturam; sed vterque pari modo contra fidem catholicam errauit.

536 XLI. Error, quod nullus fuerit Limbus Patrum, qui & sinus Abrahæ dicitur. De hoc Caluin. lib. 2. instit. cap. 16. §. 9. Nescio, inquit, qui factum sit, vt posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen Limbi. Sed hæc fabula tametsi magnos Auctores habet, & hodie quoque à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est, Nam concludere in carcere mortuorum animas, puerile est: Christi autem animam illuc descendere, vt eas manumitteret, quid opus fuit? hæc ille valdè errans contra fidem.

537 XLII. Error, quod nullus sit Purgatorij locus, & consequenter nullæ pro defunctis fundi debeant preces. Expresè tenet Caluin. lib. 3. instit. cap. 5. & alibi sępè. Sed opponitur vniuersalis totius Ecclesię Catholicæ sensus, & vsus eius perpetuus fundendi preces pro defunctis, & sacrificia offerrendi.

538 XLIII. Error illatus ex præcedente, quod inutiles sint defūctis preces nostrę, & alia viuen-

uentium suffragia. Idem Caluin. dict. cap. 5. & alibi passim, estque valdè receptum apud Caluinianos; qui quam longè aberrent à vera fide, patet ex dictis. Vide circa hunc errorem Florim. lib. 8. de orig. hæres. cap. 18.

539 XLIV. Error, quòd nullus sit inferni locus pro torquendis damnatis, siue hominibus, siue dæmonibus. Caluinus lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. cõcludere, inquit, animas mortuorum in carcere, puerile est. Sic ille de Inferno hominum: Atque in Epistolam Iudæ, vers. 6. de inferno Dæmonum sic: *Nobis, inquit, fingendus non est locus, quo inclusi* 540 *sint Diaboli.* Contra hunc tamen errorem facit id, quod de Diuite Epulone dicitur, Luc. 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno.* Et ipsemet diues ibi positus ait: Crucior in hac flamma. Ergo errant Caluiniani.

541 XLV. Error, quod tormenta damnatorũ siuè hominum siuè dæmonum, vsque in diẽ Iudicij generalis differantur. Caluin. in Epist. Iudæ, vers. 6. sic de Dæmonibus ait: Quocunque pergant, secum trahunt sua vincula, & suis tenebris obuoluti manent, interea in magnum diem extremum eorum iudicium 542 differtur. De hominibus item lib. 3. Instit. cap. 25. §. 6. dixit, Gloriæ sanctorum spirituum coronam vsque ad aduentum Christi differri, &c. Ac de reprobis subiungit: Reprobis vero eandem esse sortem, dubium nõ est, quam Iudas diabolis assignat, vinctos catenis teneri, donec ad supplicium, cui addicti sunt, trahantur. Ita ille; sed conuincitur exemplo adducto Epulonis, Luc. 16. dicentis, Crucior in hac flamma.

543 XLVI. Error, quod Christus Dominus à mortuis suscitatus, neque ex sepulchro clauso egressus, neque clausis ianuis ad Discipulos ingressus fuerit, lib. 4. Instit. cap. 17 §. 29. affirmat Caluinus contra expressa Euangelistarum testimonia. Vide S. August. in serm. 138 de tempore, & lib 22. de Ciuitat. Dei, cap. 8

544 XLVII. Error, quod Christi Domini ascensio in cœlum nequaquam sit intelligenda secundum locum, sed tantum secundum rerum creatarum dominatum. Sic tenet Caluin. multis in locis, præcipuè Harm. in Marc. 16 super illa verba, Et sedet à dextris 545 Dei. Alijs locis, inquit, exposui, quid valeat hæc locutio, Christum scilicet in sublimè euectum esse, vt supra Angelos, omnesq; creaturas emineat, vt per eius manum Pater mundum gubernet, vt denique coram eo flectatur omne genu, &c. Quare locum aliquẽ imaginari non conuenit. Ita ille. Vide reliqua apud Gualter.

546 XLVIII. Error, quod nullum sit futurum Iudicium. Harm. in Matth. 27. sic Caluinus: Neque enim, inquit, timendum est, vt in Dei iudicium amplius veniant peccata nostra, à quibus tam pretiosa mercede nos 547 absoluit Dei filius. Hæc ille. Contra manifestos textus, Matth. 16 Filius hominis vẽturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius. Et Rom. 5. Secundùm autem duritiem tuam, & impenitens cor, thesaurizas tibi irã in die iræ, & reuelationis iusti Iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius.

548 XLIX. Error, quod Spiritus Sanctus sit Sacramentorum Minister. Opponens se eius diuinitati, sic vocat ipsum Caluinus in summa sua de Doctrina ministerij verbi, quæ inter eius epistolas est, num. 310. & lib. 4. Instit. cap. 8. §. 8 Verùm Spiritui Sancto æque competit Diuinitas atq; Patri, & Filio, iuxta illud 1. Ioann. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.

549 L. Error Caluinismi est, quod Spiritus Sanctus non accipiat essentiam à Patre, & à Filio, lib. 1. cap. 13. §. 26. sic ait Caluinus: Pater Deitatis est principium, non tribuendo essentiam suo Filio, ac suo Spiritui Sancto, vt fanatici nugantur, sed ratione ordinis à nobis declarati. Hæc ille, qui potiùs nugas profert; cùm Fides catholica doceat, eandẽ numero substantiam, seù essentiam, quæ est in Patre, & Filio, accipere Spiritum Sanctum ab vtroque.

550 LI. Error, quod Ecclesia non contineat, nisi sanctificatos, imo non, nisi electos, & prædestinatos, eosque vniuersos, lib. 4. cap 1 §. 2. sic Caluinus. Soli Deo, inquit, permittenda est cognitio suæ Ecclesiæ, cuius fundamentum est arcana eius electio. & §. 7. In eam Ecclesiam, quæ re vera est coram Deo, nulli recipiuntur, nisi qui & adoptionis gratia Filij Dei sunt, & Spiritus sanctificatione vera Christi membra. Ac tunc quidem non tantùm sanctos, qui in terra habitant, comprehendit, sed electos omnes, qui ab origine mundi fuerunt. Hactenus ille.

551 Verùm nihil clarius ex Euãgelio, quam in Ecclesia nunc contineri bonos, & malos, præscitos, & prædestinatos, ex parabolis à Christo Domino expressis Matth. 3. Areæ, continentis triticum electorum, & paleas reproborum. Item sagenæ missæ in mare, Matth. 13. ex omni genere piscium congregantis, bonos in vasa, malos autem foras mittendos. Similiter Matth. 22. ex parabola nuptiarum, ad quas (nempe ad Ecclesiam) veniunt tùm boni, tùm mali, non habentes vestem nuptialem, ac proinde in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium, mittendi. 552 Imo ipse Caluinus, dict. cap. 1. §. 8. sibi cõtradicens idem admittit.

553 LII. Error, quod vera Ecclesia sit inuisibilis. Hic coniunctus est præcedenti LI. & ostẽditur à Caluino ex eodem principio, ibi ex dict. § 2. adducto. Soli Deo, inquit, permittenda est cognitio suæ Ecclesiæ, cuius fundamentum est arcana eius electio; & §. 7 addit: Necesse esse credere nobis inuisibilem, solius Dei oculis conspicuam, Ecclesiã. Ita ibi.

554 Contrarium tamen manifestè tenet ipsemet Caluinus, dict. cap. 1. §. 4. Verùm quia, inquit, de visibili Ecclesia nunc disse-

rere

rere propositum est, discamus vel vno matris elogio, quam vtilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria, &c. Quid, quod Christus præcipit Matth. 17. Dic Ecclesię: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c. nam qualiter vel videre, vel audire quis poterit Ecclesiam, quæ ipsi inuisibilis est, & incognita?

555 LIII. Error, quod Ecclesia possit errare. Sæpe hoc affirmat Caluinus, præcipuè lib. 4. instit. cap. 8. 9. & 10. & Harm. in Matt. 26. Verum ipse errat, & non Ecclesia, neque potest, cum sit regula certa fidei, vt alibi diximus.

556 LIV. Error, quod Ecclesia possit deficere, atque re ipsa defecerit. Caluin. in sua epist. 151. sic ait: Notum est Christianismum adulteratum, & corruptum fuisse, Pastorum Ecclesię tum cessatione, tum imperitia, ambitione, auaritia. Et in admonitione ad lectorem breui Catechismi conceptis verbis asserit, Ecclesiam fuisse omninò corruptam.

557 Quod falsum esse patet, vel ex ipso Caluino sibi contradicente lib. 4. instit cap. 1. §. 17. Statuendum est, inquit, nullum fuisse ab orbe condito tempus, quo Ecclesiam suam Deus non habuerit; nullum etiam fore ad consummationem vsq. seculi, quo non sit habiturus. hactenus ille.

558 LV. Error, quod S. Petrus non fuerit Princeps Apostolorum, neque Ecclesiæ caput, ne dum Romanæ. Hunc frequentissimè in ore habent Caluinistæ cum suo Magistro Caluino; imò negant S. Petrum vnquam fuisse Romę; quamquam ipse Caluinus non multum curat hoc admittere lib. 4. instit. cap. 6. §. 15. Propter hunc, inquit, scriptorum consensum, non pugno, quin illic mortuus fuerit. Ad primatum S. Petri, & Ecclesiæ Romanæ ostendendum, percurrens omnia secula, in vndecima veritate multa admodum eruditè affert Gualterius, quæ videas.

559 LVI. Error, quod Romanus Pontifex non sit S. Petri in gubernatione Ecclesiæ Christianę successor; post diuersos hęresiarchas, qui varijs sęculis hunc errorem tenuerunt, denuò ipsum suscitarunt Caluinus, & eius discipuli; quos completè refutat Gualt. in illa 11. veritate, quem legas, sicut & Floremundum Raymundum lib. 8. de hæres orig. cap. 5

560 LVII. Error, quod Romanus Pontifex sit verè Antichristus, qui in scripturis dicitur venturus. Huic errori Caluinistæ adeo adhæserunt, vt in Synodo (inquit Gualter.) Vapincensi habita anno 1603. speciali decreto ab illis statutum sit, Romanum Pontificem esse propriè Antichristum, quem scriptura sacra venturum prænunciat: hancque ipsam assertionem quadraginta confessionis suę articulis annectendam, & pro 41 articulo deinceps habendam Manet benè refutatus iste error per citatum Gualterium in dicta veritate 11.

561 LVIII. Error, quod nullum sit discrimen Ordinis inter Clericū, & cæteros Christianos: lib. 4. cap. 4. §. 9. docet hoc Caluinus sic: Omnes, inquit, qui eiusmodi tyrocinijs imbuebantur, generali nomine vocabantur Clerici. Vellem quidem aliud nomen magis proprium inditum illis fuisse; hæc enim appellatio ex errore, vel certe praua affectione nata est, cum tota Ecclesia Clerus, hoc est, hęreditas Domini, à Petro dicatur 1. Petr. 3. de hoc errore iam dictum à nobis in secul. 2. contra Marcitas, & Artotyritas.

562 LIX. Error, quod Ecclesia non possit leges condere, quæ conscientiam obligent, & quod non sint obseruanda eius decreta, & statuta. Manifestè tenet Caluinus lib. 4. instit. cap. 10. §. 8. vbi: Si Deus, inquit, est vnicus legislator, non licet hominibus id sibi honoris sumere; & alibi sæpe. Sed in contrarium clamat Apostol. Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

563 LX. Error, quod status monasticus, & Ordines religiosi vero Christianismo, & scripturæ repugnent. Adducit Caluin. multis in locis, quæ refert copiosè Gualter. (vide apud ipsum) præcipuè lib. 4. instit. cap. 13. §. 3. In quo, inquit, genere primatum væsanæ audacię tenet cęlibatus: sacrifici enim Monachi, & Moniales, suæ infirmitatis obliti, cælibatui se pares esse confidunt. & ibidem paulò post: Hoc verò Deum tentare est, contra inditam ab eo naturam niti.

564 Vniuersalius idem loquens, §. 14. sic: Res ipsa loquitur, eos omnes, qui in cœnobia concedunt, discessionem ab Ecclesia facere. Quid enim? An non se à legitima fidelium societate separant, peculiare sibi ministeriū, & priuatum, Sacramentorum administrationem asciscendo? Quid, est Ecclesię communionem dissipare, si hoc non est? Vide plura apud illum.

565 LXI. Error Caluinistarum est, quod sint damnanda vota religiosæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientię; ac permittēdum, imò & præcipiendum vnicuique vt ea violet. Coniunctus est iste cum pręcedenti errore, seu in eo continetur. Vnde omnia ibi adducta huic pari modo inseruiunt.

566 LXII. Error, quod mendicitas religiosa sit inuentio quædam diabolica. Habet hic etiam coniunctionem cum pręcedentibus 60. 61. Contra quem est manifestè illud Christi Domini Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. quibus præsens error conuincitur.

567 LXIII. Error, quod nulla hominum dominatio, etiam temporalis, sit à fidelibus agnoscenda. lib. 4. cap. 20. §. 1. ait Caluinus, promissam in Euangelio libertatem, nullum inter homines Regem, nullumque Magistratum, vel (vt Gallica editio habet) Magistrum agnoscere, sed in Christum vnum intueri. Contra tamen S. Apostolus Rom. 13. præ-

præcipit, vt Potestatibus sublimioribus subditi simus, & addit, eum, qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistere.

568 LXIV. Error, quòd homini nullum insit liberum arbitrium ad bene operandum, vel ad peccatum fugiendum, docet Caluinius lib. 1. Instit. cap. 5. & lib. 2. cap. 2. & 3. ac alibi sæpè, præsertim in Responso suo ad sex libros Alberti Pighij: sequens vestigia verorum hæresiarcharum Vvicleffi, Abail-

569 lardi, Mahometis, & aliorum. Tametsi ipse Caluinus iam concedit Adamum ante peccatum fuisse libero arbitrio præditum, cur non etiam post peccatum ei, ac reliquis hominibus concedetur? & quidem concedendum esse, copiosissimè ostendit Gualter. in quarta veritate vniuscuiusque sęculi, maximè primi.

570 LXV. Error, quòd concupiscentia ex se, idest, primus motus, qui consensum antecedit, sit peccatum, lib. 3. cap. 3. §. 10. pertinaciter defendit Caluinus, cui opponitur textus manifestus, 1. Iacob. 14. Vnusquisque, inquit, tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus; deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem. En quomodo concupiscentia distinguitur à peccato, cum sit causa eius, & parturiat ipsum; ergo errant Caluinistæ.

571 LXVI. Error, quòd nullum sit discrimen inter peccata mortalia, & venialia, imò, quòd omnia, quæ committuntur, sint mortalia. Caluin. lib. 2. cap. 4. §. 28. vocat ineptam distinctionem peccatorum venialium à mortalibus. Sed error iste iam quondam condemnatus ab Ecclesia Catholica contra Nouatianos, & Iouinianistas, vt vidimus secul. 3. & 4.

572 LXVII. Error, quòd peccata nunquam re ipsa deleantur, sed tantùm non imputentur: quod gratia item non infundatur, aut inhæreat intrinsecus, sed extrinsecus tantum tribuatur per imputationem gratiæ Christi Domini. Docet Caluin. lib. 3. cap. 3. §. 10. his verbis. Docemus, inquit, in sanctis donec mortali corpore exuantur, semper esse

573 peccatum. & §. 11. sic. Illis quidem reliquias fatemur non imputari, ac si non essent: sed hoc simul Dei misericordia fieri contendimus: Itaque licet per gratiam absoluti sint, re ipsa tamen peccatores sunt, & rei. Ita ille; vide plura apud Gualter. sed multò plura apud Martinum Becanum nostræ etiã Societatis virum doctissimũ, tom. 1. opusc. 4. de iustificatione Caluinistarum, ferè per totum.

574 LXVIII. Error, quod sola fide absque operum subsidio homo iustificatur. De hoc errore frequenter Caluin præsertim lib. 3. instit cap. 11. §. 16. 17. 18. 19. 20. & 22. affert eius verba copiosè Gualter. in veritate quinta §. 2. sæculi primi: lege illum, & magis Becanum loc. cit.

575 LXIX. Error, quod fides à caritate, ac bonis operibus separari nequeat. Hæc sunt Caluini verba lib. 3. cap. 2. §. 8. Refutanda est inquit, quæ in scholis volitat, nugatoria fidei formatæ & informis distinctio. & Antid.

576 Trid. sess. 6. can. 27. Vbicunq. inquit, regnabit fides, iram Dei peccatis omnibus expulsis non secus auertet, ac si quis ignem extingueret subducto ligno. & in Ioan. 6. Fides, inquit, omnia bona opera in se continet. Sed

577 has nugas, & mendacia sic spargens Caluinus, quis non videt, qualiter non minus fide, quam charitate denudatus maneat?

578 LXX. Error Caluinistarum præcedenti plane dissentaneus est, quod omnia fideliũ opera secundum Dei iudicium, id est, in se, & ex rei veritate sint peccata, imò & peccata mortalia. Tradit Caluinus lib. 3. c. 14. §. 9. & 10. cum ait. Habemus, nec vnum à sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrij mercedem. & postea. Nullum vnquam extitit pij hominis opus, quod si seuero Dei iudicio examinaretur, non esset damnabile. De hoc Gualter. fusè agit in secul. 1. veritate. 5.

579 LXXI. Error, quod fideles possint, ac debeant absque dubitatione credere esse iustos, atque adeò in gratia perseueraturos. Sæpe de hoc Caluinus, præcipuè, lib. 3. instit. cap. 2. §. 38. ait, nullum esse ambigendi locum de gratia Dei ergà nos. & §. 40. coarguit illos, qui dicunt manere in finalis perseuerantiæ notitiam. & alia quæ ommitto.

580 Oppositum tamen manifestè in scriptura sacra, Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prou. 10. & Eccles. Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manus Dei; & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit. Ponit S. Apostolus exẽplum in se ipso, 1. Cor. 4. Neque me ipsum iudico; nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sũ; qui autem iudicat me, Dominus est. Atque ibid. cap. 10. circa perseuerantiam in statu gratiæ; Qui se existimat stare, videat, ne cadat.

581 LXXII. Error, quod fideles possint, ac debeant credere, se saluandos esse, imò tam securos, ac certos esse de sua salute, quàm ipsum Christum; quin etiam certiores esse, ac securiores Christo ipso mortali. Nimis profectò delirant Caluinistę sic asserentes, maximè quoad secundam partem huius erroris, de maiori certitudine, ac securitate salutis suæ, etiam respectu Christi Domini. Verum falsitas vtriusque partis constat ex traditis nu. præcedenti vide Gualt. Cit.

582 LXXIII. Error, quod non sit futura corporum resurrectio. Viguit iste apud multos veteres hæresiarchas, vt vidimus sæculis præcedentibus: eum à Caluino fuisse renouatum, patet ex Epistola symmistæ Guillelmi Farelli ad ipsum, quæ est 78. inter Caluinianas, vbi sic. Quod res tibi incredibilis videtur huius carnis resurrectio, nihil mi-

583 rum. Quod autem hac ratione permotus sufficere statuis, si credas nouis corporibus aliquando nos esse induedos, hoc à scri-

scripturæ doctrina alienum est. hæc ille, & alia ibidem.

589 Scripturæ autem doctrina, de qua Farel. loquitur, erat præcipuè apud Iob. 19. Scio, inquit, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursũ circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. hæc ibi, quibus præsens Caluini error omninò corruit.

585 LXXIV. Error, quod fides remaneat in Beatis lib. 3. c. 20. §. 24. expresse id tenet Cal. dicens beatos esse vna nobiscum fide coniũctos. Quid, quod Christo Domino, qui fuit beatus ab instanti Incarnationis, fidem tri-

586 buit ille, Harm. in Matt. 26. Veritas tamen innotescit ex verbis Apostoli, 1. Cor. 13. discrimen inter charitatem, & fidem sic constituentis: Charitas, inquit, nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguę cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est, &c.

587 LXXV. Error, quod Beatorum gloria differatur vsque ad diem vltimi Iudicij, imo quod nullus sit Paradisi locus, in quem sanctorum animæ corporibus solutæ recipiantur. Constat de mente Caluini circa vtramque partẽ huius erroris ex lib. 3. instit. c. 25. §. 6. sed cõtra illum est sensus Apostoli, Philip. 1. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius.

588 LXXVI Error, quod merces bonorum operum nulla sit speranda. De hoc frequenter Caluin. præcipuè lib. 3. Instit. cap. 16. & 17. vbi, §. 3. ait, Deum opera, non æstimata eorum dignitate, paterna benignitate, atq. indulgentia, huc honoris attollere, vt ali-

589 cuius pretij habeat. Deducit ipse hunc errorem ex alio eiusdẽ supra expresso, quod sola fides sine bonis operibus sufficiat ad gloriam acquirendam.

590 LXXVII. Error, quod sit superstitiosa, & à Deo prohibita orationis protractio, atque iteratio. lib. 3 cap. 20. §. 29. Caluinus sic ait; Nihil hoc iuuat ad tuendam superstitiosam prorogationem, iterationemque precum, quæ interdictum nobis Christus voluit. Hæc ille, qui ibidem carpit Rosarij, & Breuiarij recitationem.

591 Contra ipsum tamen insurgunt Sanctorũ exempla, prolixas, & iteratas preces fundentium. S. Regis Dauid, Psal. 54. Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. item Psal. 118 septies in die laudẽ dixi tibi. & Sancti Danielis Prophetæ, qui Daniel. 6. fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, &c. Quin etiam Christi Domini, qui Luc. 22. Factus in agonia prolixius orabat. vide Card. Bell. lib. de Orat. cap. 10.

592 LXXVIII. Error, quod cantus Ecclesiastici Deo maximopere displiceant. Tradit Caluinus, ac defendit lib. 3. Instit. cap. 20. §. 32. & in Epist. sua 98. Sed inducimur rationabiliter ad canendum, exemplo Angelorũ in Natiuitate Domini, Luc. 2. concinentiũ Gloria in excelsis Deo, &c. Percipitur itaque falsitas huius erroris.

593 LXXIX. Error, quod publicæ orationes non Latino inter Gallos, aut Anglos, (vt hactenus passim factitatum est) sed populari sermone concipiendæ sint. sic Caluin. totidem ferè verbis lib. 3. cap. 20. §. 33. vnde, & effrænis licentiæ aliter facientes Catholicos insimulat. Sed iniusta, & nimis effrena hæc insimulatio.

594 LXXX. Error, quod in tribus primis orationis Dominicæ petitionibus, nec petatur nec petendum sit quiquam pro nobis. lib. 3. cap. 20. §. 35. sic ait Caluinus: Priores tres petitiones Dei gloriæ peculiariter destinatę sunt, quam solam in illis intueri nos o-

595 portet, nullo commodi nostri respectu. Verum præter gloriam Dei primariò, quod possimus nos, ac debeamus secundario in tribus illis petitionibus intendere à Deo Optimo Max. obtinere diuinam gratiam pro acquisitione regni cęlstis, non solum Sancti Patres affirmant, sed ex textu etiam Euangelico clarè deducitur. lege Bellar. lib. de orat. cap. 6. Errauit etiam Caluinus circa quartam petitionem orationis Dominicæ, quod per eam solùm petamus panem materialem pro sustentatione corporum. Vide Gualterium ibidem.

596 LXXXI. Error Caluinistarum est, quod fides sit charitate nobilior. lib. 3 Instit. c. 1. §. 4. loquens Caluinus de Spiritu Sancto, sic ait. Fides præcipuum est eius opus. & lib. 2. cap. 8 §. 53. sic: Certum est, inquit, in lege, & Prophetis primum locum tenere fidem, & quidquid ad legitimum Dei cultum pertinet, inferiore loco subsidere di-

597 lectionem. Hęc ille, & alia plura, quæ omitto, quia manifestè, sicut & hic expressa textibus scripturæ sacræ repugnant, præsertim S. Apostoli, 1. Cor. 13. Nunc autem, inquit, manent fides, spes, charitas, tria hæc; maior autem horum est charitas. Quid his manifestius?

598 LXXXII. Error, *Primam libertatis Christianæ partem esse, vt fidelium conscientiæ*, dum fiducia suæ coram Deo iustificationis quęrenda est, se se supra legem erigant, atque efferant, totamque legis iustitiã obliuiscantur. His verbis ipsum proponit Cal. lib. 3. institut. cap. 19. §. 2. oppugnans ne-

599 cessitatẽ obseruandi Dei mandata. Cũ tamẽ Christus Dominus manifestè pronũciet, Matth. 7. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cęlis est, ipse intrabit in Regnũ cœlorum, & Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi

serua

serua mandata. Errat igitur Caluinus.

600 LXXXIII. Error, quòd nihil insit meriti in bonis operibus, & obseruatione diuinorum mandatorum. Acerrimũ propugnatorem huius erroris se præbet Caluinus lib. 3. instit. c. 15. 16. 17 & 18 adeò, vt ne nomen quidem meriti ferre valeat. Verum locis penè innumeris sciptur ę, præcipuè Matth. 5. & 20. ac 1. Corinth. 3. Apoc. 22. merces bonis operibus promittitur: & cum sint correlatiua merces, & meritum, sicut pater & filius, seruus & dominus, necessario & re, & nomine debet admitti meritum, vbi merces locum habet. Ergo errat Caluinus illud reijciendo.

602 LXXXIV. Error, quòd immo impossibilis sit diuinorum mandatorum obseruatio, circa hunc lib. 2. cap. 7. §. 5. sic ait Caluinus, Quòd impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum, & cõsummandum: solet enim vulgò absurdissima sententia videri.

603 Hæc tamen proferens Caluinus horribiliter blasphemat, cum Christus Dominus de sua lege sic loquatur Matth. 11. Iugum meũ suaue est, & onus meum leue. Et S. Apostol. triumphans exclamat Philip. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat: nempè sua diuina gratia.

604 LXXXV. Error, quòd sanctorum veneratio respectiua, & inuocatio subalterna sit mera idololatria. Sępè docet hoc Caluinus lib. 1. instit. cap. 11 & 12. item lib. 3. cap. 20. §. 24. Pro cuius refutatione legenda sunt, quæ copiosissimè, & eruditissimè affert Gualter. in 2. Veritate vniuscuiusque sęculi, maximè primi: neque hic immorabor in re tam certa.

605 LXXXVI Error, quòd Sacrarum Reliquiarum veneratio similiter sit coniuncta cum idololatria. Hunc multi ex antiquis hęreticis diuersarum sectarum tenuerunt, vt Manichęi, Eunomiani, Vigilantiani, & alij: Caluinus, & Caluiniani impudenter renouarunt: quos cumulatissimè refutat Gualter. in 3. Veritate cuiusque sæculi, eum quæso videas.

606 LXXXVII. Error, quòd coniunctam secum habeat idololatriam vsus venerandi S. Crucem, & alias Sanctorum Imagines, quas Caluinistæ idola vocare solent. Ita lib. 1. instit. cap. 11. & 12. Magister eorum Caluinus cum antiquis hęresiarchis Xenaia, Petro Apamensi, Mahomete, & alijs, vt vidimus alibi, idem affirmantibus, contra quos multa adducit idem Gualter. in eadem veritate tertia.

607 LXXXVIII. Error, quòd vsura non sit omninò damnanda, expresse tenet Caluinus in Responso de vsuris, quod inter eius epistolas extat, num. 354. vbi ait. Si omninò vsuras damnamus, inducimus strictiorem laqueum conscientijs, quàm Dominus ipse voluerit. & paulò post. Nullo testimonio scripturæ mihi constat vsuras omninò damnandas esse.

608 Sed huius dãnationis diuersa sunt scripturę testimonia. Psal. 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Ezech. 18. Ad vsuram dantem, & amplius accipientem, nunquid viuet? non viuet. atq; Luc. 6. pręcipit Christus Dominus: Mutuum date, nihil inde sperantes. Ergo falsum dicit Caluinus.

609 LXXXIX. Error, quòd ieiunia Ecclesiastica, & abstinentia a certis cibis in Quadragesima, & alijs statutis temporibus obseruari solita, contemni debeant. Contra istum errorem quamplurima affert Gualter. in veritate septima apud sęculum vnumquodque iterata: Vide ipsum.

610 XC. Error Caluinismi est, quòd duo tantummodo sint Sacramenta, Baptismus, & Eucharistia. Hoc illi frequenter in ore habent, vti didicerunt à Magistro suo Caluino: (quã quã hic plura admittit, vt infra videbimus) Imo duo ista multis modis ab eis deprauantur, atque dilaniantur, vt statim patebit.

611 XCI. Error, quòd Sacramentis Ecclesiæ Christianæ nulla insita sit à Deo virtus iustificandi, & gratiam conferendi. Ita Caluinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 14. & peculiariter §. 23. vbi sic ait: Scholasticum illud dogma, quo tam longum discrimen inter Veteris, ac Nouę legis sacramenta notatur, perinde ac si illa nõ aliud nisi Dei gratiam adumbrarint, hęc vero præsentem conferant, penitùs explodendum est. Hęc ille, sequens Cerinthũ, & Ebionem in primo sæculo damnatos.

612 XCII. Error constat ex septem partibus, quòd septem pręcipue modis à Caluinistis Sacramentũ Baptismi dilaceretur. Primùm circa eius necessitatem, quia negant esse ad salutem necessarium, cum fidelium liberiiam ex vtero materno sanctificati prodeant. Ita Caluinus lib. 4. instit. cap. 15. §. 20.

613 Secundò, in peruertenda Baptismi materia, eò quòd, si desit aqua, & baptismus alicuius differri nequeat cum ędificatione, possit quouis alio liquore non minus rite, quam aqua baptizari. Vide Caluin. Anat. par 4. Dilem. 162.

614 Tertiò, in forma Baptismi, sicut & omnium generaliter Sacramentorum, peruertenda, & commutanda cum prędicatione, lib. 4. instit. cap. 14. §. 4. sic ait Caluinus. Atque hoc est, quod vulgo dicunt, constare sacramentum verbo, & externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu, & fide insusurratum, solo strepitu, velut magica incantatione consecrandi elementi vim habet; sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Hęc ille, & alia ad idem. Vide apud ipsum.

615 Quartò, circa eum, qui confert baptismũ, quod nõ permittendum, etiam quæcunque vrgeat necessitas, vt vllus baptizet, qui Minister non sit. Ita Caluinus, lib. 4. cap. 15. §. 20. Atque baptismum aliter collatum, esse irritum, & iterandum, disponitur per Decre-

tum

[illegible]um in Synodo Vapincensi à Ministris Cal[illegible] editum. Legendus Florim. lib. 8. [illegible] num. 3.

616 Quintò, Circa [illegible] baptismi, seu effe[illegible] qui consistit in gratię collatione, siue [illegible] spirituali: Caluinus verò in [illegible] Concil. Trident. sess. 7. cum peruertit, [illegible] peregrinum, imo mendacem, & [illegible] effectum, peccati scilicet immu[illegible], & quod sola recordatione suscepti [illegible] vera peccatorum absolutio fiat. Ita [illegible] lib. 4. institut. cap. 15. §. 3.

617 Sextò, Circa confusionem Baptismatis Christi cum Ioannis Baptismo, cum hoc ab [illegible] non differre, & eundem effectum ab v[illegible] causari affirmet Caluinus lib. 4 instit. cap. 15. §. 7. & 8. Quod falsum esse, vel ex facto S. Apostoli constat, qui Act. 19. cum duodecim Discipulos Baptismo Ioannis baptizatos reperijsset, Baptismo Christi Domini baptizandos curauit.

618 Septimò, Circa sacras Baptismi ceremonias, quas conculcare gloriatur Caluinus lib. 4. instit. cap. 15. §. 19. & in Formula administrandi baptismum, sequens vestigia Nouatianorum, qui ob hunc errorem in tertio sęculo reprobati sunt.

619 XCIII. Error, quòd confirmatio non sit Sacramentum. Ita Caluinus lib. 4. institut. cap. 19. §. 4. & seqq. cum Vvaldensibus, & Ruthenis ipsam contemnens, & sacrilegis conuicijs afficiens, ac similiter Episcopos ipsius Ministros, vocando eos histriones, simias, & vnctores, &c. Sed manifeste sibi cōtradicit Caluinus, dum in lib. de vera Ecclesię reformatione inter Sacramenta Confirmationem reponit. Cur ergo Caluinistæ negantem potius, quam affirmantem eum sequuntur?

620 XCIV. Error Caluinismi decem partibus coalescit, quia decem præcipue modis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum & sacrificium à Caluinianis profanatur. Primum negando realitatem, hoc est, veram, realē, & substantialem pretiosissimi corporis, & sanguinis Christi Domini Nostri in Eucharistia præsentiam. Ita Caluin. lib. 4. institut. cap. 17. & alibi passim, renouans errorem, quem ante ipsum tenuerunt multi ex antiquis hęreticis, & hæresiarchis, præcipue Berengarius, &c.

621 Secundò, Defendendo melius esse ex pane fermentato, ac vino mero Eucharistiā conficere, quàm ex pane azymo, & vino aqua permixto. Docet ipse Caluinus, lib. 4. cap. 17. §. 43. cum Armenis, & Græcis schismaticis, vt alibi vidimus.

622 Tertiò, Prorsus inficiando transubstantiationem Eucharisticam, idest, conuersionem panis in corpus, & vini in sanguinem Christi Domini. Idem Caluinus lib. 4. cap. 17. & alibi sępe, contra communem sensum Ecclesię Catholicę; quę etiam in Lutheranis reprobat.

623 Quartò, Denegando Eucharistiæ adorationem, cuius denegationis pręcipuus auctor est Caluinus, ve [illegible] ex alijs [illegible], tum ex epistola eius [illegible] ad Bucerum data, vbi Lutherum vocat delirum, & idololatram, eo quod dixerit Eucharistiam esse adorabile Sacramentum.

624 Quintò, Nequaquam agnoscendo, sed potius conuicijs dilaniando augustissimum sacrificium Eucharisticum, Missę nomine cōmuniter vocatum. Lib. 4. instit. cap. 18. per totum perfricta fronte id pręstat Caluinus, & alibi crebro, sequens vestigia Bongomilorū, Vvicleffitarum, & aliorum ex hæreticis antiquis.

625 Sextò, Affirmando, quòd laici debeant necessario cōmunionem Eucharisticam sub vtraque specie sumere. De hoc idem Caluinus lib. 4. cap. 17. §. 47. cum Iacobitis, & Gręcis schismaticis ab Ecclesia reprobatis.

626 Septimò, Confrigendo, ac pretio, seu vēditione dissipando calices consecratos, quibus in dicto sacrificio vtimur; vti confringere, & dissipare consueuerunt Donatistæ expressi, & reprobati in sęculo quarto. Vide Florim. lib. 8. cap. 4. num. 6.

627 Octauò, Altaria quæuis subuertendo, more Manichæorum, qui reprobati manent in sęcul. 3. & dictorum Donatistarum; Vide eundem Florim. ibid. num. 2. & 3.

628 Nonò, Amoliendo, & solo æquando Tēpla cultui Dei, & Sanctorum dicata. Quod execrādum scelus iam olim ab Eustathianis, ac postea à Bongomilis, Petrobrussianis, & ab alijs ex errore contra fidem commissum merito Ecclesia Catholica condemnauit.

629 Decimò, Modus (quem Gualter. secundo loco proponit) profanandi sacramentum, ac sacrificium Eucharisticum, consistens in mutatione materiæ eius, nempe panis, & vini, casu, quo ista desit, in quemcunque cibū, & potum, cum proprius censeatur Bezæ, in sequenti Regula magis explicabitur, vbi de isto hęresiarcha agetur.

630 En qualiter dilaniant, seu omnino tollunt Caluinistę verum sacramentum Eucharistię, & loco eius introduxerunt Cęnā, de qua supra, quę nullo modo est sacramentum. legendus est Becanus lib. 2. opusculor. toto opusculo 5. vbi egregie tractat de triplici Cęna, nempe Caluinistica, Lutherana, & Catholica.

In prima, à Caluinistis prorsus reijcitur pręsentia Christi Domini.

631 In secunda, à Lutheranis admittitur vna cum pane, & vino simul dicta præsentia, vel per vbiquitatem Christi Domini, vel per vnionem hypostaticam eiusdem Christi cum pane, & vino, vel per simplicem vnionem vnius cum altero.

In tertia denique à Catholicis admittitur per transubstantiationem, idest, per conuersionem realem panis, & vini in corpus, & sanguinem Iesu Christi, &c.

632 XCV. Error, quòd Pœnitentia à numero Sacramentorum sit prorsus reijcienda. Ita Caluinus lib 4. instit. cap. 19. §. 14. & seqq. inde forte adductus, vel quod non aliud pęniten-

tentiæ Sacramẽtum agnoscat, nisi Baptismum, aut membriam eius, vt dictum est in errore 92. vel quòd veram pœnitentiam, & contritionem cum nuda resipiscẽtia permutet, &c.

633 XCVI. Error, quòd similiter Extrema Vnctio non debeat in numero Sacramentorum admitti. Docet Caluinus in Breuis Catechismi Dominica 28. & in Confessionis suæ articulo 35. ac lib. 4. Instit. cap. 19. §. 1. duo tantùm admittens Sacramenta: atque peculiariter §. 18. 19. & 20. Extremam Vnctionem non sine iracundia, & sacrilega ir-

634 risione omninò reijcit. Quamquàm alibi, vt in Antid. Concil. Trident. canon. 1. de Sacramentis in genere, fatetur ipse Caluinus eam olim fuisse Sacramentum, & nunc iam desijsse. Quid absurdius?

635 XCVII. Error, triplici parte constans, eo, quòd Caluiniani triplicem præcipuè cõtumeliam inferant Sacramento Ordinis. Primùm, quia Sacramenti honore, ac titulo illum priuant, dum sola duo Sacramenta concedunt cum Magistro suo Caluino, lib. 4. In-

636 stit. cap. 19. §. 1. & 3. Tametsi interdùm etiam eodem capite, sui asserti oblitus contrarium affirmet. Vide Florim. lib 8. cap. 6. num. 8.

637 Secũdò, Caluiniani cum Arrianis, Vualdensibus, & alijs hæreticis, Ecclesiasticam Hierarchiam confundunt, ac destruunt, nullum discrimen in potestate, ac iurisdictione inter Episcopos, ac simplices Sacerdotes cõcedendo. Ita Ioann. Valetonus Caluinista Priuatiensis Minister in suo contra Arnulphũ Martinum libello, pag. 20. nimirùm. [Tantũ habere potestatis spiritualis Pastorem minimi pagi Orbis terrarum, quantum habet potentissimæ ciuitatis Pastor.]

638 Tertiò, Caluinistæ cum Simoniacis, Mahometanis, & alijs, spoliant Sacrum Ordinẽ candida cœlibatus veste, cum flagitioso sacrilegio, duce Caluino Harm. in Matth. 19. & lib. 2. Instit. cap. 8. §. 42. 43. & lib. 4. cap. 12. §. 23. & cap. 19. §. 36. vbi perfidis Presbyteris (idem est de Religiosis excucullatis, & de Monialibus reuelatis) connubium permittit, immò præcipit. Vide penè innumera, quæ contra ipsum tradit Gualter. verit. 8. cuiusque sęculi.

639 XCVIII. Error continens diuersa mendacia, quę de Christiano Matrimonio Ministri Caluinistæ nimis impudicè prædicant, maximè ista quinque.

Primò, Tollunt Matrimonio præcipuum ornamentum, quo illud decorauit Christus Dominus, scilicet Sacramenti dignitatem, edocti sic à suo Magistro Caluino, qui post Armenios in septimo sęculo ob id cõdemnatos, tenuit lib. 4. Instit. cap. 19. §. 34. & seqq. Matrimonium nullatenùs esse Sacramẽtum.

640 Secundò, Cum Heluidianis, & Iouinianistis affirmant, non plus virginitati inesse meriti, quàm matrimonio: tametsi ipsi Caluinistæ sciant à Christo Domino Matth. 19. & ab Apostolo 1. Corinth. 7. Virginitatem fuisse prælatam Matrimonio.

641 Tertiò, Quod peius est, Virginitatem prorsus damnant, quandoquidem quasuis personas inducunt, etiam sub præcepto, ad ineundum Matrimonium. Caluin. Harm. in Matth. 19. sic ait. [Stulta imaginatio est cœlibatũ esse virtutem; quia status eiusmodi non ex se Deo placet, nec inter obsequia, quæ à nobis requirit, censeri meretur.]

642 Quartò, Sicut Matrimonium verum, (inquit Gualter.) dedecore afficiunt, quando illud permiscent cum sacrilegis eorum copulationibus, qui perpetuam vouerunt Deo continẽtiam; Ita fœdissime illud deturpant, quando specioso illius titulo cohonestant incestas coniunctiones, quas in pluribus propinquitatis gradibus per Sacros Ecclesiæ Canones ex omni æuo prohibitis, per Ecclesiæ suæ Geneuensis statuta permittunt. Ita ille: vide plura apud ipsum.

643 Quinto, Vt luxuriosæ vitæ liberius se tradant Caluinistæ, vera, & legitima connubia multis fictitijs diuortijs dissoluunt, cum Mahometanis, & alijs ex antiquis hæreticis. Lege circa hoc Florim. Raymun. lib. 8. de orig. hæres. cap. 13. & Gualter. citat.

644 XCIX. Error, quòd Exorcismi Ecclesiæ negligendi sint, atque irridendi. Hoc sæpissimè & verbo, & facto Caluinistæ præstãt, vti didicerunt à suo Magistro Caluino, qui sic docet præstandum lib. 4 Instit. c. 19. §. 24

645 Sed consuetudinem exorcizãdi receptam in Ecclesia Catholica, esse secũdum regulam Apostolicam, præter alios affirmat S. Leo Maximus epist. 4. cap. 7.

646 CENTESIMVS denique Caluinismi error, & eorum, quos hic annumerandos assumpsi, vltimus, situs est in capitali odio, quo, qui sic instructi sunt, in ecclesiasticas feruntur benedictiones panis, aquæ, & rerũ similium. Germani hac in re successores tũ Flagellantium aquę benedictę speciatim infensorum, tum Vualdensium, & Vvicclessitarum, omnes huiusmodi benedictiones generatim repudiantium. Verba sunt Gualterij; quo iugiter Nobis duce centum Caluinismi errores percurrimus cum vniuscuiusq; aliquali explicatione, & ferè omnium reprobatione.

647 Restat addendum, pro terminanda Regula, aliquid de infelicissimo Caluini obitu. Dissident circa hoc Scriptores ex Lindano sui Dubitantij Dialog. 3. sic Prateolus verb. Caluinistæ, sub finem. Quantum vero, inquit, ad Caluini istius fabulæ, & inuentoris, & exactoris mortem attinet, Herodis morbo, hoc est, pediculari erosus miserrimè perijsse asseritur. Sed circa idem Genebrardum in Pio IV. audiamus.

648 Anno, inquit, 1564. Caluinus 14. Kal. Iunij tam varijs morbis extinctus est, petulantis, & effrænatæ suæ impietatis pœnas expendens, vt (nisi à Beza scriptum esset, præfatione Comment. Caluini in Iosue, & in istius vita) vix crederetur. Per quatuor ferè annos discruciatus nouem horrendis morbis,

[illegible], colica, calculo, morbo articulari, hæmorrhoidibus, febri phthysica, asthmate, [illegible], catharro continuo, vomitu de[illegible] sanguinis. An mentiar, Beza, esto tu [illegible] ad verbum ista è tuo Gallico [illegible] exscripsi. An Herodes terribilius animã [illegible] reddiderit, equidẽ nescio. Tanquam [illegible] Beza, tuo indicio perijsti? Cur ista de [illegible] Præceptore, vel etiam Patre (sic enim eũ [illegible] nominas, cui scis te nunquam fuisse [illegible]) nõ occultabas? Cur famæ tui Doctori[illegible] sic male cõsulebas? Sicuti iusserat, nul[illegible] sepulchri apparatu elatus est, postquã Genevensem cloacam totos 23. annos fouisset. Hac vsque Genebrard. ex Beza in Iconibus, in quibus Caluinũ pingit horribili forma, [illegible] scilicet funesto, barba barbarica, ore [illegible] & caturiente. Atque hactenus de Caluino, & de eius secta per totam hanc Regulam longissimam satis dictum.

Qualiter Theodorus Beza famosus hæresiarcha? Qualiter secta ab eo formata Bezanitarum?

REGVLA CCXCIII.

652 PEstilentissimus homo Theodorus Beza ex Burgundia Galliæ Celticæ Prouinciæ oriundus, à iuuenili iam ætate vitijs enormibus, ac nefandis valdè deditus, metu suppliciorũ ex patria aufugere, atq; in Geneuẽsem ciuitatẽ, vti in locum tutum, se recipere 653 festinauit. Vbi statim inter discipulos Caluini primarius, & postea in cathedra pestilentiæ, seu in impugnãda verbis, & scriptis fide 654 Catholica illius successor extitit. Vndè breui tempore non exiguæ famæ hæresiarcha euasit, ex erroribusq; sui Magistri, & ex alijs denuò inuentis sectam propriam Bezanitarum instituit.

655 DE origine, primordijs, progressu, ac de qualitatibus præcipuis Bezæ istius hæresiarchæ sceleratissimi, accipe primo loco pauca ex his, quæ admodum compendiosè adducit noster Gualter. cap. 26. secul. 16.

656 Theodorus Beza, inquit, Caluinista Vezelijin Burgundia ann. 1519. natus, Ecclesiã impugnare cœpit ann. 1550. Cuius non est, quod referam enormes impudicitias, tum vitæ propè vniuersæ, tum epigrãmatum ab eo editorum fœditate intolerabili testatas, quæ illum, & Prioratum suum Longemæum vendere, & Gallia excedere cõpulerunt: eas quidem non tantum à Lindano, Sanctesio, Prateolo, Bolseco, alijsq; Catholicis descriptas; sed etiam à Tilmanno Heshusio Lutherano, qui *Epicureum illum vocat, & blasphemum scurram*. Hæc ille.

657 Prateolus verò in suo Elẽcho alphabetico, verb. Bezanitæ, affert multa ex Lindano, & ex Claudio Sanctesio pro expressione illius sectæ pestiferæ, & vitæ sceleratissimæ; ex quibus non graueris nonnulla ab illo audire.

658 Bezanitæ, inquit, siue Bezani, à Theodoro Beza natione Burgundo, legumque licentiato sunt nominati, primas certè inter noua aliquot Caluinistarum, quæ hac nostra tempestate emerserunt, genera, facilè ferentes. Sunt autẽ secta Antilutherani, ad tertiã videlicet Euangelicorum nostræ ætatis classem pertinẽtes. Ita ille, qui de ipso Beza sic.

659 Hic, inquit, (auctore Lindano Dubitantij sui dial. 2.) cum ob flagitia, ac mores illicitos, & supplicio dignos cõcubitus, adeoque adulteria, & infandas libidines, suis item satanicis epigrãmatis, Martialis, & Catulli spurcitias superantibus, in prostibulo decantatis, magis suppliciorũ metu, quam Religionis amore aufugisset ex Gallia, Lausanna etiam 660 pulsus, se Christi martyrem iactabat. Certè beneficia illa opima, quibus Parisijs ad 700. ampliùs coronatos annuos impinguatus luxuriabatur, ac in vitam varijs libidinũ cloacis diffluebat dissolutissimam, sese simoniacè vendidisse, tantum nõ disertè profitetur præfatione in suam confessionem. Hæc ille.

661 Quod autem fuerit Beza primarius Caluini discipulus, testatur Gualt. init. c. 15. Ioan. inquit, Caluin. vt refert primarius eius disci-662 pulus Beza, &c. Quod item factis progressibus magnis in tali discipulatu Caluinismi, posteà cathedram sui Magistri ascenderit, successorque eius in impugnatione fidei Catholicæ manserit, accipe cum alijs huc spectantibus à Genebrardo in Gregorio XIII. ad annum Christi Domini 1583.

663 Inter hæreticos, inquit, solus ferè Theodorus Beza ex obscœno, & impuro poeta repentinus Theologiæ Geneuensis Magister, indeq; Caluini istius rabulæ, & spurij successor, scribit; quamquam ab aliquot annis tarius, siue quia ad eruditionis suæ fundũ peruenit, siue quia delictis, sudoribusque iuuen-664 tutis fractus est. Nisi quod ad poësim reuersus interdum, ea latrantem demulcet cõsciẽtiam, veteribus amoribus decãtatis. Hæc ille.

665 Exercendo itaq; stylum contra Ecclesiam matrem nostram, variaq; opera erroribus scatentia ad eundem finem in lucẽ dando, pessimus Beza famosissimus hæresiarcha ab om-666 nibus habitus. Ex operibus autẽ eius illud de Iconibus virorum illustrium peculiariter à Genebrar. etiam in Gregorio XIII. ad annum Christi 1585. despicitur sic. Eiconas, inquit, virorum illustrium emittit Beza. Illustres vocat Ioannem Hus, Caluinum, Bucerum, & similes cuiusq; sectæ apostatas, quorum nomina in inferno conscripta sunt, corpora vero in terris magna ex parte supplicijs dignis affecta. Ita Genebrardus.

667 Verùm, vt iam de hęresiarchatu Bezæ, ac de secta abeo formata cõpletè constet, ipsius errores sigillatim à nobis exprimendi; in cõmuni tamen prius attingendum aliquid ex Genebrardo in Marcello Secundo ad annum Christi 1555. vbi post recensitas cõpendiosissimè multas diuersorum hæreticorum se-668 ctas, in hunc modum. Præter vulgares, inquit, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Seueritianos, Anabaptistas, & infinitas Sacra-

mentariorum formas, recrudescunt alij se in contraria scindentes (de quibus iam supra à nobis dictum) Brentiani, Vbiquistę, Osian- 669 driani, Stancariani, &c. addit infra sic. His iam omnibus superstes Theodorus Beza quotidiè aliquid noui ad iam putres eorum blasphemias. Ita ille.

670 Prima itaque blasphemia admodum hæretica, & horrendisima Bezę est, quod negauerit omnipotẽtiam Dei, maximè in constituẽdo substantialiter eodem corpore pluribus in locis. Eam benè exprimit Prateolus vbi supra ex Lindano sic.

671 Hic vir, inquit, religiosus cùm Caluino linguam vendidisset, aduersarijs congressus, vbi eius mysteria non posset defendere, in eam prorupit blasphemiam, vt Deum negec omnipotentem. Disertè enim scribit, teste Heshusio, in sua confessione contra Caluinū, Deum non posse efficere, vt corpus aliquod, manente substantia, sit absque loco, vel in 672 pluribus locis. Illud enim Angeli axioma, Apud Deum nihil est impossibile, non sine exceptione accipiendum esse, quòd factum fieri nequeat infectū, vt bis tria non sint sex. O argutos philosophos, qui Dei Opt. Max. maiestatem, atq; amplitudinem ad suas physicæ viæ præ insano poëtarum, & bonarum literarum studio degustatę regulas non erubescant reuocare. Hucusque ille.

673 Cõtra dictam blasphemiam legendus est Becanus, dict. opusc. 4. lib. 2. cap. 1. de cœna catholica, vbi efficaciter demonstrat, posse diuina potentia vnum corpus pluribus in locis existere non solum sacramentaliter sine extensione, vt existit corpus Christi Domini in Eucharistia, & habetur de fide certum; sed etiam extensiuè cū dimensionibus quãtitatiuis, vt fertur in historijs multoties factum: & mihi hęc doctrina, quidquid dicãt alij, omninò probatur.

674 Secunda blasphemia Bezę hęretica est, quod negauerit orandum esse pro reprobis, cum Ecclesia catholica preces ad Deū fundere soleat pro omnibus, etiam pro perfidis, & reprobis Iudæis. Ita Prateolus cum Lindano, & Gualter. loc. cit.

675 Tertia blasphemia hæretica est, quod affirmet, comment. in Ioann. cap. 1. electos nullo peccato mortali contaminatos esse, reprobos vero nullo veniali. Item ibidem Prateol. & Gualter.

676 Quarta blasphemia valdè hæretica Bezę quod neget Deum esse omnipotentem, nisi ad omne peccatum improbis se impulsorem & auctorem præbuerit. Iidem Prateolus, & Gualter.

677 Quinta blasphemia, quod de sacris Concilijs loquens in præfatione noui Testamen- Græci, & Latini, clarè affirmet Dęmonem illis præsedisse, non autem Spiritum Sanctū, Prateol. & Gualter.

678 Sexta blasphemia, quod, teste Claudio Sanctesio, vt refert Prateolus relatus, in suis scriptis sępius inculcauerit Beza, nullum cultum esse deferendum Christi nomini, B. Virg. Mariæ, ac Sanctis reliquis. Affert etiam Gualter.

679 Septima blasphemia, quod asserat nullo modo Sanctos esse inuocandos, & Satanam iecisse fundamenta inuocationis eorum, & aliorum dogmatum, quæ perpetuò Ecclesia credidit. Ita Prateol. & ex parte Gualt. ibid.

680 Octaua blasphemia Bezæ, quòd iuxta errorem Caluini 16. iam expressum, affirmauerit ille, fidem nunquam posse amitti. In sua confess. punc. seu cap. 4. art. 20. circa medium, sic ait. Necesse est profectò, vt fateamur, donum veræ illius fidei, qua iustificamur, nunquam à perseuerantiæ dono diuelli posse. Hęc Beza, & affert Gualter. in dict. errore 16.

681 Nona blasphemia hæretica Bezæ, quod defendat pertinaciter, in defectu panis, & vini, posse ex quouis alio cibo, & potu Eucharistiam confici. Ita ille in epistol. 2. ad Thomam Tilium.

682 Vbi panis, inquit, aut vini, vel nullus est vsus, vel nulla certo tempore copia, num Cęna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, si quod panis, aut vini vicem, vel ex vsu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis, aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Christi, cum panem, & vinum ad hæc mysteria delegerat, vt propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem, velut ob oculos repræsentaret. Hęc Beza, & alia, quę legas apud Gualterium in 94. errore Caluini.

683 Decima blasphemia, quod Beza se vsque adeo Caluini Idololatrā præbeat, vt in eius vita, & testamento non satis habeat Caluinū vocare irreprehensibilem, verū Prophetam, & quasi os Domini, imò maximum totius Vniuersi lumen ad Ecclesiam Dei dirigendã; nisi insuper illum in re Eucharistica nõ modo omnibus SS. Patribus, & antiquis Doctoribus, qui Apostolis fuere posteriores; sed etiã ipsismet Apostolis, & Euãgelistis anteponat, dum generatim, & absque vllius exceptione scribit, *Caluini esse, post Deum, honorem de-* 684 *cisionis*. Verba sunt omnia Gualterij, quibus nihil opportunius ad indicãdum, quam addictus fuerit Beza Caluino, eiusque erroribus, & blasphemijs, sicut & alijs proprijs, vt vidimus: quas magis hic exprimere supersedeo, excepta vna omnium maxima, seu reliquas quascunq; saltem implicite, comprehendente, videlicet.

685 Vndecima blasphemia Bezæ, quod neget esse Deum, & immortalitatem animæ, seu quod adhæserit atheismo. Circa hoc audiamus ex Lindano, Prateolū vbi supra multis 686 indicantem. An vero, inquit, huic nouo Theodoro nouam quoque Diabolus debeat Atheorū coloniam, ex hoc satis liquet, quod cum Ludimagister esset, in scholis sępe solceret suis scholasticis occinere, illum vere beatum, qui, vti est apud Virgilium,

Motus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherõtis auari.

Quo

687 Quo sanè nomine quam malè apud suos audierit, testantur eius cōmilitones Parisienses, & Aurelianenses, quibus istius professionis haud obscura haud infrequens edebat paradigmata. Hoc eius cantillant epigrāmata, hoc loquuntur facinora, cum & beneficia ecclesiastica, quibus impinguatus, incrassatus, dilatatus, derelicto Deo factore suo, publicè venderet, & alienas vxores permoleret tam familiariter, vt publicus matronarum

688 haberetur maritus. Vnde nouo illi Theodoro, cui merito Atheos fuit cognomen, in Colloquio Pisiaco, Christum tàm longè à sancta Eucharistia abijcienti, quantum à cęlo abest terra, veteres quidam collegæ exprobrabāt. An mirum, aiebant, eum à sacra Christum exturbare Eucharistia, qui Deum nō credit esse in cęlo? Hactenus Prateol. cum Lindan. quibus de Bezæ atheismo manifestè constat.

689 Apud eundē Prateol. ex Claud. Sanctesio per eum citat. plura inuenies de hoc pessimo hæresiarcha, qualiter post colloquium illud, seu Concilium Pissiacum, ipse vna cum suis cōministris non exiguā perniciem vniuersæ Galliæ intulerit; nobis dicta sint satis pro cognitione Bezanitarum sectæ, eiusq; auctoris

690 Theodori Bezæ. Quem animam egisse ann. 1603. die Octob. 13. refert Gualter. in fine dicti cap. 25.

De sectis à Ludouico Alemani, a Goodmano Anglo, ab Vvrito, & ab aliquo alio Caluinista formatis, quid?

REGVLA CCXCIV.

691 ANn. 1566. prodijt quidam appellatus Ludouicus Alemani origine Italus, & Lugduni in hęresiarchatu, & institutione peculiaris sectæ clarescere cępit. Quāuis enim professione Caluinista, doctrinā tamen Caluini, & Bezæ insectatus est, & illā Zuinglij de pręsentia Christi in Eucharistia omninò appro-

692 bauit. Ramus itē Caluinismi fuit Christoforus Goodmanus Anglus, & inter hæresiar-

693 chas quoquo modo repositus. Secta etiā Vnctorū Anglicanorū à Caluino originē ducit; eius immediatus auctor extitit quidā nomine Vvritus, qui ex tribus erroribus indican-

694 dis eam cōflauit. Tandē de Petro Richerio Caluiniano, nouo hæresiarcha, & de alijs, si qui sunt huiusmodi, aliquid pro explicatione dicetur.

---

695 QVæ spectant ad Ludouicum Alemani, paucis his explicat Gualt. c. 44. sęc. 16. Ludouicus, inquit, Alemani natione Italus, professione Caluinista, ann. 1556. Lugduni cœpit Caluini doctrinam apertè insectari circa receptionem substantiæ Iesu Christi in Cœna per fidē; ac purū Zuinglianismū edocere, videlicet substantiā nullo modo recipi, ne fide quidē; deniq; in Cœna non recipi, nisi spiritualiter substantiale corpus, & sanguinē Iesu Christi, indè abesse causatus. Hæc ibi Gu.

696 Præstat tamen paulò extensius à Prateolo, verb. Ludouicus Alemani, num. 11. ex Claudio Sanctesio, nos circa eadem erudiri, quod magis completè fiet verbis eius per extensum relatis: ne graueris ea audire.

697 Ludouicus, inquit, Alemani natione Italus, secta Zuinglianus; hoc anno 1566. apud Lugdunum famā sibi ex impugnatione Caluinianæ doctrinæ, & eiusdem præstigiarum detectione, quò purum Zuinglianismum statueret, comparauit: quemadmodum doctus ille, & pius Claudius Sanctesius in examine doctrinæ Caluinianæ, & Bezanæ restatur. Ita enim de illo loquitur.

698 Iam, inquit, cęperunt hoc anno Lugduni Caluinistæ ab alijs defectionem facere, auctore Ludouico Alemani Italo, aperire oculos, & intueri verborū effascinationes, atque pręstigias, quibus suorum mentibus illudūt impostores Caluiniani. Nam si quis scripta Caluini, & Bezæ diligenter obseruarit, & cōtulerit, triplicem opinionem de re, quam acquiramus in Cœna, deprehendet.

699 Vnam, quæ videatur ipsissimam carnis, & sanguinis substantiam polliceri.

700 Alteram, quæ nudam, & meram gratiam per mediatoris Christi carnem quasi percolari ad nos effingat.

701 Tertiam, quæ nihil noui fateatur in Cœna referri, quod non alibi, & antea comparetur, præter panis, & vini pauxillum de manibus impuri alicuius nebulonis, & circulatoris ministri acceptum.

702 At Ludouicus cum suis assectis, sine verborum inuolucris, & circuitu, maluerunt ad primā Zuinglij opinionē redire, quæ simpliciter, & ingenue cōcedit, spiritualiter tātùm Christum in Cœna manducari, & beneficia omnia merito passionis eius sumi potius, quā per fidei imaginationem somniare se veram ipsam carnem Christi degustare, quam non propiùs re ipsam attingat, iuxta Caluini doctrinā, quā summi cęli verticē. Has ergò propositiones dedit puri Zuinglianismi apud Lugdunēses Ludouicus Alemani restaurator

703 I. In hoc Sacramento Cœnę nulla nobis ad edendum, aut bibendum datur substantia corporis, & sanguinis Iesu Christi.

704 II Neque etiam per fidem, seu incomprehensibili modo, vt vocant.

705 III. Quia hoc totum imaginarium, & repugnat apertissimo Dei verbo.

706 IV. Hanc autem manducationem corporis, & sanguinis Christi, spiritualem tantum esse contendimus.

707 V. Ad quam pij veram fidem, ac pœnitentiam afferre debent, gratiarumque actionem beneficiorum, quæ accepimus à Deo per Christum.

708 VI. Christus licet à suis fidelibus non sit absens, tamen illius substantiale corpus constanter affirmamus non esse pręsens in hac cœna.

709 Caluinistarum Synagoga Ludouicum illum conatur omnibus modis à reuelandis suis

suis mysteriis, & verborum effascinationibus reuocare, aut violentia opprimere, quasi iam sola Regnum in Gallia possideat. Ille magis, & audacius crepat verbum Dei, quam ipsa: tuetur se pacificationis publico edicto, quo se in libertatem conscientiæ asserat: sibi iuris tantum esse ostendit redeũdi ad primam Zuinglij sententiam, quantum alijs fuit, deserta Ecclesia Catholica, in hanc, vel illam sectam abeundi.

710 Gloriatur insuper, vt audio, magis ingenue se agere cum mundo, quem nolit verborum ambiguitatibus fallere, neque quicquã Caluini consensioni cum Tigurinis contrarium afferre, neque sectam aliam ab intima Caluini doctrina introducere, cum ab eo scriptum didicerit, Christum sola gratia, & virtute nobiscum mãsurum in æternum, ab eademq; videat (Harm. in illud Marc. 14. Pauperes semper habebitis vobiscum) distingui duplicem præsentiam, & absentiam Corporis Domini: realem, siue substantialem, quæ cęlo contineatur: & spiritualem, siue (vt ita loquamur) virtualem, quam collocat in Cę-

711 na. Ecclesiæ Caluinianæ Rabini, qui Lugdunum occupant, breuem conscripserunt, & sparserunt, admonitionem, qua student demonstrare, & refellere Ludouici errorem, & in ea mire amplificãt substantiæ carnis Christi participationem; sed fumum vendunt, cũ ad fidei imaginationem reuoluantur, & substantiæ toto cęlo à nobis remotæ vmbram cogitatione sectentur. Vide reliqua ibidem lectu dignissima. Hæc Claudius Sanctesius.

712 Hactenus Prateolus, cuius tanti viri vestigia secutus, ad verbum omnia ista de hæresiarcha Ludouico Alemani retuli, nec aliud de eo dicendum occurrit.

713 De spectantibus vero ad Christophorum Goodmãnum agit Sanderus hæres. 222. & ex eo solo (nihil inuenio apud Prateolum, quod mirum) Gualter. cap. 45. sęcu. 19. vbi sic.

714 Christophorus, inquit, Goodmãnus Anglus Caluinista, cum ex Anglia Geneuæ exularet regnante Maria Regina Catholica, docere cæpit, atque adeò per librum de suorũ consilio Symmystarum Anglice editum promulgare, non licere fœminis Rempub. vllam

715 administrare. Verum Mariæ in cęlum vocatæ succedere Elisabetha Lutheranismo imbuta, quam nõ pro temporali dumtaxat Regina haberi volebat, sed etiam pro capite, ac sũma Ecclesiæ in causis spiritualibus Gubernatrice, longe aliter loquutus est Goodmãnus in Anglia, vbi cuiusdam Puritanorum Ecclesiæ sub Elisabetha ministerium gessit. His paucis Gualterius Goodmannum depingit, & inter hæresiarchas eum enumerat.

716 Paucis etiam tractant de Vnctis Anglicanis Sander. hæres. 230. Genebr. in Pio V. & Gualter. cap. 50. sęcu. 16. (neq; de ijs Prateolus quicquã) ex quibus nullus, nec alius, quod sciã, indicat cur istorũ secta Caluiniana hoc nomẽ sibi assũpserit Vnctorũ Anglicorũ.

717 Apud Bastedium in Surria comitatu Angliæ eam constituit quidam appellatus Vvritus, ex tribus præcipue articulis erroneis.

718 Primò, Nullum hominem peccare affirmabat, præter illos, qui suam doctrinam non admitterent, quam veritatem appellabat.

719 Secundò, Asserebat in toto nouo Testamẽto prædici res futuras, vnde quamuis admitteret Christũ Dominũ iam semel venisse, eũ tamẽ ante diẽ Iudicij rediturũ expectabat.

720 Tertiò, Tuebatur, eũ, cui peccata semel

721 fuerunt remissa, nõ amplius peccare. Addebat etiam vt axioma certum, nullam viris doctis esse fidem habendam. Vide Gualter. citatum; atque hæc de ista secta.

722 Quid iam de secta Richerianorum à Petro Richerio Caluini discipulo instituta? Pergratum ab eodem Gualter. c. 63. omnia, quæ de illis extant, & apud ipsum iacent, accipere; ne, quæso, sit tibi molestum ea audire.

723 Petrus, inquit, Richerius ex Carmelita factus minister Caluinianus, cum à Caluino in Floridã missus esset, prædicauit ann. 1557. corã D. Villagagnono, ac postea corã Notario publico Francisco Alberico, die 28 Sept. propugnauit, Iesum Christum in carne sua humana non esse adorandum, nè terrenum elementum adoretur. Scripsit præterea, licere illũ adorare vt Deum, nõ autẽ vt hominẽ.

724 Die autẽ 27. Decem. eod. ann. 1557. D. Petro de Falce, quẽ ad eũ D. Villagagnonus legauerat, affirmauit, hæreticũ esse, qui existimaret Iesum Christum necessario adorãdum & inuocãdum. Cui blasphemiæ cõsentit hoc aliud eius pronunciatum, Patrẽ dumtaxat orandum esse per Christum, nunquã verò orãdum ipsum Christum, nè ipsius humanitati

725 honor aliquis exhibeatur. Quasi vero sacrosãcta Iesu Christi humanitas aliam haberet hypostasim, ac verbum Diuinum; vel quasi Nestoriani duas in Iesu Christo personas constituẽtes, non essent pridẽ ab Ecclesia reprobati tanquam hęretici, ac blasphemi.

726 Probè noui hunc Petrũ Richerium fuisse illum ipsum, qui vrbi Annonaensi in Viuariësi Prouincia, malorũ plurimorũ auctor fuit. Cũ enim in eã se Catholicũ simulãs esset ingressus, imo & menses aliquot in cõcionibus ea simulatione, vsus tandẽ vbi se in præcipuorũ ciuiũ, qui illũ sępe conuiuio exceperant, amicitiã insinuatũ vidit, cordis sui postẽ aperuit; primũ quidẽ priuatim, dein verò è pulpito pleno ore in Sacramẽta inuectus, ac no-

727 minatim in realitatẽ eucharisticam. Quod vbi aduerterũt Magistratus, dũ in eũ inquirunt, ecce euanescit homo nequã, maiorẽ tamen vrbis partem erroribus illaqueatam relinquens. Hæc ille de Petro Richerio, nec aliud dicendum occurrit.

728 Quid item de nouis Samosatenis? Secta istorum in eo errore fundata, quod negauerint in S. Ioann. Euangelio vocem λόγος, idest verbum, secundam Trinitatis personam designare. Ita Gualter. cap. 46 sec. 16. ex Sand. hæres. 223. & ex Florim. lib. 2. cap. 16. num. 6.

729 Deniq; quid de Functio hæresiarcha? Ex Sand. lib. 7. de visib. Monarchia, pag. 703. idẽ Gualt. c. 48. sic sectã eius explicat. Inter alios inquit, Functij errores, hic speciatim annotandus est, S. Petrum Romæ nunquam fuisse.

730 Qua

729 Quæ de re satis erit reuisere, quæ in sæ- culo 1. primi seculi §. 7. & in capite de Cal- uino, errore 55. fuerunt obseruata, hoc il- lud indicans, quod iste Bundius fuerit ramus Caluinismi. Atque his Regula abso- lutam manet.

Secta Melchioritarum Antichristianorum, & similium, si qui sunt reliqui Antilu- therani, qualiter se habent?

REGVLA CCXCV.

731 CIrca annum Domini 1532. Clemen- te VII. Summo Pontifice, & Carolo V. Imperatore, extitit quidam appellatus Melchior Hosmãnus, nimis audacter prouo- cans ad disputandum Argentinenses concio- natores super quibusdam articulis erroneis iudicandis, ex quibus constituit sectã Mel- chioritarum, qui inter Antilutheranos re- 732 ponuntur. Sectæ verò Antichristianorum non vnus tantùm, sed plures assignantur au- ctores, nimirum quotquot Antichristo fa- uentes, in Christum Dominum, & eius Vi- carium blasphemarunt. Aliquid de vnoquo- que illorum, & de alijs Antilutheranis sigil- latim dicetur.

---

733 SOli Prateol. in suo Elencho alphabe- tico verb. Melchioritæ, n. 26. & Gualt. cap. 74. sæcul. 16. attingunt breuissimè, quę tradidimus in 1. par. huius Regulæ de isto hæresiacha Melchiore Hosmãno, deque eius sequacibus Melchioritis Antilutheranis, ac de prouocatione ad ineundam disputationẽ cum concionatorbus Argentinentibus circa peculiares articulos. Nunc solùm superest, vt istorum notitiam tibi exhibeam.

734 Primus, Christum Dominum nequaquam assumpsisse carnem ex B.V. Maria, sed Deum ex se carnem esse factum, ita vt vna tantum- modò esset in Christo natura.

735 Secundus, Quencunque qui accepta gra- tia à Deo voluntariè peccat, nunquam po- stea in ipsius gratiam recipi.

736 Tertius, Absque vlla diuina gratia salutem animæ in solis naturalibus liberi arbitrij no- stri esse collocatam.

737 Quartus, Hos Melchioritas errore Mille- nariorum, siue Chyliastarum, circa corpo- reum Christi regnum per mille annos, fuisse infectos, non desunt, qui ita sentiant. Atq; hactenus de Antilutherania Melchiore, & asseclis eius Melchioritis.

738 De Secta Antichristianorum, & de mul- tiplicitate institutorum eius, peculiariter a- gunt ijdem Scriptores, Prat. veb. Antichri- stiani, num. 46. & Gualterius cap. 86. vbi sic.

739 Hoc titulo decorati sunt multi Antilu- therani, qui apertius in Iesum Christũ blas- phemarunt, & Antichristo fauerunt. Quos inter nominatur Præmonstratẽsis Apostata, qui Iesum Christum aiebat damnatum esse, quod in cruce desperarit. Bucerus itẽ, cuius discipuli testati sunt, ipsũ in mortis articu- lo negasse Iesum Christũ esse verũ Messiam, addidissęq; alium esse cum Iudæis expectã- dum. Necnon illi, qui Antichristum assidis- simè expectantes, meretricem Louaniensem nudam adorabant; Antichristum ex ea na- sciturum buccinantes. hæc Gualterius.

740 Magis per extensum adducit Prateolus eosdem Antichristianos Præmonstratensem Apostatam, Bucerum, & adoratores illius meretricis Louaniensis, atque alios; declaratque copiosè ex Patribus, relatis ipsorum verbis, vt solet, ex Origene, homil. 30. in illud Matthęi, Exurgent Pseudo-Christi: & homil. 29. ex Tertuliano lib. de Pręscriptio- nibus hæreticorum, & ex S. Ignatio Epist. ad Hieronem, qualiter diuersi diuersimodè fuerint, & possint esse Antichristiani: vide apud ipsum Prateolum.

741 Dixi, & eius Vicarium; nam negari non potest, quod Anricristiani sint omnes illi, qui vnumquemque Summum Pontificem verum Christi Vicarium, esse Antichristum affirmarunt, sicuti affirmare solent hæretici septemtrionales nostri temporis. quibus ad- iungi posse videtur Dauid ille Chybręus, li- cet intra sectam Lutheranorum enutritus; de quo Gualter. cap. 49. sæcul. 16. sic.

742 Dauidis, inquit, Chytræi Lutherani hæc fuit singularis opinio, Antichristum anno circiter 600. apparuisse. Qui, & satis apertè indicat se pro primo Antichristi Pontifice habere Sanctum Gregorium Magnum.

743 Hæc autem propositio parum consenta- nea est orationi, quam anno 1569. habuit, eam quidem anno 1580. postea editam Fran- cofurti de statu Ecclesiarum huius temporis in Græcia, Asia, Africa, Hungaria, Bohemia, Aethiopia, &c. in qua docet non modo in vniuerso terrarum Orbe Christianos existe- re, verũ etiam hos minimè ab Ecclesia Ro- mana circa doctrinæ substantiam, & Missæ solemnitatem discrepare; sed tantùm circa 744 nonnullas exigui mométi ceremonias. Pe- rinde ac si vno verbo confiteatur, fidem, ac religionem Ecclesiæ Romanæ esse verè Ca- tholicam. Hæc ille. Circa istum Dauidem Chytræum legendus est Bellarm. lib. 3. de Romano Pont. cap. 3. nec aliud occurrit.

745 Explicanda sequitur Antilutheranorum secta, qui vocabãtur Liberi, ob errorem, quẽ tenebant, affirmantes se emancipatos, & exeemptos à Principum obedientia, à deci- mis, & redditibus.

746 Secundò, Errabant isti asserentes matri- monia inter fratres esse spiritualia, ita vt v- xores haberent communes, neque permit- terent illis coniugale debitum maritis red- dere, si non eidem sectæ nomen darent, & hanc esse Dei voluntatem persuadebant.

747 Tertiò, Cum errore tuebãtur, se post bap- tismum peccare non posse, addẽtes solam es- se carnem, quæ peccat.

748 Quartò, Eò superbiæ, ac tumoris ascen- derant, & ad tam altum perfectionis gradum se per-

se peruenisse credebant, vt se iactarent, non modo similes esse Deo, verum etiam indigetatos.

749 Testem cito nebulonem illum, qui cum Amsterodami ex arte filatoria victitaret, tantus repentè Theologus euasit, vt in ipso libelli sui titulo se Deificatū pronunciaret. Ita Gualter. cap.60. ferè totidem verbis ex Prateol. verb. Liberi, num.3. & hic ex Lindano per eum citato.

750 Sunt etiam secta Antilutherani Hutitæ, sic dicti à quodam Ioāne Huto eorum duce. Hi quidē asserebāt se esse etiam corporaliter populum Israeliticum, Chananæorum exterminatores. Illinc verò proximum esse diem Iudicij, atque ea de causa ante eius aduentum omnia esse in epulas impendenda.

751 Quo factum est, vt diem illum magnum inaniter expectantes ad extremam sint redacti paupertatem. Tradunt Prateol. verb. Hutitæ, & Gualter. cap.71.

752 Tandem quid de Ollarijs? secundum Prateol. verb. Ollarij, ex Lindano, & secundum Gualter. cap. 80. isti secta Antilutherani sunt, & indè Ollarij vocati, quod sese mutuo non inuisere soleant, nisi mensa optimè instructa. Qua consuetudine citò consumuntur, ac dissipantur. Atque pauca ista pro Regula præsenti.

De Sectis Francisci Stancarij, seu Arrhabonariorum, ac Tropistarum, & aliorum ex Sacramentarijs, qualiter statuendum?

REGVLA CCXCVI.

753 EMersit in partibus Poloniæ, & Transyluaniæ, quidam nomine Franciscus Stancarius, errorem Sacramentariorum realitatē eucharisticam negantium ibi spargēs, & affirmans in ea Cęna arrhabonem tantùm corporis Christi nobis dari. Hinc ab ipso noua secta Sacramentarianismi fundata, & eius

754 sequaces Arrhabonarij appellati. Similiter emerserunt plures in alijs plagis, eodem errore eas diuersimodè inficientes, formatis peculiaribus sectis: quales sunt Metamorphistarum, Neutralium, Tropistarum, & aliæ statim indicandæ.

755 QVoad primam, quisnā fuerit iste Franciscus Stancarius auctor eius, & cuius originis, status, conditionis, & professionis nequaquam attingunt, Prat. verb. Arrhabonarij, n.65. & Gualt. c.96. sęcul.16. vbi de eo

756 tractantes tantùm asserunt, fuisse doctrinā ipsius, quod in Eucharistia solùm accipiant, eam sumentes, arrhabonem, seu pignus corporis Christi Domini, & quasi inuestituram donati prædij, aut domus alicuius: Atq; hinc sequaces talis doctrinæ vocari Arrabonarios veros Sacramentarios.

757 De Metamorphistis verò, seu Transformatoribus cū Prat. verb. Metamorphistæ, Gualt. c.98. sic ait. Horum Sacramentariorum error (ex quo & nomen obtinuerūt) est, Iesu Christi corpus, vbi in Cęlum ascendit, omninò factum esse Deum, adeò vt planè, propriéque dicendum sit, *Corpus Christi est Deus.* Qua de re in c.de SuuenKfeldianis, qui nimirùm huius falsitatis arguuntur, ita ille, nec aliud addit.

758 Prateol. hoc idem loco cit. aliquantulum extensius adducit, vnde non erit abs re verba eius audire.

759 Metamorphistę, inquit, sunt ex Sacramentariorū huius nostri temporis factione, qui, auctore Staphylo, asseuerant, Christi corpus, postquā in cęlum ascendit, planè Deum esse factū, omninòq; propriè dici debere, Corpus

760 Christi est Deus. Cùm ergo quęritur, quomodo corpus Domini adsit in cęna, Respondent adesse quidem verum corpus, sed tale corpus tamen, quòd iam sit diuina essentia, & Deus simpliciter, nō caro humanæ naturæ consubstantialis. Ita scribit SuuenKfeldius in multis libris, & pręcipue de duplici statu Christi. hæc Staphylus. huc vsque ille.

761 Concordant omninò Prat. verb. Neutrales Sacramentarij, n.5. & Gualt. c.101. sęculi 16. circa sectā, & doctrinā erroneam istorū Neutralium Sacramentariorum: nempè haud esse necessarium sub vna, vel sub vtraq; specie cōmunicare, sed sufficere ad salutem, si homo

762 fidem habeat. Addunt item, si Concilium fortè statueret esse communicandum sub vtraque specie, tunc, quòd debeant laici sub altera communicare, aut vtramque reijcere.

763 Hinc quàmplures illorum per decem annos non sumpserunt communionem, quinimmo alij per totum vitæ spatium.

764 Sequitur agendum de Tropistis Sacramētarijs, qui, vt auctor est Staphyl. citatus à Prat. verb. Tropistę, n.27. affirmāt hoc nostro sęculo tropum, seu figuram corporis Christi Domini esse in Eucharistia, non autem verum corpus. Ita cum Sander hæres.208. Gualter. cap.94. post citatum Prat. qui ibid. addit.

765 Appellantur quoque Tropistę (vt inquit Philastrius) ij, qui dicunt conuersum Verbum in carnem; non intelligētes, quod ait Apost. Ioannes. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nec attendentes, quòd Verbum, idest, Deus Dei Filius, est immutabile, & inconuertibile: caro autem, quā accepit pro nostra salute, ipse eam formando assumpsit, &

766 induit nostrę causa incapacitatis. Ad eum videndum itaq; res istę in vnum coniunctæ pro nostra salute, non commutationem Verbi in carnem, sed assumptionem magis rei visibilis declarabant, vt inuisibilis per visibilē carnē videri posset, credi, atq; cognosci, & ab humano genere capaciter adorari. hęc Philastr. & ex eo Prat. Atq; satis dictū de Tropistis.

767 Sed de Energicis quid? ex Prat. verb. Energici, & Sander hęres.213. Sectam eorū Gual. c.95. his paucis explicat. Inter Sacramentarios multi sunt, qui existimant Eucharistiam non esse corpus Christi Domini, sed eius energiam, & virtutem: qua de causa Energici

768 nuncupantur. hęc Gualter. addens, quòd mul-

[illegible] in locis doctrina Melanchthonis, & [illegible] huc tendere videatur.

[illegible] numerantur præterea inter Sacramen- [illegible] Iscariotitæ, vt affert Prateol. verb. Iu- [illegible] Iscariotes, num. 30. circa finem, sic. De [illegible] Iscariotitis verò nostræ tempestatis, Staphy- [illegible] lib. de Lutheranorum inter se concor- [illegible] scribit in hunc modum. Iscariotitæ, in- quit, sunt, qui negant à Iuda Iscariote verũ Corpus Domini acceptum in Cœna Domini. [illegible] scribit SvvenKfeldius in libello de hac [illegible] stione inscripto, & Caluinus in sua vlti- [illegible] admonitione contra VVestphalum, & a- [illegible] hæc Staphylus. Ita ille. Vide Sanderum lib. 7. de visibili Monarch. pag. 679. & Gual- [illegible] cap. 99. sęculi 16.

770 Pauca admodùm adducunt de Sacramẽ- tarijs Adessenarijs, Prateol. verb. Adessena- rij, num. 11. & Gualter. cap. 97. sęcu. 16. vbi iste sic ait. Quadripartita est hęc secta; cuius prima cohors ait, Corpus Christi esse in pane.

Secunda, Esse circa panem.

Tertia, Esse cum pane.

Quarta, Denique esse sub pane. Hæc ille: sed nos de his iã supra Regula de Luthero.

771 Vltimo loco inter Sacramentarios repo- nit Prateolus Iconoclastas in Catalogo Se- ctarum nostri sęculi, in dicta Regula à Nobis adducto, & verb. Iconoclastę, seu Iconoma- chi, idest, Imaginum demolitores, vel rupto- res, copiosè agit de hoc illorum errore, qui iam olim valde viguit, vt alibi tradidimus, demoliendi, vel rumpendi sacras Imagines; Atque omissis alijs, quod ad rem præsen- tem attinet, versus finem de Iconoclastis no- stri temporis, sic.

772 Imagines Iudęi non ferunt, vti nec Zuin- gliani, seu Caluiniani, quemadmodum Sy- nagoga Geneuæ loquitur, nullam omnino habens Turcico more vilius rei imaginem. Hęc Lindanus: & Staphylus de Luthera- 773 norum inter se concordia. Iconoclastæ, in- quit, sunt, qui Christi, & omnium Sanctorum Imagines è Templis eijciunt, suas autem, & vxorum suarum effigies elegantissimè, & a- matoriè depictas reponunt, sicuti quondam fecit Simon Magus, & pellex ipsius Helena, 774 Nicephorus testatur. Idem nostri Euan- gelici Prophetę faciunt etiam: exempla eo- rum testantur. Hæc Staphylus. Ita Prateo- lus: quibus pręsens Regula expedita manet.

Qualisnam fuerit hæresiarcha Philippus Me- lanchton? qualiter item ab eo Secta Me- lanchthonicorum, & alia ipsius oc- casione instituta?

REGVLA CCXCVII.

775 EN nouum monstrum horrendissimum in partibus Germaniæ circa annum Domini 1530. emergens: En hæresiarcha monstruosissimus, meo quidem iudicio præ- cedentibus non inferior, sua malignitate, & perfidia ingentem perniciem Ecclesiæ Ca- tholicę inferens; nempe Philippus Melan- chthon, dux sectę Melanchthonicorum, aut 776 Confessionistarum. Hic enim, licet prius Lutheri discipulus, ac verus Lutheranus, po- stea tamen per celebrem illam Confessionẽ Augustanam, quam composuit (sic vocata, quod in comitijs Augustę Vindelicorum ha- bitis, Carolo V. tradita fuisset) ab illo ex par- te recessit, & errores suos ita attemperauit, vt quoad Religionem indifferens, aut incon- stans esse censeretur, atque hinc vulgo Co- 777 thurnus Germanię appellatus fuerit. Oc- casione autem Cõfessionis dictę tres classes prodierunt, Mollium, Rigidorum, & Extra- uagantium Confessionistarum, ac multipli- ces sectę ipsorum, vt ex Regulis sequentibus innotescet.

---

778 SEcundum trimembrem diuisionem, sub metaphora spirituum immundo- rum, seu bufonũ à Prateolo, ex Staphylo as- signatam in Catalogo sectarum nostri sęculi à Lutherana prouenientium, iam supra ad- ducto, iste Philippus Melãchthon est tertius spiritus immundus, seu buso, filius in doctri- na erronea Lutheri pseudoprophetæ, & pa- ter Confessionistarum. De eo Gualter. cap. 10. sæcul. 16. sic.

779 Philippus, inquit, Melanchthon Luthe- ranus, rem suam agere, & ex parte se à Lu- thero subducere cœpit anno circiter 1530. vnde eius sectatores Semilutherani, & Mol- les Lutherani dicti sunt. Et paulò post. Il- 780 lis etiam Confessionistarum nomen inditũ est, quòd (vt alibi diximus) Melanchthon ipse composuisset, suaque manu scripsisset nouam Confessionem, Augustanam nuncu- patam, quæ Carolo Quinto in comitijs Au- gustæ Vindelicorum habitis oblata fuisset. Ita ille.

781 De eodem ibidem ita addit Gualterius: Obijt, inquit, Aprili mense anno 1560. cum ea Religionis indifferentia, aut saltem incon- stantia, vt & vulgò *Cothurnus Germaniæ* ap- pellatus sit, & ipsum post eius obitum sectæ omnes sibi tanquàm suum vendicarint. Hæc Gualter.

782 Qui videtur prædicta sumpsisse ex Ge- nebrardo in Pio IV. vbi sic. E vita excesse- runt anno 1560. Robert Cænalis Arboricen. Episcop. & Doct. Theologus Lutetiæ 5. Ka- lend. Maij. Ioann. à Lasco Zuinglianus in Polonia Idib. Ianuar. Philippus Melanchthon 13. Kalend. Maij, Germaniæ Cothurnus, de omni Religione securus: vnde post eius mor- tem eum statim quisque hæreticorum sibi vendicare voluit. Caluinus contendebat in sua confessione mortuum, alij in alia. Ita ille.

783 Vocabatur Melãchthon Cothurnus Ger maniæ, seu calceus omni pedi conueniens, vt pulchra metaphora ista egregiè exprimit Prateol. verb. Melanchthonici, num. 25. propterea quod in Religionis negotio omni- bus obsequeretur, & facillimè à sua senten- tia

tia recedens alterius cuicunque adhæreret, adeo, vt in solo puncto iustificationis quaterdecies sententiam variauerit: quod idem Prateolus ex Hosio per eum citato bene aduertit: ibidem ipsum videas.

784 Verum iam sigillatim præcipuos Melãchthonis errores expendamus, cum aliquali eorum refutatione.

Primo, Docuit, nullum omnino reperiri discrimen inter pręceptum, & cõsilium; neque aliquid esse in Euangelio consilium, sed omnia, quę per ipsum nobis intimantur, esse pręcepta. Ita ille, lib. de locis communibus Theologię, tit. de discrimine pręceptorum, 785 & consiliorum. Quidam, inquit, finxerunt in Euangelio consilia esse de non vindicando, de paupertate, de virginitate; & quidem putant in Euangelio doceri hoc fine, quod hęc opera magis mereantur reconciliationem, aut salutem, quã alia opera. Deinde fingunt hæc opera perfectionem esse. Sed hæc plena sunt errorum & superstitionum. Vna est lux Dei, quæ nihil, nisi pręcepta continet. Hęc Philipp. Melanchthon, ait Prat.

786 Qui immediatè addit sic. Ex quibus verbis apertè colliget lector, illum secum pugnare, ac diffidere, cum alibi dicat cum Martino Luthero suo præceptore, nullum esse in Euangelio præceptum. Qua in re faciunt illi iuxtà illam poëtæ Horatij sentẽtiam. Dùm vitant stulti vitium, in contraria currunt. hæc ille.

787 II. Affirmauit, nullum aliud esse pecatũ mortale, nisi incredulitatem. Contra quem errorem habemus claram definitionem Cõcilij Tridentini sess. 6. can. 27. Si quis dixerit, (inquit) nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis; aut nullo alio quantumuis graui, & enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam ammitti: anathema sit.

788 III. Admittit quidem Baptismo peccatum originale deleri; pernegat tamen ipso alia peccata remitti; assignat rationem huius falsæ doctrinæ, adiungendo errorem errori, quia in homine iam baptizato manet adhuc carnis concupiscentia, vel rebellio, quæ ex mente ipsius, & aliorum hęreticorum, verè peccatum est, licet à Deo non 789 imputetur. Esse autẽ concupiscentiam verè peccatum, inde ostendit Melanchthon, quia est contra illud Dei præceptum, Non concupisces. Exod. 20.

790 IV. Negauit etiam Euangelium esse legem, iuxta veram, & propriam rationem legis; sed in eo solum patefieri nobis, & manifestum ostendi bonum de Christo Domino nuncium. ita ipse in locis communibus, No-791 uum, inquit, testamentum non est aliud, nisi bonorum omnium promissio, citra legẽ, nullo iustitiarum nostrarum respectu: quà bona nobis promittuntur citrà conditionẽ, cum nihil vicissim à nobis exigatur. hæc Melanchthon; quæ ipse, & alij eiusdem farinæ docent, vt hoc modo ostendant se esse liberos ab omnium bonorum operum obligatione. Verum in hoc errore videtur sibi contradicere Melanchthon, cum illi propositio in primo loco aduersetur.

792 V. Concedit quidem nostra bona opera mereri pręmia, sed ea tantum corporalia, & spiritualia; non autem vitam æternam: Ita ille in locis communibus, titulo de bonis operibus, circa finem.

793 VI. Sentiebat Philippus Melanchthon, posse hominem solius naturę viribus ad gratiam se disponere, eamque acquirere. Quæ sententia, vt manifestè hęretica, olim damnata fuit ab Ecclesia contra Pelagium, vt alibi vidimus.

794 VII. Asseruit item cum Luthero suo magistro, & cum alijs huiusmodi, quemuis hominem iustum non solum esse certum, quod sit in statu gratię, sed etiam obligari ad credendum se esse in tali statu. Quod si quis nõ ita credat, nequaquam adnumerandus, vt illi affirmant, inter iustos, neque inter fideles, cum fides catholica, secundum ipsos, illa propriè sit, qua homo certissimè in particulari credit remitti sibi peccata per Christum. Accipe verba ipsius Melanchthonis, vt refert Prat. ex locis eius communibus, tit. de gratia, & iustificatione.

795 Mens, inquit, perterrefacta agnitione peccatorum statuere debet, remitti sibi peccata gratis propter Christum, per misericordiam, non propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum. Cum hoc modo fidei se mens erigit, donatur remissio peccatorum, & reconciliatio. hæc ille 796 & plura, quæ omitto, & solum addo, quod iste error, vt supra à nobis traditum, contra Caluinum iam damnatus fuerit.

797 VIII. Docuit Melanchthon in suis annotationibus in Epistolam ad Roman. vt S. Pauli vocatio Dei opus fuit, ita Dauidis adulterium fuisse: atque similiter Iudæ traditionem ęque à Deo processisse, ac D. Pauli conuersionem. Sed hunc etiam errorem iam supra condemnatum reliquimus.

798 IX. Præterea adeo fidem extollit, vt bonis operibus detrahat. Nam in eisdem locis communibus, tit. de bonis operibus, sic ait. Qui non agunt pœnitentiam, sed indulgent vitiosis cupiditatibus, non retinent fidem. 799 & tit. de fide. Fides non tantum notitia est historiæ de Christo, sed est vera fiducia cordis, quæ assentitur promissioni Euangelij: præcipuè autem significat fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum. hæc ille, vt refert Prateol. citat.

800 X. Tandem in suis locis communibus Vvittembergæ editis anno 1520. cum Luthero absolute tenuit, nullam esse in homine arbitrij libertatem, nihilque agere posse, sed tantum pati; imò omnia fato, & necessitate 801 euenire. In locis tamen communibus anno 1536. Argentinæ, anno 1538. Vittemberbæ, anno 1546. Lipsiæ, & anno 1555. Vittembergæ, contrariam sententiam omninò sequutus, libertatem arbitrij acerrimè pro-

propugnauit. Vnde docuit Pharaonem, & Saulem liberè Deo restitisse, atque è contrario Dauidem arbitrij libertate vsum fuisse in sua conuersione. Quare ipse Melanchthon seriò affirmauit, suam primam opinionem esse Manichæi somnium, & mendacium horrendissimum. Ita Gualter. dict. cap. 10. cum Prat. vbi supra, Sander. hær. 188. & Florem. lib. 2. de orig. hæres. cap. 9. ex quibus colligit prædictos Melanchthonis errores, max. ex Prat qui tum de alijs, tum de vltimo liberi arbitrij carentiæ, cum doctissimo viro Hosio copiosè tractat: nobis dicta sufficiant, & iam ad sectas Cofessionistarum à Melanchthoniana prouenientes gradum faciamus.

Quid de prima classe Confessionistarum Rigidorum? Quanam peculiares secta ad ipsam spectant?

REGVLA CCXCVIII.

803 Philippo Melanchthoni per dictam Confessionem Augustana, saltem ex parte doctrinam Martini Lutheri immutare ac euertere tentanti, reperti sunt multi, qui statim alijs etiam Confessionibus propositis acriter restiterunt & eam, vt iacet, intactam seruare curarunt, quamcumque Lutheranismi absurditatem sine delectu defen-804 dentes. Hinc vocati Rigidi Confessionistæ (alias Stoici Lutherani) quales fuerunt Antidiaphoristæ, AntisuuenKfeldiani, & alij, præcipuè Illyricani à Matthia Flacco Illyrico sic appellati.

805 Egregie diuisit Staphylus, teste Prat. in Catalogo sectarum huius seculi ex Lutheranismo prouenientium, in tres classes, quosuis eius defensores Confessionistas contra Philippum Melanchthonem, & confessionem eius Augustanam, nempe Rigidorum, Mollium, & Extrauagantium: de aliquibus Rigidis Confessionistis spectantibus ad primam classem, deque eorum sectis agimus breuissimè in hac Regula (de alijs etiam Rigidis agetur Regula sequenti) cum citandis Prateolo, & Gualterio.

806 Quoad sectam Illyricanorum dictis supra num.... addo aliqua pro maiori declaratione. Gualter. in citat. cap. 10. seculi 16. affirmat, quod fuerint isti hæretici appellati Illyricani ab authore huius sectæ Matthia Flacco Illyrico, anteà Melanchthonis discipulo, (vocati etiam Confessionistæ ob rationem supra adductam) & quod contra illum vna cum suo duce strictius Luthero adhæserint, ac consequenter quod Melanchthonicorum capitales inimici extiterint: hęc tantum Gualter. ex quibus iam satis manifesta manent quæ de Illyricanis in Regula attinguntur.

807 Præstat tamen omnia, quæ Prateol. verb. Illyricani, nu. 11. de ipsis adducit, audiamus. Illyricani, inquit, sunt secta Lutherani, ex eorum scilicet caterua, qui iactant, & sectantur doctrinam per Lutherum, aliosue adulteratam; à Matthia Illyrico homine Sclauo appellati, qui eius dogmata (vt testatur Lindan. Dubitantij sui dialogo 2.) contra Melanchthonem, & Vuittembergenses sectantur quod opera bona non sint necessa-808 ria ad salutem, secundum Lutherum. Hunc inter alia etiã renouasse Arrij doctrinam, talemque eum esse ab Academia Vuittembergen. damnatum, testatur Staphylus defensione sua. Ad cuius classicum etiam Mansfeldenses Ecclesiæ suam edidere Confessionem 809 contra Vuittẽbergenses, & Lipsenses Quomodo verò Illyricus probris insectatur Adiaphoristas, vide Hosium lib. 1. de hæres. nostri temporis. Ita Prat. à quo obiter aliqua didicisti præter huc spectantia: atque hactenus de Illyricanis satis dictum cum citatis scriptoribus.

810 Sequitur dicendum de Antidiaphoristis; inter quos numero præcedenti 809. reposuimus dictum Matthiam Illyricum. Gualter. cap. 57. secul. 16. paucis valde se expedit, asserens esse sectam Rigidorum Confessionistarum, à Lutheranismo dimanantem, atque hanc in sua prætenta Ecclesia non permittere, vt vlla veterum ceremoniarum mentio fiat, neque vlla Episcopis iurisdictio tribuatur.

811 Paulò extensius à Prat. verb. Antidiaphoristæ, nu. 47. hæc eadem accipe. Antidiaphoristæ spectant etiam ad Rigidorum Confessionistarum nostri temporis factionẽ; qui, eodem Staphylo auctore, nullas volunt esse in Ecclesia ceremonias antiquas, nullãque Episcoporum iurisdictionem. Ita Illyricani, seu Flacciani, in multis editis libris contra Vuittembergenses Adiaphoristas, huc vsque Prateol.

812 De secta vero AntisuuenKfeldianorum quid? sic eam breuissimè indicat Gualter. cap 67. secul. 16. Rigidorum, inquit, Confessionistarum secta est, quæ SuuenKfeldianis planè aduersaria vniuersum Christianæ fidei negotium in ministerio verbali suorum 813 pṛdicatorum constituit. hæc ille desumpta ex Prateolo, verb. AntisuuenKfeldiani, num. 47. & ab isto ex Staphylo: neque aliud ibi additur, nisi quod error iste exprimatur à dicto Illyrico vero AntisuuenKfeldiano in aliquot scriptis editis contra SuuenKfeldium.

814 Pręterea secta Antidæmoniacorum sub Rigidorum Confessionis continetur; cuius professores, vt testatur Staphylus, & ex eo Prateol. verb. Antidæmoniaci, num. 46. prorsus negant vllum esse Diabolum, aut malignum spiritum, vel vllas incantationes, aut maleficia per Dæmones concitata: quod sensisse dicuntur (vt ait Gualter. cap. 88. seculi 16.) Georgius Dauid, & Andreas Osiande, de quibus iam supra diximus.

815 Tandem ad primam classem Rigidorum Con-

Confessionistarum spectat secta Amsdorffianorum, affirmantium, vt auctor est Staphylus, bona opera ad salutem spiritualem hominis esse perniciosa. Ita tenuit Nicolaus Amsdorff in libello, cui titulus est, Quod hæc propositio vera sit, Bona opera esse perniciosa ad salutem. Ita etiam Flacciani, & multi alij Saxonici concionatores. Ferè totidem verbis affert Prat. verb. Amsdorffiani, cum Staphylo.

De alijs Rigidorum Confessionistarum sectis, maximè de secta Lucæ Sternbergeri, qualiter decidendum?

REGVLA CCXCIX.

816 EXtiterũt pręter dictos alij plures Rigidi Confessionistę, qui doctrinã Lutheri circa diuersos articulos hęreticos acerrimè tuerentur, formatis peculiaribus sectis; cuiusmodi cẽsentur Manus-impositorij, Bissacramentales, Anticaluiniani, Inuisibiles, 817 &c. indicandi. Prędictis verò adnumerandus videtur discipulus quidam Lutheri, ac Melãchthonis, Lucas Sternberger appellatus qui circa annum Domini 1561. in Omolucẽsi Morauię Oppido prodiens, veneno plurium errorum, quos ex Magistro suo Luthero habuisse fatebatur, Prouinciam illam valde infecit.

818 REliqui Rigidi Confessionistę, qui occurrere potuerunt, percurrendi à nobis breuiter, relatis tantum verbis, quibus à Prateolo, vel à Gualterio, prout sectæ cuiusque natura exigit, indicantur.

819 De secta Manus-impositoriorum sic Prateol. verb. isto, num. 9. Manus-impositorij, inquit, sunt ex Rigidorum Confessionistarum nostri temporis familia; qui videlicet, teste Staphylo, laicalem impositionem manuum volunt esse Sacramentum. Grassatur hęc secta in Saxonia, & Pomerania, & Ciuitatibus maritimis. Vide Illyricum contra Iustum Mænium. hæc Prat. ex Staphylo: nec aliud superest addendum.

820 Sectam item Bissacramẽtalium idẽ Prat. verb. isto num. 24 breuius in hunc modum explicat: Bissacramentales, inquit, ad Rigidorum nostri seculi Confessionistarum sectam pertinent. Hi eodem Staphylo auctore duo tantum admittunt sacramenta, vnde nomen sortiuntur. Ita docent Caluinus, & 821 Flacciani. hæc ille, qui non addit quænam sint duo ista sacramenta: sed constat iam ex traditis alibi, quod sint Baptismus, & Eucharistia, seu Cœna, vt ipsi hæretici loquũtur, quæ re vera non est Sacramentum: cum à laicis apud ipsos conficiatur, & absque verbis consecrationis, &c.

822 Dein, quid de Anticaluinianis? ipse Prat. verb. isto, num 49. sic: Anticaluiniani, inquit, sunt eiusdem cum præcedentibus (nempe Antisuuenkfeldianis Rigidis Confessionistis) factionis, qui eodem auctore Staphylo, tametsi rectè asserunt realem præsentiam Dominici corporis in Cœna Domini, tamen falso negant transelementationẽ, 823 & adorationem; falso asserunt, extra vsum non esse Sacramentum. Ioachimus Vuestphalus in sua responsione contra Caluinum ait ita, & multi alij. hæc Prat.

824 Secta iam Inuisibilium paucis declaratur à Gualter. cap. 106. secul. 16. Rigidis, inquit, aliquibus Confessionistis nomen hoc attributum est, quod nullam esse Ecclesiam visibilem credant. Eo peruenere Illyricani, Suuenkfeldiani, Osiandriani, & Anabaptistæ. Quid etiam hac de re sentiant Caluinistę, dixi in cap. de Caluino. Ita Gualt. cum Prat. 825 verb. Inuisibiles num. 15. Qui addit reddens rationem, cur ibi hęretici Rigidi Confessionistę Inuisibiles teneant nullam Ecclesiam esse visibilem: nempe, quod Deus solus norit, qui sint ipsius: quasi ex istis solis iustis Ecclesia præsens militans constituatur, quod falsum prorsus est.

826 Tandem sectæ Mansfeldensium hæreticorum notitia sic traditur à Prat. verb. isto num. 7. Mansfeldenses, inquit, sunt secta Lutherani ad primam nostri temporis Euangelicorum classem spectantes. Sunt autem ij, qui Cõfessionem sectantur Comitum Mansfeldensium Iuniorum, qua non paucas Lu-827 theranorum damnarunt sectas. Inter alias vero Adiaphoristas, assertores bonorum operum, defensores liberi arbitrij, siue Melanchthonicos, Osiandrianos, Stancarianos. Hæc Lindanus Dubitantij sui dialog. 2. huc vsque Prateolus.

828 Adiungo autem, & merito, hęresiarchis prædictis Lucam Sternbergum, Lutheri, & Melanchthonis discipulum: licet enim ei nec à Prat. nec à Gualter. neq. ab alio, quod sciam, nomen Rigidi Confessionistę tribuatur, tamen re ipsa verè Rigidus Confessio-829 nista extitit. Cũ semper doctrinam Lutheri hæreticam rigide confessus fuerit, & errores contra fidem catholicam statim indicandos, quos, vt ipsemet fatetur, ab illo acceperat, acerrimè defenderit.

830 Circa originem vero, & professionem eius accipe primo loco pauca, quæ verb. Lucas Sternberger, num. 10. adducit Prateolus sic: Lucas Sternberger, inquit, anno Domini 1561. sub Ferdinando Imperatore Germano, & Pio IV. Papa, in Omolucensi Morauiæ oppido emersit; qui (vt auctor est Staphylus lib. de Lutheranorum inter se cõcordia) coniectus in carcerem apud Sternbergenses, atque alijs locis non paucis concionatus, Euangelicumque se Ecclesiasten, & Lutheri, ac Melanchthonis discipulum professus, doctrinam hanc, quę sequitur, seu purum putum Dei verbum, publicitus populo amplectendam tradidit. ita ille.

831 Qui statim cum citato Staphylo dictam doctrinam, seu errores enormissimos Lucæ Sternbergeri admodum copiosè subijcit.

contra Gualter. cap. 38. sæcul. 16. eosdem refert adeò compendiosè, vt aliquando, ex parte saltem omittat, quæ Prateolus opportunè exprimit. Istius igitur præstat vestigia sequi, imò proprijs ipsius verbis vti.

832 Primò quidem docuit ille propalam, atque confessus est, eos omnes, qui sanctæ Trinitatis nomen confitentur, & colunt, tres Deos falsò comminisci, cum sit Trinitatis nomen superuacaneum, & inane, quòd in Scripturis sacris nomen Trinitatis nusquam expressum sit, nec nisi vnus Deus

833 sit in Cęlo. Itaque vetuit ille, ne præclara illa cantio, *ò veneranda Trinitas*, caneretur, atque eius loco cantari iussit, *o venerāda Dei bonitas*. Optat etiam, vt dæmo-

834 nes omnes abducant, & asportent, nescire se, inquiens, vtrùm fęmina, vel mas sit: persuasum autem se habere, Trinitatem illam quandam fęminam fuisse, quæ tres maritos habuerit.

835 Secundò, Fassus est, & tradidit, Christum non fuisse verum Deum, sed hominem dumtaxat instar aliorum mortalium. Si enim Deus ille fuisset, oportuisset illum è cęlis demigrare in terras, atque interim angelicis Spiritibus mundi administrationem demandare. Natum illum esse non, nisi ex Maria, & Iosepho fabro lignario, cum eodemq; illud opificium exercuisse, in trigesimum

836 vsque ætatis annum. Docet præterea Christum non propria virtute diuina, sed virtute Omnipotētis surrexisse à mortuis; nec vllum fecisse miraculum alia, quàm Dei præpotentis operatione, atque efficacia, vt qui illum prę cęteris Prophętis pluribus auxerit donis,

837 & muneribus; atque ob vitam honestè, & ex virtute actam, tum demùm illum in Filiū adoptauerit, cùm à Ioanne in Iordane baptizaretur, idque hac voce cælitùs lapsa: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Atque ita Christum esse quidem Dei Filium, sed secundùm animam dumtaxat, eo quod hanc illi in cruce reddiderit, & commendarit.

838 Tertiò, Ridet ille Spiritum Sanctum, dicens, eum nihil esse aliud, quam columbā; asserens etiā nihil in Scripturis sacris, neque veteris, neque noui testamenti, de illius diuinitate haberi; neque constare, quid sit Spiritus Sanctus; potiùsque se velle redire ad Cęnobium, quam credere in Spiritum Sāctū.

839 Quartò, Non vult ille summis vehendam laudibus Dei genitricem esse Virginem perpetuam, sed priùs eam habuisse duos, aut tres filios, nihilque eam distare à reliquis fęminis; atque eam ob rem nullo neque alios Sanctos honore afficiendos, nullaque vel il-

840 lius, vel Diuorum festa celebranda. Præterea Dominico die operandum, Sabbato verè feriandum esse, quòd Sabbati dies in sacris literis epresse iussus sit coli; de Dominico autem nihil præscribatur, vel constitua-

841 tur Vt enim Lutherus docuit, nihil neq; recipi, neque obseruari oportere, nisi quod in Scripturis diuinis Deus ipse disertis verbis, vel præceperit, vel prohibuerit.

842 Quintò, Idem ille etiam sacrum reijcit Baptisma, appellans illud Satanicam institutionem, affirmansq; eos omnes, qui hoc tingantur lauacro, non nisi ad tartarum, & sępiternam damnationem baptizari: diuinitùs enim nón Baptismum, sed circumcisionem esse institutam.

843 Sextò, Quod ad sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum attinet, non potest ille deridēdo, ac irridiculosè illud tractando, & inde loquendo animum explere suum. At Iudæos Pascha, vel Agnum paschalē iam comedisse, si quid reliquum fuit, id igne concremasse. Ad extremum fatetur se idem sentire de hoc Sacramento, quod Melanchthon senserit; cum enim aliquando quosdam haberet, cōmunicantes, pauciores tamen, quàm putaret ipse, alios omnes accersiuit, his ad illos verbis vtens: Venite huc, non enim possum il-

844 lum deuorare solus. Porrò quod ad reliqua Sacramenta attinet, per omnia Lutherum suum agnoscit Præceptorē, à quo hanc

845 ipsam doctrinā acceperit. hæc Prateol. seu potius Staphylus, cum ab ipso ad verbum ille hauserit; cur ergo erubescam ipse ab vtroque accepisse? Atque hactenus pro præsenti Regula, & pro Sectis primæ classis Rigidorum Confessionistarum satis dictum.

Quid de secunda classe Mollium Confessionistarum? quanam peculiares Sectæ ad ipsam pertinent?

REGVLA CCC.

846 Contra rigiditatem nimiam præcedētium Confessionistarum exurrexerunt, alij multi Confessionistæ secundę classis, qui cum suo Antesignano Philippo Melanchthone media, ac suaui incedentes via, oppositis etiam Sectis quoquomodo se accomodant, & pacem cū eis quærunt, aut saltem, quòd sic procedant, exteriùs videri co-

847 nantur. Hinc Molles Confessionistæ communiter appellati; quales præcipue sunt Philosophi, seu Theologi illi Vvittembergenses, quibus adiugantur variæ sectæ Syncretizantium, Lutherocaluinianorum, Quadrisacramentalium, & alię sigillatim indicandæ.

---

848 Svb finem Regulę 288. proposito catalogo sectarum nostri temporis à Lutheranismo dimanantium, non solùm Staphylū insignem Scriptorem cum Prateol. cōstituimus precipuū auctorem illius celebris diuisionis Euāgelicorum, seu Confessionistarum huius sęculi in tres Classes; Rigidorū scilicet, Mollium, & Extrauagantium; sed vniuscuiusque etiam classis ex eodem Staphylo sufficientem ibi declarationem adie-

849 cimus. Vnde præter tunc dicta, & pauca nunc in pręsenti Regula à nobis addita, pro indicanda secunda Mollium Confessionistarum

rum

rum classe, nihil superest addendum; sed statim peculiares Sectę ad eam spectantes,cũ aliquali singularum expressione proponendę; quod facilius, & congruentius fiet, relatis quandoque verbis Prateoli, aut Gualterij, vel alterius, qui de illis tractent.

850 Secta Mollium Vvittembergensium iam satis declarata manet loco cit. dicti Catalogi, sed magis aliquantulum patebit ex declaratione Syncretizantium sectę, de qua Prat. in hoc verb. num 43. sic.

851 Sycretizantes, inquit, sunt ex secunda classe Confessionistarum, eorum nimirum, qui hoc nostro sęculo Ecclesiæ Catholicæ sincera, & vnanimi omnium orthodoxorum de fide confessione relicta, ei quæ Augustana

852 est adhærent. In qua sunt (vt supra in sectarijs ex Staphylo dictum est) Molles illi Philosophi, & Vittembergenses Theologi, qui volunt ἐπιεικοὶ & mansueti, hominesque præ cęteris cordatiores videri, & quoquomodo cum omnibus alijs Sectis pacem colere, sicut quondam Meletiani, & Rethorij. Sunt enim Sectarij huius nostræ tempestatis, plerique omnes seditiosi.

853 Syncretizantes itaque sunt (teste Staphylo, lib. de Lutheranorum inter se concordia) qui suadent omnibus alijs Sectis, vt simulent saltem interea domi pacem, quando veram concordiam inire non queant, vt more Cretensis populi, eò coniunctionibus armis suos communes hostes (Papistas nimirùm) inuadere possint, atque superare. Ita scribit, ac docet Melanchthon in suo contra Staphylum libro: ita Prat. nec aliud à nobis addendum.

854 Apparet autem clarè, quòd isti Molles Confessionistæ omnibus sectis etiam inter se oppositis, vt dictum, cum magna simulatione se accommodent, in secta Luthero-caluinianorum ad secundam Mollium Confessionistarum classem spectantium. Isti enim dogmata vtriusque sectæ, Lutheri, & Caluini, sui Zuinglij simul coniungere simulabãt, populisque suadebant esse tantùm Logomachiã, non de re controuersiam; atque ex tali simulata coniũctione sibi nomen Luthero-caluinianorum assumpserunt. Vide Prateolum verb. Luthero-caluiniani, num. 19. ex Staphylo.

855 Ex quo etiam idem Prateol. verb. Quadrisacramentales, num. 1. istorum sectam ad Molles Confessionistas refert, & explicat breuissimè, quod quatuor tantùm admitterent Sacramenta, Baptismum, Cęnam Domini, Absolutiouem, & Sacerdotium. (hinc Quadrisacramentales appellati) idque ex mente Philippi Melanchthonis in locis communibus; & quòd illa essent vsu recepta, maximè in Vittembergensi districtu.

856 Venio iam ad Sectas non tactas in Regula. Primo loco ad sectam Maioranorum Mollium Confessionistarum, à Georgio Maiore institutam: eius expressionem, si lubet, à Prateolo in hoc verb. num. 5. in hunc modum tradente audiamus.

857 Maiorani, seu Maioristæ, inquit, sunt Lutherani, seu Molles Confessionistæ, ad secundam Euangelicorum nostri temporis classem pertinentes, à Georgio Maiore dicti, qui (vt ait Stolzius) à Luthero è stercore erectus, horrendum in eius patria peperit monstrum, docens opera bona ad salutem esse necessaria etiam infantibus, vt est

858 in genealogia Lutheri. Isti nempè, teste Staphylo, negant vllum hominem (etiam infantes) iustum fieri posse, aut vnquam saluatum fuisse, absque bonis operibus præcedentibus. Ita Georgius Maior in multis

859 aduersus Illyricum scriptis. Hi porrò alia Lutheri loca promunt, quibus contra eundem Illyricum pugnant. Isti Lipsiæ regnant, & Vuittembergæ; quibus sese opponunt Ienenses, & Mansfeldenses. hæc ille.

860 Reponit Prateol. in supra adducto Catalogo Sectarum à Lutheranismo prodeuntium, inter Molles Confessionistas secundæ classis, quosdam hæreticos dictos Semiosiandrianos, de quorum Secta quid occurrat notandum, accipe à Gualter. cap. 32. sæcul. 16. de his Semiosiandrianis sic loquente.

861 Inditum est, inquit, hoc nomen Pseudotheologis Tubingensibus, eo quòd hinc quidem contra Osiandrum pro Antiosiandrianis pugnant, contendentes hominem imputatione iustum in hac vita appellari; illinc verò pro Osiandro decertant contra Antiosiandrianos, asserentes necesse esse, vt in futura vita homo realiter iustus fiat ea ipsa iustitia, qua Deus essentialiter iustus est. hæc Gualterius.

862 Dein adiungenda hic secta Trisacramentalium, de qua Prateol. in hoc verb. num. 25. sic: Trisacramentales sunt ex Mollium Confessionistarum nostri temporis factione, qui tria tantùm Sacramenta recipiunt (teste Staphylo lib. de Lutheranorum inter se concordia) Baptismum scilicet, Cęnam Domini, & Absolutionem. Ita in Lipsensi districtu est praxis. Hæc ille. hucusque Pra-

863 teol. qui in dicto Catalogo sub finem Regulæ 288. à nobis tradito, inter Molles Confessionistas ponit eos, qui vocantur Noui Pelagiani; sed in proprio loco Elenchi Alphabetici, adhibita diligentia inuenire non potui.

864 Tandem claudat Regulam Secta Pœnitentiariorum, circa quos hæc paucissima Gualter. cap. 108. sęcul. 16. De his, inquit, illud scio, fuisse eos de numero Mollium Confessionistarum, septemque errores crassissimos doctrinę de pœnitentia immiscuisse.

865 hęc ille: ac pari modo breuiter absque expressione dictorum errorum, Prat. ex Staphylo eadem de Pęnitentiarijs istis adducit.

De tertia classe Extrauagantium Confessionistarum quid? quo item sensu aliæ sectæ extrauagantes, vt Ioannis Vuestphali, a nobis huc reducuntur?

REGVLA CCCI.

866 Confessionistarum Extrauagantes in hac tertia classe comprehensi, licet se pro Lutheranis venditent, sub prætextu Confessionis Augustanæ, quam fingunt se admittere, ob auctoritatem Principum, ipsam admittentium; tamen reipsa, aut veri sunt Antilutherani, aut longius quam alij à Lutheri doctrina recedunt; de quibus iam alibi satis dictum, nec exemplis magis indi-867candum. Vnde opportunum mihi visum, aliquas extrauagantes hæreticorum sectas (sic à me dictæ, quod modo raro, & extrauaganti fuerint institutæ) quæ supersunt istius sec. 16. Lutheranismi, vel alterius professionis, huc reducere: præcipue nunc de ea à Ioanne Vuestphalo ex diuersis erroribus conflata: de alijs in Regulis sequentibus.

868 Esset equidem partim iam actum agere, partim conatus nostros frustra intendere, si diutius in exprimenda magis tertia Confessionistarum extrauagantium classe immorari vellemus. Vtrumque simul ita ostenditur, tum quia de qualitate ipsorũ in communi ex dictis in corpore huius Regu gulę, & alibi, maximè in fine Catalogi sectarum à Lutheranismo dimanantium, supra adducti, satis superq; innotescit: tum quia ex particularibus eorundem Confessionistarum extrauagantium sectis, quę adduci possent, & discuti, vel iam alibi discussæ sunt, vel nequaquam reperiuntur à me discutiendę. Nã 869 Prateol. circa hoc noster antesignanus, tametsi in dicto Catalogo aliqua Confessionistarum extrauagantium nomina proponat, postea tamen in Elencho ipsius alphabetico ab eo omittuntur, scilicet noui Pelagiani, noui Manichæi, & Marcionistæ Caluiniani.
870 Quare contenti traditis pro intelligentia tertiæ classis Extrauagantium Confessionistarum, opportunè gradum facimus ad reliquas seculi 16. sectas extrauagãtium hæresiarcharum, præsertim quoad modum, & occasionem fundandi eas: ab illa Ioann. Vuestphali initium sumamus,
871 De origine, & conditione huius pessimi hæresiarchę, audi Prateol. in isto verb. nu. 22. Ioannes, inquit, Vuestphalus, seu de Vuestphalia superiore, Germanus natione fuit, & professione doctor Theologus, diuersis in locis concionator insignis habitus, sed inte-872 rim Lutheri hæresi admodum infectus. Qui cum multos libros cõposuisset, ob varias hęreses in eis repertas, ex Inquisitorum hæreticæ prauitatis sententia, Moguntiæ exusti sũt tempore Caroli huius nominis V. Cæsaris Germani, & Clementis VII. Summi Romanorum Põtificis circa annum Domini 1533. hæc ille.
873 Constitutus in Iudicio iste Ioãnes Vuestphalus, proprio ore suos errores confessus est quos ex citato Prat. & ex Gualter. cap. 12. sic colligo.
874 I. Affirmabat, non reperiri expresse in scripturis sacris, quod Spiritus sanctus à Filio procedat.
875 II. Docebat, quod Ecclesia catholica possit errare, & iam errauerit, atque quod eius auctoritas, & certitudo non sit tanta, vt errare nequeat.
876 III. Quòd iste S. Athanasij versiculus ab eo in symbolo positus; *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus*, falsus sit, atque erroneus.
877 IV. Quod Concilia Generalia non sint congregata in Spiritu sancto asserebat.
878 V. Tenuit etiam, & docuit, quod non omnes teneantur Sacrorum Conciliorum sanctionibus obtemperare
879 VI. Quòd Summus Romanorum Pontifex etiam legitimè electus, non sit Vicarius Christi.
880 VII. Quòd Apostoli, & eorum successores Prælati Ecclesiæ, à Christo Domino auctoritatem, canones, seu leges condendi nullo modo habeant, tuebatur.
881 VIII. Defendit item, quod non liceat Prælatis, Euangelicæ legis tempore consilia per Christum data pro pręceptis statuere, quo iugum Christi amarum faciant, & onus Euangelij graue: hac quidem sententia damnans quascunque Religiones, & regulas per SS. Patres institutas, & à Sede Apostolica approbatas.
882 IX. Præterea dicebat, quod omnes Presbyteri, & Episcopi sint pares dignitate, & auctoritate; & quod vel potentia diuitiarũ, vel paupertatis humilitas, inferiorem, vel superiorem Episcopum faciat.
883 X. Dein, quod vnus Episcopus sit supra alios, & Papa supra omnes, non à Christo Domino, sed hominum electione constitutum esse.
884 XI. Quod nulli vnquam Christianorum, quantumuis doctissimo, licitum fuerit Christi verba interpretari: immò, quod nec Ecclesia vniuersalis vnquam id iure vllo potuerit.
885 XII. Affirmauit rursus, quod nullum sit peccatum originale, nec paruuli recenter nati, aut etiam concepti, illud contrahant; neque credendum esse S. Augustino illud admittenti.
886 XIII. Docuit item, quod nulla sit iusta causa, ob quam clericis lex continentiæ iniungatur.
887 XIV. Quod Christus Dñs nullum instituerit ieiunium Quadragesimale, nec ieiunio suo 40. dierũ ad sui exemplum inuitauerit; immò quòd nullus obligetur famem ob ieiunũ suf-

ferre, quia sic vitam minueret.

888 XV. Asseruit, quod aqua sacra, quam lustralem vocamus, non pluris sit virtutis, & efficaciç, quam alia quæuis, & communis aqua.

889 XVI. Penes tractatum, illum, quem de Indulgentijs Ecclesiæ inscripsit, reperitur asseruisse, quod thesaurus meritorum, & satisfactionum Christi, B. Virginis, & Sanctorum, non possit per Summum Pontificem distribui, eo quod indulgentiæ sint piæ fraudes fidelium; & alijs modis ab eo cum conuicio irridentur.

890 XVII. Tandem in concione diei Parasceues de Christi passione, post verba ista à se prolata, *& ibi crucifixerunt eum*, dictus Ioannes Vuesphalus addidit statim: *Quis autem scit, an funiculis ipsum alligauerunt cruci, an clauis affixerunt?*

891 Propositis sic prędictis erroribus, subiungit pauca Prat. in hunc modum: Hi ergo, inquit, sunt articuli (auctore Bernardo à Luxemburgo, sacrarum litterarum professore, Ordinis prædicatorij, in suo catalogo hereticorum) qui per fratrē Gerardum de Elthen Inquisitorē fidei, & Patrem Iacobum Sprenger doctores itidem sacræ paginę eiusdem Ordinis prædicatorij, Conuentus Coloniensis ex Ioannis de Vuesphalia libris excerpti sunt. Atque his præsens Regula absoluta.

De hæresiarchis Georgio Dauid, Ioanne Spangerbergo, & Carolo Molinæo, ac de eorum sectis qualiter deliberandum.

REGULA CCCII.

892 PRodijt circa annum Domini 1501. Georgius Dauid, homo prius infimæ sortis, & Gandaui in Flandria ortus, ac arte vilissimus; sed postea circiter ann. 1525. extrauaganti, & raro superbię tumore affectus, adeò se extulit, vt doctrinæ Apostolorum, imò & ipsius Christi suam pręferret, nepotemque Dei spiritu, non carne se esse, ac verum Messiam affirmaret. Ex quibus erroribus, & alijs indicandis sectam propriam

893 conflauit. Ioannes item Spangerbergus in Lutheranismo enutritus, librum edidit, ab eo inscriptum, Margarita Theologiæ, diuersis hæresibus infectum; ratione cuius, & famosus hęresiarcha, & auctor sectæ ex illis in-

894 stitutæ euasit. Carolus denique Molinæus ad eundem gradum hæresiarchæ ob errorem præter alios, contra virginitatem Sanctissimę Mariæ Deiparæ facilè peruenit.

895 AMans breuitatem Gualterius cap. 8. de Dauidgeorgianis, seu Dauidicis ex Georgio Dauide profectis, præter errores huius hæresiarchæ, quos compendiosè etiam adducit, vix quicquam de eo in communi tribus tantum lineis sic attingit.

896 Georgius, inquit, Dauid vitrarius, Gandaui in Flandria anno 1501. ex circulatore natus, hæresim suam disseminare cœpit anno 1525. ita ille.

897 Prateol. vero in duplici loco aliquanto fusius de eodem tractat, nempe verb. Dauidici, seu Dauid-georgiani num. 3. & verb. Georgius Dauid num. 10. ex isto loco hac pauca accipe: Georgius Dauid, inquit, seu Dauid Georgius, cuius supra historiam descripsimus, in Frisia nouus propheta emersit anno Domini 1525. sub Carolo V. Imperatore Germano, & Clemente VII. Pontifice maximo. hęc ibi.

898 Verum plura, seu tactam eius historiam ex priori loco sumamus. Hic, inquit, auctore Lindano dialog. 2. sui Dubitantij, vitrarius Gandaui in Flandria anno 1501. matre Delphensi, Patre vero Amersfordiensi errone histrionicam agente natus (vt ex actis publicis Delphensibus liquet) mulierculas aliquot peccatis onustas vbi reperisset, se se tertium Dauidem verumque Messiam illis persuasit; quę se putabant beatissimas, si relictis maritis, ex promisso ipsius, quod nugabatur, semine conciperent.

899 Post pauca item sic: Ad hæc homo satanica superbia arrogantissimus, docere audebat, omnem doctrinam hactenus à Deo per Moysen, Prophetas, Christum, & Apostolos traditam, fuisse imperfectam, & ad consequendam salutem inutilem; (vt ait Bullinger. lib. 2. cap. 14.) suam vero perfectam esse: se enim esse dilectum Dei filium, non ex carne, sed spiritu natum, in quem spiritus plene effusus: se esse illum verè cœlestē Christum è Spiritu sancto natum, qui peccata vere condonet, aut reseruet; qui deniq. iudicatus sit vltimo illo die. O blasphemias

900 Diaboli mancipio dignas. hæc Prateol. & alia ex Lindano citato, & ex Hosio lib. 1. de hæres. nostri temporis, ad idem tendentia, nempe ad declarandum, fuisse magum, & deceptum à Dæmone: quæ lectori apud dictos auctores videnda relinquo, vt euitata prolixitate, ad enarrandos huius hæresiarchę Georgij Dauidis errores distinctis numeris accedamus.

901 Primò, vt dictum, se Dei filium, aut nepotem esse iactabat, ex spiritu, non ex carne natum, verum Messiam, & tertium Dauidem, qui regnaturus esset in terra; ac quòd, vt addit Prateol. cum feris, & auibus quacumque lingua colloqueretur, ab ijs victum accipiens.

902 Secundò, asserebat cœlum esse prorsus vacuum, ideoque se missum, vt in Regni cælestis hęredes filios adoptaret.

903 Tertiò, Non admittebat resurrectionem mortuorum, nec postremum iudicium, neq. spiritus aliquos esse, siue bonos, siue malos & cum Sadducæis vitam æternam negabat.

904 Quartò, Reijciebat matrim. cum Bohemis &

& Adamitis, affirmans omnes mulieres esse communes omnibus viris.

905 Quintò, Tenebat cum Manichæis, & Epicureis, animam peccatis nequaquam inquinari, sed tantum corpus.

906 Sextò, Tuebatur quoque, quòd Infideliũ animæ, æquè ac fidelium, sint æternam salutem consequuturæ; & è contra, quod Apostolorum corpora, non minus inferorum flammis sint cremanda, ac infidelium quorumcunque.

907 Septimò, Dicebat tandem stultum esse peccati accusare, si quis coram hominibus negaret Christum Dominum: atque hinc insanos Apostolos, ac Martyres vocabat, quod suo sanguine fidem hanc sanciuissent. Hucusque de erroribus Georgij Dauid, quem Basileæ obijsse anno 1556. addit ibidẽ Gualter. Circa hunc hæresiarcham vide Sander. hæres. 201. & Genebrardum in Iulio III. & in Paulo IV.

908 De libro autem per hæresiarcham Ioannem Spangerbergum edito, & Margarita Theologica inscripto, nihil penitus Gualter. sed tantum in communi, cap. 17 secul. 16. de ipso Ioann. Spangerbergo hęc pauca verba profert, Surculus, inquit, est Lutheranismi, qui anno 1536. in lucem prodijt: ex tribus potissimum articulis fides eius constabat. ita ille.

909 Concordat in numero Prat. verb. Ioann. Spangerbergus, num. 19. & dictæ Margaritæ mentionem faciens, rem totam extensius proponit sic. Ioannes, inquit, Spangerbergus ex Lutheranorum familia fuit, emersitque Caroli V. Imperatoris Germani, & Pauli III. Rom. Pont. temporibus, circa an-
910 num Domini 1536. Hic libro quodam à se edito, quem Margaritam Theologiæ inscripsit, asserit nihil esse bonum, ac Deo gratum, nisi quod ab illo mandatum, atque præceptum est. hæc ille, & plura, quæ exprimendo dictos tres articulos attingentur.

911 Primò itaque errauit Ioannes Spangerbergus dicens, nihil interesse discriminis inter mandata, & consilia. Ita ipse in tit. de consil. de paupertate verba faciens, vide ibi.

912 Secundò Errauit, docens, quod bona opera neque meritoria, neque ad vitam æternam consequendam necessaria sint. De hoc ille agit in eadem Margarita Theologica, seu lib. cit. tit. de bonis operib. vbi sic ait. Nequaquam sentiendnm, quod propter dignitatem, & munditiam bonorum operum, detur vita ęterna; sed est beneficium gratuitũ, & datur per misericordiam propter Christũ. hęc ibi, & alia.

913 Tertiò, Errauit asserens, quod nemo possit iustificari, nisi se esse iustificatum crediderit; quod illa, nempè fides ei desit, quam tenebat dictus Ioannes esse partem pœnitentię. Ita in eadem Margarita, tit. de pœnit. vbi primò dicit duas esse pœnitentię partes,
914 videlicet contritionem, & fidem. Deinde quærens, quid sit fides pœnitentiæ pars? respondet sic: Est fiducia, qua credit vnusquisque sibi remitti peccata propter Christũ gratis, atque ista satis.

915 Tandem, quid circa Carolum Molinæũ? contenti simus ijs, quæ de eo cum Sandero hæres. 219. affert Gualter. cap. 20. secul. 16. in hunc modum.

916 Si Carolus, inquit, Molinæus suæ Iurisperitię tractatione contentus fuisset, haud quaquam hic inscribendus esset. Verum cum inter alios errores dicere ausus sit, à nascente Iesu Christo reseratum esse matris vterum, non potui, quin Iouinianistam illum
917 proclamarem. Quo errore licet, Caluinismo affinem se prębuerit, vt planum est ex cap. 15. errore 30. librum tamen pro defensione sua scripsit contra Caluinistas, Simonis Calludri nomine laruatum; vbi Catechismum Geneuensem Senatusconsulto Bernen-
918 si reiectum fuisse testatur. ita ille. De tali Cathechismi reiectione legendus est Genebrard. in Iulio III.

Quid de Michaele Serueto hæresiarcha? Quid de perniciosissima Seruetianorum secta ab illo instituta?

REGVLA CCCIII.

919 Michael Seruetus natione Hispanus, discipulus Lutheri, & collega Caluini, adeo in cogitationibus suis euanuit, vt missum se à Deo vnicum totius orbis prophetam iactitaret. Hic, cùm Alchorani deliramentis imbutus esset, transformare instititit in Mahomethismum Religionem Christianam, hancque destruere multis erroribus, ex quibus Seruetianorum secta confla-
920 ta dimanauit; Quę magnam perniciem Ecclesiæ Catholicæ attulit, & multò maiora attulisset, nisi flamma auctorem ipsius, instante Caluino, citò deuorasset.

921 Tractant de hæresiarcha Michaele Serueto, & de sequacibus eius Seruetianis, cum Lindano Dubitantij sui dialog. 2. & cum Hosio lib. 1. de hæres. nostri temporis, Prateol. in suo Elencho, verb. seruetiani, num. 30. & post eum cum Sandero hę-
922 res. 227. ac Florem. lib. 2. cap. 15 num. 5. Gualterius cap. 18. secul. 16. Qui in diuersis conueniunt. Primo, quod Seruetus fuerit Hispanus (& si neuter eorum exprimat ex quo loco, vel prouincia) & quod statim ante anni 25. ætatem iactaret, missum se à Deo vnicum vniuersi terrarum orbis prophetam; & quod item in Africam proficiscens, doctrinæ ibi Alchorani diligenter operam dederit, librosque postea ediderit, per quos Religionem Christianam in Mahomethismum transformare conatus sit.

923 Differunt verò circa eius errores; nam Prat.

Prateol. ex Lindano citat. eos fuisse 38. affirmat, hosque refutari per Confessionem Mãsfeldensem; atque ex eis ipse Prateol. tantum exprimit quinque videlicet.

924 I. Errauit Michael Seruetus, quod in Deo vnam tantum personam reperiri more Sabellianorum crediderit.

925 II. Quod pernegarit, Spiritum sanctum esse tertiam personam diuinam; id autem ex præcedenti errore manifestè sequitur.

926 III. Quod cum Enthichetianis pertinaciter inficiaretur in Christo Domino ex Virgine nato duas coniungi naturas.

927 IV. Errauit, quod de peccato, & iustificatione, non nisi philosophicè, ac pharisaicè loquutus fuerit.

928 V. Quod infantium baptismum detestatus sit; quem ad annum vsque 30. differri debere affirmauit.

929 Hos autem quinque errores etiam admittit Gualter & adiungit sextum (de quo nihil Prateol.) cum Gregorio de Valentia 1. par. disp. 1. quæst. 4. pun. 1. fin. nempe, quod Seruetus creatorem cum creatura ita confunderet, vt teneret, Deum in lapide esse vere & propriè lapidem, in trunco esse verè ac proprie truncum, &c.

930 Quod Seruetus fuerit collega Caluini, & quod ad instantiam huius vltimum mortis supplicium subierit, propter dictos errores, accipe à Prateol. proprijs ipsius verbis. Seruetiani, inquit, à Michaele Serueto Hispano quondam Caluini, & Farelli collega dicuntur. & post pauca.

931 Porrò Caluinus cum ministris Geneuensibus, quando eum igni cremandum (licet supplex gladium flagitaret, ac misericordiam, teste Caluino, ingenti precaretur boatu) tradebant propositiones impias 38. & in Deum blasphemas collegerunt. Confessio quoque Mansfeldensis eius errores refutat, quos hic rememorare non est locus. hæc Prateolus, seu potius Lindanus.

932 Ab eodem Prateo. ex Hosio citato audi plura huc spectantia. Cæterum, inquit, exorti sunt demum è Schola Lutheri Ioannes Campanus, & ex Hispanijs Michael Seruetus, qui libros aliquot de Trinitate plenos erroribus, & blasphemijs ediderunt, In ijs nunc tandem veteres Arrij, & Macedonij errores in lucem reuocare, fidemq. quam in Niceno, & Cõstantinopolitano primo Concilijs Patres congregati nobis tradiderunt, labefactare conantur. Solum enim Deum Patrem, & neminem alium adorari, & inuocari debere contendunt, quòd ille solus videt corda nostra, quod nulla creatura facere potest. & infra.

933

934 Longe tamen, lateque sparsa sunt hæc Seruetica contagia; quæ cùm impietate superare cæteras hæreses videantur, nulla tamen est ex omnibus nostri temporis hæresibus, quæ sit hac scripturarum armis instructior; nihil enim crepat aliud, nisi scri-

935 ptura, Euangelium, Euangelium. Ac vide quę fuerit hominis istius confidentia; quamuis Caluini scriptis fuerit hic error ipsius oppugnatus, ausus est tamen proficisci Geneuam, & cum eo sermonem conferre. Tandem post multam, & acerbam disputationem, cum dogma suum pertinaciter tueretur, capitis est damnatus. Quod vrgente Caluino factum esse, dubium non est, qui mox librum etiam edidit, quo doctrinam eius explicat, & rem omnem, quemadmodum acta sit, describit, simulque in hæreticos rectè gladio vindicari docet. hæc Hosius. Hucusque cum ipso Prateolus, & nos cum isto; nec aliud superest addendum circa hunc heresiarcham Michaelem Seruetum.

936

De heresiarcha Guillelmo Postello quid dicendum? qualisnam eius progressus, & finis?

REGVLA CCCIV.

937 PRodijt circa annum Domini 1550. Guillelmus Postellus, in omnium ferè linguarum, ac disciplinarum professione adeò excellens, vt miraculosè ei infusę videantur. Vnde priusquã mentẽ suã hæresibus infectam indicaret, iudicatus idoneus ad ministeria Religionis nostrę, in eã fuit admissus à S. Patre Ignatio; qui subodoratus quod intus in corde latebat, quam primum ab ea illum dimisit, nostrisque alloquium, & vsum cum eo prohibuit. At non tardauit Postellus, quæ cum Rabbinis, & Talmudistis somniauerat, propalare, non solum fidei catholicæ opposita, sed pijs etiam auribus indigna, ob quæ celebris heresiarcha habitus. Verum in ætate valdè senili in se reuersus, Parisijs dicitur catholicus obijsse.

938

939

940

941 DE isto hæresiarcha Guillelmo Postello, ac de sequacibus eius Postellianis, Prat. in hoc verb. num. 31. sic ait: Postelliani à Guillelmo Postello Barentonio ducũt originem. Hic (auctore Lindano, Dubitantij sui dialog. 2.) disciplinarum, linguarumq; propè omnium exoticarum ad miraculum vsque doctissimus, immanes ex Rabminorum, & Talmudistarum somnijs inuexit nęnias, quas adeò tetras, & abominabiles censet Petrus Palladius in catalogo hereseon, vt pijs eas reuelare indignum sit, anno Domini 1550. hæc ille.

942

943

944 Gualterius verò eadem ab eo ad verbum desumpta affert; Sed benè de illo, antequam suas hæreses proderet, qualiter nostram Societatem Iesu ingressus, & ab ea dimissus, tradit his verbis.

945 De hoc autē Nicolaus Orlandinus lib. 5. Historiæ Societatis Iesu, num. 3. hæc habet. Erat Gallus quidā egregiè literatus, ac doctus, mathematicis præsertim literis, ac varietate linguarum, Guillelmus Postellus, qui non exigua in speciem etiam pietatis documenta præbens, ad Tyrocinium admissus est. Sed breui deprehendit Ignatius hominem, non prophetico, vt ille opinabatur, afflatum spiritu, sed planè spiritu erroris in-946 flatum. Itaque nullam contumacis doctrinæ, quę cum sapientia vera pugnaret, rationem ducendam ratus, maturè à Societate mathematicum ita secreuit, vt vsu colloquioque eius vniuersos socios interdiceret. hęc ille ex Historia Societatis Iesu. Verum iam in particulari errores ipsius exprimamus.

947 I. Dicto anno 1550. de Trinitate mundi, corporis, & animarum; de Veneta Virgine; de Christo intoxicato, de matrice mundi infanda in mundum euomuit Postellus.

948 II. Idem scripsit Clauem absconditorū à seculo; vbi se profitetur declaraturum, quę nec Apostoli, nec ipsa, inquit, Ecclesia potuit ad hanc diem portare.

949 III. In Elia Pandochæo, vniuersas omnis generis hominum sectas per Christum Dominum saluandas somniat.

950 IV. Scripsit & de Natiuitate Mediatoris vltima nunc futura; cuius operis auctorem disertè in libri titulo scribit Spiritum Christi. Imò in fine pręfationis ait, hęc scripta non esse sua, sed Christi, inquit, sensibiliter in nobis suum Euangelium exponentis.

951 V. Iactat quoque Angelum Raziel varia sibi mysteria reuelasse, Huius autē præcursorem fuisse SuuenKfeldium ait in libro citato Petrus Palladius in Catalogo hæreseon.

952 VI. In sua Panthenosia docet sex esse Sacramenta, vt refert Lindanus in Tabulis analyticis, & ex eo Card. Bellarm. lib. 2. de Sacramen. in genere cap. 23. hucusque de erroribus Postelli cum citatis Prateol. & Gualterio.

953 De obitu tandem eiusdem Postelli ad fidem catholicam iam reuersi, sic idem Gualterius. Huius etiam, inquit, catholici obitus Postelli meminit Bellarm. loc. cit. Meminit & temporis Marquisius in append. ad Genebrard. anno 1581. cùm scribit Postellū centenario maiorem, & multarum linguarū peritum obijsse Lutetiæ die 7. Septembris, vbi 954 & ipse anno 1578. docentem audiui, tanto auditorum quasi ad rediuiuum, & inusitatæ ętatis doctorem accurrentium numero, tantaq; ingenij, doctrinæ multiplicis, ac memoriæ demonstratione, vt vix credi possit, dixeritque aliquando vir acri iudicio Mal-955 donatus illum alloquutus, mirari se talem in mundo virum existere, cuius vtique quot verba, tot essent apophthegmata. Vide de eo Florem. lib. 2. c. 15. n. 5. hæc Gualt. quibus, & præcedentibus satis dictum de illo.

Qualiter decidendum circa sectam Deistarum, (seù Trinitariorum? qualiter circa) oppositam?

REGVLA CCCV.

956 Apud Polonos anno Domini 1564. emerserunt hæretici isti Deistæ, siue Trinitarij, vocati etiam noui Arriani, eo quod errorem pręcipuum Arrij secuti, Sanctissimæ Trinitati, nomine, & re ipsa eam è me-957 dio tollentes, bellum inferrent. Huius sectæ à Lutheranismo deriuatæ, & ex pluribus erroribus præter dictum Arrianismi exprimendis institutæ, quidam Gregorius Paulus Minister Cracouiensis se caput esse profitetur, qui admodum arroganter vnà cum suis sequacibus gloriabatur, quod sibi, & ipsis plura, quam Luthero, & alijs à Deo da-958 ta essent. Contra prædictos verò Deistas prodierunt alij ex Caluinismo ministri, appellati Antitrinitarij, qui dū se Arrianismo, impugnando Trinitarios, opponunt, in oppositum Sabellianismi extremum prolabuntur.

959 Dvobus in locis de secta Deistarum agit Prateol. nempè verb Deistæ, nu. 5. & verb. Trinitarij, nu. 24. addens in isto, quæ in illo omisit: audiamus eum in priori sic loquentem.

960 Deistæ, inquit, qui & Trinitarij, seu Arriani noui, in Polonia nuper, hoc est anno Domini 1564. ex Lutherana secta exorti sūt & in Galliam penetrantes, hoc anno, idest, 1566. apud Lugdunū suas execrandas disse-961 minauerunt hæreses. Horum caput (teste Ioanne Vuigudo, qui his proximis diebus contra eos doctissimum libellum edidit, quē de Deo contra Arrianos nouos nuper in Polonia exortos, inscripsit) & ducem se se profitetur quidam Gregorius Paulus Minister Cracouiensis. Hi effræni maledicentia, vindictæ cupiditate, crassa, & affectata propemodum inscitia armati (vt ille inquit) edita monstruosa tabula, Turri Babel, ex putrida ambitione veluti scarabei ex asinis mortuis pullularunt: adeò quidem acres in sua pertinacia, vt Luthero vix minimam partem reuelationis, & demonstrationis Antichristi reliquerint, nempe superioris tantum tecti in ędificio Antichristiano denu-962 dationem. Imò sibimetipsis isti spiritus arrogant Antichristi excisionem, & extirpationem ab imis vsque fundamentis. Gloriātur sibi longè plura à Deo esse data, quam 963 Luthero, aut alijs. In hęresi verò tradenda, tam sunt intricati, obscuri, variabiles, vt magna attentione adhibita, diuinare vix queas, quid nam asseuerare conentur. In blasphemijs porrò effutiendis planè effrontes sunt. Maledicta quoque adeò cumulatè, & liuidè effundunt, vt existimes eos meris

ris viperinis linguis pungere. hæc Prat.

964 Ex quibus satis innotescit in communi de malitia, & peruersitate istorum hæreticorum Deistarum: In particulari verò qualiter amplexi fuerint Arrianismum: posteriori in loco, verb. Trinitarij declarat idem Prateolus sic.

965 Trinitarij sunt, (inquit Lindanus Dubitantij sui dialog. 2.) qui sacrosanctam ore blasphemo violant Trinitatem. & infra sic. Hi à plerisque Deistæ, ab alijs noui Arriani: de quibus idem Lindanus eodem lib. & dial.

966 loquitur in hunc modum. Iam ante annos 1324. in Concilio Niceno à trecentis octodecim Patribus Arrianismum damnatũ, per Lutheri Euangelium fuisse renouatum, eius testantur discipuli. Cum enim modicum teneret ipse de Homousio (inquit lib. contra Latomum) & Trinitatis vox Germanica non ei placeret, Ludouicus Herserus sacrosanctam Trinitatem abolere est aggessus omnem prorsus negans Personarum distinctionem. hæc ille.

967 Prosequitur deindo ostendere magis in particulari, qualiter multi ex famosis hæresiarchis nostri temporis Arrianizantes fuerint, præcipuè Caluinus, vt patet ex synodo sua Lausanensi anno 1537. habita; quem etiã Trinitatis vox offendebat, eo quod Ciceroni est insueta: Vide apud ipsum Prateolum. Nos iam errores Deistarum referamus.

968 I. Errarunt affirmantes Patrem, Filiũ, & Spiritum sanctum esse tres; nolunt tamen admittere esse tres personas.

969 II. Asserentes vnam esse naturã seu Deitatem tribus illis communem, sed non esse vnam essentiam.

970 III. Defendentes vnum esse Deum, tamen solum Patrem esse verum Deum: Filiũ verò, & Spiritum sanctum non esse illum verum Deum.

971 IV. Hinc posteà nascuntur ipsis Deistis aliæ quædam locutiones; nam etsi fatentur Filium Dei esse Deum ex Deo genitum, tamen nusquam dicunt vnicũ Deum illum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: & Spiritum sanctum quidem nusquam Deum nominant.

972 V. Tenent, quod diuina essentia neque ab Angelis, neque ab hominibus videatur, & quod nunquam sit videnda.

973 VI. Docent, Angelum malum à puncto suæ creationis malum fuisse, neque vnquam nisi malum extitisse.

974 VII. Quod Diabolus nunquam habuit vndè posset stare, neque etiam Adamum parentem nostrum, in statu innocentiæ.

975 VIII. Asserebant, quod intellectus humanus sit æternus, quia eius causa est immutabilis, & quia est expers materiæ, qua possit à potentia ad actum transire.

976 IX. Quod liberum arbitrium sit potentia passiua, non autem actiua, & quod necessario moueatur ab appetitu.

977 X. Tenent, quod natura, quæ est principium motus in corporibus cælestibus sit ab intelligentia mouente.

978 XI. Quod omnes, qui peccata committunt, suam conforment voluntatem ad voluntatem diuinam, adeò, vt talis sit eorum voluntas, qualem Deus esse vult.

979 XII. Affirmabant, quod homo habens vsum liberi arbitrij, si tentationis vi in alienę vxoris commixtionem incidat, non est adulterij reus; atque idem de alijs tentationibus, & peccatis.

980 XIII. Quod Deus sit causa omniũ modorum, & circumstantiarum actionis: quod perindè est ac si absolutè facerent Deum omnium auctorem peccatorum.

981 XIV. Quod non debeat credi, nisi id, quod per se notum est, vel quod ex per se certis possit declarari.

982 XV. Affirmabat, quod non contingit corpus corruptum redire idem numero, nec idem numero resurgere.

983 XVI. Nimis inhumani, & impij in corpora mortua, docebant non esse curandum de sepultura.

984 XVII. Quod anima, quæ est hominis, vt homo est, forma, vnà cum corpore corrumpatur.

685 XVIII. Animam morte hominis à corpore separatam non pati ignem corporeum aiebant.

986 XIX. Errabant, dicentes, Deum cum sit spiritus, non esse verbo inuocandum, & adorandum, sed tantum corde.

987 En errores Deistarum, seu Trinitariorũ collectos ex Prateolo vtrobique citato, & ex Gualter. cap. 41. secul. 16. qui citat Sanderum hæres. 228. & Florem. lib. 2. cap. 15. num. 5.

988 Circa alteram verò sectam Antitrinitariorum, siue Antotheanorum, (qui etiam noui Sabelliani dicuntur) præcedenti omninò contrariam, pauca admodum reperio apud solos Genebrard. in Pio IV. & Gualt. eiusdem seculi 16. cap. 42 de Antitrinitarijs, siue Antotheanis, aut nouis Sabellianis, vbi istos sic exprimit.

989 Hoc nomine appellati sunt quidam Ministri Caluinistæ, qui Trinitarios impugnare cupientes, non potuerunt cum Arrianismo bellum gerere, quin se in extremum oppositum Sabellianismi præcipites agerent. de quo relegenda sunt, quæ in 3. seculo diximus. hæc Gualter. Genebrardus verò inter dictos ministros Trinitariorum impugnatores ipsum Caluinum reponit: audiamus quæso eius verba.

990 In Polonia, inquit, contra Gregorius Paulus, Cazanouius, & alij, tres esse Deos, symbolum Athanasij esse Sathanisij, &c. Quibus dum Caluinus, & eiusdem metalli ministri se opponunt, Antotheani, & Antitrinitarij, siue Sabelliani euadũt, & doctrinam de Deo vno & trino sceleratis modis

991 conspurcant. Quas blasphemias etiã hodie perpetuant. *Vide nostros libros de Trinit. & contra Schechium.* ita Genebrard. seipsum citans: atq; hæc satis pro præsenti Regula.

De

De Secta Valentinistarum quid dicendum? Quid de alia non dissimili Effrontium? Quid item de Iusto Iona?

REGVLA CCCVI.

992 ANte prædictos Deistas idem bellum excitarunt hæretici Valentinistæ cõtra Sacrosanctam Trinitatem, acriter eam oppugnantes. Eorum Antesignanus censetur Ioannes Valentinus Gentilis Neapolita-993 nus: Qui Geneuæ in schola Caluini tales progressus fecit, vt statim sectam peculiarem ex aliquibus articulis erroneis indicandis constauerit, cõmilitonesque insignes, præcipue Paulum Alciatum, ad dictã oppugna-994 tionem sibi asciuerit. Secta autem Effrontium solum contra tertiam Personam Spiritus Sancti arma sumpsit, eam omninò tollens. Quisnam verò illius primus institutor fuerit, à nullo, quod sciam, scriptorum 995 indicatur. Tandem Iustus Ionas propterea tãtum inter hæresiarchas numeratur, quod se taliter nominari curarit.

---

996 PRateolus in suo Elencho, verb. Valentinistæ, num. 6. dicta à Nobis in corpore Regulæ paululum sic extendit. Valentinistę, inquit, auctore Lindano, Dubitantij sui Dialog. 2. à Ioanne Valentino Gentili Neapolitano Pędagogo sunt dicti: spectant autem ad tertiam nostræ tempestatis Euan-997 gelicorum classem. Prodierunt enim ex impia illa Caluini schola, quæ Sacrosanctam oppugnat Trinitatem. Tales namque complures (ait idem Lindanus) habuit Ecclesia Italica Geneuę, quorum duces facit libellus Geneuæ editus de actis, & impietate ipsius Valentini Gentilis, Ioannem Paulum Alciatum, & Gribaldum, cuius histrionem ait esse Valentinum illum. Hęc Prateolus.

998 Compendiosius de hac secta Gualterius cap. 11. sęcul. 16. sic. Ioannes, inquit, Valentinus Gẽtilis Neapolitanus fuga Geneuã petens, multiplicem ex Caluini schola impietatem hausit, licet postea Caluinus opusculum integrum in eum, quem in Antichristo genuerat, conscripsit. Hęc ille; ex quo, & ex citato Prateol. errores dicti Valentini iam à nobis exprimendi.

999 Primò, Hic pestifer homo docebat, falli eos, qui tres Personas in vna Dei essentia statuunt; nam comminiscitur essentiam Dei solo in Patre esse: vnde conclusio eius erat, non nisi Patrem esse verum Deum, ac Filio nomen Dei non, nisi precario conuenire, eo quod sit essentiatus à Patre, quem ille essentiatorem fingit.

1000 Secũdò, Vocabat Sophisticum S. Athanasij Symbolum, eo quod in eo (ita magnum illum Doctorem Valentinus calumniabatur) quartum Deum introducat, atque ob hanc causam eundem S. Athanasium appellabat præstigiatorem, & sacrilegum, Christum ab eo dilacerari causatus.

1001 Tertiò, Asserebat (quod ex præcedentibus sequitur) Filium à Patre differre numero substantiali, hoc est, substantialiter esse alium à Patre, seu duas in eis distinctas assignari substantias.

1002 Quartò, Ad confirmandas suas blasphemias, Mahometis Alchoranum cum veteri, ac nouo Testamento commiscebat. Et vero Paulus Alciatus (vt refert Genebrard. in Pio Quarto) vnus ex eius commilitonibus vnumque ex præcipuis Italicæ Caluinianorum Ecclesiæ in Vrbe Geneuensi constitutæ columinibus, ex Caluinista Mahometanus factus est anno 1652.

1003 Quintò, Ita per profanas vocum nouitates, & falso nominatæ scientiæ oppositiones, impij Valentinistę suum produnt spiritũ quo transuersum acti, in suis consistere nequeunt vel erroribus constantes. Hactenùs de secta Valentinistarum, nec aliud circa eam addendum occurrit.

1004 De secta item Effrontium nihil inuenio apud Prateolum: paucissima apud Gualter. cap. 16. de Effrontibus, nempe. Ita post Erasmum, inquit, epist. non soli ad Lutherum nominat quosdã errantes Florimundus Raymund lib. 2. de orig. hæres. cap. 16. nu. 5. qui anno 1534 sectam suam ex tribus speciatim erroribus coagmentarunt. Ita ille: errores sunt isti.

1005 I Affirmabant, quod sit idololatria adorare Spiritum sanctum; quandoquidem (dicebant) nihil hac de re in Scriptura sacra.

1006 II. Tenebant, Spiritum sanctum esse tantum eleuationem quandam, aut motionem, quæ in anima à Deo inspirata persentitur. En qualiter Spiritus sanctus duplici dicto errore ab hæreticis Effrontibus impugnatur.

1007 III. Abradebant ferro sibi frõtem, donec indè sanguis emanaret, ac postea oleum apponentes, se Christianos absque vlla alia baptismi forma pronunciabant. Atque ex dicta actione abradendi frontem, appellati sunt Effrontes. Primus autem eorum institutor prorsus ignoratur.

1008 Postremò, circa Iustum Ionam breuissimè me expedio cum Gualter. cap. 27. sec 16. ex Genebrardo in Iulio III. & Surio in histo. sic dicente.

1009 Ionas hic, inquit, fuit coquus Lutheri, seque Iustum Ionam vocandum curauit anno circiter 1550. non secus atque Osiander se ipse secundum Henoch vocitabat. Mihi non cõstat, sitnè ille idem Ludimagister Ionas, quem in columna 12. dixi Annonęi hęresim circiter annum 1531. disseminasse. Hęc tantum Gualter. quibus præsens Regula expeditur.

Qua-

Qualiter decidendum de hæreticis quibusdam Augustinianis? qualiter de quodam Pseudopropheta Peruano?

REGVLA CCCVII.

1010 NOn à S. Augustino hoc illis nomen obtigit, verùm à Sacramentario quodam Augustino dicto, qui inter alia mendacia, & blasphemias, cęlum nondum esse apertum effutiebat, illudque hominibus vsque ad vltimum diem clausum futurum.

1011 Prodijt item in Regno Peruano Americæ homo quidam summę monstruositatis; quippe cùm ratione status insignis Religionis, in qua erat, & ratione famosissimæ professionis in doctrina Theologica adeo excelleret, vt illic ab omnibus pro oraculo haberetur.

1012 Postea cuiusdam fęminæ diabolica extasi mundo illudentis nimię familiaritati addictus, eousque ab ea dementatus est, vt sibi suaderet gratia miraculorum, & prophetiæ se prędıtum esse, diuinasque reuelationes ab Angelo frequenter accipere, atque maiora

1013 dona à Deo sibi oblata affirmaret. Sed repertus tandem Pseudopropheta, & à Dæmone illusus, grauissimisque erroribus contra Fidem plusquam 110. irretitus, in quibus cum per quinquennium omnino pertinax in S. Officio permansisset, vltimo supplicio dãnatus fuit, & vt impęnitens viuus combustus.

1014 PRęter dicta in corpore Regulæ de secta Augustinianorum, quæ, vt iacẽt, desumpta sunt à nobis ex Gualter. cap. 73. sęcul. 16. & ab isto pari modo ex Prateolo verb. Augustiniani, num. 80. ac ex Florim. lib. 2. de orig. hęref. cap. 15. num. 1. nihil addendum occurrit, cum ex ipsis declarata suf-

1015 ficienter maneat. Apposui autem etiam hic, quia, vt ingenuè fatear, in proprio loco, quando de Sacramentarijs sermo nobis erat inaduertenter ipsam prętermisi: quod fortè de alijs similiter factum, nec mirum in infinita penè sectarum hęreseon multitudine: si quę occurrerit ex prętermissis, capite sequẽti attingetur.

1016 Nunc iam pręsens 18 in quo sectę hæresiarcharum seculi 16. indicatę sunt, claudamus magis expresso casu Pseudoprophetę Peruani. Ex narratione eius, quam adducit R. P. Iosephus à Costa Societ. Nostrę Theologus excellentissimus lib. 2. de Nouissimis, cap. 11. colligit Gualter. cap. 110. articul. 7. erroneos: videas apud ipsum, si lubet.

1017 Quamuis item pro completa declaratione ipse Gualterius plura addat ex eadem narratione desumens; cùm tamen res tota sine dubio maiorem fidem, & lucem sit habitura, si secundùm quod dictus P. à Costa eam narrat, eisdem ipsius verbis hic exprimatur, non grauabor id exequi: tu quæso ne graueris audire, aliquanto diutiùs pręter solitum: en incipio.

De quodam insanissima superbia exemplo, digressio. Cap. XI.

1018 MIhi verò hęc identidem cogitanti, vehementer subit humanę infelicitatis profundum admirari. Quis enim talia, nisi ab homine penitus insano, imo ne ab insano quidem dici, perpetrarique posse credat? Et tamen sunt verissima, & serio ab homine mortali meditanda, atque agenda. Nulla re capitur humana mens, neque faciliùs, neque potentiùs, quàm superbia. Nulla vis est veneni, nulla meri copiosi, nulla febris phrenetica, quę sic statũ mentis euertat, nulla medicatissima potio ita in furorẽ rapiat, vt animo semel humano imbibita su-

1019 perbia. Et quę per furorem superbię loquimur, cogitamus, agimus, ea sani humilitate admiramur, atque erubescimus. Vbi enim humilitas, ibi sapientia, Prouer. 11. Vbi superbia, ibi protinùs contumelia. Quò minus verò miremur Antichristi tantã elationem, referam cuiusdam eius certi discipuli eodem morbo, idest, superbia laborãtis non fictam fabulam.

1020 Fuit in hoc ipso Peruẽsi Regno vir magni pro illo tẽpore æstimatus doctus Theologus, ac Theologię professor, idemque catholicus, & pius diù habitus, ac penè tunc huius orbis oraculum. Is familiaritate muliercułę cuiuspiam, quæ se edoceri ab Angelo magna quędam mysteria iactabat, quęq; extrà se interdum rapiebatur, aut rapi simulabat, veluti altera olim Philumena, aut Maximilla Montani, ita deuictus est, vt illam de summis Theologię quęstionibus sępè cõsuleret; in omnibus pro oraculo haberet, magnis reuelationibus plenam, & Deo valdè charam prædicaret, satis alioqui sordidã, & perexiguo sensu prędıtam, nisi ad instruẽ-

1021 da mendacia. Igitur siuè à Diabolo corriperetur (quod facilius est credere) cùm huiusmodi extasim pateretur; siuè callidè eã fabulam simularet, quod nonnulli viri prudentes existimarunt; ille Theologus, quòd à muliercula magna, & mira de se audiret, ac multò grandiora futura conciperet, libẽter ei discipulum se addixit, cuius patrem spiritualem agebat. Quid multa? eò abductus est homo, vt miracula facere tentaret, & fieri sibi persuaderet, cum miraculi vestigium ne tenuè quidem extaret.

1022 Ob hæc, & quòd propositiones aliquot ab illa Prophetissa accepisset à sensu Catholicæ Ecclesiæ alienas, à Sanctissimæ Inquisitionis iudicibus, toto hoc Regno stupente, comprehensus est: ibi per quinquenniũ ferè auditus, toleratus, examinatus, ac tandem patefactus est, homo omnium superbissimus, & insanissimus. Cum enim Angelum sibi diuinitus datum, à quo omnia, quæ vellet, disceret, ac deindè summa Dei ipsius familiaritate, & immediato colloquio se potitum per-

pertinacissimè assereret, in eas nugas delatus est, quas, nisi ab homine prorsus mentis amotæ, dici nullo modo quisquam sibi persuaderet. Erat verò ille tam integro sensu, quod ad cerebrum attinet, vt mihi integrior
1023 non sit. Itaque & seriò affirmabat, se & Regem futurum, & Pontificem Summum, Sede Apostolica ad hæc Regna translata: concessam quoque sibi sanctitatem super omnes; quin etiam oblatam ipsi à Deo vnionem hypostaticam, sed ab ipso non esse admissam. Datum quoque se Redemptorem Orbis, quoad efficaciam, vt ille loquebatur, quòd Christus solum quoad sufficientiam
1024 fuisset. Omnem statum Ecclesiasticum abrogandum: leges verò alias se editurum faciles, & apertas, secundùm quas cœlibatus clericorum tolleretur, multitudo vxorum concederetur, confessionis necessitas excluderetur. Hæc, atque alia tanta contentione affirmabat, vt nos teneret attonitos, quòd homo talia sentiens non insaniret.

1025 Denique diu euolutis gestis illius, & plusquam 110. propositionibus hæreticis, aut à sana Ecclesiæ doctrina alienis cōdemnatis, iussi sumus, vt habet de more Sacrum illud Tribunal, cum homine disputare, si fortè ad mentem, & fidem reuocare possemus. Conuenimus autem cum ipsis iudicibus, & Episcopo Quitensi tres alij. Eò introductus homo, ea libertate, & facundia perditissimam suam causam defendit, vt ego in hodiernum diem etiam stupeam, eò adi-
1026 gi posse mentis humanæ superbiam. Professus est doctrinam suam nō posse monstrari, nisi diuina scriptura, & miraculis, quòd esset superior omni humana ratione: scripturæ autem testimonijs longè se apertius, atque efficacius probasse, quam probauerit Paulus Iesum Christum fuisse verum Messiā. Miracula autem se perpetrasse plurima, eaq; tanta, vt Christi resurrectio non fuerit maior. Nam & se verissimè esse mortuum, & resurrexisse, atque id euidentissimè, aiebat
1027 ille, esse ostensum. Scripturas verò proferebat memoriter (cum nullum librum haberet, atque ipso etiam breuiario spoliatus esset) tot, & tam longas ex Prophetis, ex Apocalypsi, ex Psalmis, ex alijs locis, vt vel memoria esset admirationi. Eas verò ita ad sua commenta adaptabat, ita allegorizabat, vt quiuis vel rideret, vel fleret. Postremò, si miraculis rem agere nobis placeret, se libenter ea statim exhibiturum.

1028 Hæc ita dicebat homo, vt vel nos insanos putare videretur, vel ipse insanire. Nam & per reuelationem sibi innotuisse aiebat; Serenissimum Ioannem Austriæ bello nauali à Turca esse superatum, & Regnum Hispaniæ à Philippo inuictissimo iam penè amissum, & Concilium Romæ habitum, vt de deponendo Gregorio, & alio subrogando
1029 ageretur. Quæ ideò nobis significaret, vt quoniam erant nobis certis nuncijs nota, sciremus ei non nisi diuinitus innotuisse. Et cum essent omnia adeò falsa, vt amplius esse non possent, ab illo tamen asserebantur, vt notissima nobis.

1030 Denique cum nihil profecissemus per duos dies disserendo, & ad publicum spectaculum esset cum cęteris, vt in Hispanijs fieri solet, delatus, intuebatur semper in cęlum, ignem in Inquisitores, & omnes grassaturum cęlitus expectans, vt illi erat pollicitus Diabolus; atque ignis quidem nos nullus ex alto corripuit; illum verò & Regem, & Pontificem, & Redemptorem, & nouum Legislatorem ex imo flamma rapuit, atque
1031 redegit in cineres. Ad hęc narranda digressi sumus, vt vel hoc exēplo cogitemus, quid faciat superbia in homine, cum pręsertim talia dicenti non defuerint discipuli, & sectatores. Vbi ergò erit non ficta, sed vera Regni potētia cum magna signorum admiratione coniuncta, quid dubitamus hominē superbissimum, & totum à Diabolo occupatum, ad tantum impietatis fastigium euasu-
1032 rum? Hactenus P. à Costa in cap. illo 11. quod egregiè claudit, facto argumēto à minore ad maius, nempè à Peruano illo hæresiarcha admodum superbo, ad Antichristum superbia, & nequitia cunctos superantem.

1033 Dixi, à Peruano hæresiarcha, quia cùm discipulos, & sectatores habuerit, vt ait ipse à Costa, ad hæresiarchatum ascendisse, & sectam particularem ex peruersis dogmatibus contra nostram fidem Catholicam conflasse censetur.

1034 Circa personæ circumstantiam moderatè & prudenter loquitur noster Pater à Costa, ad euitanda dissidia, & æmulationes, non exprimens neque in genere cuiusnam status fuerit Pseudopropheta ille Peruanus; an sęcularis, aut ecclesiasticus, an verò religiosus? Attigi in corpore Regulæ fuisse Religiosum, quia sic audiui à teste oculato P. Michaële Fuentes nostrę etiam Societatis Iesu, qui interfuit, & Religionem in specie indicabat: quod rationabiliter ob idem omitto.

1035 De circūstantia temporis restat aliquid proferre: nihil inuenio circa hoc apud citatum Iosephum à Costa, quonam anno hæc peracta sint, quæ ipse narrat: nec recordor, quid dictus P. Michaël Fuentes circa hoc no-
1036 tificauerit. Ex eo autem, quòd miser ille Pseudopropheta aiebat omninò falsum, de congregato Concilio Romæ ad deponendum Gregorium, (nempe XIII.) deduco cōtigisse necessario infelicissimam eius condēnationem intra spatium temporis ab anno 1572. quo ille ad Pontificatum ascendit, vsque ad 1585. quo obijt, vt constat ex chro-
1037 nologia Onofrij Panuini. Deduco etiam indè, fortè non contigisse talem condemnationem propè finem dicti Pontificatus, sed priùs, vt plures assignemus annos R. P. Iosepho à Costa post condemnatum illum ad redeundum in Europam, & præter alia ad administrandum bis munus Visitatoris, primò in Betica Prouincia, deindè in Arago-
1038 nensi. In cuius secundi regiminis fine anno

anno 1590. Gandiæ ille me quamuis immeritum in Societatem Iesu recepit; ob quod inæstimabile beneficium ipsi post Deum perpetuò deuinctus mansi. Atque ijs iam præsenti Regulæ, & Capiti XVIII. longissimo finem imponimus.

CAPVT XIX.

De hæresibus, & hæresiarchis, qui per spatium, quod decurrit ex præsenti sæculo xvij. diuersis in locis prodierunt, deque sectis contra Fidem Catholicam alicubi per eos conflatis.

PROOEMIOLVM.

1 EN quot, & quàm multiplicibus, atque enormibus hæresum,& hæresiarcharum sectis toto sæculo xvi. non solùm Europa nostra, sed aliqua etiam pars noui Orbis Americæ, afflicta, ac diuexata extitit. En quali errorum diuersitate, ac penè infinita multitudine, fides Christiana fuit vehementer impugnata, ac persequuta. Iuxta promissum tamen Christi Domini Matth. 16 Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, nequaquam expugnata mansit, nequaquam sal interim euanuit, hominum scilicet sapientissimorum; sed contra pro confirmãdis, & multo magis stabiliendis quibuscunque dictæ fidei veritatibus contra hæreticam prauitatem Deus, Opt. Max. ingentem, ac inenarrabilem salis abundantiam innumerabilium sine dubio virorum virtutibus, & doctrinis excellentibus præstantissimorum, Ecclesiæ suæ prouidit, ex quibusuis eius statibus, ex quibusuis Religionibus, maximè ex Nostra Societatis Iesu, cum non exiguo, imo cum maiori præ cęteris (absit verbo inuidia) in qualibet facultate, & scientia 2 incremento. Quisquis id conspicuum concipere desiderat, applicet animum lectioni egregij Operis per virum Religiosissimum, & eruditissimum R. P. Philippum à Legambe Bruxellensẽ Religionis nostræ, nuper elaborati, & in lucem editi, atque sic inscripti: Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu; cuius initium meritò sumptum à S. P. Nostro Ignatio, quem cęlitus missum 3 notant Scriptores, vt caput Luthero, Caluino, & alijs hæreticis contereret. Specialiter autem pro confirmatione & maiori stabilitate realitatis eucharisticę, ac Missæ sacrificij, adsunt multorum testimonia, vt Ioannis EcKij in suis Homilijs de Sacramentis: Guillelmi Lindani lib. 4. Panopliæ Euangelicę à cap. 38. ad 55. Cardin. Caietani tom. 3. opuscul. Gabrielis Prateoli in tractatu de reali præsentia humanitatis Iesu Christi in Missa; & Nostræ Societatis Iesu Petri Canisij lib. 4. Magni Catechismi, Francisci Turriani in suo tractatu de S. Eucharistia, Ioannis 4 Maldonati in cap. 26. Matth. ac in cap. 6. Ioannis, & aliorum. Dein pro veneratione, & inuocatione Sanctorum, testimonia Alphonsi de Castro, verb. Sancti; Thomæ Beauxamis Carmelitę in lib. de Cultu, & Reliquijs Sanctorum; EcKij in Enchiridio cap. 15. Petri Canisij in Opere suo de corruptelis verbi Dei. Ioannis Maldonati in illud Ioann. 6. Domine ad quem ibimus? (ipsum lege, & non pęnitebit te legisse) & plurium huiusmodi. Item pro veritate, quòd fides so-5 la sine bonis operibus non sufficiat ad salutem, testimonia Ricardi Taperi, tom. 2. art. 10. & 11. Thomæ Stapletonij lib 8. de Iustificatione; Ambrosij Catharini, lib. de perfecta iustificatione per fidem, & opera; Maldonati in Matth. 7. Atque similiter pro alijs fidei veritatibus innumera possent adduci testimonia. Vide Gualterium ad finem sæculi xvi. quem ferè solum (cùm alium ad manum non habeam) in exprimendis sectis hæresiarcharum sęculi xvij. sequemur.

Quid de hæreticis Puritanis? quid de Antipuritanis? quid item de sectis per vtrosque institutis?

REGVLA CCCVIII.

6 PVritani hæretici ex Caluinismo originẽ ducẽtes circa annum Domini 1565. in Anglia prodierunt: indè sic nominati, quòd cæteris puriores, quoad Religionem haberi prætenderent. Eorum primus Dux, & sectę Puritanæ institutor, quidam vocatus Samson peculiaris Ecclesiæ ipsorum Minister cense-7 tur. Antipuritani vero, qui & Protestantes dicuntur, illis omnino oppositi, ne de nomine quidem Puritanos vel nosse, vel audire volunt, & prætensam Caluini Reformationem, quã illi amplectuntur, isti prorsus reijciunt.

8 TAmetsi repõnãtur communiter in prędecedenti sęculo xvi. hæretici Puritani, quia tunc eorum secta in Anglia anno circiter 1565 incępit, non incongruè tamen in præsenti xvij. ipsos ibi omissos coniungimus cum Antipuritanis, seu Protestantibus, nã opposita iuxta se posita magis elucescunt vt est vulgare proloquium. De illis agunt Sander. hæres. 221. Genebrard. in Pio IV. Florim.

Florim. lib.6. de orig hæres. cap.12.num.2. & Gualter. cap. 45. de Puritanis, sęcul. 16. cuius hæc sunt verba.

Caluinistarum, inquit, est surculus in Anglia ortus ann.1565 ita nominatus, quòd ceteris purior existimari velit. Cui ea de causa non placet conuenire, orare, vel baptizare ijs in locis, quæ fuere aliàs Catholicorum ritu consecrata, vt neq; vllis veteribus ceremonijs vti. Adeò, vt Samson huius sectæ caput, cùm vnius Puritanorum Ecclesiæ Minister esset, mille annui reditus aureos nummos renuere maluerit, quam vel sacerdotali habitu indui, vel etiam pileo quadrato vti. Cæterum in Collatione Hamptomcuriæ anno 1604. coram Rege habita, ceciderc causa Puritani, præpollente nimirùm Protestantium factione; ita vt hodierna die & quadrato pileo vti compellantur, & alias quamplures ceremonias admittere, à quibus ante abhorrebant, quasque aliud nihil esse, nisi Idololatriam clamitabant. Hi Puritani sunt, in quorum gratiam anno 1591. Edicto Regio promulgatæ fuerunt 42. Leges crudelissimæ aduersus Catholicos, pecuniariæ quidem 21. capitales verò totidem. Hactenus ille de Puritanis.

Sed præstat audire etiam Genebrardum citatum. Hoc anno, inquit, exorta est in Anglia è Caluinistarum, omniumque istiusmodi hæreseon sentina, secta noua Puritanorum, sic appellata, quòd tam purè se à Catholica separēt, vt nec orare in Templis, quę fuerant olim Catholicorum, nec clericali vestitu indui, aut vllo prorsus veteri ritu vti velint. Quam ipsi opinionem vsque ad bonorum amissionem, & vinculorum perpessionem defendunt, etiam contra suam Reginam, quam aliqui caput sibi constituerant in in omnibus causis tam ecclesiasticis, quam ciuilibus. Sander. de Monarchia Ecclesiast. lib.5. cap.4 Hæc Genebrard.

Circa id autem, quod vltimo loco ait, fuisse, scilicet, cōstitutam Reginam Ecclesiæ Anglicanæ caput, etiam in causis spiritualibus, extat secta peculiaris, non disiuncta ab ista Puritanorū, quam expendimus, cum vtriusque idem assignetur auctor, nempè Samson ille, de quo supra, nō sine cooperatione Morisoni. Affert benè Gualter. in sęculo præcedenti 16 cap.100. cuius inscriptio est, de Laicocephalis sub vexillo Samsonis, & Morisoni, vbi sic.

Errorem hunc, inquit, propriè ad Schisma Anglicanum refert Sander. hæres. 220. Siquidem in Anglia carceris primùm pœnæ, deindè bonorum omnium publicationi, ac tandem morti adiudicatur, qui non confessus fuerit Regem, aut Reginam Regnum administrantem esse caput Ecclesiæ immediatè post Iesum Christum, tam in causis, & rebus spiritualibus, quam in temporalibus. Præcipui huius hæresis defensores fuere Samson, & Morisonus. Quem errorem instauratum inuenies initio Synodi Lōdinensis an. 1603. & 1604. sæpe hactenus citatæ: cuius scilicet canone 1. statim initio statuitur, *Authoritatem supremam Regis in Ecclesiam Anglicanam in rebus Ecclesiasticis esse tuendam, ac propugnandam*. Qua de re plura sequenti sęculo in cap. de Antipuritanis. Hucusque Gualter.

17 Sequitur itaque dicendum de Antipuritanis cum eodem Gualter. cap 2. sęculi 17. vbi sic. Inter innumeras, inquit, nostrorū prætensorum Reformatorum cæcitates, illa non minimæ illusionis est, qua, ad magnum numerum ostendendum, sibi in animum inducunt, se eiusdem esse fidei, ac religionis cū quibusdam alijs sectis, quæ illos abigere, & anathemate ferire non desistunt; cuiusmodi sunt & Lutherani in Germania, vt planum feci partim in vltima columna 16 sæculi, partim in capite de Luthero; & Protestantes

18 siuè Antipuritani Angliæ (his magna necessitudo intercedit cum Laicocephalis 16. sęculi) qui cum ad Luthero-caluinistarum classem pertineant, Puritanos ne de nomine quidem vel nosse, vel audire volunt; quippe quos superioribus annis condemnauerunt, multisque anathematis excommunicauerūt, & in horum persona, quotquot Puritana illa peruicacia pratensæ Caluini Reformationi adhærent. Hæc ille.

19 Circa idem vero prosequitur in hunc modum. Testem cito, inquit, sæpe memoratā, & in columna huius sęculi tertia inscriptam Synodum Anglicanam Londini anno 1603. & 1604 à Ministris cōgregatam, in qua 141. canones cōstituti sunt, quorum partem maximam & Puritani Angli, ac Scoti, & Gallię nostræ Ministri, meram Idololatriā reputant.

20 Testem & collationem Hamptoncuriæ ab vtriusque factionis Ministris eodem an 1604 præsente Rege habitam, in qua Puritani causa ceciderunt, & vna cum suis propositionibus reprobati sunt, & condemnati. Promā, tum ex Synodo, tum ex collatione aliquot exēpla, quasi frusta præcidanea, miseris Galliæ nostræ deuijs ob oculos ponenda, vt animaduertant, quò cæcitatis deueniāt, quādo sibi persuaderi patiuntur, se fidei, ac Religionis vinculo cum Protestantibus Anglis

21 esse colligatos. Quis nescius est, Galliæ Ministros superstitionem, idololatriamq; passim ducere, ac dicere, si visibile caput in Ecclesia habeatur, si consecrentur Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi, si Festorum vigiliæ obseruentur, si Litaniæ recitentur, si quis superpelliceo, si cuculla, si capitio, si pileo quadrato vtatur, si audito nomine IESV genufle-

22 ctatur, &c. Hæc Gualter. & plura, assignans canones dictos, quibus ista omnibus iniunguntur: videas apud ipsum: nobis tradita sufficiant.

Vnde nam orti, ac nominati Metaphoristæ? qualiter eorum secta contra Fidem formata?

REGVLA CCCIX.

23 HAEretici Metaphoristæ à Caluinismo sine dubio originem ducunt, nomenque sibi acquisiuerunt ex maximo illo errore, quem pertinaciter tuebãtur, nempè, Filium Dei non esse propriè Verbum, aut Imaginem Dei Patris, sed tantum metaphoricè.
24 Præcipuus autem istius horrendæ blasphemiæ prolator, & verus Metaphoristarum antesignanus extitit quidam vocatus Daniel Chamerius, Montiliensis famosus minister.
25 Qui propterea inter hæresiarchas, quidquid ipse simulet, meritò reponitur, & sectæ peculiaris ex alijs erroribus, præter dictum, indicandis, metaphoram quoquomodo sapientibus, institutor assignatur.

26 SEptem sectas adducit Gualter. cap. 1. & sequẽtibus sęculi 17 à Caluinismo deriuatas, tanquam riuos à proprio, & abundãte fonte dimanantes: ponit primo loco istos Metaphoristas, de quibus nunc agimus; & subdit statim primum eorum errorem, à quo nominati fuerunt, blasphemo ore affirmantes, quòd Filius Dei non sit propriè Verbũ, aut Imago Dei Patris, sed tantùm metaphoricè.
27 Deindè ostendit ipse Gualt qualiter præcipuus dux illorum, seu auctor huiusmodi sectæ, fuerit prædictus Daniel Chamerius minister Montiliensis: specificat item qualiter in consessu pleno primariorum virorum Alẽsi longam disceptationem idemmet inierit
28 cum tali nequissimo hæresiarcha. Qui in decursu disceptationis huiusmodi impudentissimè dictam blasphemiam contra Filium Dei multoties protulit, neque vlla ratione ab ea proferenda potuit auocari, ne quidem post oblatum ipsi legendum, quod ait S. Augustin. lib. 7. de Trinit. cap. 2. nempè: *Eo quippè Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*. Ergò si Filius propriè, & sine metaphora Filius; pari modo Verbũ propriè,
29 & non metaphoricè Verbum. Atque idem S. Augustin. lib. 6. de Trinit. cap. 2. scribit, Filium sic dici Verbum, quo modo Imago dicitur. Patet itaque secundùm D. Augustinum, ex propria acceptione nominis, *Verbũ*, benè inferri propriam acceptionẽ nominis, Imago, exclusa omninò metaphora.
30 Per modum autem loquendi hæresiarchæ Chamerij, quòd Filius Dei sit non propriè, sed tantùm metaphoricè Verbum Patris, ab eo constitui Filium Dei creaturam, manifestè patet, renouato errore Origenistarum, & Arrianorum ita de Filio Dei sentientiũ, quod sit creatura, teste S. Epiphanio hæref. 64. & 68. vel errore Alogiorum pernegantiũ Christum Dominum esse Dei λόγον, Verbum. Sic idem Epiph. hęref. 51.
31 Secundò, Errauit Chamerius, quòd interrogatus coram multis ab Aduocato quodam Catholico, quidnã in infantia sua Christus Dominus ageret? Respondit, ipsum cum Matre ineptisse. (verba eius Gallica sunt, il
32 badinoit auec sa Mere) Quæ responsio hæretica haud dubiè ex præcedenti errore deriuatur: qui enim Filium Dei esse Verbum, & Imaginem Patris tãtùm metaphoricè asserit, ipsumque meram creaturam constituit, vt vidimus, nihil mirũ, si eidem ineptias tribuat.
33 Tertiò, Errauit Chamerius metaphorizãdo in materia Eucharistica; nam in suo libello, quem edidit contra Tolosanum Ordinis S. Antonij generalem Abbatem, conclusit, *Veros Fideles verè, certò, realiter, recipere veram substantiam Christi Domini Nostri, qui ex Virgine natus est, crucifixus, &c.* addit, *eiusmodi veram, certam, realem communionem fieri non solum in vsu Cœnæ, sed etiam*
34 *extra eam.* Quæ additio clarè indicat, Chamerium vel inter Vbiquetarios, de quibus suprà, enumerandum; vel ipsum loqui de receptione impropria, & metaphorica; atque hoc secundum duæ particulæ ab eodem adiunctæ, nempè *Fide*, *& spiritaliter*, magis certum reddunt.
35 Quartò, Errauit Chamerius, & se Metaphoristam esse ostendit, quando ad quæstiones ipsi propositas à quadam nobili fœmina Caluiniana, an vsura sit peccatum? & num liceat Cœnam sumere sine voluntate deserẽdi vsurã, & restituendi? Respondit per scriptum: Hæc omnia pertinere primò, & per se ad politiam, ad Religionem verò non nisi per accidens: sicut & cætera omnia ad iustitiam commutatiuam spectantia: Adeò, vt Leges politicæ in eis ius reddere queant, in quo bona conscientia potest conquiescere.
36 Ita ille. Et quidem idem est, ac si dixisset, vsuram ex se nihil attingere religionem, aut conscientiam, sed tantum externam politiã; & consequenter illam in se non esse peccatũ sed tantum secundum speciem externam, & politiam, seu impropriè, ac metaphoricè. Prædictos quatuor errores Chamerij affert Gualter. cit. & addit alium, sic.
37 Quintò, Denique, inquit: Fidem Chamerij vniuersam iure optimo vocarit quis metaphoricam, hoc est, impropriam, fluctuãtem, ac malè certam, ob duo clara, quibus id ipsemet demonstrauit, testimonia in prædicta Collatione Alensi. Vnum fuit, quod se ipse omni fundamento verę, ac propriæ dictæ fidei spoliarit, quando non modo Traditiones non scriptas reiecit, cunctasque sacræ Scripturę versiones exauthorauit, verum etiam decies, duodeciesque rogatus, respondere renuit, nunquid textum Hebraicum Veteris Testamenti, ac Græcum Noui pro authentico haberet, ac pro indubitata fidei regula,
38 nec ne? Alterum, quod multoties quoque palam interrogatus, nunquam ausus fit vel nega-

negare, vel affirmare, se cum Luthero, Caluino, Beza, & Geneua in doctrina fidei consociatum. Timens vtique ne id negando hæresiarcham se proclamaret; affirmando, autem viginti horribiles, quæ illi obiectæ fuerant, blasphemias ex Caluini, Bezæ ac Lutheri libris collectas approbare (vt certè necesse erat) cogeretur. hæc Gualter. vt testis oculatus, aut de certa scientia referês. Quibus iam satis de præsenti Regula.

Quænam decisio circa hæresiarcham Iacobum Arminium? Quænam circa sectam ab eo conflatam Arminianorum?

REGVLA CCCX.

39 Circa hunc nequissimum hæresiarcham Iacobum Arminium sic decidimus, quòd à prima ætate in erronea doctrina Caluiniana enutritus, eam postea in Academia Leydensi non sine fama professus fuerit. Præter errores verò Calui- 40 ni alios peculares ex cogitauit idem Arminius, vt innotescit partim ex ipsius scriptis (vbi aliquando loquitur contra ipsum Caluinum) partim ex præfatione ad Lectorem, ab aliquo eius iam demortui amico præmissa Epistolæ eiusdem Arminij ad Hippolytum à Collibus, ex quibus secta Arminianorum formata mansit.

Omnia sumpsimus ex Gualter. cap. 5. sęcul. 17 vbi de isto hęresiarcha, deque secta eius quatuor tantum attingit, nec plura nos attingemus, cum ipsum Gualterium solum in his, & reliquis sequentibus, ad hoc sęculum 17. spectantibus, ducem habeamus.

41 I. Quòd Arminius Romanæ Ecclesiæ, & summi Pontificis infensissimus hostis exstiterit, patet ex Thesibus 19. ipso Præside Lugduni Batauorum à Iacobo Cusino Geneuensi propositis, ibique per Ioannem Patij excusis anno 1607 ac Reip. Geneuensis Senatui dicatis; in quibus & summum Pontificem sæpius Antichristum pronunciare, & Ecclesiam Romanã idololatriæ, & plurium errorum insimulare non erubescit. 43 ita Gualter. & addit, tum ex Epistola, tum ex Articulis illius, & inter ipsos Reformatos Caluinistas controuersis, multa apparere fidei Christianæ contraria.

44 II. Quòd diuersi errores contra fidem Arminio etiam à suis tribuantur: constat ex præfatione illa supra memorata, vbi sic expressè habetur, vt refert idem Gualter. Prodigiosos longè, lateque per Belgium, Germaniam, Galliam, & Magnam Britaniam de Arminio rumores spargi, & hunc alios schismatis, alios hæreseos accusare, alios Pelagianismi crimen intentare, alios Socinianismi notam inurere, omnesque vt pestem Ecclesiarum Reformatarum execrari. & post pauca sic addit.

45 Nonnulli, inquit, qui lectiones eius frequentarunt, affirmant ipsum sępius de alijs doctrinæ orthodoxæ capitibus noua, stupendaque paradoxa protulisse. Alij mussitant, Epistolam à Iacobo Arminio ad Hippolytum à Collibus esse scriptam, in qua plenius pestiferam suam aperit sententiam, circumferrique articulos quosdam, in quibus de multis, præcipuisque Religionis orthodoxę capitibus differens, venenata sua dogmata depromit. hæc ibi.

46 III. Quòd voluerit Iacobus Arminius videri, vnitatem fidei, & Ecclesię cum alijs Ministris Caluinianis, etiam cum suis accusatoribus semper retinere. Illud planum est, inquit Gualter. partim ex iam descripta eius querimonia, & contestatione (videas hanc apud ipsum Gualter. partim ex supradictis Thesibus ab eo per clientem, ac discipulum suum Cusinum (postea Geneuensem Ministrum) Senatui Geneuensi 47 dicatis; partim ex eo, quod in Epistola memorata ad Hippolytum à Collibus, Bezam Caluinum excusantem pro se citat; partim denique, quia in tota illa Epistola satis prolixa, hoc vnum agit, vt se cum alijs Caluinianæ Reformationis professoribus consociatum probet. hucusque Gualterius.

48 IV. Quòd nihilominus ipse Iacobus Arminius in diuersis à Caluino, & ab eius discipulis rigidioribus dissentiat, & contra eos insurgat. Hoc clarius ipsa hac innotescit, præcipuè ex eo, quod in ea epistola de prædestinatione singularum per- 49 sonarum loquens, sic affirmat; *Tam variè*, inquit, *sentitur etiam à nostræ professionis doctoribus, vt ipsa diuersitas sententiarum facilè declaret, quam difficulter de ipsa quidpiam statui possit*: & relatis varijs illis suorum Comministrorum sententijs, subiungit. 50 *Noui, cum ista diuersitas obijcitur, responderi, in summa rei esse consensionem; quanquam discrimen aliquod sit in circumstantijs. Sed ego commonstrare possem sententias istas in multis ad rem ipsam & substantiam prædestinationis istius facientibus dissentire.* 51 Et paulo post. *Tantum in eo differo, quod nullam illarum sententiarum secura conscientia asseueranter profiteri audeo. Cuius etiam mea conscientiæ rationem reddere paratus sum, vbi id necessitas postulabit, & commodè fieri poterit.*

52 Dein idem clarè innotescit ex nonnullis prædicatorum Articulorum, qui cum Caluino manifestè pugnant. Nam (vt exemplificemus in aliquo) Art. 1. est de Deo secundum relationem inter personas considerato; in quo asserit, Filium Dei neque à Patribus Deum à se dictum esse, & periculosè id dici; cum oppositũ manifestè doceat Caluinus iuta tradita supra in errore 27. Caluinismi. Vide reliqua apud Gualter. qui percurrit varios eius Articulos. Aliquid infra circa Arminianos addetur.

Conradus Worstius qualis nam haeresiarcha? Qualiter multis erroribus Ecclesiam Catholicam impugnauit?

REGVLA CCCXLI.

53 AD hæresiarchatus gradum qualiter Conradus Vvorstius ascenderit, manifestè liquet ex eo, quòd Caluinianæ Theologiæ professor, & Ecclesiæ Steinfurtensis primarius Minister fuerit. Inde verò postea 54 ad excellẽtiorem Cathedram Vniuersitatis Leydensis in Hollandia vocatus, ibi & alibi, per multos annos, tum verbo, tum stylo docuerit, prędicarit, suaseritque propositiones non paucas diuinis perfectionibus repugnantes, & enormiter erroneas. 55 De impugnatione autem per eum Ecclesiæ illata, constabit ex illico dicentis.

---

56 CONtenta in corpore eius Regulæ asfert Gualterius. cap. 6. sęcul. 17. vbi premittit hoc notatu dignum; à ministris scilicet Galliæ habitam fuisse Pseudosynodum Vapinci, mense Octobri, anni 1603. & in cap. *de Factis generalibus*, Articulum, seu Canonem statutum per sequentia verba.

57 Circa propositionem fratrum Delphinatium de quærendo modo habendæ cum Ecclesijs Germaniæ, quas Lutheranas vocant, collationis, ad tollendum schisma, quod inter illas, & nos intercedit, Synodus consilij tam laudabilis effectum videre cupiens, scribet tam ad orthodoxas Germaniæ, Anglię Scotiæ, Geneuæ, Heluetiæ, ac Lugduni Batauorum Vniuersitates, quam ad DD. Gordonium, & Fontanum 58 in Angliam; rogabitque vt nobiscum laborent in sancta hac vnione promouenda, ipsos etiam Principes disponendo ad interponendam authoritatem suam, & vt hoc perficiatur, se se arctius nobiscum eiusdem confessione doctrinæ consocient: ita in Canone illo decimo, vt refert Gualter. citat.

59 Qui statim assignat rationem, cur dicti Canonis nullus fuerit sequutus effectus; nempè obingentia, & innumerà doctrinæ dissidia, quibus pretensæ eorum Ecclesiæ non modo à Lutheranis, verum etiam à se inuicem discinduntur. Quin etiam tales doctrinæ diffensiones post adductum illius 60 Pseudosyno di Vapincensis decretum adeò sublatæ non sunt, vt exinde longius, latiusque dilatatæ excreuerint. Sub finem enim eiusdem anni 1603. quo celebrata ipsa Pseudosynodus Vapincensis, & initio sequentis 1604. emerserunt, vt diximus, Antipuritani, seu Protestantes, siuè Luthero-Caluinistę contra Puritanos, in multis doctrinæ capitibus ab eis discordes, istos condemnantes, & anathemate ferientes; vti condemnant & feriunt.

61 Atqui en denuo id præstat Conradus Vvorstius, & nouum bellum contra Puritanos gerit. Quamuis enim plurimos habeat asseclas, & suæ doctrinæ defensores, non desunt multi etiam ex symmystis suis qui innumeris penè propositionibus, vti blasphemis, & hæreticis, quas ex eius scriptis colligunt, ipsi contradicunt: ex illis sex tantũ cum relato Gualt. perpendamus.

62 S. Propositio prolata à Conrando Vvorstis contra simplicitatem Dei opt. max. nihil habentis in se mixtionis, compositionis, aut diuisionis, cum sit actus purissimus, vt docet D. Thomas, 1. par. quęst. 3. & cum eo ibi reliqui scholatici. Nihilominus ille in suis ad disputationem 3. notis, pag. 206. edit Steinfurtẽsis 1610. anni, sic blasphemat.

63 Aliquid, inquit, diuersitatis, aut multiplicitatis, in ipso (Deo) inest, quod essentiæ, siuè naturæ absolutè dictæ simplicitatem non euertat: presertim, si consideremus ipsum in se principium habere cuiusdam mutabilitatis (quæ tamen essentiæ immutabilitatem non tollit) videlicet liberam voluntatem, cuius respectu potest modò illa decreta facere, & iam illa, iam alia extrà se posita, entia tum velle, tum nolle, tum non in se ipsis actu videre, seu contemplari, tum 64 ita videre, &c. Quę certè accidentia quędã sũt ab ipsius substãtia longè diuersa: &in frà.

65 Accedunt postremo varia scripturæ testimonia, quibus asseritur aliud, & aliud in Deo esse, videlicet subiectum, & accidens, siuè agens, & actionem: v. g. cum iurat ipse Deus per animam suam: cum dicitur spiritus in ipso esse; cum ipse dicitur vitam in se ipso habere; cum dicitur dolere, irasci, reminisci; aut simile quidpiam agere, quod inferiorem quandam, & immanentem eius actionem, nec tamen omnino naturalem, siuè essentialem, declarat. Aliud enim est ipsum viuens subiectum, aliud vita ipsa; & paulo potest.

66 Non sunt igitur axiomata illa, vulgo pridem recepta, simpliciter, & omnimodo vera: In Deum non cadere vllam diuersitatem, aut compositionem. Item, nullum 67 omnino in Deo accidens esse. Similiter, an non in Deo potentia quædam actiua est, ab actu distincta, respectu eorum, quæ foris agit? v. g. potentia hoc, vel illud creandi, aut quiduis aliud agendi? An non à potentia ad actum transit, qui cum ante velle, & facere aliquid posset, postea demum actu vult, & facit? &c. Itaque diuersitas aliqua in Deo concedenda est.

68 Ex quibus omnibus & alijs pluribus, quę refert Gualter. vbi supra, clarè deducitur, quam blasphemo, & hæretico ore contrà Dei simplicitatem Conradus Vvorstius loquutus fuerit, sequutus vestigia sui Magi-69 stri Ioannis Caluini, Qui, vt traditum supra errore 21. Caluinismi, & pari modo Beza realem in essentia diuina statuunt distinctionem, quæ non minus repugnat cum essentię ipsius simplicitate, ac puritate, quã addi-

additio siue accidentalis, siue substantialis per Vuorstium eidem essentiæ diuinæ exhibita.

70 II. Propositio Vuorstij blasphema, seu hæretica, contra indiuiduam Dei magnitudinem, qui sicut est ab omni materia alienus, ita etiam omnis quantitatis materialis corporeæ, & diuisibilis expers, secundum quod docent D. Thomas 1. par. quęst. 3. & ibid. 71 scholastici, & 1. sent. dist. 8. Ille tamen postquam contradictionis arguit S. Augustinum, quòd affirmauerit lib. 5. de Trin. cap. 1. Deum esse magnum sine quantitate, quasi dixerit Deum esse magnum sine magnitudine, subiungit sic.

72 Et sanè mirum videtur esse paradoxon, Deum sic omnis quantitatis expertem esse, vt totus substantialiter sit in re qualibet, etiam minima, v.g. in antro scarabæi, aut in apice vnius pili, &c. Hoc enim maximam, & amplissimam Dei essentiam, esset in angustum cogere, siuè ex maximo, & immenso Deo, minimum, & pusillum efficere; 73 sicut antea de longissima Dei duratione, nempè æternitate, simile quiddam dicebamus; quam, qui totam vnius indiuisibilis puncti instar esse contendunt, breuissimam 74 sanè efficiunt. Quod si dixeris, Deum vt potè Spiritum, prorsus ἀμέγεθον (indiuisibilem) esse, omnisque quantitatis expertem, eoque nec magnum, nec paruum &c. Præterquā quod in posteriori mēbro tacitè principiū petes, non video quomodo id cū sacra scriptura conciliari possit.

75 Verum quia obiici poterat Vuorstio de animæ rationalis, & Angelorum indiuisibilitate, huic tacitæ reiectioni obiiciens communem, & sanam doctrinam Catholicorum Theologorum, & prætensam suam diuisibilitatem ad quascunque creaturas sine exceptione extendens, sic respondet.

Quod enim, inquit, de anima vulgo af-76 fertur, eam totam substantialiter esse in qualibet corporis parte, & licet hactenus affirmatum sit, falsum tamen esse res ipsa demonstrat. Non enim potest vna numero essentia animæ, & quidem tota simul, esse in capite, manibus, pedibus, & cæteris membris vere inter se secundum loca diuisis: quia sic idem extra se ipsum esset, hoc est, extra fines suę essentię; quippè qui finibus adæquati loci exactè, & necessario respondent. Virtute quidem, & operatione 77 per omnes corporis partes anima diffusa est sed essentia eius vno aliquo certo loco (puta vel corde, vel cerebro) continetur. Hæc enim essentia diffundi non potest, nisi quatenus per partes porrigitur, & continuatur: id quod sine quantitate dimensiua fieri non potest: & prosequitur sic.

78 Vndè etiam Bodinus lib. 4. Theatri, animam corpoream facit, & vera quantitate præditam. Nam nullo modo intelligibile est, aliquid idem esse, quod locis, seu spatiis verè diuisum sit (præsertim si & finitum sit) & prorsus ἀμέγεθον esse statuatur: & ad-79 dit. In summa, de rebus creatis, & finitis nihil dubitandum est, nullam earum diuersis in locis totam simul adesse posse. hęc ille, vt refert Gualter. apud quem plura inuenies.

80 III. Propositio erronea, qua insurgit Vuorstius contra Dei infinitatem, comprobatam ab omnibus scholasticis cū D. Thoma, 1. par. quæst. 7. & in 1. sent. dist. 42. vtì certum de fide, iuxta illud Psal. 144. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis; & illud Prophetæ Baruch, cap. 3. Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus. His non obstantibus ille in Not. ad disp. 3. pag. 234. blasphemo ore sic.

81 Nec Deus, inquit, actu simpliciter infinitus est, neque essendo, neque operando, tametsi respectu nostri sic dicitur vtrumq; Est quidem Deus purus actus; sed hoc non vetat, quin simul sit in se finitus; Nō enim per passiuā potentiā, sed per naturæ necessi-82 tatē, talis esse dicitur. Quòd infinita virtus dicitur requirere essentiam infinitam, verum est de simpliciter infinita; sed talem virtutē non esse actu in Deo, saltem quo ad operationē ad extra, partim suo loco ostendemus, partim iam superiùs ostendimus. Est 83 quidē infinitus diuturnitate, quia sic ordo & necessitas naturę postulat; sed non propterea est immensæ essentiæ, quia hoc naturę potius aduersatur. & paulo post.

84 Substantia, inquit, Dei videtur iam ab Angelis, & videbitur olim à nobis facie ad faciem; ergo non est prorsus, & simpliciter infinita; nam quod tale est, nullo sensu apprehendi potest, quia proportio esse debet inter obiectum percipiendum, & rem, seu personam percipientem. ita ille. Quibus verbis nouam sanè blasphemiam, seu hæresim profert, Diuinitatem non solum finibus, ac limitibus determinando; sed etiam visibilem, ac sensibilem constituendo, & consequenter corpoream, & materialem. quod magis exprimit subiungens sic.

86 Porrò, inquit, ea loca, quibus Deum visuri dicimur, de interiore mentis speculatione, non de æterna oculorum inspectione, vulgo interpretantur, nescio an sacris literis consentaneum sit: certè magnam felicitatis nostræ partē hac explicatione tollere videntur. Atque de ista noua blasphemia constituente Diuinam Naturam corpoream, & sensibilem. De illa verò negante Dei infinitatem, pro eaque confirmanda subiungit Vuorstius hoc modo.

87 Nihil, inquit, potest esse actu infinitum in natura tota, cū omnia entia certā habeant, & diffinitam essentiā, per quam sūt id quod sunt & per quā ab illis differūt, etc. ergo nec Deus. Nam actu infinitū esse, & in specie hoc vel illud esse, cōtradictoria sūt, quia omne, quod actu est, hoc aliquid in se ipso finitū, & ad certū aliquod genus entis quasi contra-88 ctum est: & infra. Potentia Dei etsi respectu nostri & rerū possibilium rectè immēsa dicitur non tamē prorsus infinita est, quia non

extenditur ad impossibilia; imò in ipso Deo consistit intra naturales Dei qualitates, ergo nec essentia infinita est; quia vt infinita potētia requirit essentiam infinitam, ita etiam finita finitam. Ita Worstius.

89 Qui circa idem paulò post hæc adiungit. Nam secundum quid, & comparatiuè dici posse infinitum, non negamus; sicut respectu nostri infinitus est numerus stellarū, & arena maris, quamuis in se definitum, & certum 90 esse constet. Nec excusetur à quopiam ille, quòd tandem affirmet, *se non definiendi, sed inquirendi animo hæc attulisse, ignorantiam* 91 *suam in his talibus vltrò confiteri*. Equidem ita affirmat, sed nequaquam dubitandum, sub huiusmodi formulis loquendi pestilentissimum hæreseon latere venenum: tum quòd pro infinitate Dei manifesta sint loca Scripturæ adducta: tum quod supponatur omninò certum, dictam doctrinam hæreticā, ipsum didicisse à magistro suo Caluino, qui, vt vidimus errore 20. Caluinismi, infinitam, siue absolutam Dei potentiam multis machinis oppugnauit. Ita Gualter. à quo relata Worstij verba afferuntur.

92 Quarta Propositio illius hæretica, est contra Dei Opt. Max. immensitatem: quæ licet manifestè pateat, secundum D. Thomam 1. par. quæst. 8. & scholast. ibi, ac 1. sent. dist. 37. ex Scriptura sacra; Baruch. cap. 3. excelsus est, & immensus lib 3. Reg. cap. 8. si cęlum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui? Psalm. 138. si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades, &c. Ierem. 23. Nunquid non cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus. Tandem Act. 17. non longè est ab vnoquoq; nostrum; in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Despectis tamē istis diuinis testimonijs, hæc blasphemus ille, Not. in eandē disput. 3 pag. 254. profert.

93 Responderi potest (de essentia diuina loquitur) essentiæ immensitatem inter ea, quæ simpliciter ἀδύνατα (impossibilia) dicuntur, non immeritò referri, eoque nullam perfectionem denotare. & pag. 236 sic.

94 Maiestas, inquit, ipsa Dei postulare videtur, vt substantiam suam à rebus hisce terrenis, & sordibus abstractam habeat, quæ alioqui rebus ipsis immisceri, & pars earum effici videbitur; contra quam suprà de immutabili- 95 tate Dei docuimus. Et licet hoc non sequeretur, an nō tamen indignum erit Deo, si dicatur in antro formicæ, aut locis sordidis tota sua essentia adesse? Et num Maiestati eius consentaneum erit dicere, totam essentialiter adesse in minimo etiam puluisculi grano? Qui his cogitationibus indulgent, non videntur magnificè satis, & condignè posse de Deo sentire.

96 Atque prosequitur idem Worstius sic: Simpliciter igitur credamus, quod SS. Litteræ toties inculcant, Deum re vera suæ substantia (quæ, vt amplissima, & maxima, nostrique respectu immensa, ita simul summè gloriosa est) in cælo altissimo, eodemque capacissimo habitare; in terra verò vbique virtute, & sapientia sua, siue efficaci operatione, & prouidentia sua Nobis adesse. Hæc ille, negans manifestè Dei immensitatem.

97 Quinta Propositio heretica Worstij, contra Dei immutabilitatetem, quam docent D. Thomas, 1. par. quæst. 9. & Scholast. ibid. & in 1 sentent. distinct. 8. vti de fide certam, iuxtà illud Malach 3. Ego Dominus, & non mutor; & illud Num. 23. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. ac illud Iacob. 1. Apud quem (Patrem luminum) non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

98 Nihilominus insurgit ille in oppositum sic. Diuina, inquit, voluntas semper principium cujusdam mutabilitatis est, etiam in ipso Deo; quippe per quam Deus aliter atque aliter habere se & potest, & solet, tum volendo, tum contemplando, &c. Et nisi ita statuamus, ingens absurdum illud continuo admittemus, quòd Deus omnia foris agat ex absoluta naturæ suæ necessitate. Non satis igitur circumspectè loquuntur, qui Deum vt essentia, sic etiam voluntate prorsus immutabilem, esse affirmant.

99 Post pauca item sic. Absoluta, inquit, & simplex immutabilitas hac in parte Deo attribui non debet: Hoc enim nihil aliud esset, quam actionem Dei liberam, hoc est à libera causa pendentem, cum ipso Deo confundere; siuè essentiam, & voluntatem, hoc est, actionem volendi, seu volitionem Dei vnum idemque esse affirmare. Ita ille, teste Gualter. cit.

100 Qui concludit sic. Hunc in modum, inquit, Worstius Deum facit mutabilem. Cæterum Ducem sequitur non Lutherum dumtaxat, qui lib. de Concilijs, & in Confessione de Cœna Domini, contendit Iesu Christi diuinitatem esse passi- 101 bilem, imò & re ipsa passam: Sed etiam Caluinum, qui lib. 1. cap. 13. §. 29. dum negat Filium Dei continuè à Patre generari, imò conceptis verbis scribit, stultè fingi continuum actum generandi; non potest non asserere Patrem esse mutabilem, quatenus, vt ipse sentit, generare destitit. Relege, quæ dicta sunt in errore 23. Caluinismi. Hæc Gualter.

102 Sexta tandem propositio hæretica fuit prolata à Worstio aduersus Dei æternitatem permanentem, & indiuisibilem; quæ vt de fide certa, asseritur à Doctoribus Scholasticis, præcipuè à D. Tom. 1. part. quæst 10. & 1 sentent. distin. 37. optima consequutione ex Dei immutabilitate. Nam æternitas sic definitur: Duratio immutabiliter permanens, siue per- 103 seuerans existentiæ Dei. Quæ definitio firmum fundamentum habet in Scriptura sacra, ex qua constat Dei durationem neque finem habere, neque principium (& hæc

(Si hæc est prima proprietas æternitatis) Psalm. 73. Deus autem Rex noster ante sæcula. Et Isaiæ 40. Deus sempiternus Dominus. Inter quem, & creaturas constituitur differentia, quoad hoc de duratione, sic Psalm. 101, Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cęli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiēt. Ex quibus apparet clarè immutabilitas ęternitatis.

104

105 Contra ipsam tamen en qualiter VVorstius blasphemat, in Notat. ad disput. 3. pagin. 226. Restat, inquit, examinandum, quod vulgo ęternitatem totam simul existere, eoque omnibus temporum differentijs existere putant, quia videlicet, nulla mutatio, siue motus, siue successio pręteriti, & futuri in ea reperiatur; sed quia ipsa omnia tempora in se tāquam in principio quodam eminenter cōtineat, sicut vnitas omnes numeros, aut punctum omnes lineas, &c. Quę sententia videtur omninò contradictionem implicare. Et infra, pag. 227.

106 Sacræ Litterę differentias temporum ipsi etiam Deo perspicue adscribunt, quum æternitatem ei tribuunt. (& pagin. 229.)

107 Continentur quidem omnia illa in ęternitate, quatenus hęc tota, siue vniuersa sumitur, quę scilicet omnes suas partes ambitu suo coërcet: sed non idcirco ipsa est insecabile aliquod momentum, siue indiuisibile punctum. Et fere mox. In summa,

108 inquit, ęternitas in se spectata, nihil aliud est, quam tempus ęternum, siue duratio infinita, hoc est, principio, & fine carens; quam ipse etiam Aristoteles absque successione, & motu non esse docuit.

109 Denique in sua apologetica Exegesi, capit. 12. pagin. 50. sic. Fateor, inquit, à me non semel scriptum esse (si non quoad verba, saltem quoad sensum) ęternitatem Dei non esse (prout vulgo Scholastici putāsse) omnino indiuiduam, & totam simul pręsentem, sed in ea dari successionem pręsentis, pręteriti, & futuri.

110 Hactenus doctrina VVorstij, prout eam refert Gualter. loc. cit. qui statim eam confert cum illa Caluini, à quo, vt vidimus supra error. 22. Caluinismi, cum mordicus defendatur Filium Dei, & Spiritum Sanctum non procedere à Padre necessariò, sed libere, seu voluntarie, consequenter Caluinus

111 eis aufert ęternitatem; cum potuerint non esse ab ęterno, imo absolute non esse omnino, attenta sententia ipsius hęreticą de tali processione libera. Atque iam prædicta sint satis pro Regula pręsenti; in sequēti de eodem VVorstio aliqua addentur.

Quid de hæresiarcha Sibrando Lubberto? Contra ipsum item qualiter prædictus VVorstius bellauit?

REGVLA CCCXII.

112 Dissidium ingens, seu bellum intestinum, ac implacabile inter Puritanos, & Antipuritanos excitatum, vt paulò ante tum in communi, tum in particulari ostendimus, en specialiter magis inter duos istos hæresiarchas Sibrandum Lubbertum, & Conradum VVorstium continuari, mani-

113 feste patet. Sicut enim ille inter pręcipuos, ex rigidioribus, Caluini asseclas reponitur, ita contra VVorstium, contraq; eius libros, iam cura Regis Angliæ in suo Regno igni adiudicatos, pre cęteris acerrimus in-

114 sectator habetur. E contra vero ipse VVorstius peculiari libro in lucem edito aduersus scripta Lubberti insurgit, & plurima dogmata, maxime, 14. illico proponenda, ex eis collecta, damnanda prorsus asseuerauit.

115 Qvamplures habuit Conradus VVorstius suæ hęreticę doctrinę insectatores, præcipue Sibrandum Lubbertū, sicut & eiusdem doctrinæ, & propriæ personę quamplurimos defensores, tradit egregie Gualter. sub finem dict. cap. 6. huius sęcul. 17 vbi propositis eius sex illis propositionibus, sic adiungit.

116 Hæ sex, inquit, Conradi VVorstij propositiones inter alias innumerabiles, quas ex eius scriptis ipsi eius Symmystę collegērunt, atque etiam nunc in dies colligunt, magnum hodierno die negotium facessunt diuisionemque ac confusionem horrendam inferunt pretensis Hollandiæ, aliarumque Prouinciarum Septentrionalium Reforma-

117 tis. Quorum alij VVorstium lingua, & calamo dilacerant, monstrum horribile, pestē crudelissimam, Blasphematorem, Schismaticum, Hæreticum, Iudæum, Turcam, Ethnicum, Atheum cognominantes, vt partim legi in declaratione Regis Angliæ, qui libros eius igni adijudicandos curauit anno 1611, partim ex alijs, quos multos in manibus habeo, libris in eum editis. Ita de eius insectatoribus Gualt. de defensoribus vero sic.

118 Alij, inquit, ipsum defendunt, sectantur, & vsque ad nubes efferunt, vt tres Comites, Steinfurteñ, qui magnifica illum testificatione honestarunt, ac protexerunt, data 11. Septembr. 1611. Vniuersus item Senatus Scholasticus Steinfurtensis, publica testificatione, data die 14. Septem. 1611. Consules quoq; & Senatores Vrbis testificatione, data 5. Sept. 1611. Ministri reliqui, & Seniores Ecclesię prætensæ Reformatæ Steinfurtensis simili testificatione, data 17. Septemb 1611. Vniuersitas denique Leydensis,

Vbi eodem anno 1611 primam Cathedram adeptus est Vvorstius; quantumcunque Angli alijq; septemtrionales Caluiniani suis ad Ordines Hollandiæ Fœderatos monitis, precibus, ac minis obstare conati sunt.

120 Qui Ordines Vvorstiū à Cathedra Steinfurtensi ad Leydensem literis Hagæ datis, 19 Octob. 1610. & ad Comitem Steinfurtensem directis, aduocarunt, eumq; iuuerunt, tutati sunt, ac promouerunt, non re ipsa tantum, sed & solemni testificatione in Comitijs generalibus Hagæ habitis anno 1611 à die 28. Februarij ad diem 21 Maij.

121 In quā suam authoritatem interposuit tum nobilitas, tum numerosior Ciuitatum consensus, audito nimirum Vvorstio suę rationem doctrinæ reddente, præsentibus, atque in eam rem conuocatis duodecim ministris, sex quidem ex Vvorstij aduersarijs; sex verò ex eius fautoribus] hæc ille, & immediatè prosequitur in hunc modum.

122 Hoc porrò, inquit, Vvorstij patrocinium tam ardenter, tamque honorificè ab Hollandię Ordinibus susceptum adeò molestè tulit Rex Angliæ, vt, nisi ab eo desisterent, Vvorstiumque expellerent, grauiter minatus sit, se non modo illos Apostatarum fautores proclamaturum, ac per vniuersum orbem terrarum promulgaturum, sed etiam suum cum illis fœdus immortalibus inimicitijs permutaturum. Quibus minis territi Ordines Vvorstium Lugduno Batauorum in vrbem aliam migrare iusserunt.] ita ille.

123 Eisdem item Angliæ Regis minis haud dubie inducti fuerunt ad insectandum acriter lingua & calamo Conradum Vvorstium tum alij Puritani, tum præ cæteris Sibrandus Lubbertus, de quo sic breuiter Gualter. cap. 7 seculi 17. coniungens simul eadem breuitate quod spectat ad prælium contra eundem Lubbertum à Vvorstio peractum; accipe eius verba.

124 Est, inquit, hic (loquitur de Lubberto) vnus ex rigidioribus Caluini Affectatoribus, vnus item ex acerrimis Vvorstij inse-

125 ctatoribus. Quem vice versa Vvorstius sępe exagitat, maximè verò libro illo integro Lugduni Batauorum anno 1612. per Godefridum Basson edito, quem inscripsit, *Catalogum errorum, siue hallucina-*

126 *tionum D. Sibrandi Lubberti*. Nec non eo libro Lugduni Batauorum anno 1612 per Ioannem Patium edito, quem vocat, *Conradi Vvorstij Responsum plenius ad scripta quadam existica, non ita pridem à diuersis Fratribus contra ipsum edita: præsertim verò ad Ministrorum Leouardiensium commone-*

127 *fectionem ampliorem*. In quo Responso suo Vvorstius quatuordecim ex multis, colligit Sibrandi dogmata, quę maximè, & speciatim censet damnanda.

128 Primum est, Deum pręordinasse homines plerosque ad ineuitabilem, ac sempiternum cruciatum, ex absoluto suo beneplacito.

Secundum, Deum prędordinasse homines ad ipsum peccatum, & peccandi necessitatem.

Tertium, Deum elegisse quosdam absolutè, citra respectum fidei in Christum.

Quartum, Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, sed tantum pro paucis illis absolutè electis.

Quintum, Deum nequidem velle eos omnes saluos fieri, quibus Euangelium prędicatur.

Sextum, Deum nolle his omnibus sufficientem, ac necessariam conuersionis gratiam largiri.

Septimum, Quotquot conuertuntur, irresistibili quadam Dei virtute conuerti.

Octauum, Semel conuersos nunquam posse gratia Dei excidere, aut fidem suapte culpa amittere, &c.

129. Nono. (Hoc Vvorstius, ac quinque sequentia dicit esse Sibrandi penè propria) Christum non incessisse eadem virtutis, & sanctitatis via, quam nobis monstrauit.

Decimum, Christum non esse adeptum eam felicitatem, quam alijs promittit.

Vndecimum, Christum velle, vt omnes firmiter credant, se esse electos, licet hoc falsum sit.

Duodecimum, Fidem viuam, quatenus viua est, nullo modo nobis imputari ad iustitiam.

Decimum tertium, Eandem fidem non esse (saltem iuxta Pontificios) iustitiam nobis inhęrentem.

Decimum quartum, Pœnitentiam esse simpliciter posteriorem iustificatione.] hactenus Gualter.

130 Qui sic concludit: Hęc syllabatim, inquit, ex Vvorstio transcripsi, ea potissimum de causa, vt Caluiniani nostri Galli, quorum saluti in primis consultum cupio, dilucidiùs animaduertant, quam cruentum in grauissimis fidei dogmatis, prętium non tibi tantum cum Caluinianis exteris, sed & inter ipsos Caluinianos exteros intercedat;

131 perspectaque vsque eo multiplici prętensæ suæ Fidei Reformationis diuisione, confusioneque Babylonica, erubescere tandem aliquando ad salutem incipiant: erubescere, inquam, quotiescumque suos audiunt Ministros prædicantes se idipsum docere, quod septentrionales Caluinismi buccinatores] hæc ille, & plura, quæ, si lubet, quisuis apud ipsum videat. nos dictis contenti simus.

De hæresiarchis Ioanne Piscatore, & Tileno quænam resolutio? quænam item inter priorem, & Worstium prædictum contentio?

REGVLA CCCXIII.

132 Hic etiam Ioannes Piscator Caluinianę Theologiæ in schola Herbornensi Professor extitit, multisque implicatus erroribus, & nomine, & re hæresiarcha famosus, & auctor peculiaris sectæ euasit. Cui 133 pari modo, eiusque peruersæ doctrinæ, non spiritu Dei, sed Diaboli, se opposuit idem prædictus Conradus Vvorstius ipsius Piscatoris antiquus discipulus, vt ipsemet 134 fatetur. Atque vice versa iste vehementer illius dogmata impugnauit, ip-135 sique perpetuò restitit. Circa Tilenum autem, licet similiter professoris munus publicè exercuerit, de erroribus tamen eius proprijs nihil certum apparet.

---

136 Svb eodem cap. 4. huius sæculi 17. coniungit Gualter. hos duos hæresiarchas Ioannem Piscatorem, & Tilenum; atq; ab isto posteriore breuiter se expedit sic.

137 Quod ad Tilenum, inquit, attinet, qui se etiam ante aliquot annos audiendum prębuit, nondum mihi speciatim compertum est, ijdem ne sint eius errores, qui & Piscatoris; aut quibus in rebus ipse à reliquis Theologię Caluinianę Dogmatistis dissideat.

138 Illud tantum generatim accepi, Petrum Molinæum Ministrum Charantonium, aliosque nonnullos eius Symmistas, siue Parisijs, siue Charantonij, de rebus fidei cum Piscatore concertasse, nec conuenire intèr se se potuisse) hæc Gualter. de illo, nec in pręsenti quidquam addendum occurrit, fortè occuret infrà.

139 Alter verò hæresiarcha qualisnam fuerit, in communi paucis tradit Gualter. ibidem. Ioannes, inquit, Piscator Theologiæ Caluinianæ in Schola Herbornensi Professor multis se erroribus nostro sæculo coinquinauit, quos & improbarunt multi eius Symmystæ. ita ille. Quomodo item Conradus Vvorstius se Piscatori suo magistro opponat, & è conuerso hic contra illum insurgat, expressis in paticulari dictis erroribus innotescet.

140 Primus error, *Christum per solam obedientiam mortis, non autem per obedientiam vitæ, peccatorum remissionem nobis promeritum esse*; ac proinde illam solam, non etiam obedientiam vitæ à Deo nobis 141 imputari.) Sunt illius verba ferè syllabatim in Responsione sua ad epistolam Ministrorum Gallorum in synodo Nationali Vapincensi, mense Octob. anni 1603. congregatorum, data in Arce Dellembargo 24. Ia-142 nuarij 1604. In qua distinguit duplicē Christi obedientiam: *Vnam vitæ, quam* præstitit legi communi, sanctè secundum eam citra passiones viuendo: alteram mortis, quam præstitit speciali mandato Patris de patiendo & moriendo pro electis. Ita in illa Responsione.

143 Hanc autem hæresiarchæ Piscatoris doctrinam condemnauit prædicta Vapincensis synodus Caluiniana cap. 1. quod est, de electione confessionis fidei, art. 2. per sequentia verba.

144 Synodus exponens articulos 18. 20. 22. Confessionis fidei circa nostram iustificationem, coram Deo detestatur omnes errores contrarios, qui hodie proponuntur; nominatim verò eorum errores, qui negant, iustitiam actiuam, & obedientiam perfectam, qua Dominus Noster Iesus Christus legem impleuit, nobis imputari ad iusti-145 tiam. Quocirca Synodi Prouinciales, Colloquia, & Consistoria, oculos habebunt defixos in ijs, qui tali errore imbuti sunt, siuè Pastores, siuè alij, vt illis auctoritate huius Synodi silentium imponant, atque adeo eos deponant, qui cum munere Ecclesiastico fungantur, in suo errore persistunt.) ita ibi, & circa idem immediatè additur sic.

146 Scribetur ad D. Piscatorem, vt rogetur, ne suarum opinionum diuersitate, ac nouitate Ecclesias turbet. Rogabuntur quoque per literas Vniuersitates Angliæ, Scotiæ, Lugduni Batauorum, Geneuę, Heydelbergæ, Basileæ, ac Zigę, in qua docet D. Piscator, vt nobis in hac censura se se ad-147 iungant. Interrea DD. Ferrerius. & Sonys parabunt se ad respondendum Domino Piscatori, vt res tota expedita sit in sequentem Synodum Nationalem, si in suis opinionibus ille permaneat. Legetur autem hic articulus, ac studiosè obseruabitur in omnibus Synodis prouincialibus Ita ibi, vt refert Gualter. citat.

148 Qui in hunc modum adiungit. Hæc synodicè, inquit, Ministri Gallię, qui Piscatoris errores, vel ignorarunt, vel dissimula-149 runt. At non dissimulat, sed repudiat, ac refellit Conradus Vvorstius, Minister, in Hollandia potissimum nominatissimus, qui in libro suo, quem inscripsit, *Amicam collationem inter Ioan. Piscatorem, & Conradum Worstium*, Goudæ edito per Gasparem Tournæum anno 1613. licet Piscatorem agnoscat pro vetere præceptore, pro se tamen citat illud Aristotelis, *Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica Veritas*: in pręfatione ad lectorem) hæc Gualter.

150 Refert item ipse, quod Vvorstius de Piscatore sic in citata præfatione loquatur. Dissentit & ipse sæpè à Caluino, Beza, Zanchio, alijsque præceptoribus suis, quos tamen in Domino piè colit.) & nonnullis in-151 teriectis sic: Facillimum mihi foret ostendere (imò non minima ex parte hic ostendi) me publicam Ecclesiæ confessionē hic retinere; contraq; D. Piscatorē in multis etiam à Caluino, Beza, Martyre, Zanchio, magisq; à Bul-

Vbi eodem anno 1611 primam Cathedram adeptus est Vvorstius; quantumcunque Angli alijq; septemtrionales Caluiniani suis ad Ordines Hollandiæ Fœderatos monitis, precibus, ac minis obstare conati sunt.

120 Qui Ordines Vvorstiũ à Cathedra Steinfurtensi ad Leydensem literis Hagæ datis, 19 Octob. 1610. & ad Comitem Steinfurtensem directis, aduocarunt, eumq; iuuerunt, tutati sunt, ac promouerunt, non re ipsa tantum, sed & solemni testificatione in Comitijs generalibus Hagæ habitis anno 1611 à die 28. Februarij ad diem 21 Maij.

121 In qua suam authoritatem interposuit tum nobilitas, tum numerosior Ciuitatum consensus; audito nimirum Vvorstio suę rationem doctrinæ reddente, præsentibus, atque in eam rem conuocatis duodecim ministris, sex quidem ex Vvorstij aduersarijs; sex verò ex eius fautoribus] hæc ille, & immediatè prosequitur in hunc modum.

122 Hoc porrò, inquit, Vvorstij patrocinium tam ardenter, tamque honorificè ab Hollandię Ordinibus susceptum adeò molestè tulit Rex Angliæ, vt, nisi ab eo desisterent, Vvorstiumque expellerent, grauiter minatus sit, se non modo illos Apostatarum fautores proclamaturum, ac per vniuersum orbem terrarum promulgaturum, sed etiam suum cum illis fœdus immortalibus inimicitijs permutaturum. Quibus minis territi Ordines Vvorstium Lugduno Batauorum in vrbem aliam migrare iusserunt.] ita ille.

123 Eisdem item Angliæ Regis minis haud dubie inducti fuerunt ad insectandum acriter lingua & calamo Conradum Vvorstium tum alij Puritani, tum præ cæteris Sibrandus Lubbertus, de quo sic breuiter Gualter. cap. 7 sęculi 17. coniungens simul eadem breuitate quod spectat ad prælium contra eundem Lubbertum à Vvorstio peractum; accipe eius verba.

124 Est, inquit, hic (loquitur de Lubberto) vnus ex rigidioribus Caluini Assectatoribus, vnus item ex acerrimis Vvorstij inse-
125 ctatoribus. Quem vice versa Vvorstius sępè exagitat, maximè verò libro illo integro Lugduni Batauorum anno 1612. per Godefridum Basson edito, quem inscripsit, *Catalogum errorum, siue hallucina-*
126 *tionum D. Sibrandi Lubberti.* Nec non eo libro Lugduni Batauorum anno 1612 per Ioannem Patium edito, quem vocat, *Conradi Vvorstij Responsum plenius ad scripta quadam exi stica, non ita pridem à diuersis Fratribus contra ipsum edita: præsertim verò ad Ministrorum Leouardiensium commone-*
127 *factionem ampliorem.* In quo Responso suo Vvorstius quatuordecim ex multis, colligit Sibrandi dogmata, quę maximè, & speciatim censet damnanda.

128 Primum est, Deum pręordinasse homines plerosque ad ineuitabilem, ac sempiternum cruciatum, ex absoluto suo beneplacito.

Secundum, Deum pręordinasse homines ad ipsum peccatum, & peccandi necessitatem.

Tertium, Deum elegisse quosdam absolutè, citra respectum fidei in Christum.

Quartum, Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, sed tantum pro paucis illis absolutè electis.

Quintum, Deum nequidem velle eos omnes saluos fieri, quibus Euangelium predicatur.

Sextum, Deum nolle his omnibus sufficientem, ac necessariam conuersionis gratiam largiri.

Septimum, Quotquot conuertuntur, irresistibili quadam Dei virtute conuerti.

Octauum, Semel conuersos nunquam posse gratia Dei excidere, aut fidem suapte culpa amittere, &c.

129. Nono. (Hoc Vvorstius, ac quinque sequentia dicit esse Sibrandi penè propria) Christum non incessisse eadem virtutis, & sanctitatis via, quam nobis monstrauit.

Decimum, Christum non esse adeptum eam felicitatem, quam alijs promitit.

Vndecimum, Christum velle, vt omnes firmiter credant, se esse electos, licet hoc falsum sit.

Duodecimum, Fidem viuam, quatenus viua est, nullo modo nobis imputari ad iustitiam.

Decimum tertium, Eandem fidem non esse (saltem iuxta Pontificios) iustitiam nobis inhęrentem.

Decimum quartum, Pœnitentiam esse simpliciter posteriorem iustificatione.] hactenus Gualter.

130 Qui sic concludit: Hęc syllabatim, inquit, ex Vvorstio transcripsi, ea potissimum de causa, vt Caluiniani nostri Galli, quorum saluti in primis consultum cupio, dilucidiùs animaduertant, quam cruentum in grauissimis fidei dogmatis, prelium non tibi tantum cum Caluinianis exteris, sed & inter ipsos Caluinianos exteros intercedat;
131 perspectaque vsque eo multiplici pretensæ suæ Fidei Reformationis diuisione, confusioneque Babylonica, erubescere tandem aliquando ad salutem incipiant: erubescere, inquam, quot escumque suos audiunt Ministros prædicantes se idipsum docere, quod septentrionales Caluinismi buccinatores] hæc ille, & plura, quæ, si lubet, quisuis apud ipsum videat. nos dictis contenti simus.

De bart·

De hæresiarchis Ioanne Piscatore, & Tileno quænam resolutio? quænam item inter priorem, & Vvorstium prædictum contentio?

REGVLA CCCXIII.

132 HIc etiam Ioannes Piscator Caluinianæ Theologiæ in schola Herbornensi Professor extitit, multisque implicatus erroribus, & nomine, & re hæresiarcha famosus, & auctor peculiaris sectæ euasit. Cui 133 pari modo, eiusque peruersæ doctrinæ, non spiritu Dei, sed Diaboli, se opposuit idem prædictus Conradus Vvorstius ipsius Piscatoris antiquus discipulus, vt ipsemet 134 fatetur. Atque vice versa iste vehementer illius dogmata impugnauit, ip-135 sique perpetuò restitit. Circa Tilenum autem, licet similiter professoris munus publicè exercuerit, de erroribus tamen eius proprijs nihil certum apparet.

---

136 SVb eodem cap. 4. huius sæculi 17. coniungit Gualter. hos duos hæresiarchas Ioannem Piscatorem, & Tilenum; atq; ab isto posteriore breuiter se expedit sic.

137 Quod ad Tilenum, inquit, attinet, qui se etiam ante aliquot annos audiendum præbuit, nondum mihi speciatim compertum est, ijdem ne sint eius errores, qui & Piscatoris; aut quibus in rebus ipse à reliquis Theologię Caluinianę Dogmatistis dissideat.

138 Illud tantum generatim accepi, Petrum Molinæum Ministrum Charantonium, aliosque nonnullos eius Symmistas, siue Parisijs, siue Charantonij, de rebus fidei cum Piscatore concertasse, nec conuenire inter se se potuisse) hæc Gualter. de illo, nec in pręsenti quidquam addendum occurrit, fortè occuret infrà.

139 Alter verò hæresiarcha qualisnam fuerit, in communi paucis tradit Gualter. ibidem. Ioannes, inquit, Piscator Theologiæ Caluinianæ in Schola Herbornensi Professor multis se erroribus nostro sæculo coinquinauit, quos & improbarunt multi eius Symmystæ. ita ille. Quomodo item Conradus Vvorstius se Piscatori suo magistro opponat, & è conuerso hic contra illum insurgat, expressis in paticulari dictis erroribus innotescet.

140 Primus error, *Christum per solam obedientiam mortis, non autem per obedientiam vitæ*, peccatorum remissionem nobis promeritum esse; ac proinde illam solam, non etiam obedientiam vitæ à Deo nobis 141 imputari.) Sunt illius verba ferè syllabatim in Responsione sua ad epistolam Ministrorum Gallorum in synodo Nationali Vapincensi, mense Octob. anni 1603. congregatorum, data in Arce Dellembargo 24. Ia-142 nuarij 1604. In qua distinguit duplicē Christi obedientiam: *Vnam vitæ, quam* præstitit legi communi, sanctè secundum eam, citrà passiones viuendo: alteram mortis, quam præstitit speciali mandato Patris de patiendo & moriendo pro electis. Ita in illa Responsione.

143 Hanc autem hæresiarchæ Piscatoris doctrinam condemnauit prædicta Vapincensis synodus Caluiniana cap 1. quod est, de electione confessionis fidei, art. 2. per sequentia verba.

144 Synodus exponens articulos 18. 20 22. Confessionis fidei circa nostram iustificationem, coram Deo detestatur omnes errores contrarios, qui hodie proponuntur; nominatim verò eorum errores, qui negant, iustitiam actiuam, & obedientiam perfectam, qua Dominus Noster Iesus Christus legem impleuit, nobis imputari ad iusti-145 tiam. Quocirca Synodi Prouinciales, Colloquia, & Consistoria, oculos habebunt defixos in ijs, qui tali errore imbuti sunt, siuè Pastores, siuè alij, vt illis auctoritate huius Synodi silentium imponant, atque adeo eos deponant, qui cum munere Ecclesiastico fungantur, in suo errore persistant.) ita ibi, & circa idem immediatè additur sic.

146 Scribetur ad D. Piscatorem, vt rogetur, ne suarum opinionum diuersitate, ac nouitate Ecclesias turbet. Rogabuntur quoque per literas Vniuersitates Angliæ, Scotiæ, Lugduni Batauorum, Geneuę, Heydelbergæ, Basileæ, ac Zigę, in qua docet D. Piscator, vt nobis in hac censura se se ad-147 iungant. Interrea DD. Ferrerius. & Sonys parabunt se ad respondendum Domino Piscatori, vt res tota expedita sit in sequentem Synodum Nationalem, si in suis opinionibus ille permaneat. Legetur autem hic articulus, ac studiosè obseruabitur in omnibus Synodis prouincialibus Ita ibi, vt refert Gualter. citat.

148 Qui in hunc modum adiungit. Hæc synodicè, inquit, Ministri Gallię, qui Piscatoris errores, vel ignorarunt, vel dissimula-149 runt. At non dissimulat, sed repudiat, ac refellit Conradus Vvorstius, Minister, in Hollandia potissimum nominatissimus, qui in libro suo, quem inscripsit, *Amicam collationem inter Ioan. Piscatorem, & Conradum Worstium*, Goudæ edito per Gasparem Tournæum anno 1613. licet Piscatorem agnoscat pro vetere præceptore, pro se tamen citat illud Aristotelis, *Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica Veritas*: in pręfatione ad lectorem) hæc Gualter.

150 Refert item ipse, quod Vvorstius de Piscatore sic in citata præfatione loquatur. Dissentit & ipse sæpè à Caluino, Beza, Zanchio, alijsque præceptoribus suis, quos tamen in Domino piè colit.) & nonnullis in-151 teriectis sic: Facillimum mihi foret ostendere (imò non minima ex parte hic ostendi) me publicam Ecclesiæ confessionē hic retinere; contraq; D. Piscatorē in multis etiam à Caluino, Beza, Martyre, Zanchio, magisq; à Bul-

à Bullingero, Musculo, Aretio, alijsque præcipuis Ecclesiæ nostræ doctoribus haud pa-
152 rum dissentire. ita Vvorstius, qui in citato suo libro, Piscatoris hæresiarchæ errores sigillatim detegit Itaque

153 Secundus eius error est, quòd malè constituatur in Deo voluntas conditionata. Ita Piscator contra Thesim 13. Vvorstij: Si Deus, inquit, vult quędam facere sub conditione, sequitur illa tum demum velle, cùm conditio impletur; & desinere velle, cùm conditio prestare desinit, ac proinde voluntatem Dei esse mutabilem. hęc Piscator (vt refert Gualter) quem refellit Vvorstius, sect. 4

154 Tertius error, quòd Deus velit actiones iniustas, affirmat Piscator Thes. 45. Vvorstij vbi hic ait, *liberam Dei voluntatem esse regulam iustitiæ*. Quod ille impugnat sic. Hoc, inquit, eget declaratione. Nam si intelligatur de mandatis Dei, verum est: si verò de decretis Dei, non item. Quippè ex Decreto Dei Iudas Christum prodidit, & Iudæi eundem interemerunt; & tamen vtrorumq;
155 actio iniusta fuit. Pari modo Thesim 18. Vvorstij, qua hic resoluit. Omne illud iustum esse, quod naturæ, & voluntati Dei consentaneum est Reprobat Piscator sic. At consentaneum, inquit, erat voluntati Dei, vt Iudæi, & Gentes occiderent Iesum Christum, & tamen id iustum non erat, quia pugnabat cum præcepto Dei, Ne occidas. hæc ille, quæ statim confutat Vvorstius sect. 16. 24. teste Gualter.

156 Quartus error, Deum effectiuè velle peccatum fieri, atque illud procurare. Hanc esse Piscatoris sententiam constat manifestè ex quinq; locis: Primò, ex sect. 6. Vvorstij, vbi hic Thesi sua 16. asserit: Peccatum nullo modo Deum ab alijs fieri velle. & Piscator sic arguit. Si Deus peccatum nullo modo fieri vellet, non permitteret fieri, sed impediret, cùm impedire possit.

157 Dein ex sect. 17 vbi Vvorstius Thesi sua 52. affirmat, Inter errores referri, statuere, peccata fieri Deo procurante, & omninò sic volēte: statim Piscator his verbis impugnat. At rem ita se habere, patet è S. Scripturæ testimo-
158 nijs. Tertiò, ex sect. 16. vbi ait Vvorstius Verū quidem esse, non velle Deum, vt peccata simpliciter fiant, interim fieri posse velle. Sic Piscator censurat. Imò, inquit, Deus non solum vult peccata fieri posse, sed etiam vult vt fiant, quia vult creaturis rationalibus patefacere & iustitiam suam in peccatis puniēdis, & misericordiam in peccatis ignoscendis.

159 Quarto ex sect. 64. in qua Vvorstius omninò negat, Deum procurare peccata vlla ratione Piscator verò illicò in hunc modum refellit Atqui Deus procurauit, vt Absalom stupraret vxores Dauidis; item, vt pelliceretur Achab per spiritum mendacij ad suscipiendum bellum: item Deus procurat patefactionem suæ iustitiæ, & misericordiæ in peccatis vel puniendis, vel ignoscendis: ergo etiam procurat peccata ipsa, quippè sine quibus patefactionem illam procurare non posset,

160 Quinto tandem ex sect. 89. vbi dicit Vvorstius, Deo adimi veram iustitiam, si dicatur nos ad peccata destinare, quæ tamen ipse seuerissimè prohibeat. quod Piscator ita reij-
161 cit: Deus, inquit, destinauit hominū alios ad salutē ex misericordia peccata ignoscente eis tribuendam; alios ad interitum ex iustitia peccata puniente eis inferendum: ergo destinauit homines in vniuersum ad peccata, quippe sine quibus fines illos effectos dare
162 non posset. hęc Piscator, contra quem in dictis locis Vvorstius semper acriter insurgit, vt ait Gualter.

163 Quintus error: hominem ad fidem conuerti, Deo vim, cui resistere homo non potest, hominij afferente. Cum enim Piscator Vvorstium legisset, *Negantem, in conuersione a Deo afferri homini vim quandam simpliciter*, vt loquitur, *irresistibilem*, illum explodit hac censura. *Si in conuersione homo Deo operanti resistere, & operationem illius impedire potest, sequitur Deum non esse omnipotentem, & hominem esse Deo potentiorem*. Hunc autem propulsat Vvorstius sect. 118. totidem verbis Gualterij.

164 Sextus error, quem Piscator tenuit, Christum voluntate diuina Iudæos ad se colligere non voluisse: à Vvorstio enim aiente, *Verè voluisse Christum olim Iudæos ad se colligere*. sic dissentit Piscator in sect. 120. Nempè voluntate humana, vt minister circumcisionis: Atqui hic quæstio est de voluntate diuina. Eum verò refellit in eadem sectione Vvorstius, ita ad verbum Gualter.

165 Septimus error eiusdem, quòd homo in sui conuersione non cooperetur Deo. Cum enim hoc Vvorstius affirmasset, sic contra eum Piscator insurgit in sect. 132. *Hic statuit, hominem Deo in conuersione sui cooperari, ac proinde habere vires ad bonum*; quippè qui, si sibi desit, idest, non cooperetur, non etiam conuertatur. At Paulus fidelibus Philippensibus dicebat: Deus est is, qui efficit in vobis & vt velitis, & vt efficiatis. Philip 2 hæc Piscator, cui se opponit Vvorstius in eadem sectione; & quòd malè intelligat verba Apostoli, ostendit.

166 Octauus tandem Piscatoris error est, quòd prædestinatio Dei sit causa incredulitatis. Nam Vvorstium in sect. 133. malè intellectæ disputationis Pauli ad Roman. ita accusat: Falsum, inquit, affingit scopum disputationi
167 Pauli Rom. 9 Verus autem scopus est occurrere scandalo, quod tunc oriebatur ex incredulitate Iudæorum. Hoc facit, dum ostendit, incredulitatem illorum pendere à prædestinatione Dei. hæc Piscator, quem refellit Vvorstius ibidem & illi exprobrat, alibi scripsisse, reprobationem esse causam, imo præcipuam causam incredulitatis: eius verba audiamus.

168 Etenim, inquit Vvorstius, in disputatione tua contra Schaafm. pag. 86. palam scribis, principem incredulitatis causam esse reprobationem; sicut princeps fidei causa sit electio. Item pag. 40. Incredulos reprobos huc constitutos

tutos esse à Deo, vt ad sermonem offendat, 169 hoc est, te interprete, ne credant, &c. Et in disputatione H. Rauenespergeri pag. 69. & 71. tueris hasce Theses D. Rauenspergeri, Decretum reprobationis esse causam incredulitatis: Item, Deum impedire reprobos, ne credant, sicque causam incredulitatis esse, &c. 170 Item sententias. Qui igitur hanc dependentiam effectiuam inter incredulitatem, & reprobationem clarè agnoscit, an non idem Deum incredulitatis auctorem re ipsa constituit? præsertim si ipse agnoscat (prout tu facis contra Schaasm. pag. 107.) causam causæ inferioris, etiam esse causam effecti cõmunis? Nam si rebrobatio est causa incredulitatis (vt ais) certè Deus, qui illius causa est, etiam huius causa erit, ex sententia tua. Hæc Worstius contra Piscatorẽ, & plura alia, quæ refert Gualter loco citato, cuius hæc est circa ista conclusio.

171 Sic, inquit, Conradus Worstius Minister, ac Theologus Caluinianus, cum Ioanne Piscatore Theologo item Caluiniano digladiatur; idque non in rebus exiguis, aut leuibus (vt indicare velle videtur ipse Worstius, cum ad tegendam harum intestinarum pugnarum turpitudinem, in eadem Præfatione scribit, se, & Piscatorem in omnibus scitu necessarijs idem sentire) sed in re-172 bus grauissimis: Nisi quis rem non grauissimam, sed exiguam, ac leuem ducat, errare circa hominum iustificationem, Deum obtrudere, qui iniustitiam, ac peccatum, & incredulitatem velit, procuret, efficiat; ac denique (vt ipsius Worstij verbis vtar) *in materia diuinæ prædestinationis, eiusque annexis periculose admodum errare, & blasphemare*. Ita Gualter. Atque hic finis Regulæ.

Circa hæreticos Pseudoirenicos, siuè falsos Pacificos, aut Tepidos, sectamque eorum quid statuendum?

REGVLA CCCXIV.

173 VErissimum censetur illud respectu quorumcunque maxime hereticorum, quòd multò magis pertimescendum ab inimico, qui se amicum simulat, in oc-174 culto insidias parante, quam ab hoste manifesto, & publico persequente. Non defuerunt in alijs seculis, nec desunt in presenti decimoseptimo, qui sub prætextu pacis, & vnionis retinendæ cum omnibus, buccinantes se in credulitatis professione cum veris fidelibus conuenire, Fidem Catholicam suis 175 hæresibus vehementius impugnant. Hinc Pseudoirenici, seu falsi Pacifici, siue Pacificatores appellati. Tepidi verò dicti, quòd neutri parti oppositæ, puta Lutheranismi, & Caluinismi, nimis ardenter adhæreant, proptereà istorum secta perniciosior habetur.

176 AGit de his vnicus noster Antesignanus Gualter. cap. 3. sæculi præsentis 17. quem parum à longè initium sumentem audiamus.

177 Qui singulorum, inquit, præcedentium sæculorum hæreses perpenderit, facile animaduertet, nunquam fermè defuisse, qui pacis studium modo aliquo præ se ferret; quos interdum nos supra tetigimus, maximè verò sæcul. 5. cap. 23. quod est de Pacificatoribus, seu Tepidis; ac sæcul. 16. cap. 10. quod est de Melanchthonicis, siue Mollibus Lutheranis, & cap. 81. quod est de Pacificorum Anabaptistarum secta: nec non in duodecima eiusdẽ sæculi columna, ann. 1578. quando Ioannis Sturmij *Viam mediam* excogitantis meminimus. Ita ille in communi, & prosequitur sic.

178 Qui Pacifici, seu Pacificatores, primo quidem intuitu propius ab Ecclesia Catholica abesse videntur, & ad eius gremium facilius, quàm cæteri Errantes posse conuerti; vt & re vera illud de ijs sperari potest, qui non tam malitia, & obfirmatione, quam ignorantia, & naturali quadam animi simplicitate, ac facilitate suam istam pacis speciem suffulciunt.

179 Verum in huiusmodi tempore, si ignorantiæ præponderet malignitas, ac peruicacia, est sanè hic tepidus error & ipsis errantibus omnium perniciosissimus, & cæteris periculosissimus, vt verè illis tribui possit, quod Angelo Laodiceę Ecclesiæ ait ipsa Veritas, Apo-180 calyp. 3. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec calidus, nec frigidus, incipiam te euomere ex ore meo. Hæc ille.

181 Qui indè hoc benè infert. Cogitent, inquit, apud se, quo tandem animo erga Deũ sint, qui cum immaculata veræ Ecclesiæ veste, putida hæreticorum pannicula consuere falsæ pacis prætextu conniuntur. Ego relicta diuino iudicio de cuiusque mente sentẽtia, propositiones dumtaxat aliquot, eò spe-182 ctantes, quas ex nõnullis Caluini (est enim huius temporis Pseudoirenismus Caluinismi surculus) alumnis breuiter recensebo. Huc vsque Gualterius.

183 Quocum pro indicãdo sufficienter Pseudoirenismo, seu Tepidorum sectæ nequitia magis exprimenda, ad dictas propositiones recensendas accedamus.

184 Prima, Quod nemo reputare debet Ecclesiam Caluinisticam esse à Catholica alienam, imò neque aliam. Ita minister quidam Anonymus, assumpta larua nominis Christiani Constantis, in libello suo aduersus R. P. Cotonum, edito Geneuæ, tacito nomine Vrbis 1601. Si propriè, inquit, & germanè iudicandum sit, non sunt duę Religiones, sed vna. Neque enim Religionem mutauimus, nati vtique ex parentibus baptizatis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; ipsi nos pariter Christiani, & in eodem nomine bap-185 tizati. Et paulò post. Sic neque alteram Religionem habemus, neque alteram Ecclesiam

ſiam: & aliquibus interiectis, addit ſuos Caluinianos non eſſe ita ab Eccleſia Romana remotos, vt Arrianos, Neſtorianos, &c.

186 Huc item reſpicit Ioannes Serranus Miniſter Arauſicanus, in ſua Religionum concordia, ex qua ad idem confirmandum multa adducit Gualterius; pauca tamen nos deſumimus, omiſſis alijs. fol. 4. ſic.

187 Vt vna veritas eſt; ita vna fides omnium Chriſtianorum in vna veritate: Hæc eſt fides Catholica, quam quærimus; omnibus Chriſtianis ſemper, & vbique rata. Et mea, & tua intereſt illam ſolidè intelligere. Hoc tuum ſanè, hoc meum. Variæ illæ verbi interpretationes verbum haud quaquam variant.) ita ille, & addit ſimilem.

188 Quemadmodum, inquit, inter liberos eiſdem parentibus natos, quibus vnum teſtamentum, vnum ius, vna hæreditas, variæ controuerſiæ naſci ſolent, dum teſtamenti verba alij aliter interpretantur, pro vt quiſque ad ſuum commodum putat pertinere: Sic inter Chriſtianos, quorum Deus Pater eſt, Eccleſia Mater. ita ille ibi, & proſequitur fol. 5. ſic.

189 Omnino, inquit, factum eſt ſingulari Dei prouidentia, poſt tot ſæculorum, turbarumque intemperies, vt recta illa Catholicæ veritatis ratio, qua Chriſtianorum omnium fides innititur; & è qua omnes ſalutem ſperant, cum ſacro Baptiſmo (non publico tamen eiuſdem Religionis inſigni, ſed authentico ſigillo) in Eccleſia Chriſtia-

190 na ſit conſeruata. Firmiſſimo quidem aſſenſu idcirco baptizari Chriſtianos omnes, vt non modo à Turcis, cæteriſque peregrinis diſcriminentur, ſed vt ſe idem vnà credere profiteantur. Hæc ſi omnia conſtet omnibus Chriſtianis eſſe communia, ecquis de communi veritatis iudicio apud illos rato poterit cum ratione ambigere?) Poſt hæc, & alia nonnulla proſequitur fol 31. ſic.

191 Hoc igitur a me ſumma fide, & cura iam enitendum eſt, Operis huiuſce de fide Catholica à me inſtituti, vt probem, antiquam, & catholicam veritatem, omnibus Chriſtianis etiam num probari, ac proindè Religionis Chriſtianæ omnibus ſemper & vbique ratę fidem, & auctoritatem, in medijs etiam diſſidijs conſtare, ad verum videlicet veræ concordiæ ſternendum, etc.

192 Ad idem item tendit ſine dubio Iſaac Caſaubonus Geneuenſis, qui ex Puritano Gallo in Angliam traijciens, Luthero Caluiniſta, & Proteſtans ſtatim factus, ad hanc mutationem honeſtandam, munus Pacificatoris, ac Religionum Conciliatoris ſe ſuſcepiſſe nititur oſtendere, vt refert Gualter. citatus in Reſponſione ad Epiſtolam Eminentiſſ. Cardin. Perronij, edita Londini per Ioan. Norton.

193 Sic ſcribens, Eccleſiam Anglicanam adeò non deſciuiſſe à fide veteris Eccleſiæ Catholicæ, quam veneratur & ſuſcipit Rex, vt ne à fide quidem Romanæ Eccleſiæ deſciuerit, quatenus illa cum vetere Eccleſiea conſentit. Si quæretur ſucceſſio perſonarum, in promptu ſunt nomina Epiſcoporum, & ſeries à primo nuſquam interrupta.

194 Et paulo infra. Parata eſt Eccleſia Anglicana fidei ſuæ reddere rationem, & rebus ipſis euincere, auctoribus Reformationis hic inſtitutę non fuiſſe propoſitum nouam aliquam Eccleſiam condere, &c. hæc ibi Caſaubon. & addit ſic Gualter.

195 Quid, inquit, inter hæc affinitatis eſſe poteſt, & commune Miniſtrorum Eccleſiam Romanam, Babylonem, Meretricem, & Idololatriæ Magiſtram paſſim vocitantium idioma? Repete vndecimam Veritatem noſtram, præcipuè ſæculi 1. ita ille.

196 II. Propoſitio Pſeudoirenicorum, quòd fidei veritas nequaquam ſit erroribus permixta. Tradit ſic Ioan. Serranus in ſua Concordia citata fol. 7. Veritas immixta vanitate, non magis eſt veritas, quam cibus veneno infectus eſt cibus. & infra ſic. Vanitatem cum veritate miſcere, execrabile adulterium: ita ibi, ex relatione Gualterij citati, cuius iſta eſt breuis adiunctio.

197 Quid, inquit, hæc habent ſimilitudinis cum Errore 4. Caluiniſmi, errorem cum fide ſæpè, imo ſemper commiſcente, vt ſuo loco oſtenſum eſt?

198 III. Propoſitio, quòd Eccleſia non erret, Idem Ioan. Serranus in citata Concordia, not. 6. fol 13. ſic: Eccleſia Catholica, veritatis columna, & firmamentum, de veritate rectè iudicat ſuo ordine, & modo, ſub-

199 ordinata non repugnant. & infra. Omnes, inquit, vnam Eccleſiam eſſe credimus, ſanctam, Catholicam, Communionem ſanctorum; quæ veritatis hæres, teſtis, cuſtos, interpres eſt, quæ de veritate proindè iudicare legitimè debet, & fructuosè poteſt.

200 Item fol. 19. Cum Eccleſia hominibus conſtet, ſalutaris veritas hominibus ſit deſtinata, homines denique ipſos hominibus docendis conſtituat Deus, non Angelos, qui noua quædam oracula eis annuncient: Certè de veritate è ſcriptura ſic iudicat Eccleſia, vt non vanum ſit ipſius iudicium. hæc ille, & alia, teſte Gualterio.

201 Qui ſic concludit, ad manifeſtandam clarius Ioannis Serrani Pſeudoirenici laruam. Hæc ille inquit, quę nemo non videt planè repugnare Caluino multis in locis affirmanti, Eccleſiam errare poſſe, atque adeo erraſſe. Vide loca in Verit. 12. ſęcul. 1. §. 2. & in erro. 53. Caluiniſmi annotata. hæc Gualter. apud quem aliqua hic etiam ommiſſa legas.

202 IV. Propoſitio. Quòd non cuiuſuis, ſed ſacerdotum, & Eccleſię ſit, ſcripturam, ac fidei myſteria exponere. His verbis in cit. Concordia dictus Serran. affert. Faſnè erit cuilibet de tantis myſteriis dicere ſententiam arbitratu ſuo? Iubet disertè Deus, vt ſacerdotis labium, velut labium ſuum

203 interrogemus. & mox. Illam nimirum recti iudicij regulam luculenta illa veritas omni-

omnibus Christianis accepta, duabus stellis illustrem ostentat, Scriptura, & Ecclesia. Et vt ipsa veritas vna est, sic vnũ vtriusque iudicium à se ipsa esse perspicue docet, licet & illius, & huius iudicium, suo, & ordine, & modo distinguatur; commune haud dubiè vtriusque iudicium est; vtraque enim 204 de veritate. Hæc ille; post ipsa verò, & pauca alia addit Gualterius. Quibus autem, inquit, in locis contrarium doceat Caluin. repete ex errore. 14 Caluinismi.

205 V. Propositio. Quòd præter verbum scriptum admittendæ quoque sint Traditiones non scriptæ. De hoc item Serran. loc. cit. fol. 8. sic. Noui equidem, inquit, disceptari inter Christianos, solanè Scriptura ad solidam cognitionem sit satis, cui verbum non scriptum ad supplementum sic adiungatur, vt quasi inferiori, & obscuriori scripturę auctoritate, ad Ecclesiæ iudi-206 cium auctoritatemq; sit recurrendum. At nemo vnquam sobrius negauit, Scripturæ, & Ecclesię suum iudicium, auctoritatemq; constare, vt primus Deo, secundus Ecclesię tribuatur gradus. Ita de iudicij potius ordine agitur, quam de iudicio ipso. hæc ille: quibus quam oppositus fuerit Caluinus cum suis sequacib. ostensum suprà, erro. 8. Caluinismi.

207 VI. Propositio. Quòd sit magnificandum, ac proferendum SS. Patrum, Conciliorum, Iuris Canonici, atque etiam Doctorum scholasticorum ad interpretandam scripturam testimonium. Patet ex verbis Serrani in Concord. cit. pag. 5. Commune, inquit, iudicium omnium nostrum, qui Baptismo insigniti Christi nomen profitemur, hoccine non erit? Prophetas, & Apostolos vt authenticos veritatis Notarios, nonne omnes vnanimi consensu reueremur? 208 Certè. Ecquos autem meliores, & aptiores illorum interpretes agnoscere possimus quam & orthodoxos illos Doctores Ecclesię Catholicæ, qui ante natas controuersias vixerunt, in Europeis, Asianis, Africanis Ecclesijs illustres? Ireneum puta, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, cęterosque illos viros augusto Patrum nomine apud omnes maximè reuerendos? Planè illorum fides, & auctoritas omnibus peræque accepta est sanis. Hos testes, hos interpretes Propheticæ, & Apostolicę doctrinæ, quæ in sanctis scripturis continetur, omnes am-209 plectimur. Quid? si perspicuum sit, Ecclesiam in Concilijs, vt magnis suis Comitijs, coadunatam, ei doctrinę assensisse; ecquis Christianorum dubitare amplius possit illam veram esse doctrinam, omnibus semper, & vbique ratam, quam scriptura doceat, Doctores orthodoxi Ecclesię interpretentur, Ecclesia denique ipsa Catholica suo consensu confirmet? ita ibi.

210 Dein. pag 31 prosequitur sic. Scripturam, inquit, solam, & certam videlicet veritatis regulam, velut fundamentum mex probationis constituo; Patrum orthodoxorum, vt interpretum, testimonia; scripturæ verum commentarium continuo adiungo, &c. Ecclesiæ Catholicæ consensum tandem recenseo, vt sacræ doctrinæ clausulam, & signaculum; Ecclesia enim credendo illi veritati Dei, obsignat Deum esse ve-211 racem. Iam verò cum Ecclesia sit, vbi veritas est, & princeps, primariusque instituti nostri finis sit, Concordiam Christianorum in veritate inuenire, illam Catholicam veritatem primum in Conciliorum illorum Oecumenicorum (quorum, vt omni exceptione maiorum auctoritatem omnes Christiani reueremur) documentis, noto; in cæteris deinde Concilijs per omnes Ecclesiæ ad hunc vsque diem ætates, summa fide 212 curaque eandem inuestigo. Denique in Decretorum, Decretalium, Extrauagantium, Clementinarum scriptis illam ipsam exquiro. Quibus celebriorum Scholasticorum Petri Lombardi, Thomę, Scoti, Bielis, Bonauenturæ, OKami, Gersonis adiungo notas, vt certissimus eiusdem veritatis consensus tot, tantorumque testium suffragijs constituatur. ita ille.

213 Eadem tendere saltem ex parte videtur Isaac Casaubonus loco cit. pag. 29. vi sic: Nec dubitat, inquit, Rex (Angliæ scilicet) cum B. Augustinò pronunciare, quod probatum est, Ecclesiam à prima sua origine ad illa vsque tempora seruasse, id tanquam impium velle reijcere, insolentissimæ esse insaniæ. Tres enim rectè notas Vincentij Lirinensis à principio vbique & semper dudũ amplecti, seuere, nec simulatè, eius Ma-214 iestas est professa. Rex igitur, & Ecclesia Anglicana, quatuor prima Concilia Oecumenica cum admittant, eò ipso satis declarant, veræ, ac legitimæ Ecclesiæ tempus ne includere se vno, aut altero demum sæculo; verum multo longius producere, & Marciani Imperatoris, sub quo Chalcedonense Concilium est celebratum, tempus complecti. hęc ille, vt refert Gualter.

215 Qui immediatè post pauca addit sic. Hęc quàm parum concinant cum verbis Caluini, aliorumque Ministrorum, non modo Concilia Generalia erroris insimulantium, Ius Canonicum passim irridentium, scholasticos sophistarum nomine perpetuo appellantium; sed etiam Patres omnes antiquos, ac SS. Doctores conuicijs lacerantium, vt multis in locis ostendimus, nemo est, qui non videat: hęc ille.

216 VII. Propositio, quòd nullus homo prædestinatus sit ad malum. Ita in suo libel. pag. 84. Anonymus ille fictè Constans appellatus; contra quem est error 17. 18. & 19. Caluinismi,

217 VIII. Propositito, quòd nullus homo excitetur, persuadeatur, sollicitetur, aut impellatur à Deo ad peccandum. Ita idem ficto nomine Constans loc. cit. pag. 85. 86. 94. 95. 132. Quin etiam pag. 132. ait varba esse

esse nimis enormia. quis dicat, hominem instigari, & impelli ad peccatum à Deo?

218 Quæ doctrina nimis enormis defenditur à Caluino; vt patet ex errore 19. Caluinismi. Dictus tamen Constans clarè se manifestat inconstantem, quando pag. 109. ait: Nihil

219 esse incommodi, si dicamus, malum fieri quia Deus vult illud fieri; licet illud ipse non approbet. & pag. 148. Proditionem Iudę non per simplicem Dei permissionem fuisse, sed per consensum, & voluntatem Dei; ita ille, secundum relationem Gualter.

220 sic hoc impugnantis. Quomodo enim, inquit, potest consentire Deus ad faciendum aliquid, aut illud velle, si non approbet, cum ne de viro quidē probo id dici queat?

221 IX. Propositio, quod publica oratio veterum pro defunctis fieri solita, non sit damnanda. Tradit Casaubon. loc. cit. pag. 40. sic. Hunc, inquit, ritum Ecclesia Anglicana non damnat in primis sęculis: Constat tamen ex errore 42. & 43. Caluinismi, & veritate 10. exposita à Gualter. & orationes pro defunctis, ac Purgatorium sæpè à Caluino, & à Symmystis reprobari.

222 X. Propositio, quòd nequaquam omnia opera nostra, vt Deum orare, sint peccata. Ita dictus Constans, pag. 61. oblitus, aut dissimulans, quę in contrarium docuit Caluin. lib. 3 Instit. cap. 14. §. 9. 10. & 11. Vide Gualter. error. 70. Caluinismi, & veritate 5. sęculi §. 12. & seqq;

223 XI. Propositio, quòd Beati sint venerandi, & celebranda eorum festa. Ita Casaubon. pag. 43. loquens de Rege Angliæ. Perplacet, inquit, quòd Ecclesia Anglicana memoriam B. Virginis certis anni diebus concelebret. & pag. 44. Beatos Martyres, & alios Sanctos cum Christo capite vtriusque Ecclesię triumphantis, & militantis, nunc regnantes, veneratur ipsius Maiestas, eosque pro necessitatibus Ecclesię orare non dubitat, precesque ipsorum non

224 esse inutiles firmiter credit. Verum ista Idololatrię accusari à Caluino tradit Gualterius Errore 85. Caluinismi, & Veritate 2.

225 XII. Propositio, quòd sit benè, & vtiliter institutus, ac probandus status virginitatis, & cælibatus, nec non monachatus. Ita Casaubon. loc. cit. pag. 26. Studium, inquit, viuendi in virginitate, aut cælibatu, in continentibus mirum in modum sibi probari Rex profitetur: & pag. 27.

226 sic. Ipsa quoque Monachorum Cœnobia Rex optimus, & pietatis studiosissimus soluturus nō fuit omninò (certè non omnia) vt sæpè affirmantem audiui, si inuenisset integra, & primę Institutionis legem seruā-

227 tia. & pag. 28. ait, Cælibatum inter vtilia Instituta positum fuisse, & consilia. A Caluino verò è contra quam reiecta sint ista, innotescit ex error. 60. 61. & 97. Caluinismi.

228 XIII. Propositio, quòd forma Sacramenti non sit verbum concionale. Tradit Prædictus ille Constans pag. 67. & est manifeste contra error. 92. Caluinismi.

229 XIV. Propositio, quòd Baptismus in casu necessitatis à Laicis administratus, sit validus. Casaubon. pag. 24. Quod, inquit, de nascente olim Ecclesia dixit Tertullianus baptizare Episcopum, Presbyterum, Diaconum: postremo etiam laicis ius esse, in extremæ videlicet necessitatis casu; hoc ipsum in Ecclesia Anglicana, quoad Episcopos, Presbyteros, & Diaconos hodieq; seruatur sine vlla loci, vel temporis, rigida, & penitus inuiolabili obseruatione. Lai-

230 corum vero baptismum, aut fœminarum, vt fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, Baptismum esse pronuncians, etsi non legitime administratum. Ita ille, & prosequitur sic.

231 Serenissimus verò Rex tanti hoc Sacramentum facit, vt quosdam in Scotia Ministros, cum nescio quas nouę disciplinæ ordinationes prætexerent, quominus moribundos infantes rogati à parentibus baptizarent, metu supplicij iniecto ad officium compulerit, minatus extrema nisi parerent.

232 Itaque verba Augustini, quę non baptizatos vita æterna priuant, pręcisè, si de via ordinaria intelligantur, quam solam Christus nos docuit, nihil Rex habet, quod illi sententiæ opponat. Ita ille, cui contrariatur Caluin. vt patet ex error. 92. Caluinismi.

233 XV. Propositio, quòd realitas Eucharistica sit admittenda; de hac Casaubon. cit. pag. 37. sic. Vt igitur, inquit, certo cognoscas, quid in hac Ecclesia super illa re credatur, quid doceatur, describam hic R. D. Espiscopi Eliensis locum integrum ex libro, quem paucos ante menses aduersus Cardinalem Bellarminum edidit: sic ille cap. 1. Quod Cardinalem non latet, nisi volentem, & vltro, dixit Christus: Hoc est corpus meum; non, Hoc modo hoc est corpus meū.

234 Nobis autem vobiscum de subiecto conuenit, de modo lis omnis est: de Hoc est, fide firma tenemus, quòd sit: de Hoc modo est, (nempè trans substantiato in corpus pane) de modo, quo fiat, vt sit per, siue in, siuè cum, siuè sub, siuè trans, nullum inibi verbum est. Ita ille, & paulo post.

235 Præsentiam, inquit, credimus, nec minus, quam vos, veram: de modo præsentię nihil temere definimus, adeo nec anxiè inquirimus, &c. subiungitq; Casaubonius: Hæc fides Regis: hęc fides Ecclesię Anglicanę: de qua pag. 39. addit; Ab Ecclesia

236 inquit, Anglicana, quę in sua Liturgia expressam sacrificij mentionem habet, facilè impetraueris vt in veteris Ecclesiæ vsu acquiescat. Quibus omnibus aduersari Caluinismum prospice ex errorre eius 94.

237 XVI. Propositio, quòd genibus flexis communio sit accipienda. Circa hoc breuiter Casaubon. loc cit. Ecclesia Anglicana genibus flexis communionem corporis Christi accipit. Hoc autem Ministris Gallię olere Idololatriam, omnes norunt, vt ait. Gualt. cit. ex quo prędicta omnia sūpsimus

239 XVII.

239 XVII. Propositio, Quòd Eucharistia ad ægrotos sit deferenda. Casaubon. vbi supra, loquens de Ecclesia Anglicana sic ait. Nec solum in communi conuentu panem mysticum fidelibus diuidit, sed etiã morientibus hoc viaticũ, vt appellant PP. Concilij Niceni, & tota Antiquitas, administrat. Ita ille.

240 Similiter prœallegatus Constans, quanquã timidè pag. 68. idem confirmat, dicens. In multis Ecclesijs Reformatis panis, ac vinũ S. Cœnæ ad ægrotos defertur, ac si nullus esset timor eius abusus, qui hac in re quõdam contigit, facilè permitteremus id fieri. Ita de commun. pro ægrotis in Anglia.

241 Sed quid circa hoc in Gallia, accipe resolutionẽ verbis Gualter. cit. At id, inquit, Gallorũ Ministrorũ neq; praxis, neq; Synodi probare adhuc vllo modo potuerũt. Fortè, quòd legerint Caluinũ Epist. 36. ad Mõsbelgardenses scribentẽ. Cœnã in ordinaria concione institui extrà ordinẽ, vnius rogatu, nimis absurdum esse. Et in Epist. 330. ad Gasparem Oleuianum, cuius initium.

242 Etsi pridem, alium esse morem in Ecclesia Geneuensi. Huc vsque Gualter.

243 XVIII. Propositio, Quòd cõfessio apud Presbyteros sit facienda antè sacrã cõmunionẽ. Idẽ Casaubon. pag. 36. sic. Ecclesia, inquit, Anglicana ad sacrã mensã accessuros conscientiæ omnes scrutari recessus, & peccata confiteri vtiq; apud Deum, sed, etsi

244 opus fuerit, apud Presbyteros iubet. At nihil tetrius odisse, saltẽ in Gallia Ministros docet, tũ contrarius eorum vsus, tum error eorum 95. ac Veritas nostra 9. præsertim seculi 1. Hæc ille.

245 Qui iam pro conclusione sic addit. Ex his, inquit, 18. Propositionibus in se spectatis, qui de rebus leuiter iudicat, facilè primo aspectu censuerit, nouos istos Pacificos esse vel planè, vel penè Catholicos. Verùm si attentè perpendat has in ipsis auctorũ suorũ scriptis mille alijs propositionib. partim veritati Catholicæ, partim sibi inuicẽ cõtrarijs esse permixtas, vt cũ Serranus loc. cit. Notio. 10. quæ est vltima pag. 32. vniuersũ prætensæ suæ cõcordiæ ædificiũ destruens, omnia tandẽ certitudinis veritatis Catholicæ argumenta ad arcanã Spiritus Sancti reuelationem refert, conceptisque verbis ait.

246 *Vt certa constet veritatis Catholicæ auctoritas, eam opportere Spiritus sancti testimonio in mentibus, cordibusq; fidelium propriè sanciri, atq; obsignari.* Facilè animaduertet omnes huiusmodi palpatores meritò a me vocari Pseudoirenicos, cum ne secum quidem pacem habeant, tantum abest, vt nobiscum.

247 Huc vsque Gualter. qui multo plura adducit peculiariter contra dictum Ioan. Serranum, ex quibus accipe pauca.

248 Quod, inquit, & obseruarunt, & ipsi Serrano significarunt multi eius Symmystæ, vt constat ex Bezæ Epistola hac de re ad eũ data 5. Febr. 1598. qua illũ grauiter arguit, ac monet, ne vltra procedat in suo illo *Apparatu ad fidem Catholicam*, vel in sua, (cuius caput est ille Appraatus, Harmonia, quin prius à Symmystis lecta, approbataque fuerit. Proferam nonnulla Epistolæ illius pręsegmina.

249 Quãdo, inquit, in tua Admonitione pro Ecclesiæ, ac Regni pace ais præiudicium de Religione in his diuturnis bellorum ciuiliũ Galliæ calamitatibus. Altare contra Altare in Ecclesia erexisse; quis non cẽsebit, te manifestè vnã in partẽ propendere, idque non sine præuaricatione penitus euidenti? Neque enim ad Papistas, qui nõ ab his tumultibus, neq; aliquot antè sæculis talem abominationem inchoarunt, referri potest, sed ad nos propriè. Et paulò post, sic.

250 Quandò autem eousque cõsilium tuum promouisti, vt scripseris, imò categoricè asseueraueris, atq; typis promulgaueris, omnes has duas partes fundamentaliter conuenire de sola salutis scientia; habentes vtique vnũ cõmune baptisma, vnũ fidei symbolum, vnã eandẽq; orationem, eandẽ benè viuendi regulã: deniq; conuenire de scopo, & via salutis nostrę sub eiusdẽ Saluatoris vexillo: quando, inquam, rem quãfalsissimam affirmare ausus es, nunquid tibi in memoriã redijt locus ille Isa. 5. Vę, qui dicitis malum bonũ. &c. Hęc ille; vide reliqua apud ipsum, vt iam finis Regulæ.

De hæreticis Gommaristis, siue Contraremonstrantibus, aut Rigidis Caluinistis qualiter decidendum?

REGVLA CCCXV.

251 NOn solum lingua, & calamo, sed armis etiam potentissimis inter Arminianos, (de quibus supra) & Gõmaristas maximũ fuit excitatũ pręliũ, cũ non exigua vtriusq; partis internecione, ob dissidiũ ipsorũ circa Religionis, seu prætensæ Refor-

252 mationis Articulos. Vnde pro remedio in re tanti momenti, Nationalis Pseudosynodus Dordracena in Hollandia per Ministros Caluinianos à mense Nouembri 1618. ad Maiũ 1619. celebrata; vbi valdè disceptatum est inter Arminianos, & Gõmaristas, sitnè emendandus Reformatarum (vt vocant) Belgij Ecclesiarum Catechismus.

253 Sed præualentibus Gõmaristis, Arminiani, qui prædictam emendationem postularant, non modo causa ceciderũt, sed etiam officijs suis priuati, & exilio mulctati fuere.

---

254 HAEretici Gommaristi sic vocati sũt à Gommaro quodam famoso hæresiarcha nostri temporis, qui, vt benè notat Gualter. citan. in Lugdunensi Batauorum Cathedra antecessit Arminum, à quo Arminiani, qui etiam appellati Remonstrãtes, (cur non exprimit ipse Gualter). Gommaristæ verò Contraremonstrantes dicti, ac Rigidi Caluinistę, vti illis valdè oppositi.

255 Quæ oppositio adeò excreuit, vt ad arma apesẽda, & ad occisiones cruẽtas vtrinq; pro-

processerit. Affert Gualt. in Apen. c. 8. sęc. 17 circa medium, ex Mercurio Gallico, id multis referente, ann. 1617. à pag. 1. ad 36. & anno 1618. à pag. 43. ad 114. & an. 1619. à pag. 1. ad 63. audiamus verba illius.

256 Legendus, inquit, & Mercurius Gallicus de eiusmodi dissensionibus Hollandicis inter Arminianos, & Gommaristas, & de libellis huc illuc discurrentibus, & dearmatis militibus, & captis vtrinque vrbibus, de tumultibus, prælijs, & internecionibus vsque ad necem Barneveltij Comitiorum Hollandię Westphrysię Aduocati generalis, Arminianorum Coryphei vulgò habiti, qui decreto 13. Maij, 1619. Hagæ dato, in Hagensis arcis area obtrūcatus fuit. Hęc Gualt.

257 Sublato itaque è medio Arminianorū Corypheo, omninò præualuerunt Gommaristæ; qui effectus dimanare cępit ex Pseudosynodo in Hollandia prius coacta. Cum enim illi pro emendatione Catechismi instarent, de ea cogenda opportunè resolutum; circa quam audiamus Gualter. in 3. columna, sęcul. 17.

258 Nationalis item, inquit, Pseudosynodus Dordracena in Hollandia per Caluinianos Ministros a mense Nouembri 1618. ad Maium 1619. celebrata; vbi inter Ministros Arminianos, & Ministros Gommaristas disceptatum est, sitnè relegendus, atque emendandus Reformatarum (vt vocant) Belgij Ecclesiarum catechismus; multique sed pręcipue quinque Caluinismi articuli, vsque adeò atrociter exagitati, vt Arminiani, qui prędictam emendationem postularant, causa cadentes, non modò suis officijs priuati, verum etiam exilio mulctati fuerint. Ita ille.

259 Quinque autem illos articulos, quos peculiariter secta Gommaristarum contra Arminianos defendit, seu ratione quorum ipsis bellum indixit, adducit Gualter. citat. cap. 8. sęcul. 17. sic.

260 Primus est, Quod possit homo perire diuinę misericordię defectu.

261 Secundus, Quod Deus sola sua voluntate, hoc est, nulla habita peccati ratione, quorundam reprobationem absolutè decreuerit.

262 Tertius, Quod Iesus Christus non pro omnibus fuerit mortuus.

263 Quartus, Quod homo nullo modo possit diuinæ gratię resistere.

264 Quintus, Quod illi, qui semel crediderunt, non possint suis ingentibus peccatis, suaque ipsorum culpa, Dei gratia excidere.

265 Ad confirmandos autem, & fortiter stabiliendos hos quinque, & reliquos erroneos Gommaristarum, seu Rigidorum Caluinistarum Articulos, celebrata fuit illa Pseudosynodus in Gallia, cuius meminit Gualter. in citat. colum. 3. per hęc verba.

266 Aletiensis, inquit, Pseudosynodus Nationalis apud Gebenas, mense Octob. 1620. per Gallię Ministros in Gommaristarū Hollandiæ gratiā cōtra Arminianos ad decernendā Dordracenę Synodi Canonū approbationē; vt & re vera cōprobati sunt iuramento edito, lataq; sententia, qua ab omni tū Ecclesiastico, tū Scholastico munere excludūtur quicunq; vel iurare noluerint, vel eorum Canonū doctrinā siue totam, siue ex parte improbarint. Ita ille ex Mercurio Gallico tom. 8. pag. 164. & seqq.

267 Prosequitur verò ibi in hunc modum. Atque hęc causa fuit, cur Ioannes Balcetus (ante suū ad Ecclesiā Catholicā aduētum) Pragellacensis Minister Arminianus à Symmystis suis tantopere diuexatus, ac Ministe-

268 rio tandē orbatus fuerit. Qua eadē ratione Tilenus Caluinista Minister Arminianus de quo nos in Collationis sequētis hæreticorū cap. 11. supradictā Synodū Aletiēsem impietatis dānauit; Iuramentū illud vanitate, falsitate, calūnia, impietate, inconsiderātia, arrogātia, ac temeritate plenū pronūciauit: deniq; à Christianis omnibus detestandum, ne dum à Pastoribus exigendum, aut vrgendum. Ita ibi.

269 Hinc Gommaristę, duplicis prędictę Synodi Decreto, doctrina ipsorū hæretica sic cōfirmata, & stabilita, in superbiā, elati adeò cornua erexerūt, vt despectis Arminianis, & quibuscunq; alijs Ministris, nomen Theologorū antiquæ Religionis sibi arrogarint; cū Puritanorū appellatio eis cōpeteret, vt benè notauit Gualter. dict. cap. 8. sęcul. 17. cum Mercurio Gallico, anno 1617. pag. 3.

270 Adiūgit præterea illud notatu dignum, spectās ad Gōmaristas, idē Gualter. in citat. cap. 8. ex Auctore Apologista Arminiano in sua statera, pag. 48. & 49. § 43. quod iste ibi iure optimo miretur Legatū Angliæ Dudleū Carletonum, qui dictæ Pseudosynodo Dordracenæ in Hollādia interfuit, & nomine sui Regis Anglicani partes Oratoris egit vt Gōmaristis, seu Puritanis faueret, nō fuisse veritum in sua oratione sic affirmare.

271 *Bos nimiū Magistratui Politico tribuere, & Deo, quæ Dei sunt, eripere: qui Magistratus Politici esse autumant, decidere, vtra duarū opinionum propius ad Dei verbū accedat.*

272 Quandoquidem ipse Carletonus sciebat valdè diuersā esse in Anglia opinionem, & praxim doctrinæ Arminianorū, seu Protestantiū, ipsumq; Regē Angliæ Iacobum VI. omninò velle supremi in omnibus causis, & personis, tū Ecclesiasticis, tum Sęcularibus Gubernatoris titulū sibi tribui; atq; hoc esse prorsus conforme Canoni primo Synodi Londinensis anno 1603. & 1604. celebratæ,

273 vbi cōceptis verbis definitur Supremam Regis auctoritatē in Ecclesiā in rebus Ecclesiasticis tuendā, ac propugnandam esse. Ac infligitur ibi excommunicatio Canone 140. & 141. contra violatores cuiusque Decreti dictę Synodi.

274 Cessabit quidē admiratio prædicti Arminiani Apologistæ, & facti origo Legati Carletoni innotescet, si discutiatur prius illud dubiū, cum duæ istę sectę Arminianorū, & Gom-

& Gōmariſtarū, ſeu Proteſtantiū, & Puritanorū à Caluiniſmo deriuētur, ipſumq; ambę ād̃u profiteantur, & cū diſſidiū ſit inter eas circa hūc Articulum de Poteſtate Regis, ſeu Magiſtratus Politici in rebus, & cauſis Eccleſiaſticis, vtri ipſarū Caluinus potius adhęreat? Tractat Gualterius citatus: reſolutionem ab ipſo audiamus.

275 Videndum, inquit, ſupereſt, vtri harum ſectarum faueat hac in re Caluinus. Aequè profectò Arminiani, ac Proteſtantes Anglię dicent in Statutis Eccleſiaſticis Eccleſiæ Geneuenſis à Caluino relictis præcipi; *Vt in doctrina diſſenſionibus, quando Miniſtri ad amicam concordiam præ alterius peruicacia peruenire nequeunt, cauſa tandem ad* 276 *Magiſtratum deferatur*. Aliundè verò Gommariſtæ vnà cum Puritanis in medium proferent, quòd idem Caluinus ſæpe à me citatus diſertis verbis aſſerit lib. 4. Inſtitut. cap. 20. §. 1. *Promiſſam in Euangelio libertatem nullum inter homines Regem, nullumque Magiſtratum agnoſcere. Vtrius erit vi-* 277 *ctoria?* Ad hanc quæſtionem, aliaſque ſimiles hoc vnum habeo, quod reſpōdeam, euſque ſpiritum vertiginis, hoc eſt, contradictionis, ac mendacij Caluinum demētaſſe, vt, quod de Luthero prius Germani dixerunt, factus ſit cothurnus omni pedi idoneus. Ita ille.

278 Simili modo reſpondendum de Dudleo Carletono, quòd pro diuerſitate locorum, ac perſonarum, diuerſa ſentiat, & dicat. Nec dubium, quòd in Anglia tenuerit cum Arminianis, ac reliquis Proteſtantibus pro Rege, & Magiſtratu Politico, quod ad ipſos 279 ſpectent cauſæ Eccleſiaſticæ. At in Hollandia, & in Comitijs, vbi præualebant Gōmariſtæ, ſeu Puritani, nihil mirum, ſi fuerit loquutus ſecundùm ſenſum ipſorum. Atque iam finis Regulæ.

Quid circa Hadrianum Burgenſem, ſectamque Hadrianiſtarum? Quid item circa Cornartiſtas, nouos Pelagianos?

REGVLA CCCXVI.

280 QVo tempore prædicti hæretici Arminiani, & Gommariſtæ acriter inter ſe, vt vidimus, pro ſtatu Religionis præliabantur, prodijt in lucem quidam homo peruerſus Hadrianus Burgenſis appellatus, qui ad hæreticam Arminianorum doctrinam propius accedens, ipſamque ſpargens, famoſus hæreſiarcha euaſit, ſectamque Hadrianiſtarum pernicioſam ex ſeptem erro-281 neis articulis indicandis formauit. Cornartiſtæ verò à Theodoro Cornartio ſic dicti, quod cum antiquo hęreſiarcha Pelagio circa peccatum originale errent, noui Pelagiani vocantur.

---

282 AGit de his hæreticis Gualt. de prioribus c. 9. ſæc. 17. cuius titulus eſt, de Hadrianiſtis, ab Hadriano Burgēſi progenitis, & breuiſſimè ab his ſe expedit, ſic.

283 Hadrianus Burgenſis, inquit, ſub idem tempus aliam iniens viam ad Arminianos propius, quam ad Gommariſtas accedentē, ſibi nomen fecit ſeptem ſequentibus articulis, quos ipſe ex Hollandicorum Comitiorum ad Chriſtianiſſimi Regis Legatos Reſponſo exſcripſi. Ita ille. Articuli autem ſunt huiuſmodi.

284 Primus, Quòd peccatum originale non ſit peccatum, ſed tantùm peccandi occaſio.

285 Secundus, Quod magna Dei miſericordia ſit ſola boni hominum occaſio, qui illā admittere poſſunt, aut renuere.

286 Tertius, Quod fides per miſericordiæ virtutem ſit proprium hominis opus.

287 Quartus, Quod Dei quidem præuiſio ſit, Deus omnia præuideat, non operetur tamen in hominibus, aut perſonis particularibus, quas in conſilio, ſeu libero arbitrio reliquit.

288 Quintus, Quod fideles, aut credentes filij Dei poſſint in hac vita perfectè ſine gratia mandata Dei adimplere, licet id nō præſtent.

289 Sextus, Quod poſſint filij Dei cadere, & gratia, ac ſalutari miſericordia excidere, & ſic damnari, & ſic quod non ſit certa prædeſtinatio.

290 Septimus, Quod iuſtificationis apud Deum cauſa originalis ſit Ieſu Chriſti paſſio: obedientiæ tamen opera aſſignantur huius iuſtificationis primaria origo. Hucvſque de hiſce articulis, & de tota ſecta Hadrianiſtarum; nec aliud circa eam occurrit.

291 Quid iam de ſecta Cornartiſtarum? Cum iſti errent ſimiliter circa peccatum originis, ſicut præcedentes Hadrianiſtæ, negantes dari tale peccatū, propterea vtroſque ſub eadem Regula coniungimus.

292 Multo breuius de iſtis tractat noſter Gualter. eiuſdem ſæcul. 17. cap. 10. cui ſic apponit titulum. De Cornartiſtis, noua Pelagianorum ſobole; eò quod antiquum errorem veteris hæreſiarchæ Pelagij in materia originalis peccati, ipſi hoc noſtro tēpore innouarunt. Sed de his Cornartiſtis, qualiter ſe habeant, ipſum Gualter. audiamus.

293 Suam hi, inquit, nomenclationem accepere à Theodoro Cornartio Comitiorum Hollandicorum Secretario, quo circa annū 1595. vita functo, ſuperſtes tamen adhuc erat eius hæreſis, imò & latè per Hollandiā graſſabatur etiam anno 1607. 1608. &c. vt ipſemet ex Hollandi Cornartiſtæ verbis didici, qui Dei gratia ad Catholicam fidem in hac Ciuitate Lugdunenſi adductus eſt.

294 Præcipuus illius error in peccati originalis abnegatione ſitus erat. In quo magna ei cum primo Hadrianiſtarum articulo affinitas intercedit. Hæc Gualter. nec ſupereſt quidquam huic ſectæ, ac Regulę preſenti addendum.

De perfido Tileno Sedanensi ministro, prædicti Arminij armigero, quid peculiariter adnotandum?

REGVLA CCCXVII.

295 EN qualiter Ministri hæreseon nostri temporis se inuicem, vt rabidi canes, morsibus lacerent, scriptisque oppositis sibi vulnera læthalia infligant. En exemplum: Edidit Tilenus Sedanensis Minister librum quendam, cuius inscriptio est, *Examen doctrinæ Molinæi de vnione hypostatica*, ipsumque omnibus Ministrorum Collegijs, ac Synodis misit, & distribuit.

296 Econtra verò Petrus Molinæus Minister Charentonius in sua ad Galliæ Ministros Epist. 25. Februar. 1613. data aduersus Tilenũ, ac eius librũ insurgit, in ipsaq; notat quid ille sentiret de prætensis Galliæ Reformatis, & alia huc spectantia illico indicãda.

297 EX Mercurio Gallico anno 1613. pag 277. & seqq. quæ de hac contentione inter Tilenum, & Molinæum extant, refert Gualter. eius sæcul. 17. cap. 11. cuius titulus est. De Tileno Sedanensi Ministro, Arminij armigero. Sed verbis ipsius Gualterij rem totam melius capiemus.

298 I. Igitur, inquit, disputans Tilenus in suo aduersus prętensas Reformatas Galliæ Ecclesias, asserit illarum de vnione hypostatica rationes eiusmodi esse, vt ad hæresim omnium maximè obsonam pertrahant, videlicet, *Vbiquitatem, quæ, inquit Tilenus, humanam in Iesu Christo naturam abolet, dum eam deificat, eique in communicabiles diuinitatis proprietates attribuit cum Eutyche, Brentio, Sdhuencfedio, alijsque hæresiarchis*. illasque Ecclesias sensim ab Vbiquismo ad Samosatenismum accedere, quas apertè aduersarias vocat.

299 II. Afferit veritatis amatores obseruare; inimici astutiam incipere, quã Gallicanę Ecclesiæ fiunt Diaboli Instrumentum. idem de Beza asseuerat.

300 III. De Gallicanis Ecclesijs prętẽsis ait Tilenus, idem posse illis contingere, quod Germanicis, in quibus ex Lutheri nomine Gedeonis Ephod emersit.

301 IV. Molinæum Ministrum, & Gallicanas Ecclesias affirmat duarum in Christo Iesu naturarum proprietates, Eutychetis instar confundere. Cæterum, id Molinæo primum nequaquam acceptum referendum est, cùm præuenerit Caluinus lib. 2. Instit. cap 74. §. 3. quando scripsit, omnia, quę ad mediatoris officium spectant, de vtraque simul natura dici, humana, &

302 diuina. Verus Eutychianismus, quem frustra Minister Molinæus contegere nititur posito inter proprietates, & officia munere, cum Christi Iesu diuinitati tribuere compellatur non tantum *subiectionem, & exinanitionem*, conceptis verbis à Caluino expressas, verum etiam passibilitatem. vide plura circa hoc apud Gualter.

303 V. Tandem notandum, qualiter Tilenus (quod adducit Molinæus in sua epist. cit. par pari referens) dicitur, *suo in libro misisse periculosas, & in ipsum Christum contumeliosas propositiones, quæq; ad Nestorianismũ, Christũ diuidentẽ ducũt*. Ita Gual. statim adiungens, id quod facit pro prima parte nostræ regulæ clarius ostendenda.

304 Sic nimirũ Caluiniani Ministri, quod sibi satis esse ducant sua sola prætensione, ac propria imaginatione, Christianos esse; quòdq; vel nesciant, vel nolint in solido veri Christianismi, ac Veritatis catholicæ medio conquiescere: sic, inquam, externis errorum ex diametro pugnantium mendacijs se ipsi dilaniant, nunc quidem Manichęismi, quorũ exempla hactenus nõ pauca protulimus; nunc Eutychianismi, & Nestorianismi, vt iam iam perspectum est. Le-

305 genda sunt, quæ de Tileno in 3. columna, vbi de Synodo Aletiensi sermo fuit, annotauimus; nec non caput de Arminianis, vna cum Mercurio Gallico, tom. 8. pag. 155. Hęc ille, quibus Regula absoluta manet.

Quid de hæresiarcha Pseudo-Michaele Turingo cum socijs? quid de secta, & erroribus eius contra fidem?

REGVLA CCCXVIII.

306 SVb initium anni 1614. in vrbe Laugensalts Prouinciæ Turingiæ Saxonię Duci subditæ, literatus quidam iuuenis scholæ Laugensaltrensis Rectoris, viri docti filius, Ezechielis Medenensis nomen sibi as-

307 sumens: Matrem insuper, quæ Barbara dicebatur, mutato nomine Mariam de Meden, appellans, consociatis sibi Isaia Christi, & Nicolao Goosgot vna cum duobus pueris inusitata deliramẽta promulgauit: sicq; eius secta ex multis erroribus formata extitit.

308 CVm Mercurio Gallico, anno 1614. pag. 145. & seqq. affert Gualter. cap. 12. sæcul. 17. ex quo omnia, vt iacent, in Regula syllabatim desumpsi, parique modo ea deliramenta, seu errores dicti Turingi proponam.

309 I. Quidem aiebat se esse magnũ illum Principem Michaelem, alias Verbum Dei nuncupatum: hinc à Gualter. vocatur iste Turingus Pseudo Michael, in tit. dict. cap. 12.

310 II. Non vnum dumtaxat esse Verbum Dei, scilicet, essentiale, æternum, & viuum, quod est Christus Iesus: sed & alterum Verbum vocale, scriptum, & prædicatum, idque nullius momenti.

311 III. Suam, suorumque doctrinam sociorum, sibi in somno tradi occulta reuelatione Spiritus sancti, qui eam ipsis aperiat.

IV. Asse-

312 Quartò, Asserebat, se ipsos legem Dei perfectè adimplere, eique in omnibus satisfacere.

313 Quintò, Ministri verbi officium non esse à Deo, quando per homines peccatores exercetur.

314 Sextò, Baptismum à Lutheranis administrari solitum, esse veneficum: cum verus Baptismus per Spiritum Dei perfici debeat.

315 Septimò, Filios suos natura Sanctos esse, & eam ob rem Baptismo minimè egere, quod ab ipsis, qui peccati omnis expertes essent, progeniti sint.

316 Octauò, Cœnam in Lutheranis Ecclesijs fieri solitam, non esse veram Cœnam, sed veneficium: veram autem esse eam, de qua in Apocal. cap. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cęnabo cum illo.

317 Nonò, Ecclesiam Christianam debere in terris esse Sanctam, & culpæ immunem: alioqui enim Ecclesiam dici non posse. Illam verò Christi, alias vocatum Stifel, esse veram Ecclesiam, quippe qui vnica esset Sponsæ Christi effigies.

318 Decimò, Christum in se personaliter, atque essentialiter existere, seque quod esset Magnus Princeps Michael, suo in corpore eandem carnem gerere, quam Christus in Virg. Mariæ vtero sumpserat, & in qua Passionem tulerat, eaque ratione quęcunque ipsi facerent, Christum vna cum ipsis facere, ac se propterea absque peccato esse.

319 Vndecimò, Sè personalis huius cohabitationis virtute esse immortales.

320 Duodecimò, Aiebat, nullam esse Resurrectionem mortuorum; nullam vitam æternam: sibi quidem semel moriendum esse: Christum verò ipsis pollicitum, fore, vt in suis veris corporibus vitæ æternæ gaudio perfectè fruantur.

321 Hactenùs de illius Pseudoprophetę deliramentis, seu erroribus; & statim subiungit idem Gualter. per sequentia verba.

322 Quod, inquit, vbi Dresdrense Consistorium cognouit, comprehendi hominem, adducique iubet vna cum matre, & socijs. Interrogatus autem à Consistorio, Scripturæ, qua vtebatur, testimonijs se ipsum 323 tuebatur. Denique iubenti Pręsidi aliqua vt miracula, ad conciliandam suis dictis fidem, ederet, superciliosè respondit. *Generatio nequam signum quærit, & non dabitur ei*. Quid de eo tandem contigerit, nondum mihi compertum est. Hæc ille, quibus huic Regulæ finem facio.

Qualiter alicubi iniunctum Ministris Lutheranis, & Caluinistis, eosdem articulos Confessionis Augustanæ sequi?

REGVLA CCCXIX.

324 PRinceps Elector Brãdeburgensis mense Februario anni 1614. eo, quod perpetuis, & acribus contentionibus Lutheranos, & Caluinistas ditionis suæ, tam vltra, quam citra Oderam, digladiari videret, iudicans oportunius ad eas extirpandas, Lutheranismum cum Caluinismo com-325 mutare: Iniunxit vniuersis, & singulis suæ ditionis Ministris, vt Euangelium in posterum iuxta Confessionis Augustanæ, eiusq; Apologię correctionem pręedicarent, assignatis peculiaribus articulis illicò exprimendis: qui propterea articuli Brandeburgenses appellantur.

---

326 SIc eos vocat Gualter. cap. 13. sęcu. 17. vbi ex relatione Mercurij Gallici ann. 1614. pag 70. & seq agit de hac resolutione, & facto singulari Principis Electoris Brandeburgensis: à quo peculiaris secta videtur instituta, quandoquidem Euãgelium à Ministris pręedicari iussit, attenta Confessione Augustana correcta sub sequẽtibus articulis.

327 I. Quod Imagines è Templis eorum debeant exterminari.

328 II. Quod altaria demoliantur, & in eorum locum die Cęnæ mensæ ligncę substituantur, istæ quidem panno nigro, alba insuper mappa coopertę.

329 III. Quod Statuæ, & Cruces sint prorsus reijciendæ vndecunque, & à quocunq;

330 IV. Quod in locum Hostiarũ die Cęnę tortis panis sit vtendum inlongiora frusta dissectis, quæ in pelui, discoue maiori Cęnã suscepturis offerantur: hi verò panem suis manibus sumant, frangant, & comedant.

331 V. Quod in Cęna non sit vtendum calicibus, sed pateris, aut scyphis.

332 VI. Quod nullo modo alicui concedatur ante Collectam preces fundere.

333 VII. Quod nequaquam sit vtendum superpelliceis.

334 VIII. Quod similiter vsus Candelarum prorsus interdicitur.

335 IX. Nullum linteum, aut vmbellam ijs, qui se ad sumendam Cęnam offerunt, superponendam.

336 X. Quod Cęnam sumendo haud vnquã genua flectenda sint, etiamsi in ea Christus realiter existeret.

337 XI. Quod nullum Crucis signum post benedictionem sit faciendum.

338 XII. Quod inurbanum, & iniustum sit Ministris, terga vertere, propterea id nullus facere debet.

339 XIII. Quod nec preces, nec Epistolæ cani debeant, sed sufficiet, si legantur.

340 XIV. Quod confessio auricularis sit omninò abijcienda.

341 XV. Quod dum nomen Iesu profertur, nec genuflectendum sit, nec caput aperiendum.

342 XVI. Quod preces non summissa, sed alta voce sint fundendæ.

343 XVII. Quod Cęna ægrotis minimè tribuenda sit, pręsertim tempore pestis, ob periculum, quod imminere posset deferenti.

344 XVIII. Quod amouendę sint à Templis fontes Baptismatis, & in eorum locum subroganda vasa manibus abluendis apposita.

345 XIX. Quod nullum in Templis epitaphium debeat tolerari, nullus Crucifixus.

346 XX. Quod Decalogo, & Catechismo sit adhibenda reformatio.

347 XXI. Quod Sáčta Trinitas nec sculptura, nec pictura plana repræsentari debeat.

348 XXII. Quod verba Cœnę rectè exponi, intelligique debeant.

349 XXIII. Quod solita diebus Dominicis Epistolarum, & Euangeliorum anni explanatio sit abroganda: legendus verò aliquis Bibliorum textus, & de eo prædicandum.

350 Propositis his 23. Articulis, subiungit Gualter. qualiter difficile admodum fuerit iussionem Electoris Brandeburgensis exequutioni mandare, ex duplici capite.

Primò, quia Lutherani hostiliter restiterunt, ægrè ferentes Lutheranismum hoc

351 modo prorsus extingui. Vnde Dominica Palmarum anni 1615. in Ciuitate Berlinensi totius Brandeburgensis status præcipua, valdè tumultuantes, Caluinistarum Theologorum fenestras ligneas, & vitreas lapidibus confregerunt, & domos irrumpẽtes ipsorum libros dilacerarunt, ac supellectilem eorundem expilauerunt. Ad quem

352 tumultum sedãdum, & huic seditioni remedium aliqualiter adhibendũ, Gregorius Brandeburgensis Marchio, absente Electore, cum ex arce descendisset, præ nimio impetu, & furore tumultuantium, relictis decẽ ex suis trucidatis, compulsus fuit retrogredi.

353 Secundò, Quia non pauci ex 23. Articulis cum Caluinismo nequaquam conueniunt, & quidem 7. 8. 10. 11. 14. 15. & 17. à Caluiniana Ecclesia Regni Anglicani reiici, patet ex eius Liturgia, & ex capite de

354 Antipuritanis. Decimus item Articulus de non flectendo genu in recipiẽda Cœna à plerisque Gallię Caluinistis repudiabitur haud dubiè: Nam quamuis ipsi non admittant Christum esse præsentẽ in Eucharistia; à receptione tamen eius, vt ab actu maioris deuotionis, & cultus diuini, non ita fa-

355 cile genuflexionem reiicient. Pari denique modo de alijs articulis, præcipuè de 20. in quo agitur de reformatione Decalogi; nam qua ratione prętensi Galliæ Reformati eam admittent? Nunquid Brandeburgensium, aut etiam mortalium est, Dei legem Decalogo contentam reformare, vel Prophetæ Mosis, immò summi Dei, à quo manauit Decalogus, atque adeò Scripturę Sacrę vniuersę verba corrigere? Ab sit ita sentire. Vide plura apud Gualterium, nobis dicta sint satis.

Quaenam notanda circa Marcum Antonium de Dominis? & circa Pseudoprophetam Indiæ Occidentalis occurrunt?

REGVLA CCCXX.

356 FErè eodem tempore, in decursu scilicet anni 1616. duo nequissimi hęresiarchę, alter in Europa, alter in Occidentali India prodierunt: ille Marcus Antonius de Dominis appellatus, à Religioso statu ad Dignitates Episcopalem, & Archiepiscopalem absque merito, imo cum demerito artificiosè ascendit; in quibus adeò peruersa commisit, vt ob timorem capturę iussu Sũmi Pontificis, arrepta fuga in Angliam proficiscens, ibi à Fide Catholica apostata-

357 uerit. In tractatu verò de Republ. Christiana per ipsum elaborato, 50. hęreses repertæ fuerunt, quas licet ipse postea Romę abiurauerit, ad vomitum tamen suum tandem reuersus, impęnitens miserrimè in carceribus obijt, & ipsius cadauer ex sententia

358 iuridica igni traditum. De Pseudopropheta autem Indiano solum extat, quòd se Deum terrę, & à Deo cœli missum affirmaret.

---

359 HOs duos hęresiarchas maxima locorum distantia inter se separatos sub eadem Regula coniungimus, tum ratione circumstantiæ temporis, vt diximus, vtriusque assignati; tùm quòd de vnoquoque eorum adeo pauca habeamus, vt nequaquam duæ circa ipsos Regulę separatæ formari possint. (idem erit de alijs in sequentibus) Atque vt à posteriore sumamus initium, vix septem lineas paruulas de isto Pseudopropheta Indiarum Occidentalium affert Gualter. (hunc solum in ijs ducem habeo) cap. 14. sęcul. 17.

360 Eò, inquit, nebulonis huius superbia ascenderat, vt se Deum terræ, & à Deo cœli missum proclamaret, omnemque suis sectatoribus impunitatem, ac protectionem aduersus Christianos promitteret. Suum ipse venenum atrocissimum anno 1616. in octo Societatis Iesu Religiosos euomuit, quos illis in regionibus ab Ethnicis necandos curauit. Hęc Gualter. nec aliud de hac secta occurril.

361 Circa alteram verò M. Antonij de Dominis apostatę, ex Mercurio Gallico anno 1617. pag. 247. & seq. aliquanto plura adducit Gualter. cap. 17. sęcul. 17. à quo, si libet, audiamus.

362 Hic, inquit, Inferni titio, ex malo Religioso, procurante apud Rodulphum Imperatorem aunnculo factus Signiẽsis Episcopus suo munere eousque malè functus est, vt vitæ suę timens, Spalatensem sibi

Ar-

Achiepiscopatum in Dalmatia Venet subdita procurauerit. Vbi illum auaritiæ, aliarumque vitiorum eluuies tum suffraganeis, tum alijs primoribus multis adeò infestum reddidit, vt re ad summi Pontificis aures delata, dum sibi ab inquisitione metuit, cum de emendatione cogitare deberet, traiecta Germania, & Hollandia in Angliam fugerit. Quamquam alias ille suæ Apostasiæ causas prætexit in ea declaratione, quam anno 1616. edidit, vt & in tractatu non multo post promulgato de Repub. Christiana in 4 libros diuiso. Ita ille.

365 Qui sic prosequitur Et quidem innumeris hæresibus referto, & Parisiensis Sorbonæ censura notato. Qua in censura, So. insignes hæresies fuere numeratæ. Eum quoque tractatum strenue postea confutauerunt P. Martinus Beccanus Societatis Iesu, perdocto suo Responso, P. Zacharias Bouerius Capucinus sua egregia Paræuesis ac P. Eudæmon Ioannis eiusdem Societatis sua adminitione. Putant aliqui (teste Mercurio Gallico citato) M. Antonium neque Lutheranum esse, neque Caluinistam. Ego ex lectis, auditisque facile coniecerim nesciuisse ipsum, quid crederet, aut quid sibi imposterum credendum esset.

367 Suos quidem errores ipse anno 1622. eiurauit, & ex Anglia reuersus declarationem quandam Romæ eodem anno editam diuulgauit. Verum ad vomitum suum deinde rediens, carceribus tandem Romæ concluditur anno 1624. Vbi cum mense Decembri eiusdem anni mortem obijsset, S. Inquisitionis sententia corpus eius igni addictum est, & in Vigilia S. Thomæ traditum. Merc. Gall. tom. 9. pag. 87. & tom. 10. pag. 189. Hæc Gualter. quibus Regulæ præsenti finem iam imponimus.

Quid de secta Roseæ Crucis Inuisibilium, & Immortalium? quid item de sectis Brunistarum, & Brochtunistarum?

REGVLA CCCXXI.

369 DE quibuscunque à via recta declinantibus, sed maximè de professoribus sectæ huius fraternitatis Roseæ Crucis intelligitur illud Ioan. 3. Qui malè agit, odit lucem; cum omnes fere leges, & pacta, quibus sub hac fraternitate astringuntur, eo præsertim tendant, vt ex pertinentibus ad eam nihil palam, sed lumen fugientes clam cuncta exequantur, ipsique cæteris occulti, & incogniti, ex signo Crucis Roseæ se inuicem cognoscant. Hinc de erroribus specialibus eius sectæ exigua habetur notitia, & primus eius auctor prorsus ignoratur. Pari etiam modo sectæ Brunistarum, & Brochtunistarum quoad errores parum cognitæ sunt, solum, quòd vtraque sit ramus Caluinistarum.

---

372 CVm nullum scriptorem, præter vnum Gualter. ad manum habeam qui in his sectis sęculi 17. indicandis lumen mihi porrigat, conuenientius duxi propria ipsius verba sæpius solito referre: ne, quæso, beneuolus lector grauetur ipsum loquentem audire.

373 De Brunistis autem primo loco breuissimè cap. 15. sic. Vigebat, inquit, hęc secta circa annum 1612. in Hollandia, ea quidem à Bruno Caluinista ortum, nomenque sortita. Quos ille speciatim errores disseminauerit, nondum mihi liquet. *Hist. Tumultus Amsterodamensis 19. Februarij anni 1617. & litt. Holland. anni 1612.* Hæc Gualter. nec aliud superest.

374 Pari etiam breuitate de Brochtunistis sic. cap. 15. Neque originem, inquit, neque speciales errores huius sectæ didici. Hæc tamen legi in hist. Amsterodamensis Tumultus 19. Febr. 1617. vnam hanc esse ex sex præcipuis sectis, in quas Caluinismus in Hollandiam dissectus est, nimirum Caluino Papistarum, Puritanorum, Brunistarum Brochtunistarum, Gommaristarum, & Arminianorum. huc vsque Gualter. de ijs Brochtunistis nec quicquam addendum occurit.

375 Sequitur dicendum de celebri secta fraternitatis Roseæ Crucis Inuisibilium, & Immortalium, circa quam idem Gualter. plura in hunc modum. Secta est, inquit, occulta ab aliquot annis per Germaniam grassata, cuius speciales errores nondum satis sunt explorati; quod suum illa venenum clam spargere ac lucem fugere studiosissimè connitatur.

376 Ad eam pertinet libellus à me lectus, Francofurti anno 1618. Nicolai Hoffmam typis, sumptibus verò Lucæ Iennis excusus, qui inscribitur, *Themis aurea, hoc est de legibus Fraternitatis R. C. Tractatus, quo earum cum veritate conuenientia, vtilitas publica, & priuata, nec non causa necessaria euoluuntur & demonstrantur. Auctore Michaele Maiero, Exempt. Phil. & Med. D. &c* Hæc Gualt. qui sic prosequitur,

377 In secundo inquit, huius libri capite scriptæ inueniuntur sex leges eiusmodi Fraternitatis R. C.

378 I. Vt nemo illorum iter agendo, aliud profiteatur, nisi morborum curationem, eamque gratuitam.

379 II. Vt nemo, eo, quòd in Fraternitatem ingressus sit, certo habitus genere vti compellatur, sed regionis dumtaxat consuetudini se se conformet.

380 III. Vnumquemque fratrum debere singulis annis die, in loco S. Spiritus sistere se, vel absentiæ suæ causas literis declarare.

381 IV. Debere vnumquemque Fratrum personam aptam, & idoneam, quæ sibi vita functo succedat, eliger.

382 V. Vocabulum R. C. debere illis esse instar symboli, characteris, aut sigilli.

383 VI. Fraternitatem hanc debere centum annorũ spatio latere. huc vsque ille de legibus Fraternitatis R. C. & statim addit sic.

384 Cæterum inter alias nugas sequentibus capitibus contentas, hę numerantur: Legum illarum auctorem esse personam priuatam. Eum esse anonymum, fide tamen dignissimum: Vulgo quidem incognitum, suis nihilominus notissimum. Ipsos hactenus feliciter vixisse, ac deinceps, vt sperant, per sęcula multa victuros. Ipsos tantummodo, ipsorum quę electos scire debere 385 sui conuentus locum. Ea, quibus vtuntur, remedia, primo ex Arabia in Germaniam primi auctoris patriam, profecta esse; Ordinem hunc probabiliter ab anno 1413. initium duxisse. Eam, qua vtuntur curationem, specificis, hoc est, occultæ virtutis remedijs constantem, naturæ humanę gratissimam esse, omniumque maximè morbis 386 contrariam. Empyriam, siuè experientiam esse vnicam, ac veram medicinæ, ac remediorum vtilium matrem. ita ille.

387 Qui adiungit ex eodem loco sequentia: Quo pacto inuenta fuerit Ars Notoria. Nullam se aliam habere magiam, nisi naturalem, bonis dumtaxat, pijs, ac doctis à Deo concessam. Apollonium Tyanæum licitam, ac naturalem magiam exercuisse. Iulium Capitolinum, quem probatæ fidei auctorem ducit, referre, quendam amicum suum infantem cucumella distillatoria efformasse, qui vitam ad aliquot horas pro-388 pagauit. Eos, qui R. C. de rosarum Cruce interpretantur, decipi; quòd R. C. sui primi auctoris nomen symbolicè significet. Ducentos annos à legis suæ primordijs ad eius diuulgationem effluxisse, videlicet ab anno 1413. ad annum 1613. quo rumor 390 eius spargi cœptus est. His fratribus R.C. nullam esse spem aut mentem Reformationis inducendæ in mundum, in Ecclesiam, in Iudæorum conuersionem in politicam &c. 360 Artes aliquas hoc vltimo sæculo necessariam reformationem in Germania accepisse per Erasmum Roterodamum, Lutherum, Philippum Melancthonem, Paracelsum, Tychonem Brahe, &c. Romanum Pontificem Tyrannum esse in Religionis, ac status, &c. hucusque Gualter. subiungens sic.

391 Omnes istæ Assertiones partim ęnigmaticæ, partim temerariæ, partim hæreticæ, partim de magia suspectę, idoneam nobis ansam prębent conijciendi prætensam hanc Fraternitatem multis annis recentiorem esse. quam ipsa videri velit: imo Lutheranismi surculum ex Empyrismo, & Magia, ad ingenia leuia, curiosa melius decipienda conflatam. ita ex libello illo citato Gualter. de dicta Fraternitate.

392 Extat & alius liber circa eam, de quo idem Gualter. ibidem sic. Quod spectat, inquit, ad alterum librum sub idem tempus eiusdem Fraternitatis R. C. occasione, & allusione, à Daniele Cramero editum, tui titulus est, Societatis Iesu, & Crucis Rosæ vera &c. quo emblemata quędam in nonnullos Scripturæ locos, continentur: vix aut ne vix quidem perspicias, vtrum laudandæ an irridendæ potius Fraternitatis illius gra-393 tia sit conscriptus. Certè stulta hęc vanitas anno 1623. se se in Gallias insinuauit, affixis per compita, tum Parisijs, tum alibi schedulis, homines se ab errore, ac morte exẽpturã pollicita, vitamq; visibilẽ & inuisibilẽ agere præ se ferens: Vnde & eiusmodi deceptoribus Inuisibilium, & Immortalium 394 nomen à nonnullis tributum est. Vide Mercurium Gallicum, Tom. 9. pag. 371. & sequ; nec non quæ habet P. Garassus Societatis nostræ Theologus in Doctrinæ Curiosæ examine, ac D. Gasparem in nostri temporis Historia, anno 1623. pag. 671. & 692. vbi scribit illorum doctrinam Epicuream esse, plusque affinitatis habere cum Atheismo, de quo mox, quam cum Illuminatorum Hispanię secta, de qua nos postea cap. 28. hæc Gualter. ex auctoribus per ipsum citatis: quæ sat sint pro Regulæ præsentis complemento.

Secta Herculis Coxam, & Merceri Anabaptistæ noui, atque Ariocaluinistarum, qualiter se habent?

REGVLA CCCXXII.

395 Inter penè innumeras propagines, quę ex vite venenosissima sectæ Caluinianę deriuantur, meritò reponenda secta ista Herculis Coxam, qui non solum eam formauit ex septem erroneis articulis doctrinę Caluinismi conformibus, sed hi etiam vt vidimus, testimonijs ipsius Caluini in-396 nituntur: Hęresiarcha item Mercerus tripliciter circa Baptissimi Sacramentum errauit; maximè, quòd debeat in adulta ętate sumi: atque hinc nouus Anabaptista habi-397 tus. Fuerunt etiam hoc nostro tempore, qui à Caluinismo ad Arianismum perfidè transierunt.

---

398 Articulos erroneos sectæ Herculis Coxam affert Gualter. cap. 22. sæcul. 17. & sunt eiusmodi. Primus, quòd nullus alius in terra sit animarum Pastor, nisi Christus Dominus, qui S. Spiritus vnctione fideles suos in omnibus rebus in-399 struit, & quantum satis est, dirigit Hic articulus innititur testimonio Caluini lib. 4 Instit. cap. 30 §. 1. sic affirmantis. *Promissam in Euangelio libertatem nullum inter homines Regem, nullumque Magistratum, vel* (vt Gallica editio habet) *Magistrum agnoscere, sed in Christum intueri.* ita ibi.

400 II. Quòd omnes festi, ac Dominici dies prorsus aboliti sint illis, qui in verum, & æternum Christi sabbathum ingressi sunt. Pro-

401 Pro hoc articulo manifestè erroneo facit id, quod docet Caluinus lib. 2. inst. cap. 8. §. 33. & 34. nempè omnes esse æquales, & indifferentes, si de Reilgione agatur, etiam diem Dominicum, imo quemuis contrarium docentem coarguit.

402 III. Quòd electis Dei non sit admittenda alia pœnitentia, nisi gratia iustificationis antè accepta, per quam postea impeccabiles redduntur. Hunc autem erro- 403 neum articulum confirmant diuersa Caluini loca, quæ superius retulimus errore Caluinismi 92. & 95. Vbi de Baptismo, & Pœnitentia egimus: illuc lectorem remittimus.

404 IV. Quòd prædictis Dei electis Patris æterni filijs, nequaquam sit orandū, nisi in 405 laudem, & gratiarum actionem. Ad huius verò articuli erronei confirmationem inseruiunt diuersa Caluini testimonia in 80. Caluinismi errore à nobis expressa, vbi ex ipsius principijs indicatum est, à Deo nec Dei Regnum, nec gratiam, & virtutes ad exequendam eius voluntatem, nec panem spiriualem peti posse.

406 V. Quòd genuflexio in sumptione Cœnæ Diuinæ aliusue reuerentiæ signi externi actus, etiam erga Christum ipsum in cælo existentem, demonstratio sit Idololatriæ. 407 Hic articulus valdè conformis est praxi ministrorum Cauinistarum Galliæ, & articulo 10. Brandeburgensi à nobis supra expresso, licet non conformet cum Can. 23. synodi Londinensis à Caluinistis celebratæ.

408 VI. Quòd magis consentaneum sit Christi gestis, vt in mensa communi panis, & vinum, ijs similia, quibus Christus in Cœna vsus est, accipiantur. Pro hoc sexto, 409 inquit Gualter. citat. pugnabit Coxam, cùm ex Caluini sententia nihil in Cœna sit, nisi panis, & vinum, parum referre quonam in loco illa sumantur: quin etiam rationi congruentius esse, vt alimentum commune, ac profanum, in loco profano, & communi sumatur. ita ibi.

410 VII. Coxam articulus erroneus, quòd debeant reijci omnia nomina (excepto Cœnę) quibus hoc Sacramentum appellari consueuit, tanquam noua, & in sacris 411 scripturis hoc in sensu inusitata. Ad hunc Articulum stabiliendum concurunt omnes Ministri Caluinistę, præsertim Gallicani, qui alio fermè nullo, nisi Cœnæ vocabulo vtuntur, cum hac de re agendum occurrit. En qualiter secta, & errores Herculis Coxam, testimonijs, & doctrinis, ac vsibus Calui- 412 ni & Caluinistarum innitantur. Vltimo loco addit idem Gualter. de ipso Coxam quòd sacros textus ad fucandas nugas suas vsque adeo in promptu habeat, tametsi materna dumtaxat lingua perceptos, vt cunctis audientibus non exiguam concitet admirationem.

413 Circa Mercerum autem nouum Anabaptistam, illud primo loco aduertit Gualt. cap. 21. sæcul. 17. fuisse scilicet ipsum in Anglia diuturno carceri mancipatum, propter 414 suos tres errores (sicut etiam ibidem ex simili causa fuit eodem tempore carceribus conclusus prędictus Hercules Coxam, teste ipso Gualterio, secundum literas Leod. 4. Aprilis 1619.) tres autem illius errores sunt sequentes.

415 I. Quòd sancta Christiani Baptismi ceremonia nihil sit aliud, nisi profanum Satanæ inuentum: ita Gualterius.

416 II. Quòd nolit ipse Mercerus sibi vel suis sequacibus alium regenerationis modum, quam in solis pedibus.

417 III. Quòd talis regenerationis vsus in ætatem adultam debeat differri, exemplo Christi, qui in Cœna discipulis suis pedes lauit, ex lit. Belg. Leod. 4. Aprilis. 1619. affert Gualter. dict. cap. 21. in cuius tit. vocat Mercerum nouum Anabaptistam, ob tertium errorem, quo proposito, sic ipse 418 concludit. Quid Caluinismo, inquit, cum his nugis commune sit, ex cap. de Anabaptistis sæcul. 16. repetendum est. Atque hactenus de secta Merceri Anabaptistæ noui.

419 Tandem explicationem sectæ Ariocaluinistarum accipe à Gualter. cap. 20. per sequentia verba. Esse inquit, etiamnum eiusmodi, planum est, tum ex supradictis sæcul. 4 in cap. de Arianis, tum ex duobus hæreticis in Anglia non ita pridem ambustis, qui à puro Caluinismo in Arij perfidiam commigrarunt. Lit. Belg. Leod. 420 datæ 4. Aprilis 1619. Tum ex eo, quòd multi per Hollandiam Ariani in suo errore liberè viuere permittuntur; qui nullum diem festum obseruant, ne Iesu Christi quidem Natuitatem, vulgo ab alijs Caluinistis obseruari solitam. Lit. Hollan. 1612. Huc vsque Gualter. de ista secta, & nos de tota præsenti Regula.

De sectis Ioannis Trasti noui Ebionitæ, noui item Sabelliani, ac Pseudo Prophetæ Angliæ, quid statuendum?

REGVLA CCCXXIII.

421 PRodijt in Anglia circa annum 1619. Ioannes Trastus, & Londini munus concionatoris exercens, suæ hæreticæ doctrinæ venenum sensim in vulgus sparsit, & sectam pecularem ex diuersis erroribus, partim Ebionitismum sapientibus, perni- 422 ciosam instituit. Quidam item Hispanus non infimus Theologus in Angliam transiens, non solum à fide Catholica defecit, sed errores etiam, & sectam veteris hęresiarchę Sabellij ex parte innouauit. Fuit etiam alius perfidus hæresiarcha eodem tempore in regno Anglicano, qui nomen Prophetæ arroganter sibi assumpsit, seque communi omnium Prophetarum Spiritu ornatum esse testabatur, cum tamen Spiritus Satanę in eo vigeret.

424 QVæ spectant ad has tres sectas prædictorum hæresiacharum, colligit Gualt. r. ex eisdem Litt. Leod. 4. April. 1919. traditque nobis breuissimè cap. 23. 24. & 25. præsentis sæcul. 17. ob quam breuitatem, ac identitatem temporis, & literarū non incongruè sub eadem Regula cōiunximus, vt eā completè de more formaremus.

425 Circa primum audiamus in communi ipsum Gualter. Per id temporis, inquit, Ioannes Trastus palam aliquandiù Londini concionatus, suum sensim, ac sine sensu venenum in vulgus propagauit, & partim libris suis partim crebra disputatione Pseudepiscopis Angliæ multū negotium facessit. Ita ille.

426 Quoad eius verò errores in particulari I. idem ferè docuit Toastus discipulos suos de forma, & effectu Pœnitentiæ, quod Hercules Coxam supra adductus; cum eos imposterum peccati immunes faciat.

427 II. Prædicauit, quòd omnes Ecclesiæ, quæ ante ipsum fuerunt, etiam ab ipso fermè Iesu Christi tempore, in crassis, ac mortiferis erroribus manserint; nimirum ob translatum Mosis sabbatum in diem Dominicum; neglecta item festa alia à Christo Domino olim, Christique discipulis obseruari, ob contemplam etiam legalem ciborum diferentiam.

428 III. Si sacrificia, & circuncisionem excipias, in diuersis Ioannem Trastum, eiusque sequaces, sanè Ebionitas inuenies. Nocturnis vtuntur precibus sola spiritus suggestione, clamoreque ingenti. Vicissim orant, quando plures existunt, tum viri tum fœminæ, idque non sine vicinarum domorum fastidio.

429 IV. Vt Latinè Græcè, atque, Hebraicè perdoctus Trastus existit, ita & in Bibliorum volumine non mediocriter versatus. Vnde Protestantibus stimulus est permolestus, quos velipso risu explodit, quotiescumque ei veteris Ecclesię vel exempla, vel argumenta objiciunt, totidem gladios esse causatos, quibus illi semetipsos iugu-

430 lat. Hæc ferè syllabatim à me desumpta ex Gualter. dict. cap. 23. Qui ei sic finem imponit. Qui Trastum, inquit, cum Caluinistis conferre voluerit, repetat ex sæculo I. cap. de Ebionitis.

431 Secundi autem hæresiarchæ noui Sabelliani in Angliam translati, nec nomen, nec cognomen habemus, solum de eo sic Gualter. dict. cap. 24. Apostola, inquit, Hispanus est, in Theologia non parum versatus: neque indicat ex qua parte Hispaniæ.

432 Deos verò tantum errores eius adducit. Primus est, quod Iesum Christum prorsus abnegaret, atque eò blasphemiæ prorumperet, vt ipsum non Prophetam, sed hominum seductorem esse affirmaret.

433 Secundus illius error, quòd vna dumtaxat sit persona Diuina, cui seruire naturæ lege homines teneantur: atque quòd potiùs admittendi in Deo perfectionis gradus, quàm vlla personarum distinctio. Vndè iam apparet, qualiter nequissimus homo iste sit nouus Sabellianus.

434 De ipso tandem sic notat in fine dict. cap. 24. Gualterius. Annis, inquit, iam plus duodecim latet in Anglia, vbi complures in eius doctrinam admodùm propensi sunt; citoque eius discipuli euaderent, si hominem liberè adire liberet. reuisendum est caput de Sabellianis. Hæc ille.

435 Restat denique tradenda notitia tertij hæresiarchæ, siuè Pseudoprophetæ Angliæ (vt vocat eum Gualter. in tit. dicti cap. 25.) ex tribus in hac Regula comprehensis; sed id nec clariùs, nec compendiosiùs præstari posse videtur, quàm sequentibus eius verbis.

436 Nomen, inquit, hic sibi fecit eodem tempore: cumque se communi omniū Prophetarum spiritu imbutum crederet, illorum sæpenumero sententias, tanquam suas ad terrendos, docendosque alios vsurpabat. Multos scripsit libellos aduersùs hæreticorum duces, eos quidem sacris plenos comminitationibus, quas *Verbi Dei gladios* vocari cupiebat. Hæc Gualterius, quibus Regulæ præsenti finis imponitur.

Circa duas hæresiarcharum sectas Hiermanni Equitis Origenistæ & nouorum Deistarum quænam peculiariter notanda?

REGVLA CCCXXIV.

437 PEr idem ferè tempus anni 1619. in eodem Regno Anglicano; En nouum & horrendum monstrum, quasi ab inferis emersit, Hiermannus scilicet Eques, ob generis nobilitatem admodum notus, qui in obliuione sepultos veteris hęresiarchæ Origenis errores, maximè de futura aliquando Dæmonum, & quorumcumque ad infernum damnatorū saluatione instaurauit, ac pecu-

438 liarem sectam instituit. Quoad nouos verò Deistas, illud pręcipuè notādum, quòd valdè differant ab antiquis Deistis sæculi præcedentis 16. cùm ipsis nouis, vt videtur, satis sit credere Deum esse, ex hocque solo errore propriam sectam formarint.

---

439 NOn sine fundamento hunc titulum noui, & horrendi monstri, Hæresiarchæ Hiermanno Equiti Origenistæ tribuimus. Talis monstruositas inde innotescit, quòd inter tàm multa, & ingentia dissidia Puritanorum, & Protestantium, aliorumque Caluinistarum, vt vidimus, inter se circa Religionis doctrinam, prodierit ipse in medium, & fecerit sibi nomen, renouando, & docēdo errores Origenis tanta temeritate, & audacia, vt etiam coram Rege Anglicano scriptis doctrinam Origenistam t

tatus

tatus fuerit: audiamus Gualter. de hoc compendiosissime agentem.

440 Hiermannus Eques, inquit, satis superque notus in Anglia, veteres Origenis errores, de futura Dæmonum, ac reproborum salute, nostro tempore instaurauit; imò & scriptis Regi ostensis propugnauit. Lit. Belg. Leod. 4. Apr. 1619. Qua de re aliud occurrit nihil, nisi vt Lectorem rogem ex cap. de Origenistis repetere, quid Prætensi Reformati cum illis commercij hebeant. Huc vsque Gualter.

441 Cuius vestigia sequuti, nihil prædictis circa sectam istius Hiermanni hic addimus, ne iterum iam actum agamus, sed lectorem rogatum similiter remittimus ad Regulam nostram CCXXIX. cap. 7. vbi omnia ad sectam Origenistarum spectantia numeris amplius 50. copiosè pertractamus.

443 Sequitur agendum de nouis Deistis, & indicandum præcipuè, qualis inter istos differentia, & alios Deistas iam manifestatos à nobis in præcedenti sæculo 16. qui etiam Trinitarij, & Noui Arriani appellantur, & ipsorum sectæ 18. errores assignauimus.

444 At præsentis sæculi 17. nouorum Deistarum vnicus tantùm est error, nempè quòd ad salutem sufficiat credere, Deum esse (hinc vocati Deistæ) & quòd nequaquam ad alios fidei Articulos credulitas cuiusquã hominis se debeat extendere. Adducit compendiosius Gualter. c. 27. dict. secul. 17. & in confirmationem narrat casum valdè rarum, quem iubet hic proprijs eius verbis referre.

445 Hoc ipse, inquit, ante aliquot annos Lugduni expertus sum in Campano quodam iuuene, ex parentibus quidem Catholicis orto, sed hoc veneno iam à quatuor annis infecto. Hominem aggredi rogatus nihil profeci. Cum enim mihi annuisset esse Deum, & ego interrogassem, an non etiam sit Iesus Christus Dei Filius, homo factus, & crucifixus pro hominum redemptione? respondit: *Hoc dicitur*. Cumque instarem, an non Sacra Scriptura existat, cui habenda sit fides? simili modo re-

446 spondit. *Hoc dicitur*. Denique vrgenti mihi, & Dei iudicium, ac damnationem capiti imminentem proponenti, quasi vltimo responso subiunxit: *Faciat Deus de me quidquid ipsi libuerit; aliud a me nihil obtinebis. Si me vlteriùs vrgeas, Vlinum me conferam*. Pagus est, vbi Caluini buccinatores blaterant, Lugduno leucam vnam distitus: nempe his verbis planum faciens, Caluinismum veram esse Cloacam, ac Colluuiem, in quam suas confusiones despumant filij perditionis, qui Fidei, & Ecclesiæ terga verterunt. Hæc ille.

447 Qui ad rem etiam immediatè addit. Hunc, inquit, miserum erronem non æque miror, ac complures alios, tùm in Germania, tùm in Gallia, præsertim anno 1623. repertos, qui philosophicis ratiocinationibus, ac subtilitatibus *Præclarorum Ingeniorum*, nomen sibi comparare studuerunt, nosque compellere ad probanda naturalibus demonstrationibus fidei mysteria: capere vtique nolentes, quid sit fides, aut quousque naturale humani ingenij lu-

448 men peruenire queat, vel nequeat. Qua de re præter Thesaurum Historicum Gasparis, an. 1623. pag. 671. Deismi huius noui mentionem obiter facientem, legendus est P. Garassus lib. supra citato. Hæc Gualter. quibus huic Regulæ finem imponimus.

Qualisnam secta hæreticorum Illuminatorum? quando, & a quibus instituta? quid de eius progressu, & extinctione?

REGVLA CCCXXV.

449 SEcta hęc famosissima Illuminatorum, quasi fluuius pestilens ex venenoso illo veterum hæresiarcharum mari, Albigensium scilicet, Adamitarum, Manichæorum, Nicolaitarum, & similium (hinc 76. erroribus indicandis ad eius formationem desumptis) magno impetu egrediens circa an. 1623. Hispaniæ Diœceses Hispalensem, & Gaditanam inundauit, cooperante Satana, & viam sternentibus septem eius ministris, primis auctoribus, nequissimis

450 hominibus. Verùm ijs, ac alijs carcere inclusis, & ex sententia S. Officij iuridica exustioni traditis, compluribus etiam intra tempus gratiæ assignatum sponte comparentibus, ad fidem Catholicam denuò receptis, talis secta penè extincta mansit, nisi aliqui reuelationis metu latitauerint, vel extra patriam aufugerint, quod plus quam probabile censetur.

---

451 DE his Illuminatis hæreticis tractat Gualter. cap. 28. secul. 17. hocque claudit, ac eius Appendicem, explicata vltimo loco illorum secta, explicationem tamen hanc ex parte in communi ab ipsomet Gualter. audiamus.

452 Anno, inquit, eodem 1623. in Hispaleñ, & Gaditana Hispaniæ Diœcesibus pullulauit tenebrosa hæc Prætensorum Illuminatorum hæresis; cuius auctores primi septem exusti fuere, ipsa verò edicto condemnata, mandato cunctis ea contaminatis addito, vt intra tricesimum ab Edicto promulgato diem Inquisitores confessionis faciendæ, absolutionisque ab eis accipiendæ causa adeant. Quo in Edicto 76. maledictæ huius, atque impudicæ sectæ errores numerantur. Ita ille.

453 I. Error, Quòd secta Illuminatorum sit optima, specialiter verò, quòd oratio mentalis præcepto diuino vsque adeò sit iniuncta, vt per eam omnia adimpleantur.

454 II. Quòd oratio sit Sacramentum sub accidentibus, videlicet Mentalis ex se adeò excel-

excellens, vt hac virtute polleat; Vocalis verò exigui censetur momenti.

455 III. Quòd homines diuino cultui dicati nequaquam sint astringendi ad laborem manuum, nec se in corporalibus exercitijs occupare debeant, vt liberius mentalibus, præcipuè orationi vacent.

456 IV. Quòd nullo modo vlli Prælato, aut Patri, aut Superiori sit obediendum, quotiescunque aliquid præcipiunt, quod orationis mentalis, & contemplationis horas impediat.

457 V. Quòd hæretici Illuminati nonnulla asserant, quæ Sacramento Matrimonij aduersantur; vndè vt plurimum ipsi non sunt coniugati, nisi antequam hanc sectam amplectantur, matrimonium contraxerint.

458 VI. Quòd nullus hominum absolutè loquendo consequi valeat virtutis secretum, nisi magistris hæc docentibus discipulum se præbeat, & humiliter subijciat.

459 VII. Quòd nemo saluationem animæ adipisci possit absque ea oratione, quam huiusmodi magistri factitant; nemo similiter, nisi cum illis generaliter confiteatur.

460 VIII. Quòd ardores, tremores, & deliquia, quę sequaces istius sectæ patiuntur, signa sint gratiæ, & Spiritus sancti accepti; & quòd perfectis haud sit necesse, vt virtutum opera exequantur.

461 IX. Quòd Diuina essentia, & Trinitatis arcana videri possint, etiam in hac vita mortali, à quouis ex ipsis Illuminatis, qui ad certum perfectionis gradum ascenderit.

462 X. Error, Quòd isti prętensi Illuminati in omnibus actionibus externis, & internis à Spiritu sancto perpetuò, & immediatè regantur, si secundum quod disponit secta ipsorum, viuant.

463 XI. Quòd dumtaxat sequi quisque debeat dicti Spiritus sancti nutum, & inspirationem internam ad aliquid faciendum, aut è contra omittendum, & non aliter.

464 XII. Quòd eo tempore, quo sanctum Sacramentum eleuatur, necessaria consuetudine, ac cerimonia claudendi sint oculi ab eo, qui tali eleuationi pręsens reperitur.

465 XIII. Quòd vbi ad certum perfectionis statum quis peruenerit, nec videre ipse possit sacras Imagines, nec concionem audire, nec loqui de Deo, neque alia facere huic sectę, doctrinęque contraria.

466 XIV. Quòd omnes teneantur votum emittere de non contrahendo matrimonio, & de non amplectenda aliqua Religione: cum ipsi pernegent Religiosos Ordines esse bonos, teneantque Dei seruos debere pręfulgentem in mundo vitam agere extra statum Religionis.

467 XV. Quòd illi, qui S. Sacramentum per plures simul formas, seu hostias suscipiunt, plus gratiæ, gustusque recipiant; Imò, quod ipsi possint ex pane cocto communionem accipere.

468 XVI. Quòd oratio, & abstinentia nequeant diu simul, nisi miraculo, consistere: quòd item oratio, & amor Dei multum extenuent, adeò, vt lautis cibis vescendum sit, vt ad orationem aptior quis euadat.

469 XVII. Quòd quiuis orans ita se colligere in Dei præsentia teneatur, vt nec discurrat, nec meditetur, ne in Iesu Christi quidem passione, multò verò minus in sanctę Humanitatis cogitatione immoretur.

470 XVIII. Quòd quiuis Illuminatus, qui in amore Dei est, vel orationi mentali vacat, sine dubio possit absq; vllo peccato ab audienda Missa, etiam diebus festis abstinere.

471 XIX. Quod vnusquisque dum in oratione, aut in Ecclesia versatur, debeat obligationes omnes, quibus domui, statuique suo obstrictus est, penitus obliuisci.

472 XX. Error est, Quod sequaces huius sectæ etiam fœminis, quas spiritus, doctrinęque magistras suscipiunt, obedientiam præstare debeant, nihilque ab eis iniunctum præterire.

473 XXI. Quod, decimoquarto affinis, debeant filiæ castitatis quidem seruandę, Religionis tamen non ingrediendæ votum edere.

474 XXII. Quod filiæ confessionis sequentes sectam Illuminatorum hęreticorum, votum emittere teneantur se non alijs, quam ipsis Illuminatis peccata confessuras.

475 XXIII. Quod debeant dictę filię confessionis prętensis Illuminatis aurum, argentumuè oppignorare, vel certè, si id nō fiat, iureiurando confirmare, se alijs minimè confessuras.

476 XXIV. Quod fœminæ coniugatę non teneantur in matrimonij debito viris obedire: quod item filię, quę in matribus defectum aliquem, aut leuitatem animaduerterint, possint illas malè accipere. Deniq; quod filię confessionis nihil debeant facere, ne ieiunare quidem, nisi ex Confessariorum pręscripto, & mandato.

477 XXV. Quòd licitum sit Confessarijs ea, quę in confession ibus audierunt, quantumuis atrocia peccata, reuelare ei, cui obedientiam dederunt, & sibi inuicem.

478 XXVI. Quòd Illuminati vocandi sint Patres ab ijs, quibus obedientiam dedere, pręcepta ipsis, & censuras impon ant, neque ijdem absque Patrum permissu quicquam possideant.

479 XXVII. Quod Sacramentum Pœnitentiæ possit à quolibet Sacerdote absque vlla commissione, aut licentia vbilibet, & quouis tempore administrari.

480 XXVIII. Quod Illuminati auctoritatem habeant absoluendi ab omni peccatorum genere, etiam Sedi Apostolicæ, Episcopis, & S. Inquisitioni reseruatorum.

481 XXIX. Quod illę, quę in Confessione ab aliquibus Confessarijs solicitatæ fuerint, non debeant absolui, quousque coram aliquibus Cōfessarijs ad hoc destinatis declarauerint, quinam illi sint, qui eas solicitarunt.

482 XXX. Illuminatoru m error, quod in Sacra

Sacra Communione quicunque paucas formas, siue Hostias sumunt, Deum parum recipiant.

483 XXXI. Quod possit homo tantum habere amoris cum Deo, quantum voluerit, tantumque fauoris Spiritus sancti adipisci, vt etiam non ieiuno communicare liceat.

484 XXXII. Quod omnes illi, qui per plures hostias communionem sacram accipiunt, Deo chariores, & in virtutibus quibuscunque multò perfectiores existant.

485 XXXIII. Quod Illuminati vbi Cõfessionis filias cõmunione donauerint, os suum ori illarum superponant, halitumque emittentes, dicant illas amorem Dei accipere.

486 XXXIV. Quod in Cœnobijs, propter multas officij occupationes, & propter diuersa impedimenta, non possit perfectio comparari.

487 XXXV. Quod quiuis homo perfectus in exercitio virtutum possit absque speciali reuelatione scire, vtrum sit in gratia, & charitate, nec ne.

488 XXXVI. Quod teneant prætensi Illuminati virtuti, salutique aduersari elegantem ornatum in Ecclesijs, ac propterea ab eo esse abstinendum.

489 XXXVII. Quod possit homo ad eum perfectionis gradum peruenire, vt gratia animæ facultates submergat, nec possit anima, vel progredi, vel retrogredi.

490 XXXVIII. Quod possit homo dicere se ter à Deo in gratia confirmatum fuisse; primo quidem quod ad peccata mortifera spectat, deindè quod ad venialia, ac demũ quod ad naturales imperfectiones; seque in eo statu existere, vt ex carne Adę nihil retineat.

491 XXXIX. Quod item teneant isti Illuminati, posse hominem ad talem perfectionis gradum ascendere, vt Sanctorum intercessione non egeant: vnde nec isti inuocandi.

492 XL. Illuminatorum error, quod aliqui ex Dei amore sint ęgroti, qui diebus ab Ecclesia vetitis, vt Vigiliarum, Veneris, & Quadragesimę, vesci carnibus non solum possint, sed etiam debeant.

493 XLI. Quod in statu vnionis, & amoris Dei, bonitas ingenij comparetur cum affectu amoris dumtaxat, tametsi aliarum omnium virtutum affectus desint.

494 XLII. Quod in statu vnionis nullus voluntatis actus sit exercendus; & in statu perfectorum, ac vitę vnitiuę amoris Dei, si Deus animę formaliter dicat, vt sit bona, bonam substantialiter fore; in eoque statu animę necesse nõ esse, vt operetur, vt amet, vt amare desinat, vt quicquam faciat.

495 XLIII. Docent item prætensi Illuminati, quod actus eo magis meritorij sint, quo minus est sensibilis deuotio.

496 XLIV. Quod illud solummodo intelligendum, quod Deus intelligit, nimirum de se ipso, & in se ipso, & de rebus, ac in rebus ad se ipsum pertinentibus.

497 XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. Error LI. LII. LIII. LIV. Quod turpes actus, & tactus inhonesti cum sectæ suę fœminis, ac puellis, non sint peccata, immò virtus, ac pietas.

498 LV. Quod amicitia, si bona sit, tametsi cum censuris, & excõmunicationibus prohibeat eam superior, ex ipsaque scandalum aliquod sequatur, nequaquã vitari debeat, nec censuris obnoxia maneat.

499 LVI. Quod homo publicè excommunicatus, si à celebratione, aliorumue Sacramentorum administratione non abstineat, minimè debeat se pro excommunicato habere, modò sectam hanc, & opinionem amplexus fuerit.

500 LVII. Quod prædicti Illuminati affirment, se in ecstasibus, & gaudij diuini raptibus videre clarè Deum optimum maximũ, vt in ęterna sua gloria videtur.

501 LVIII. Quod clara Dei visio semel in hac vita cum anima cuiusuis communicata, in ea perpetuò dum hac mortalitate fruitur ad ipsius arbitrium permaneat.

502 XLIX. Quod semper, ac singulis horis, cum libuerit, videri possit à quouis Illuminato id, quod iam semel ab ipso visum fuit.

503 LX. Illuminatorum error, quod ad consequẽdam cum Deo vnionem, eadem opus sit puritate, quę ad videndum Deum requiritur.

504 LXI. Quod vbi Deum illi clare vident in ecstasibus, & raptibus, quemadmodum videtur in gloria, tunc semiuisio possideatur inter fidem viatoris obscuram, & manifestam gloriam.

505 XII. Quod in supradictis illis magnis ecstasibus, & raptibus, nihil sit fidei, eo, quod Deum clare videant: qui error ex parte videtur contrarius pręcedenti.

506 LXIII. Quod quicunque sectæ, ac doctrinę prætensorum Illuminatorum adhæserint, Purgatorij pœnarum immunes existant.

507 LXIV. Quod plures animę, eo, quod illorum doctrinæ acquiescere noluerunt, in Purgatorium fuerint amandatæ: vnde ad quosdam veniam petiturę accedunt, qui pronunciato illis Euangelio, in Paradisum eas gradum facere conspiciunt.

508 LXV. Quod aqua benedicta peccata venialia minimè deleat.

509 LXVI. Quod nullo modo vnquam sit vtendum imaginibus, vt quis se ad orandum colligat, cum ipsę tantum (inquiunt) vt blãdimenta, & illecebræ censeantur.

510 LXVII. Quod Respublicę habeant conuenticula perniciosa cum concionibus, ac spiritualibus colloquijs nocturnis.

511 LXV. III Quod Stigmata Domini Nostri Iesu Christi impressa, quidam ex dictis Illuminatis habeat, sudorem cruentum emittat, solo Sanctissimo Sacramento se sustentet, & cum Deo Patre colloquatur.

512 LXIX. Quod prętensi Illuminati pro arbitrio Euangelium, & sacram Scripturam interpretentur contra veram intelligentiã, & communem opinionem sanctorum.

513 LXX. Eorum error, quòd verba hęc S.Pau-

S.Pauli, 1. Thes.4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*; ad litteram intelligantur de quodam Confessario, & quadam Confessionis filia, ipseque S.Paulus, si illa rectè intellexisset, de istis, quando illa protulit, fuisset expositurus.

514 LXXI. Quòd quando apud Matth.c.7. Christus Dominus dixit, *Petite, & accipietis*, non nisi de Prædestinatis loquutus fuerit, quippe qui soli quod petunt, accipiunt.

515 LXXII. Quòd Euangelium S.Lucæ, cum ait Christus Dominus cap.8. *Cæteris loquutum fuisse in parabolis*, intelligi debeat de solis reprobis.

516 LXXIII. Quòd verba S.Apostoli Roman.cap.11. *Sine pœnitentia sunt Dona Dei*, ita sint accipienda, ac si diceret, vt nobis gratificetur, nostra non egere pœnitentia.

517 LXXIV. Quòd peccatores non audiantur à Deo efficaciter ad obtinendum, quod petunt, in eoque sensu debeat intelligi, quod apud Ioannem c.9. *Scimus quia peccatores Deus non audit*.

518 LXXV. Quòd Doctores Theologos, Euangeliique Concionatores, dicti Illuminati spernant, Scripturam sacram se melius, quàm illos intelligere iactitantes.

519 LXXVI. Et vltimus, quòd iidem Illuminati, cum impudicis tactibus lasciuorũ coronam, & meritum eam ob rem polliceantur.

His propositis subiungit idem Gualter. [Habes hic, amice Lector, 76. non minùs impias, quã impudicas propositiones, quas tenebrarum Spiritus in horum prætensorum Illuminatorum cor, ac linguam effudit; eas quidem plene exaratas vna cum supracitato Edicto, processu, ac condemnatione per Reuerendissimum Episcopum D.Andream Paccecum Generalem Hispaniæ Inquisitorem lata 29. Maij 1623.] Hęc ille ex Mercurio Gallico, tom.9. pag.355. & ex hist. Gasp. pag.671. desumpta.

520 Duo autem contenta in nostra Regula, quòd secta ista Illuminatorum ducat originem ab hæresiarchis antiquis ibi expressis, & qualiter ferè in totum statim extincta fuerit, accipe ab ipso Gualter. per sequentia ibidem verba.

521 Vbi, inquit, additur euanuisse cunctos huiusmodi Illuminatos, siue reuelationis metu adhuc latitent, siue extra patriam aufugerint, siue ad fidem Catholicam re-

522 dierint. Porrò si cui libeat has 76. propositiones cum Caluinismo conferre, perfacile illi erit, modo relegat, quę à me scripta sunt cap. de Nicolaitis, Marcionistis, Adamitis, Manichæis, Albigensibus, aliisque veteribus Inferni excrementis, nempe, veris, & prætensorum prodromis, Italisse.

523 Quòd tandem in fine Regulæ assero, plusquam probabile censeri, quòd diuersi ex iis Illuminatis extra patriam metu capturæ fugam arripuerint, & alibi semen propriæ sectæ sparserint, ita esse ostendo (imò prorsùs certum) ex casu peculiari, quem multis ab hinc annis ab Admodum Illustri, & Religiosissimo viro, mihique amicissimo fratre Hieronymo de Conte, Sacrę Religionis Hierosolymitanæ Sacerdote, vt à teste oculato audiui: nempè, Syracusis Regni Siculi, propria patria illius, fuisse denunciatum Commissario S.Inquisitionis ibi residenti quendam huius sectæ Illuminatorum sequacem; & facta captura Panhormũ ab eo missum, ibique pro meritis causæ à Dominis Inquisitoribus condemnatum. Atque iis præsenti Regulę finẽ imponimus.

Quid de veteribus Atheistis? quid de aliis nouis, maxime de Lucilio Italo, ac de vndecim eius sociis?

REGVLA CCCXXVI.

524 SEcta hæc Atheorum antiquissima, vniuersalissima, occultissima, cæterarumque omnium (excepto casu peculiari) nequissima, si in tota sua latitudine sumatur, non solùm pernegat esse Deum, saltem quoad eius attributa (hinc vt à potiori parte nomen Atheismi desumptum) sed quoscunque etiam puros Spiritus, ac Dæmones, imò & animas nostras vna cum corporibus interire, atque sublata Diuina prouidentia, & gubernatione, omnia casu existere, & fato subesse, pertinaciter defen-

525 dit. Emisit autem quouis tempore radices, & clam propagata est, maximè tamen postquam emersit Caluinismus, qui huius propagationis nõ exiguam ansam prębuit.

526 Multo autem magis inualuit pestis ista paucis ab hinc annis, cooperatione Lucilii Itali, & vndecim sociorum, qui ex condicto per totam Europam, ad ipsam Atheismo inficiendam, dispersi sunt.

---

527 COnsultò distuli in hunc locum istã Atheorum sectam, vt ea diuersis in locis, præcipuè in isto, apta explicari, tàm multiplices hæresiarcharum sectas, longissimo tot sęculorum decursu, ante, & post Incarnationem Verbi à nobis indicatas, fe-

528 liciter clauderemus De Atheis antiquis, & nouis tractant Prateol. lib.1. Elenchi alphabetici, verb. Athei, numer.77. & lib.5. verb. Epicurei, num.13. Gualter. cap.109. sæcul. 16. & cap.19. sęcul.17. in Apendice sacrę Scripturę, Interpretes in Psalm, 13 vbi agunt ex professo de Atheismo, pręcipuè noster Ioannes Lorinus, perpẽdentes priora verba primi versus: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus: quę nobis inseruient ad capiendam pleniùs doctrinam nostræ Regulę, discussis aliquibus eius particulis.

529 Dixi, *antiquissima*, iam enim tunc secta Atheismi maximoperè vigebat, quando Regius Psalmista prædicta verba protulit (& repetiit eadẽ psal. 52.) imò multò prius, etiam ante diluuium vniuersale, cum hoc ad

ad destructionem totius orbis terrarũ immissum fuerit sine dubio ob Atheismum, ob ea peccata, quæ deplorabat Apostolus, ad Philip. 3. Multi enim ambulãt, quos sępè dicebam vobis (nũc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorũ finis interitus, 530 quorũ Deus venter est. Excepto S. Patriarcha Noe, & paucis domesticis, vix reliqui alium Deum agnoscebant, nisi ventrem, & carnis luxuriẽ, omnis quippè caro corruperat viam suam, Gen. 6. Neq; circa hoc potest esse vlla controuersia, quòd ante diluuium in prima mundi ætate, & post, in reliquis regnauerit Atheismus.

531 Dixi, Vniuersalissima, cùm ad quascunq; gentes, ac nationes secta Atheorũ se extendat: Insipientium enim seu stultorum, dicẽtiũ in cordibus, vt ait Psalmista; nõ est Deus, infinitus est numerus, teste Ecclesiaste, c. 1. & quidem quòd de quibusuis nationibus gentilitatis id verum existat, conuincitur manifestè, sumpto argumento à maiori ad mi- 532 nus. Nam à fide Catholica, seu à Christianismo ad hęreticismũ, & indè ad Atheismũ frequenter fit transitus, ergo multò frequẽtiùs fiet à Gẽtilismo, seu ab Idololatrię statu ad ipsum Atheismum. Hęc consequentia sic ab antecedenti deducta per se nota est: audi veritatem antecedẽtis à Prateol. verb. Athei, per sequentia verba.

533 Istius, inquit, Atheismi, abominandæq; impietatis quot habeat sectatores diabolus, difficillimũ fuerit affirmare. Testatur Hedio in epistola ad Philippum Melanchthonẽ, Satanam callidum huc multos agitare, vt dũ summa inconstantia iam hoc, iam illud credunt, posthac nihil prorsùs credant, & eua- 534 dant in populum Asotiorum. Dicuntur autem *asotoi* Græcè, qui Latinè decoctores, nequã homines luxu, ganeæ studio perditi, & qui bona sua obligurierunt. Conqueritur porrò iste de suis Euangelicis, quod & Catholici passim per Germanias, Galliasq; perdolenter in ipsis videmus, ex Catholicis fieri Lutheranos, ex Lutheranis Zuinglianos (quorum maxima est natio) ex Zuinglianis SuuenKfeldianos, tùm mox Atheos, siuè Epicureos. Ita ille.

535 Ex cuius vltimis verbis notandũ, quòd duę istę sectę, Atheorum, & Epicureorum, in idem coincidant, pro vnaq; ac eadem reputentur, & simul vt plurimùm coniungantur, vti reputat, & coniungit, (quidquid separet ipse Prateol. sub diuersis verbis in suo Elencho alphabetico) Gualter. dict. c. 109. cuius titulus est de Atheis, siuè Epicureis, vbi paucis, quæ ad rem præsentem pertinent, sic comprehendit.

536 Iste, inquit, est scopus vltimus, quem spectat Satan, dùm hæreses disseminat, nempè vt erepta animabus fide catholica, postquã illas ex vna in aliã hęresim deuoluerit, cęcę tandem distractionis, ac luxus põdere easdẽ vel in Epicuri abyssum, vel in Atheismum 537 proijciat. Quod neque ipsi aduersarij abnuere queunt, vt dilucidum est ex lamentatione Hedionis de suis prætensis Euangelicis: de quibus scilicet in quadam sua ad Melanchthonem epistola scribit. Hęc ille, subiungens paulò ante tradita ex dicta epist.

538 Circa Epicurũ verò peculiariter, eiusq; sectam audiamus aliqua à Prat. cit. Hic, inquit, auctore Cicer. lib. 3. Tusculan. qu. eum solum esse beatum contendebat, qui pręsẽtibus voluptatibus frueretur, confideretq; se fruiturum, aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interueniente; aut si interueniret, si summus foret, futurum breuẽ; si productior, plus habiturum iucunditatis, quàm mali. Hęc cogitantem fore beatum, præsertim si ante perceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec Deos extimesceret. Hæc Cicero, & prosequitur Prat. sic.

539 Ea porrò, inquit, secta sectatores habuit infinitos, vt potè quę delicata sit, & amabilis, cùm homines natura sua illuc libentissimè concurrant, vbi audiunt laudari voluptatem, quærentes libidinibus suis patroci- 540 nium aliquod, & velamentum. Aduersus hunc, & eius sectatores nõ pauci Philosophi (vt testatur Nicephorus lib. 10. cap. 26) qui non longè à cognitione Dei abfuere, præstantibus libris pugnarunt; vt qui nullos Deos esse assereret, omniaque fortuitò, & sua sponte existere censeret, & mundũ nulla prouidentia regi apertè doceret; quem tandem redarguendo, & eius, suorumque sequacium inscitiam euertendo, illi confutarunt. Huc vsque ille: atque hæc de Epicuro dicta sint.

541 Prætera dixi, occultissima, nempè quę in cordibus ipsam profitentium latet. Dixit insipiens in corde suo. Variæ sunt expositiones huius particulæ, *in corde suo*, quas affert Ioan. Lorin. in psal. 13. explicans eã pri- 542 mo sic. Tantam, inquit, impietatem veretur Atheus verbis, & sermone palam edicere, sciens haud facilè persuasurum, sed pœnas etiam fortassis luiturum. Ita ille ex mẽte SS. Patrum, D. Augustin. in psal. 13. & lib. 5 de Ciuit. cap. 9. ac D. Hilarij in psal. 52.

543 Dein exponit Lorinus, quòd secundùm Didymum Auctorem grauissimum, in hac loquutione, *Dixit in corde suo*, Diabolum annui appareat, qui dixerit in mente, non vni, non alicui, non pluribus, *Ero similis Altissimo*. *Isa.* 14. Attamen eo modo, quo potuit, scilicet, spirituali oratione, alios Ange- 544 los seduxit. Vndè in hanc partem videtur inclinare Didym. & cum eo ipse Lorinus, quòd Dæmon fuerit primus Atheus, Deum pernegans esse Deum, scilicèt non habere essentiam, & perfectionem increatam, ac infinitam: quandoquidem cùm cognosceret, & certò sciret se esse creaturam valdè limitatam, & finitam, similitudinem nihilominùs, & æqualitatem nequissimus Lucifecum verò Deo Opt. Max. affectauit, adhucque affectat, & media hac secta Atheorum ipsius admodùm propria, quam curat esse occultissimam, ad se adorandum vti Deum 545 innumeros homines inducit. De qua inductione, & præsenti affectatione exponit S. Bernard. saltem in sensu mystico, verba

ba illa psal.73. Superbia eorum,qui te oderunt, ascendit semper. Vide reliquas interpretationes huius particulæ, *in corde suo*, apud eundem Lorinum.

546 Vltrà dixi, *cæterarumque omnium nequissima*; innotescet clarè de hac maxima, seu maiori Atheorum secta præ omnibus quibuscunq; nequissima,si in communi saltem aliqualis cum ea ipsarum collatio pro-

547 ponatur. Sub reliquis sectis continentur, vel hæretici,vel apostatæ à fide Catholica;constat autem apud omnes scriptores, hoc interuenire discrimen inter hęreticū, & apostatam,vt iam alibi à nobis traditum, quòd ille secundùm aliquem, vel aliquos tantùm articulos à fide Christiana recedat; iste verò secundùm omnes, seu totaliter Religionem nostram derelinquat: Atque hinc multò maior inest Apostasiæ malitia,

548 & iniquitas, quàm hæresi. Inter Apostatas verò diuersi sunt gradus, seu modi, iniquæ, iniquioris, & iniquissimæ Apostasiæ; Atque hunc tertium gradum solus Atheismus attingit, cùm contra lumen naturę inditum vnicuique,è medio Deum,eiusq;prouidentiã, & gubernationem vniuersi prorsùs tollat. Dixit insipiens,Non est Deus.

549 Nam secundùm communem doctrinam Philosophorum, & Theologorum cum D. Thom. 1.p.q.2 art.1. naturali lumine, & ex principijs à natura ipsa hominis menti impressis demonstrari potest, esse Deum prouisorem, & gubernatorem totius mundi, vti egregiè demonstrat noster Franciscus Suarez tom.2.Metaphys.disp.

550 Exprimitur item magis hoc idem in particulari collationem exhibendo, & diuersimodè exemplificando. Nam si quis à Christianismo ad Iudaismum transeat, licet verus apostata à fide Catholica per hũc transitum constituatur, cognitionem tamẽ aliquam veri Dei habet,ac eum vti Deum colit, sicut ex scripturis veteris testamen-

551 ti Iudæi ipsum agnoscunt, & colunt. Relicto præterea Christianismo Gentilismum idololatrantem si quis amplectatur, verus apostata à Religione Christiana existens, quamuis non veri Dei, numinis tamen alicuius superioris sub idolo recognitionem, (non discutio modò, an ex aliquo capite apostasia ad Iudaismum peior sit, quàm ad Gentilismum,cum id iam alibi à nobis fuerit discussum)& cultum ei exhibendum ad-

552 mittit. At nequissimus per Atheismum apostata totum id reijcit, & factus insipiẽs, & stultus, persistit in negatiua, dicens in corde suo, Non est Deus.

553 Quæ vox,seu negatio insipientissima,& stultissima adeò repugnans est humanæ naturæ,vt meritò contra quoscunq; eam proferentes apud Resp. Gentilitatis, maximè Atheniensium,pœna capitis pręscripta fuerit, & exequuta,vt ex Ioseph lib.2.cōtra Apionem,ex Valerio Maximo lib 1.& ex alijs

554 adducit citatus Lorinus. Addens talẽ pœnam fuisse inflictam Socrati Philosopho antiquitatis admodũ celebri, vti vero Atheo: pœnam verò proscriptionis Protagorę,quia de Dijs dubitauerit,& sic de diuersis veteribus Philosophis in Atheismum prolapsis; quorum plures exprimit Prateol. verb. Athei, num.77. eius verba accipe.

555 Athei,inquit,sunt, qui nullum esse Deū credunt,cæci,& excordes, quiq; Dei prouidentiam è rebus humanis tollunt, omnia vtiq;agi fato,animasq;vnà cum corporibus interire arbitrantes.Ex eorum numero fuerūt olim pręter reliquos,Diagoras, sectatoresq;Diagorę,Athei cognomento nuncupati,eò,quòd (vt inquit Theodoretus Cyrẽsis Episcopus lib.6.de curatione Græcarum affectionum) penitus Deum negarent esse; eius porrò assectatores fuere Theodorus Cyrenęus,EumerusTegeates,Callimachus, Podicus,Cæus,Plinius,Lucianus,Lucretius,

556 Doletus,& alij complures.Præter cæteros verò Epicurus,Neoclis filius,in ea fuit sententia,quæq;ab eo secta,societasq; descendit. Deum quidem esse dicentes, verùm eū in se ipsum conuersum esse, neq; ipsum curare quicquam negotij, neque item velle sibi ab alijs exhiberi. Hæc ille.

557 Ex quibus vltimis verbis clariùs innotescit de secta Epicuri,& ex eisdẽ manifestè apparet, quòd homines ad Atheismū gradatim inducantur. Primo,quòd credāt Deū non habere prouidentiã de rebus humanis, nec gubernationẽ vniuersi, sed in se solitariū absq;negotijs manere. Dein,quòd omninò Deum esse negent, dæmoni loco eius

558 cultum exhibentes. Tandem,quòd ipsum etiam dæmonem reijciant,negantes in rerū natura eum existere;de hac gradatione,seu cultu dęmoni loco Dei exhibito,ac de ipsius negatione,eūdẽ Prat. ex Lindano audiamus.

559 In qua,inquit,opinione hoc nostro sęculo, impietate satanica, multi ex nostris Euangelicis conquiescunt. Desideratam nẽpè (vt verbis Guillelmi Lindani vtar,quibus in suo Dubitantio,dialog.2. aduersùs hanc impietatem vtitur)ambitiosissime illam Dei optimi similitudinem,cuius præpostera,superbissimaq;cupiditate ex paradiso,cælestibusq;sedibus est eiectus,etiam nùm ambire nõ desinit improbus,superbusq;ille spiritus.

560 Adeò quidem, vt hac tẽpestate apud eos ipsos Euangelicos rebus suis pro voto confectis,hoc est Christo per eorū quosdam cęlis extracto, ac in tartara misso, Deo optimo maximo abnegato, sese Deum esse illis non modò persuaserit,sed colẽdum etiam, idq;accuratiùs,quàm Catholici Deum co-

561 limus, præscripserit. Vt enim Catholici prisca de consuetudine Deum vnum,& verum per diẽ adoramus nouies,ita illi Satanici suum dęmonem Deum(ò cęlum!ò terra!)decies inuocant,atq;colunt. Facti quidem illi ex Christianis non modò Antichristiani,Iudęi,Turcæ, & Mahumetani, sed &

562 Diaboli cultores,atque adoratores. Imò, si verum mihi credere licet,veri Athei,atq; impij: qui nec Christum, nec Deum, nec denique Diabolum, nec cælum, nec infernum esse profitentur. Ita ille.

563 Di-

563 Dicendum præterea modò de eo, quod in Regula nostra sequitur, nempe. Primo, quòd Atheismus valdè multiplicatus fuerit, postquam Ioannes Caluinus hæresiarcha, sectaque eius prodijt. Secundo, quòd occasionē talis multiplicationis ipse Caluinismus prębuerit. Circa primum, huiusce 564 veritatis egregiū testimoniū inuenio apud Martinum Delrium, disquis. magic. lib. 3. q. 7 sect. 1. quo confirmatur, quod paulò antè dictum, Dæmones, scilicet ab Atheis negari. Discutit enim ipse illud graue dubium cur per maleficia sic Deus permittat Dæmonem grassari? duplex ab eo assignatur causa huius permissionis, nimirum, Gloria Dei, & salus hominum; cumq; hæc sit multiplex, quinto loco ait permitti, vt fides huius veritatis, quòd sint Dæmones, magis stabiliatur contra Atheos: accipe verba ipsius Delrij, vt capias id quod ad rem facit.

565 Quinto. Sic fides catholica confirmatur & propugnatur: nam sic adstruitur fides contra Infideles, & Atheos, qui Spiritus, & Angelos esse negāt: nā eos ipsa conuincit experientia: quia tales erant, Christo Domino in terris conuersante, Sadducæi, frequentior trium annorum spatio de energumenis fit mentio, quam toto veteri Testa-566 mento per tot sæcula. Et quia in Ecclesia primitiua similis fuit error Peripateticorum (testantur Tertullian. in Apolog. & lib. ad Scapulam, ac D. Cyprianus aduersus Demetrianum) idcirco tam multi tunc per 567 Dæmones obsessi, & erepti. Quia hodiè Atheismus ex Caluinismi radice repullulat, idcircò tot passim maleficorum examina succisa multiplicantur; hucusque Martinus Delrius.

568 Quòd item ex Euangelicis, aut ex Caluinistis penè innumeri ad Atheismum iugiter transferiant, stabilitur verum alio testimonio prǫter dicta (vt refert Prateol. verb. Athei ex Lindano) Petri Vireti lib. 2. de Ministerio verbi affirmantis, esse quosdam Ludi magistros ex illo Epicuri grege porcos, qui in scholis soleant suis sæpè scholasticis occinere illum verè beatum, qui, vt est apud Virgil.

Metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.

569 Ita ille, & in maiorem confirmationem sic Prat. immediatè subiungit cum Lindano.

570 Istiusmodi complures esse Geneuæ, in Ecclesia, quam dicunt, Italica, vnum illud satis superque arguit, quòd cum isti Caluinistæ de abolendo semel Pontificatu Romano, Purgatorio extinguendo, alijsq; Catholicæ Dei Ecclesiæ dogmatibus delendis inter se consultarent, vnus præ cæteris eximiè sui magistri mendaciorum patris af-571 flatu raptus: Dicamus animam, inquit, vna cum corpore extingui, sic Purgatoria cum Missa, & Romano Pontifice, semel abolebimus. Eo enim verò deploratissimæ cæcitatis isti (heu miseros Euangelicos!) lapsi sunt, in reprobum sensum, mentemque male sanam, iusto Dei iudicio traditi, vt suam non modo negligat salutem æternam, sed alijs quoque eodem erroris deducendis omnem mouent lapidem, qua-572 cunque tandem id faciant ratione. Nihil enim pensi habent isti Euangelici, quid doceant, faciant ne, modo suo Deo ventri commodent, aut saltem suæ perfidiæ hostibus incommodent, aut veritatem, quam oppugnandam coniurarunt, si non aboleant, saltem aliqua ex parte obscurent. hęc ille, & alia, quæ apud ipsum videas.

573 De secundo, quòd Caluinismus præbuerit occasionem amplectendi Atheismum, sic euidenter ostenditur: non sum immemor particulæ à me in Regula appositę per parenthesim (excepto casu peculiari) nimirum sectam Atheismi quarumcunque aliarum esse nequissimam, si casum vnum ex-574 cipias; quisnam iste? Tradidimus supra Centum Caluinismi errores, inter quos decimo nono loco expressimus horrendissimam illam Caluini blasphemiam, quòd Deus sit auctor, seu causa peccati cuiuscunque, quod committitur; idque sex modis, quibus homo ad peccandum concurrere potest: quos eruditè percurrit Gualter. cap. 15. sæcul. 16. adductis proprijs eiusdem Caluini verbis, ostendens ipsum docuisse, his omnibus modis Deum esse causam, seu 575 auctorem peccati. At peius, & horribilius est dicere Deum esse causam, seu auctorem peccati, quàm dicere non esse Deum aut saltem affirmando Deum esse peccatorem, indirectè affirmatur, quòd non sit Deus; ergo Caluinismus aperit viam Atheismo, vel saltem Manichęismo, constituenti, vt alibi vidimus, duo prima principia, seu Deos, vnum auctorem omnium bonorū, alterum omniū malorum. Ita docet benè cit. Gualt. sub finem dict. error 19.

576 Docet etiam idem Gualter. cum Feuard. Dial. 1 de Trin. pag. 8. quòd Caluinus præbuerit ansam Atheismo, quando (vt habetur in errore eius 24. ex Centum per nos traditis) prohibuit inuocari sanctissimam Trinitatem, & asseruit fatuam, ac profanam esse illorum fidem, qui tenent idem esse credere in Trinitatem, ac credere in Deum, eo quòd ipse Trinitatem è medio tollat, & consequenter, Deum, cum secundum veram fidem Catholicam Deus, & Trinitas idem sit; ergo Caluinismus in hoc casu aperit viam Atheismo.

577 Adhuc verò inuestigandum restat, vndenam, seu ex quibus causis proueniat, quòd tam facile infinita penè quorumcunque hominum, maximè Euangelicorum, seu Caluinistarum, imò & Christianorum multitudo in Atheismum prolabatur, & ob quas causas, & rationes non solum ab eo recedere, sed ipsum etiam despicere deberent, præcipuè, qui diuinę fidei luce præditi existunt. De vtroque audiamus Prateolum primo, sic in communi dicentem.

578 Porrò, inquit, cum plerosque videre liceat, sæpe numero admirari solere, quomodo fieri possit, vt in tantam cæcitatem ruant quidam Christiani, vt dubitatione teneantur, an sit Deus quispiam, qui videat,
579 sustentet, atque gubernet omnia; Cùm vel auctore Ethnico omnibus innatum sit hominibus, & quasi insculptum esse Deum aliquem, nullaque gens in hominibus neque tàm immansueta, neque tàm ferrea sit, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat: non absurdum mihi hoc in loco visum est, eas rationes, quæ ad hanc rem adduci possunt, attexere, quas Ioannes Wigādus ex libro, quem his proximis diebus de Deo contra Arrianos nouos nuper in Polonia exortos edidit, recenset, quæ sunt huiusmodi. Hæc ille, & post sic verbis Wigandi,

581 Causæ, inquit, cur mentes humanæ interdum dubitent, an sit Deus omnia videns, sustentans, atque gubernans, sunt istæ,

582 I. Spoliatio imaginis Dei in homine, & horribilis deprauatio, obscuratio, & malitia mentis humanæ, in qua debuissent notitiæ de Deo illustres naturaliter flagrare,

583 II. Quòd Deum non cernimus omnes corporalibus oculis in mundo, perinde vt personam Regis, aut Principis, aut Iudicis alicuius coram intuemur.

584 III. Euentus mirabiles, quorum causas sæpè ignoramus, & quos putamus longè alios esse debere, si Deus existeret omnia cernens, & curans; vt sunt felicitates impiorum, & ex aduerso, bonorum res infelices, quæ quidē sæpè sunt & grauissimę, & diuturnæ. Item longanimitas Dei, qui atrocissimis peccatis pollutos, non extemplo pœnis seueris afficit.

585 IV. Mortis imperium, & tyrannis, grassans pariter tùm in bonos, tùm in malos; cuius quidem rei causam ignorant mentes humanæ, luce verbi diuini destitutæ.

586 V. Denique Diaboli vis, ac potentia, qui hominibus varias præstigias offundit, immo etiam obcęcat, & indurat eos tanta vi, vt non modò ambigant, an sit Deus, sed etiam penitùs eius obliuiscantur, & furiosè omnis generis scelera patrent. Hæc ille ex Wigando,

587 Prædictę autē causæ originales Atheismi multis extendi, & explicari potuissent, maximè prima, & vltima, obcæcationem mentis humanæ attingentes: quibus concinit illud psal. 48. bis ibi appositum: Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: sed præstat à prolixitate abstinere, & iam cum eodem Prateol. seu Wigando, adducere rationes, quibus conuincantur quicunque homines, etiam Gentiles, non solùm ad recedendum ab Atheismo, verùm etiam ad detestandum ipsum.

588 Confirmandæ igitur, inquit, sunt mentes humanæ firmis, ac solidis rationibus, & testimonijs, vt excussa omni materia dubitationum, certo statuant esse Deum omnia creantem, & moderantem, cumque vera fide inuocandum, & celebrandum esse. Rationes itaque, ex quibus homines præstantia, & sagacitate suæ mentis, etiam absque verbo diuino, aliquo modo decernunt esse Deum, sunt hæ,

589 Omnia Dei opera in tota hac mundi machina euidentissimè demonstrant, & conuincunt, esse Deum aliquem sapientissimum, & potentissimum, architectum, & cōseruatorem perpetuum rerum omnium. Alias enim non possent ista omnia, quę sunt in mundo, casu existere, aut perdurare.

590 Sed ista non nihil euoluenda sunt. Quòd igitur sit Deus, gentes etiam saniores senserunt, & fuerunt ipsis in conspectu hæ rationes.

591 I. Ipsa hominis admiranda, & pulcherrima fabricatio, innumeris testimonijs Dei ornata, vt non immerito homo sit appellatus μικρο κοσμος. Lucet enim in homine discrimen honestorum, & turpium, quod est regula omnium actionum necessariarū
592 in vita humana. Et nihil est tàm minutum in homine, quin de Deo luculentissimum testimonium dicat. Ac detestandus est ille stupor hominum, quòd tot, ac tantarum rerum præstantiam non expendat,

593 Sed vberior explicatio ex Physicis petēda est, vbi singula membra hominis exactius considerantur: disserimus enim hac in parte tantùm de ethnica Dei cognitione,

594 Secundo, Conscientiæ sensus. Nam in tetris facinoribus, vt in parricidio, incestu, & similibus atrocibus peccatis, conscientia in omnium hominum animis arcana quadam vi sensit, Deum esse inspectorem, & vltorem scelerum, etiamsi immunes sint facinorosi à pœnis magistratuum.

595 Tertio, Pulchritudo, ordo, effectus, propagatio, conseruatio, & duratio rerum omnium in mundo. Vide de hac re Cicer. lib. 2. de natura Deorum ex Aristotele pulcherrimum locum.

596 Quarto, Distinctio, & conseruatio specierum, quæ sese in mundo multiplicant, & propagant quotannis.

597 Quinto, Societates, regna, & imperia hominum, quæ non temere coeunt, confirmantur, sustentantur, mutantur.

598 Sexto, Pœnæ sceleratorum admirandę, & graues, etiam cessante à suo officio magistratu ciuili. Nam hæc regula vniuersaliter vera est; Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ diuinitus; id quod non fieret, si non esset Deus exequutor suę iustitię.

599 Septimo, Præmia rectè factorum. Nam etiam disciplina inter Ethnicos habet sua quædam præmia politica, & mundana.

600 Octauo, Ordo causarum, qui in rerum natura non procedit in infinitum: Sed necesse est tandem ad tale aliquod Numen deuenire, quod gubernat omnia, in eoque consistere,

601 Nono, Prodigia, & signa, quæ res maximas portendunt, vt sunt Eclypses, Cometæ, Chasmata, Traiectiones, Terræmotus, & Hiatus, quibus totæ Ciuitates absorbentur, Insulæ subsidunt, & obruuntur vndis, locustarum agmina, partus monstruosi, & similia.

602 Hę rationes animos non prorsùs monstruosos, atque à Diabolo induratos, conuincunt, vt statuere cogantur esse Deum; sed & hoc sciendum est, tantam esse peruersitatem hominis, tantasque in eo regnare tenebras, vt vel non cogitentur ista argumenta, vel subinde mentes quasi vndę ventis agitatæ fluctuent, hæsitantes, an sit re vera Deus, & an curet res humanas. Hæc omnia Prateol. ex Wigando.

603 Equidem prædictę rationes ex doctrina philosophica omnino vera desumptæ admodum fortes, & efficacissimæ sunt ad remouendum quoscunque homines à lapsu in Atheismum, huncque a cordibus eorum, qui in ipsum iam prolapsi sunt, eradicandum; tamen non adeò mirum, quòd educati in gentilismo, & in cultu idolorum ad sectam Atheisticam transeant: quando quidem Socrates, & alij enumerati inter excellentes Philosophos, vt vidimus supra, 604 Athei extiterunt. At illud in summam admirationem quemcunque considerantẽ rapit, quòd professores fidei Catholicę in gremio veræ Ecclesiæ pedetentim contemnentes bonam conscientiam, circa fidem naufragauerint, ac tandem in Atheismum prolapsi fuerint, non obstantibus supradictis rationibus philosophicis, quæ respectu illorum maiorem habent efficacitatem, cùm fides Christiana (vti dicere solebat Eminentissimus ille vir Cardinalis Caietanus) nos effecerit maximos Philosophos, & à diuersis falsis dogmatibus peripateticis 605 liberauerit. Vndè pro remouendo periculo à Christianitate prolabẽdi in Atheismum, aliæ multo efficaciores rationes hic à nobis exprimendæ, nempè illæ, quas è fontibus doctrinæ Catholicæ, & Euangelicæ exhaustas adducit ibidem Prateol. ex Wigando. ipsos quæso audiamus.

606 Sed vt multò, inquit, luculentius, & firmius Deum esse demonstretur, ethnica argumenta relinquentes, Ecclesiæ Dei fundamenta producamus, quę sunt huiusmodi.

607 Primo, Verbum Dei expresè hunc articulum tradens, & confirmans, sicut in cæteris partibus huius loci explicabitur.

608 Secundo, Patefactiones Dei in veteri, & nouo Testamento multiplices, & valdè illustres.

609 Tertio, Missio Filij Dei in carnem, vt expiaret peccata generis humani. Item effusio Spiritus sancti visibilis.

610 Quarto, Miracula illustria, inimitabilia vllis creaturis, vt quòd sol stetit in cælo spatio vnius diei, pugnante Iosue. Item, quòd idem sol retractus est in cælis per decem gradus, ęgrotante Ezechia. Quòd vndæ instar murorum vtrinque steterunt in mari rubro, & in Iordane transeuntibus Israelitis. Quòd mortui ad vocem Christi, & ministrorum ipsius resurrexerint. Quòd viui homines, spectantibus alijs, recepti sunt in cælum, & similia. Hæc nequaquam possunt casu accidere.

611 Quinto, Peculiaris Ecclesiæ vocatio, repudiato, & abiecto non exiguo mundi impio cætu, Propagatio, & conseruatio ipsius Ecclesiæ contra furores Diaboli, & mundi omnibus sæculis.

612 Sexto, Prophetiæ de rebus futuris tùm in Ecclesia Dei, tùm in Politia; & euentus, qui præfinito à Deo tempore, siuè breui, siuè longo, præclarè respondent.

613 Septimo, Experientia auxilij Diuini in inuocatione. Item experiẽtia fructuum, quæ ex Euangelij cognitione proueniunt, quales sunt remissio peccatorum, consolatio, & pax conscientiæ in summis mœroribus, Donatio Spiritus sancti, inchoatio nouæ Obedientiæ, & similes.

614 Octauo, Glorificationes Sanctorum; vt Elias igneo curru viuus in cælum vehitur: Lazarus recumbit in sinu Abrahæ: cõtra diues Orco infernalibus flammis excruciatur: multi Sancti, Christo expirante in Cruce, in monumentis reuiuiscunt, & egressi per dies quadraginta, donec Christus in cælum visibiliter ascendit, multis pijs apparent, cum ipsis familiariter de rebus Diuinis colloquuntur.

615 Nouo, Promissiones certæ de futuro iudicio, resurrectione, & vita æterna; in qua impij contemptores, & persequutores Verbi Dei in infernum proiecti, æternas pęnas luent: Pij verò, qui in Christum crediderunt, æterno gaudio, & honore, cum Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto, & cum sanctis Angelis potientur.

616 Decimo, Sacramenta, vt Baptismus, qui est lauacrum regenerationis: Clauium administratio, quæ fit nomine, hoc est, mandato, & efficacia Christi; Corporis, & sanguinis Domini sub pane, & vino fruitio.

617 Hæc sunt grauissima fundamenta, quæ Ecclesia Dei, præter illas rationes, quas ipsa ratio humana, aut collectio, seu ratiocinatio ex operibus Dei suppeditat, nouit, & considerat. Hisce igitur argumentis mẽtes nostras confirmari decet, ne cæcitati, dubitationi, aut securitati nimiæ spontè indulgeamus. Hæc Ioannes Wigandus; hucusque ex eo Prateol. & nos ex vtroque.

618 Nihilominùs in tanta, & clarissima luce Christianismi per fidem Catholicam, & legem Euangelicam ei infusa, heu misera naturæ humanæ conditio; ò infortunium nostri temporis, etiam à Christianis summè deplorandum! densissimæ Atheismi tenebræ clàm in non paucis eorum cordibus infelicissimè sparguntur, respectu penè innumerabilium de populo Christiano, verissimum illud Psalmi, Dixit insipiens in cor-619 de suo, non est Deus. De hoc Gualter. c.19. sęcul.17. in Appendice, hęresiarchas, qui

qui exstiterūt ab ann. 1614. ad annum 1631, comprehendente, vbi peculiariter exprimit, qualiter Lucilius, & socij eius Athei ex condicto per totam Europā dispersi fuerint ad seminandum in ea Atheismum; ipsius Gualterij verba, si lubet, audiamus.

620 Lucilius, inquit, natione Italus, cùm Atheismum per varia Galliæ loca docuisset, Tholosæ tandem honestorum quorundam virorū, qui hominis blasphemias tolerare minimè poterant, testimonijs conuictus est, mortique iusta Clariss. viri D. Mazuyerij primi in Tholosano Parlamēto Præsidis diligentia, vereque Christiano totius illius Senatus zelo addictus. Non defuere ex eius asseclis, qui excusare eum auderent, eiusque impia dogmata in Philosophiam,

621 quam prætexebat, reijcere. Verum tetra Lucilij impietas sese luce clariorem prodidit, cum ad honorariam, vt vocant, damnatus pœnam, veniamque à Deo, à Rege, & à Iustitia petere iussus, respondit. *Quod ad Deū attinet, nullum esse credo; Quod ad Regem, nunquam illum offendi; Quod autem ad Iustitiam, illam ego Dæmonibus, si tamen Dæ-*

622 *mones aliqui existunt, deuoueo*. Subiecit miser, parum profecturos, qui sibi mortem inferrent, quòd 12. essent Neapoli egressi, & per Europam ad idem docēdum dispersi. Huic duodecimo Satanę Apostolo lingua primum fuit amputata, tum ipse crate pertractus, strangulatus, combustus; eiusque cineres in ventum dispersi, die Sabbathi ante Quinquagesimam 9. Februar. 1619. Hęc ille, & prosequitur sic.

623 Relegat lector in 19. Caluini errore, quid huic errori cum Atheismo intersit cognationis, quam & fusius expono Dilemmate 49. Anatomiæ Caluinismi. Legat insuper quæ de Atheistis, curiosisque huius temporis ingenijs in Gallia præsertim, anno 1623. detectis scripsit D. Gaspar in suo Thesauro Historico; detectis, inquam, partim

624 per libros, sermones, ac poemata satyrica, & contumeliosa Atheismum Nobilitati Galliæ suadentia, execrabilesque aduersus Deum, Deiparam Virginem, & Sanctos impietates complectentia; partim per iuridicam pestis huius infectationem à Generali Senatus Parisiēsis Procuratore susceptam. Thes. Hist pag. 671. 693. 694. & 695. legat denique ea de re, quæ P. Garassus in supra citato doctrinæ curiosæ examine. Hæc ille.

625 Ex quibus manifestè innotescit etiam his nostris temporibus venenosum Atheismi semen in tota ferè Europa, in detrimentum non exiguum Ecclesiæ Catholicæ, & peculiarium animarum, abundanter fuisse

626 sparsum. Quod etiam confirmatum tibi exhibeo veridico Admodum Reuerendi & Religiosissimi viri de nostra Societ. Iesu P. Ioannis Gonterij, eximij concionatoris, testimonio. Quippe interrogatus aliquando ab Illustrissimo Domino D. Dionysio de la Yllieta, Hierosolym. equite, magno Cōmendatario (vti ab istomet audiui) num in partibus septentrionalibus plures essent hæretici, quam Catholici? hoc responsum dedit. Vtrorumque simul numerum à profitentibus Atheismum sine dubio superari.

627 Atque ijs iam sermoni de Atheorum secta ac de reliquis quorumcunque hæresiarcharum, quorum notitiam pertingere potuimus; decursis omnibus sęculis, diu, multumque à nobis protracto, Deo benè iuuante, felicem tandem finem imponamus.

CAPVT XX.

De repetitione testium in quouis Tribunali, præsertim in nostro S. Officij; de publicandis item, vel è contra supprimendis eorum nominibus, ac de non confrontandis ipsis cum reo, aut secus, maximè ad habendam personæ identitatem.

PROOEMIOLVM.

1 NVnc tandem nobis illuc reuertendum, pro seruando exequutionis ordine, vnde digressionem adeo longam, & abundantem sumpsimus; ad rem tamen, & non extra chorum saltando, sed DD. Inquisitoribus, Commissarijs, seu Vicarijs eorum, Assessoribus, ac alijs Ministris S. Inquisitionis facem præferendo, ad faciliùs cognoscendum in examine reorum circa intentionem, & magis completè inuestigandum, qui nam errores contra fidem Catholicam in mentibus eorum lateant; ad quam item sectam, & cuiusnam hæresiarchæ pertineant. Huc enim tendunt examina omnia delinquentium iam delatorum in S. Officio; huc constituta varia ab Inquisitore sæpius diuersis temporibus circa vnumquemque eorum iteranda, vt talem eisdem inuestigationem, & cognitionem ipse Inquisitor obtineat, sicuti in Proœmiolo cap. 3. huius 3. lib. iam supra tradidimus. Huc etiam notitia tam multiplicium hæreseon sectarum, ac fere innumerabilium hæresiarcharum à nobis tradita dirigitur,

gitur, vt quamprimum examinator indagare cæperit intentionem rei examinati, quod hic talis, vel talis hæresiarchæ sectam profiteatur, iuxta naturam, seu qualitatem ipsius, ille interrogatoria proportionata formet, ipsisque reum vrgeat, quousque finem intentum conuincendi ipsum, atque inducendi ad manifestam delicti, vel erroris confessionem consequatur. Quod si nihilominus post multiplicata sæpius dicta examina, & constituta, & post longam, & strictam carcerationem (tædio enim longæ, & strictæ carcerationis multoties ad fatendam veritatem reus inducitur) in totum, vel ex parte in negatiua perstiterit, progrediendum tunc ad vlteriora, ac pro inchoando, ac dein perficiendo processu condemnatiuo deueniendum consequenter ad exequenda hæc in titulo huius 20. cap contenta, de repetendis scilicet testibus, de supprimendis eorum nominibus, ac de non confrontandis 3 ipsis cum reo &c. Vel secus de oppositis exequendis. Doctrina autem à nobis tradenda cum Doctorib. citandis, Prospero Farinac Castro Palao, Cæsare Carena, & alijs curabimus sit ita generalis, & completa, vt non solum ad Tribunal S. Officij, sed ad quęuis etiam alia quoquomodo deseruire possit.

An testes probent tum in ciuilibus, tum in criminalibus, nisi parte citata repetantur? quid peculiariter in causis S. Officij?

REGVLA CCCXXVII.

4 EXceptis nonnullis casibus indicandis, regulariter loquendo, nequaquam insurgit valida, & legitima probatio per testes in summario iudicio examinatos, nisi postea in plenario citata parte ad eius instantiam eorum examen repetatur, siuè Iudex ciuiliter, siue criminaliter contra 5 aliquem procedat. Secus verò, si pars ipsa dictæ repetitioni renunciet, & testes pro rite, & recte examinatis admittat. Hoc 6 autem totum in causis Officij Sanctæ Inquisitionis pari modo locum habet; Imo si post illam renunciationem reus velit, dum res est integra, vt sibi testes repetantur, ab Inquisitore ipsorum repetitio ei haud deneganda est.

---

7 CVm in nostro tribunali S. Inquisitionis peragantur frequenter non solum causæ criminales, vti sunt, vbi est error contra fidem, vel præsumptio eius; sed ciuiles etiam, quales censentur causæ libertatis (sermo de eis nobis erit circa finem lib. 6.) & aliæ, vt quando excitantur lites inter Ministros, vel familiares dicti Tribunalis, quarum sunt competentes iudices DD. Inquisitores: Nullus credo abs re iudicabit, quod in materia ista repetitionis testium, aliqua circa causas ciuiles attingamus.

8 Prorsus certa & communis omnium doctrina habetur, testes sic in causis ciuilibus, parte non citata, examinatos, nullo modo probare. Constat manifestè ex cap. 2. extrà de testibus, vbi textus egregius, Ecce inquit, admonendus est semper aduersarius, vt ad audiendos testes veniat; quod quia hic omissum est, necesse est, vt quod contra legem actum est, non habeat firmitatem. Ita Glos. ibi, verb. Admonendus, lit. L. Innoc. verb. obijciatur, Bald. in summaria iuncto nu. 1. & nu. 6. est etiam tex-9 tus in Iure ciuili, l. si quando, §. Sed cum oportet, idem confirmans, ibi, si per exequutores admoniti, C. de testibus; similiter textus, in Authent. Sed & si quis, ibi, Aduersarius moneatur à Iudice, & sic eo presente iudex attestationes recipiat, C. eodem. Pro qua doctrina vti vera, maximè in causis ciuilibus, plures auctores citat, & sequitur Farinac. in prax. crim. quæst. 72. cap. 1. nu. 1. nec vllus est, qui contradicat.

10 Sed potius eam diuersi extendunt, quod habeat etiam locum in recipiendis testibus ante litis contestationem, & ad perpetuam rei memoriam; in eorum receptione, vt hæc sit valida, partem esse citandam, videtur manifestè probare textus in §. & hic vero, in Authent. de testibus, ibi oportet, & illum in ea Ciuitate constitutum, in qua attestationes dantur, admonitum à Iudicè, siuè à defensore, præsentem esse & audire attestationes. Ita Glos. in verb. præsen-11 tem, & in verb. inutile. Pari modo textus in Authēt sed & si quis, C. de testibus, ibi Aduersarius moneatur à iudice, & sic eo præsente iudex attestationes recipiat. Afferunt sic defendentes, ibi Glos. fin. verb. vna parte, lit. X, Paul. de Castr. nu. 1. Marsil. l. de vnoquoque nu. 80. ff de re iudicata, Mascard. de probat. lib. 3 conclu. 1366. nu. 3. & cum alijs per ipsum relatis, Farin. vbi supra nu. 2.

12 Requiritur item citatio partis in examine testium, vt isti probent, etiam in causis, in quibus non seruata iuris solemnitate proceditur, vel summariè, de plano, sine strepitu, & figura iudicij, vt in causis mercatorum, aut in quibus proceditur sola facti veritate inspecta. Ita Mascard. de probat. lib. 2. conclu. 682. nu. 9. & lib. 3. conclu. 1366. nu. 4. & 5. Osasc. decis. Pedem. 79. nu. 19. Honded. consil. 101. nu. 8. & 10. ac cum alijs ab eo adductis Farinac. à nu. 13. ad 17. & inde ostenditur, quia quoad hoc par est ratio de eiusmodi causis, atque de illis, quę cum solemnitatibus iuris tractantur.

13 Sed quid si pars citata ad examen, vel repetitionem testium, ob rationabile, & iustum impedimentum comparere non potuit? sine dubio si examinentur, nihilomi-

nus,

nus, aut repetantur, nequaquam tales testes probabunt. Extat pro hac clarus textus, in §. si vero, in Authen. de testibus ibi, nisi per excusabilem aliquam necessitatem. Item in cap. 2. de testibus ibi, & non ex ineuitabili quadam necessitate venire non possit: Glos. verb. ineuitabile, lit. I.

14 An verò si pars sit iustè impedita ad comparendum, teneatur mittere procuratorem & an hoc non misso, sit valida receptio, vel repetitio testium? discutit Innoc. dict. cap. 2 in verb. ineuitabili, quem videas.

15 Exprimendi nunc aliqui casus, in quibus absq; citatione, & præsentia partis, testes in sūmario iudicio examinati probant.

16 I Quando timetur cum fundamento potentia aduersarij, tunc enim potest actor petere à Iudice, vt clā testes recipiat, & examinet, etiam ante litem contestatam, nedum parte non citata. Ita Abbas, in cap. 2, nu 9. extra de testibus Marsil. in l. de vnoquoque nu. 76. & 77. in fin. ff. de re iudic. Mascard. lib. 2. concl. 682. n. 24. & Farinac. cū multis relatis ibid. nu. 43 sed intelligitur cum moderatione, de qua infrà nu. 22.

17 Probant item testes examinati, non citata parte, quoties periculum est in mora, vt si iurisdictio iudicis sit peritura eo tempore, quo pars citatur; similiter si agatur de probatione debiti contra debitorem suspectum de fuga, sine huius citatione examinari validè possunt testes illud probantes Ita Mascard. de probat. lib. 2. conclu. 682. nu. 26 & 45. & post plures, quos adducit, idem Farinac. nu. 36. & 37.

18 Dein non procedit dispositio illa cap. 2. extrà de testibus, possuntque illi validè examinari absque citatione partis, quando est timor mortis, vel longæ absentiæ testium vel alias est periculum amittendi facultatem ad probandum; nam tunc tales testes recipiuntur sine partis citatione, etiam lite adhuc non contestata. Tradunt Felin. in dict. cap. 2. nu. 15, extrà de testib. Mascard. lib 2. de probat. conclu. 682. nu. 27. & lib. 3. conclu. 1366. nu. 10. & loquitur

19 de casu, quando testis est examinandus in articulo mortis. Bertazzo cons. 348. nu. 6. & Farinac. ibid. nu. 38.

20 Verum debet intelligi, quòd timor mortis, vel absentiæ sit talis, vt mors, vel absentia sequeretur, si fieret dilatio ad citandam partem, & contestandam litem,

21 alias secus. Debet item intelligi, si re ipsa mors testium sequatur, nam si testes supravixerint tempore comparitionis partis, & litis contestandæ, ipsorum testium receptio euanescit, & nihil ex eà probatur vnde coram parte citata in tali casu repetendum est illorum examen. Post Abbat, Felin. & Rotam Rom. citatos per eum docet Vestr. in prax lib. 6. dict. cap. 2. nu. 3. & post hunc Farin. ibid nu. 39. & 40.

22 Moderandum etiam, quod supra nu. 16. diximus, posse scilicet clam examinari validè testes non citata parte, vbi de potentia aduersarij timetur, quòd tantum habeat locum quando simul cum isto timore coniungitur alius timor dictus, nempe mortis, vel absentiæ testium. Nam cum hac moderatione loquuntur auctores à nobis citati dict. num. 16. Abb. Marsil. & Mascard. quos sequitur idem Farinac. num. 44.

23 Præterea parte non citata examinantur legitimè, & validè testes, quando sumuntur informationes circa habilitatem, vel inhabilitatem alicuius personæ ad dignitatem, vel munus aliquod promouendæ. Ita Innoc. in dict. cap. 2. num. 9. & ibi Abb. n 7. vers secundus casus, Deci. num. 45. extrà de testibus. Mascard. de probat. lib. 2. cōclu. 682. & præter alios, quos refert, Farinac. ibid. num. 51. Dixi, personæ promouendæ,

24 nam si quis est iam promotus legitimè ad dignitatem, vel ad munus aliquod, & agatur de eius depositione, ob quamcunque causam non examinantur testes, neque sumitur informatio absque partis citatione. Docent Abb. in dict. cap. 2. num. 7 vers. & intellige, Felin. num. 8. Mascard. dict. conclu 682. num. 18. & cum alijs per ipsum citatis Farinac. vbi supra num. 52.

25 Tandem non requiritur citatio partis in receptione, & examine testium, quando agitur de probatione consuetudinis introductæ à populo eiusdem Ciuitatis. Tradūt Adden. ad Abb. in dict. cap. 2. num. 8. lit. A. Aret. num. 8. vers. item tu adde. Felin. n. 16. in 12. limitatione, extra de testibus, Mascard. de probat. lib. 2. conclu. 682. num. 34.

26 & ibid Farin. num. 57. Qui cum a ijs DD. per ipsum relatis id sub duplici conditione admittit. Primo, vt talis consuetudo sit notoria; nam tunc probatione non indiget, propterea Iudex potest de ea se ex-

27 traiudicialiter informare. Secundo, vt eadem consuetudo tantùm respiciat litis ordinem, quia cùm tunc non sit magni præiudicij, potest Iudex etiam parte non citata informationem extraiudicialem sume-

28 re. At si consuetudo respiciat decisionem causæ, cùm in hoc casu maximè agatur de præiudicio partis, ideò hæc citanda est tūc, etiam quòd consuetudo prætendatur notoria. Vide plura apud Farinac. & alios casus, in quibus absque citatione partis testes examinantur (ex eis nonnullos infrà attingemus) in causis ciuilibus, vt iam ad criminales gradum faciamus.

29 Pari quidem modo certum est, quòd in causis criminalibus testes nihil probent, si absque citatione partis examinentur, vel nisi coram ipso reo citato examen eorum repetatur. Ex citato sępiùs cap. 2. extra de testibus à fortiori conuincūt id scriptores, quia agitur de magis graui præiudicio partis in causa criminali, quàm in ciuili, ergo, &c. Abb. ibi, num. 8 ibi etiam Felin. n. 9. Clar. in pract. quæst. 11. vers. item quæro, Mascard. de probat. lib 1. conclu. 496. n. 11. & post plures, quos citat, Farinac. dict. quæst. 72. cap. 2. num. 87.

30 Ha-

30 Habet autem multò magis locum prædicta doctrina casu, quo iudex procedit per viam accusationis, & parte instante. Nam tunc nisi citato reo testes examinentur, aut coram ipso repetantur, prorsus nulla probatio ex eis insurgit. Iuxta Gloss. in cap. 2. de testibus verb. admonendus, vers. idem est in accusatione, Albert. in tract. de testib. cap. 7. num. 8. & Farin. ibid. num. 88.

31 Discutit autem hic idem Farin. à n. 89. vsque ad 93. illud graue dubium, an dicti testes sic examinati absque citatione partis, aut non repetiti coram ea, dato, quòd nullatenùs probent, saltē ex tali receptione testium sic diminuta resultet aliquod modicum indicium, aut leuis aliqua præsumptio, seù argumentum? Duæ ab ipso Farin. referuntur oppositæ sententiæ grauissimorum Doctorum, altera affirmans, &

32 altera negans. Ipse verò in negantem inclinat, asserens esse veriorem, & communiorem: addit tamen cum Albert. de hæret. quæst. 34. num. 39. quòd testes examinati parte non citata, faciant aliquod indicium in ciuilibus; secùs autem in criminalibus. Ita ille, cui adhæreo.

33 Requiritur præcipuè citatio partis in criminalibus, quando examen testis repetitur in tortura, si reus sit præsens, & neget delictum; secùs verò, si absens tunc reperiatur. Ita cum alijs ab ipso adductis Mascard. de probation. lib. 1. conclu. 496. à num. 11. & post eum Farinac. dict. quæst. 72. cap. 2.

34 num. 97. Addens, quòd ita obseruetur, vt testes torqueantur in faciem rei, & quòd præsentatio ante faciem testis habeat vim citationis, vt latè probat ipse, num. 139. Sed de hac adductione delinquentis in faciem testis, seù de mutua vtriusque confrontatione, ex professo infrà peculiari Regula maximè pro causis S. Officij à nobis agetur.

35 Prædicta item doctrina de necessitate citandi reum ad examinandos testes, vt valide in criminalibus probent, seù ad repetendum examen eorum coram ipso, communiter à DD. admittitur, respectu cuiuscunque Iudicis quodlibet liberum, & absolutum arbitrium habentis. Constat ex traditis à Farinac. vbi supra, n. 13. cum Aretin. Decio, Felin. Mascard. & alijs per eum relatis, quibus peculiariter ipse Farinac. addit Bursattum, cons. 201. à nu. 99. vsq; ad 119. audi verba ipsius Farinac.

36 Vbi, inquit, latissime probat, Iudicem non posse torquere ex processu informatiuo, etiam quòd habeat potestatem procedendi non seruato iuris, aut statuti ordine, vt ibi, num. 95. & seqq. & etiam manu regia, vel citrà ius, & contra ius, vt ibi, n. 100. & etiam quòd habeat quamcunque præemi-

37 nentiam, & facultatem, vt ibi n. 101. Et etiā quòd Princeps ei dedisset facultatē procedendi contra reū denegatis defensionibus, vt ibi, n. 102. & seqq. vel torquendi non præcedentibus legitimis indicijs, vt ibi n. 109. & seq. & etiam quod haberet liberam, & plenam potestatem, & amplissimum arbitriū procedendi etiā de facto, vt ibi nu. 117. & seqq. Post quæ immediate subijcit idem Farinac.

38 Et hoc consilium Bursatti, iunctis alijs per me deductis in 2. lib. quæst. 39. nu. 15. & seq. si Iudices Gubernatoris Vrbis videre, & studere dignarentur, non vtique sic de facili, prout quandoque faciunt, sub prætextu amplissimarū facultatum dicti Gubernatoris, ex processu informatiuo, & denega-

39 tis defensionibus reos torquerent. Sciant autem isti, quod secundum iuris dispositionem (quam omninò, siue velint, siue nolint, seruare tenentur, & nisi seruauerint, in alio sæculo syndicabuntur) non possunt hoc eorum pretenso arbitrio, facultate, seù præeminentia vti, nisi contra latrones insignes, & valdè famosos, vel in criminibus notorijs, etiam concurrente leuitate vitæ: secus autem in alijs casibus, & contra alias personas; sic enim post eundem Gramm. & Afflict. quos allegat expressè Osasc. decis. Pedem. 79. nu. 19. vers. nec monere dicitur, & Bursat. dict. cons. 201. nu. 101. & seqq. hæc ille.

40 Varij autem, & multiplices sunt casus, in quibus, vt probatio per testes in criminalibus sit valida, non requiritur citatio partis ad reos examinandos, neq; vt eorum

41 examen coram reo repetatur. Primo quando proceditur contra reum contumacem. Tenent Glos. cap. 2. in verb. Admonendus, in fine, ibi, non per contumaciam, &c. extra de testibus. Iul. Clar. in pract. quæst. 11 vers. item quæro, vbi expressè ait, contra absentem posse non citata parte testes validè recipi, & hos sic sufficere ad illum citandum, & si non compareat, ad ipsum definitiuè condemnandum. Quam doctrinā post Flami. Chartar. & alios, quos adducit, merito approbat Farinac. ibid. nu. 100.

42 Sed, quid, si reus absens citatus recedat à contumacia, & compareat? Resoluit benè cum hac distinctione idem Farinac. nu. 102. Si comparitio fiat à reo ante condemnationem, testes prius suscepti pro informatione coram ipso repeti debent, vt aliquid probent: secus verò, si post condemnationem compareat; quia tunc Iudex functus est officio suo, & non conceditur ei vlterius progredi; & ait idem Farinac. iuxta hanc resolutionem intelligenda esse tradita à Boër. & Claro per ipsum citatis.

43 Valdè cōtrouersum est apud Scriptores, an sint repetendi testes citato reo, quando Iudex procedit ex officio, & per inquisitionem? Alij ex eis non pauci, & quidem classici, negant; alij verò plures melioris notæ affirmant, quod sint repetendi, alio-

44 quin nihil probant. Distinguunt tamen alij, vt Aretin. dict. cap. 2. num. 9. vers. sicut etiā videmus, iuncto num. 21. & ibi Felin. post, num. 9. extrà de testibus, & Bald. in l. 3. §. si tibi, vers. sed pone, ff. de cond. ob turp. caus. quod prima sententia negans sit admit-

mittenda in sola generali inquisitione, quando Iudex inquirit non contra certam personam, sed generaliter quis delictum cōmiserit; Secunda autem affirmans debeat admitti in speciali inquisitione, nempè si Iudex ex generali inquisitione velit descēdere ad specialem, & inquirere de certa persona; quia cū agatur tunc de huius præiudicio, citatio ipsius requiritur, & testium repetitio.

45 Adhuc nihilominus Mascard. de probat. lib. 1. conclu. 496. num. 11. & lib. 2. concl. 682. num. 14. cum Clar. & Bursat quos citat, & Farinac. dict. cap. 2. num. 108. & nu. 136 ea distinctione non sunt satisfacti, sed benè concordant cōtrarias illorum Doctorum sententias sic, quod quando reus est iā carceratus. & alias presens, testes prius recepti etiam in generali inquisitione pro informatione Curiæ nihil probent in vlteriori processu, nisi repetantur. Si verò reus

46 sit absens, & contumax, tunc testes examinati contra ipsum etiam speciali inquisitione optimè probant ad iuridicam condemnationem, quamuis non fuerint repetiti, vt paulò ante diximus; & est doctrina Baldi citati.

47 Oritur item probatio legitima, & sufficiens ad condemnandum reum, saltem vt torturæ subijciatur, ex testibus examinatis parte non citata, & postea mortuis, etiam si nullo modo repetantur. Deducitur clarè ex textu in l. final. C. de testibus, quo ostenditur, quòd testes examinati coram arbitro probent coram Iudice etiam non repetiti, si mortui sint, docent vt certum Fol. in pract. crim. verb. & demum repetantur testes n. 6. & Stepha. Lamberteng. in tract. de contract. eorum, &c. Glos. 11 nu. 20. consuluit Burs. in causa crimin in cons. 17.

48 nu. 10. Dixi, saltem, vt torturæ subijciatur, quia tales testes sic examinati, & postea mortui ante repetitionem ipsorum, faciunt semiplenam probationem contra reum; ergo poterit hic ex eis condemnari ad torturam. Ita ex mente Bart. in l. Admonendi, in 4. quęst. nu. 45. ff de iureiu. & ex mente aliorum, tradit Farina. ibid. à nu. 119. apud quem plura videas.

49 Pari modo non requiritur parte citata testium repetitio, quando eos recepit Iudex circa factum, vel delictum adeo publicum, & per se notorium, vt nulla tergiuersatione celarj possit. Ita Abbas in dict cap. 2. num. 7. vers. primum vbi factum est notorium. Felin. nu. 7. vers primo limita, & Deci. nu. 44. extrà, de testibus, Mars in l. de vnoque nu. 78. & nu. 81. & seq. ff. de re iud. & Farin. dict. quæst. 72. nu. 109.

50 Qui ibi nu. 10. benè declarat cum Bald. in cap. 1. §. homicidium, de pace iuramento firm. prout ipsum allegat, & sequitur Aret. cap. 2. nu. 8. versic. secundo adde, extrà de testibus, quod debeat intelligi in notorio facti permanentis; secus verò in notorio facti transeuntis, quia si iam transijt delictum, & non reliquit vestigium post se, tollitur, aut saltem minuitur valdè notorietas; ergo requiritur tunc repetitio testium.

51 Dein, si iudex recipiat testium informationem circa nomen, & famam alicuius, vt possit postea ex ea ad inquisitionem contra eum deuenire, non est necessaria citatio partis, neque repetitio illorum. Adest pro hoc textus in cap. qualiter, & quando, versic. nc propter subreptionem nominum infamandi, &c. extrà de accusat, & tradunt vt certum, Bald. post Innocen: quem allegat in l. 3. §. si tibi, ante versic. sed nunquid isti testes, ff. de con. ob turpem caus. Arnal. Albert. de hæret. quæst. 34 sub nu. 20. Mascard de probat. lib. 2. conclu. 682. nu. 15. & seq, ac cum multis alijs, quos adducit, Farina. ibid. nu. 113.

52 Affirmand ùpror. idem, quod non requiratur citatio partis, & repetitio testium quando ab illis recipit Iudex informationem super absentia rei inquisiti. Ita Aret. in dicto. capit. 2. numer. 10. versicul. septimo fallit, in fin. & Felin num. 13. in fin. septima limitatione, extra de testibus Marsil. in l. de vnoquoque nu. 89. ff. de re iud Mascard. dict conclu. 602. nu. 28. & Farina. nu. 114. Qui addit sic. Et hanc, in-

53 quit limitationem tu procurator nota, quando vis excusare absentem à contumacia propter absentiam, quia, vt vides, sufficit de illa docere per testes examinatos. etia non citato fisco, aut accusatore hæc ille.

54 Probant item sufficienter testes parte non citata recepti contra reum ad capturam eius exequendam: circa quod omnes concordant absque dubio, quia si aliter fieret reus quiuis citatus instrueretur ad fugam arripiendam, & nunquam capi posset. Ita Salicet. in l. fin. prope fin. num. C. 16 de quæst Clar. in pract. quæst. 11. vers. item quæro. Albert. de hæres. quæst. 34 nu 16. Mascar. de probat. lib. 3. conclu. 1366. nu. 1. versic. & subdit, atque post plures alios

55 Farinac. ibid. num. 134. apud quem reliquos casus videas, in quibus dubitant scriptores, an repetitio testium in plenario iudicio parte citata requiratur.

56 Quid tandem in causis criminalibus Tribunalium Sanctæ Inquisitionis? (de ciuilibus non quærimus, quia in istis circa ipsas par est ratio atque in reliquis Tribunal.)

57 Supponendum primo vt omnino certum, quod in crimine hæresis, seu apostasiæ contra fidem possint examinari testes lite non contestata, & parte non citata, nam in huiusmodi causis nequaquam arctatur Inquisitor seruare formam iudicialem, sed potest simpliciter, & de plano procedere. Patet ex cap. statuta quædā de hæret. in 6. & tradunt Roias Sing. 125. Simanc. cathol. Instit. tit. 64. rubr. de testibus nu. 15. Farin. de hæres. quæst. 188. n. 15. Pegna 2. par. direct. cōment. 19. in cap. veritatis, de dol. & cont. ac Castr. Palaus tract. 4. disp. 8. pun. 15. §. 3. nu. 3.

Quam-

58 Quamuis autem dicti Farinac. & Pegna. tenere videantur, quod testes sic examinati non probent, & quod ad effectum probandi requiratur repetitio eorum, parte citata: Cum Castro tamen Palao citato, & cum alijs citandis absolutè assertum est, illos eo modo examinatos non solum sufficere ad inquirendum, sed etiam probare contra reum, alioquin nullus esset fidei fauor, cum in quauis causa testes sic examinati parte non citata iuuant ad inquisi-
59 tionem specialem contra reum Neque indè inferas, quod possit reus ex talium testium depositione absque citatione condemnari, ad condemnationem enim non solum requiritur probatio delicti, sed probatio delicti ab inquisito non infirmata. Ita egregiè ibid. Castr. Palaus ferrè totidem verbis.

60 Supponendum secundo circa repetitionem testium in causis fidei, quod necessitas eius possit aliquando prouenire ex primæ depositionis obscuritate, nempè testem in priori examine deposuisse ambigua, & tunc velit, nolit, cogendus est testis ab Inquisitore ad illius repetitionem, vt se declaret, & constet de mente, & sensu deponentis. Afferunt Barbos. in cap. per tuas, nu. 4. extrà de testibus, & post alios, quos refert vir doctissimus Cæsar Carena S. Theologię & I. V. Doctor, in tract. de Officio sanctissimæ Inquisitionis nuper edito, par. 3.
61 tit. 7. §. 4. Atque circa hanc repetitionem testis, seu nouam eius examinationem, quę adhibetur ad tollendam ambiguitatem & potest resultare contra reum, aut pro ipso, nullus est, qui dubitet, quod possit ac debeat in S. Officio fieri. his suppositis.

62 Adhuc super est dubium, & non leue circa repetitionem testium cum citatione partis, de qua disponitur, vt vidimus suprà, in cap. 2. extra de testibus habeat ne locum in causis hæresis, vel apostasiæ à fide? Videtur pars negatiua amplectenda, quia alias esset fauere hæreticis, aut apostatis. Et quidem eam absolutè amplectuntur non pauci ex classicis scriptoribus, Pract. Corrad. in rubr. de testibus nu. 9. in 14. limitatione, Socin regu. 406. in quarta fallentia, Petr. Plach. in Epitome delictor. capitu. 19. nu. 17. versic quod cōuinci posset, & in eandem post alios, quos adducit, inclinat Mascard. de probat. lib. 1. in præfat quæst. 5. num. 41.

63 Non desunt verò aliqui, vt Felinus in dict. cap. 2 num. 17. & ibi Decius. nu. 50. extra de testibus, Roman. singu. 369. versic. quinta fallen. & Marsil. in l. de vnoquoque nu. 77. ff. de re iudic. qui circa hoc cum limitatione loquuntur, nempè, quòd tunc sit neganda repetitio testium hæretico, quando ob istius potentiam periculum aliquod ipsis testibus immineret.

64 Verum pars affirmans communiter admittitur, præcipuè à magis recentioribus, quòd delato in S. Officio de heresi, opponēti contra testes, & postulanti repetitionem eorum, sit omnino concedenda. Ita Albertin. de agnoscen. assert. &c. quæst. 34. nu. 16. Symanc. de Cathol. Instit. tit. 64. num. 10. Rojas de hæres. par. 2. assert. 4. nu. 107. Farinac. de hæres. quæst. 188 nu. 2. Castrus Palaus ibid. nu. 5. & Carena citat. §. 5.
65 nu. 33. Neque hoc est fauere hęretico, (vt rationi oppositæ respondeatur) sed pro veritate, & iustitia inuestiganda vlterius progredi si Inquisitor testes in sūmario iudicio receptos parte citata, repetat inplenario, prolata iā sentētia inter loquutoria ad probandum, l. si quando, C. de testib cap. veniens, 2. c. cum in tua de testib. Abbas in capit. si clericus, nu. 15 de foro compet. &c.

Dixi, postulanti; nam si reus non postu-
66 let repeti testes, & multo magis, si repetitioni eorum renunciet, habendo ipsos pro repetitis, seu rite ac rectè examinatis, nequaquā talis repetito requiritur, & absq; ea testes cepti in iudicio summario, legitimè, & sufficienter probant. Ita DD. l. fin. C. de testib, & post antiquos tradūt ex recentioribus citati Castr. Palaus, & Carena. Qui
67 benè addit, quod contraria sententia non obseruetur, nisi cum agitur causa hęretici negatiui: Tunc enim oportet valdè, vt Inquisitor ex officio receptos prius testes repetat, etiam si reus habuerit eos pro repetitis, cum oppositum resultet in grauissimum præiudicium talis inquisiti negatiui: ideo eius causa per testium repetitionem etiam iteratam, si conueniens iustificetur, diligenter est perpendenda.

68 Quin etiam vniuersaliter addit idem Castr. Palaus ex Montemar in pract. Archiepis. cap. 84. nu. 5. & ex Farinac. de hęres. quæst. 188. nu. 27. quod iudex, seu Inquisitor procedens ex officio possit repetere testes, & quòd sæpè repetantur ab eo in causis criminalibus, quoties tractatur de damno notabili delinquentis, tametsi hic renunciauerit cuiuis eorum repetitioni.

69 Neque obstat quoad Tribunalia S. Inquisitionis illud quod dicebatur de periculo aliquo imminente testibus ex dicta repetitione ob potentiam inquisiti; nàm quantumcunque iste sit potens, nullum eis imminet periculum, cum depositiones testium reo Sancti Officij ostendantur, suppressis ipsorum nominibus, vt infra dicimus.

70 Superest vnum hic discutiendum circa rem istam de necessitate repetendi examen testium, parte citata, quod ex Carena citato, nu. 35. proprijs eiusdem verbis tibi trado. Dubitari, inquit, tamen potest, quid dicendum sit, si reus fecerit in actis protestationem de habendo testes pro repetitis, an possit dictam protestationem reuocare, & petere, quòd repetantur? In
71 qua re dicendum est, hoc vtique reos licitum esse, dummodo res sit integra, idest, attestationes non sint publicatæ. Ita in foro S. Officij docuit Gabri. in consil. 178. vol. 1. & Symanc. de Cathol. Instit. tit. 64.

72 num. 25. & in alijs foris, Honded consil. 101. nu. 33. vol. 1. Add. ad Consilium Bertazz. 91. sub litera, D. Baiard. ad Clar, quæst. 45. nu. 27. Cartar. in prax. interrogan. reorum lib. 3, cap. 1. num. 29. vers.
73 sexto. & ita de anno 1637. die Iouis 17. Decemb. iudicauit Senatus Mediolani in causa Marchionissæ Octauię Flamenæ imputatæ de nece Marchionis Francisci Gonzagæ Mariti sui: hæc ille. Nec aliud occurrit addendum circa quæsitum præsentis Regulæ, sit ne examen testium repetendum parte citata ?

Qualiter repetitio testium formanda, maximè quoad articulos, & interrogatoria partium, tum in aliorum, tum in S. Officij Tribunalium causis?

REGVLA CCCXXVIII.

74 TEstium repetitio easdem prorsus requirit conditiones, & solemnitates, quas primum eorum examen: vnde nequeunt legitimè repeti sine iuraměto solemni emisso de propalanda veritate, & similiter sine alijs requisitis. Præcipuè tamē formari non potest repetitio examinis
75 eorum sine articulis, & interrogatorijs partium, atque aliter formata nequaquam valida est, neque testes sic repetiti vllo modo probant, nec pro repetitis habentur, & tenetur iudex concedere parti copiam articulorum, vt interrogatoria formare va-
76 leat. Possunt autem interrogari testes non solum super contentis principaliter in articulis, sed etiam super illorum circunstantijs loci, temporis, &c. indicandis. Quæ quidem locum habent in quibusuis causis criminalibus, ac ciuilibus, & in omnibus Tribunalibus, etiam S. Officij.

77 PRimo generaliter loquendo, certum est apud omnes Doctores, quòd in repetitione testium requirantur ad vnguem eædem conditiones, & solemnitates, quæ in præcedenti eorum examine, vt optimè post alios, Iul. Clar. quæst. 45. vers. Cæterum si reus, & Cæsar Carena, par. 3 tit. 7. §. 4. nu. 37. aduertunt, & quidem iste vltimus loquitur sine dubio in causis S. Inquisitionis, de quibus sermonē instituerat.
78. Exemplificamus in duplici conditione (reliquas videat lector apud auctores, qui de eis tractant, præcipuè apud Farinacium prax. crim. part 2. multis quæstionibus) nempè in conditione de præstando per testem solemni iuramento (tactis Sacris Euangelijs) dicendi verum, quam Carena primo loco ponit, agens de testibus, dict.
79 tit. 7. §. 1. nu. 1. vsque ad 8. Testes enim sine dicto iuramento examinati, & similiter sine eo repetiti, nequaquam probant. Patet ex text. in l. testium, C. de testibus ibi, hique cum Sacramenti religione deposuerint, vbi Glos. in verb. Sacramenti, ex textu, in l. iurisiurandi, C. eodem, ibi, iurisiurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, iam du-
80 dum arctari pręcipimus. In iure item Canonico ex text. in cap. nuper, extrà de testibus, ibi, respondemus, quod nullius testimonio, quamtumcunque religiosum existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium debet credi. Glos. ibi, verb. nisi iuratus, & ex textu, in cap. hortamur, 3. quæst. 9. sicque ex alijs textibus quos allegat Farinac. quæst. 74. nu. 1. cum pluribus scriptoribus per ipsum citatis.
81 Debet autem intelligi cum hac extensione, vt si contingat testem pluries examinari, & repeti, requiratur eundem testem iuramento semper denuo astringi, secundum text. in cap. fraternitatis, in fine, extrà de testib. & attesta ibi Innoc. num. Ioan. Andre. nu. 8. Alexan. in l. qui bona, §. si quis stipulatus, nu. 7. ff. de damn. infect. Monticell. in repertor. testium, rubr. repetitio testium quomodo fiat, & cum multis alijs per ipsum relatis, Farinac. dict.
82 quęst. 74. n. 47. Qui n. 50. ex mente Bartol. in l. hæredes palam, §. siquid, post nu. 7. ff. de testam, Alexan. adducti, Abb. in dict. cap. fraternitatis, nu. 1. lit. C. & plurium, excipit benè hunc casum quando testis repetitur ad declarandum suum dictum, nam tunc iste non est obligandus denuo iurare, cum non sit nouum examen, sed declaratio pręcedentis.
83 Quod autem dictum de solemnitate iuramenti præstandi à teste circa tactum Euangeliorum, sufficit, si tangatur quæuis Scriptura sacra, aut in sacerdotibus testificantibus, si fiat iuramentum ab eis tacto pectore, more sacerdotali, vt docent ex communi sententia Farinac. dict. quæst.
84 74. nu 22. & 24. & Carena vbi supra. Qui cum Thoma Sanchez in præcepta Decal. lib. 3 cap. 1. nu. 1. benè aduertit, quòd cum substātia iuramenti cōsistat in inuocatione Diuini nominis, validū sit, etiā si absq; tactu scripturæ, aut alterius sacræ rei fiat.
85 Sed quid, si testis in examine, aut in repetitione eius, iuramentum præstare repugnet, cum ipsi iniūgitur? Audi circa hoc Carenam ibid. nu. 7. Quod si testis, inquit, nollet iurare, vtique in foro nostro S. Officij cogendus esset pœna pecunaria, captis pignoribus, comminata, & inflicta ei tortura, ac excommunicatione, cap. 1. cum ibi notatis per Canonistas, de testibus cogendis, Collegium Coloniense Iuridicum, tom. 2. disp. 7. de testibus, num. 43. qui alios allegat, Et ita scio in suprema Roma-
86 na Inquisitione quendam reum fuisse coactum ad præstandum, quod suscipere recusauerat, media tortura, prout idem etiam in Senatu nostro Mediolani actum fuisse cum simili reo, qui recusabat iurare, atte-

sta-

ftatur Clar. §. fin. quæst. 45. verſ. ſed pænè, vbi quòd talis reus fuit punitus tribus ictibus funis publicè, & reductus ad carceres iurauit, & interrogationibus reſpondit; & quamuis in R.A. Regni ex ſpeciali prouiſione cautum ſit, teſtes non eſſe media tortura cogendos ad deponendum: attamen hoc eadem prouiſio Regia limitat, vt non procedat in cauſis grauibus, vt videre eſt in ElifeoDanza de pugna DD tit. de teſtibus cap. 3. nu. 16. cauſæ autem hæreſis grauiſſimę habentur: hæc ille.

87

88 Quæ probatio Carenæ firmiſſima exiſtit per exempla duo adducta Tribunalium adeo præeminentium; nec obſtat, quod in eis videtur eſſe ſermo de ſolo reo, & non de teſte, quia vtrius par eſt ratio quoad obligationem præſtandi iuramentum coram Iudice, aut Inquiſitore de dicenda veritate, vel quia nomine rei in dictis exemplis intelligitur etiam teſtis, cum iſte recuſans iurare, fiat ſtatim reus.

89 Notat item ad rem pręſentem opportune idem Carena, nu.8. ex Rutger. Rulant. de Commiſſar. Cameræ Imperialis, part 2. lib.2. cap.12. num.10. & ſeqq. quod ab Inquiſitore monendi ſunt teſtes de importãtia Iuramenti in hoc foro S. Officij, & de pœna, qua falſi teſtes puniri ſolent, vt hinc ad propalandam omninò veritatem inducantur.

90 Præterea, quoad circumſtantiam loci in examine, vel repetitione teſtis, certum eſt, quod debeat ab eo iuramentum fieri in iudicio, & non alibi, atque teſtis alibi iurans nihil probat. ex text. in l. 3. §. Sabino, ff. de teſtibus, oſtendunt Gloſ. ibi, Maſcard. de probat. in præfat. quæſt. 5. num. 89. & poſt alios, quos ipſe refert, Farinacc. dict.

91 quæſt. 74. num. 29. Qui tangit hìc illud punctum, an depoſitio extraiudicialis etiã iurata valeat, & probet, vel ſecus? An ſaltem faciat indicium aliquod? remittit Lectorem ad Tindarum, & Monticel. quos citat ibi, num. 30. & eundem nos remittimus ad ipſum Farinac.

92 Tandem de circumſtantia temporis certum etiam eſt, quod teſtes debeant prius iurare, & poſtea examini, aut repetitioni eius ſe ſubmittere: ſi verò prius depoſuerint, & poſtea iurauerint, depoſitio nihil valet. Videtur oſtendi ex text. in l. iuriſiurandi, C. de teſtib. in illis verbis: prius quam perhibeant teſtimonium, &c. Ita ibi Gloſ. add. ad Abb. nu. 1. verſic. & ſic depoſuit non iuratus à principio, Fulgoſ. num. 2.

93 In iure Canonico idem clarius oſtenditur ex cap. ſi teſtes, in fin. 4. quæſt. 3. & ibi Ioan. Andreas nu. 8. verſ. item quod teſtis prius, ſicque plures alij, quos citat, & ſequitur Farinac. nu. 31.

94 Non deſunt, qui doctrinæ præcedenti ex parte ſaltem ſe opponant, & cum diſtinctione procedant, vt procedit Bald. in dict. l. iuriſiurandi, nu. 1. quem non pauci ſequuntur, quòd tunc tamen ſit admittenda quando teſtis poſt ſuam depoſitionem ex interuallo iurat; ſecus verò, ſi poſt eam iuret, in continenti, quia in hoc caſu valida

95 eſt depoſitio. Verum hanc Baldi diſtinctionem reijciunt alij, præcipuè Salicet. in dict. l. iuriſiurandi nu 3. verſic. ego puto, & Archidiac. in cap. ſi teſtes, §. iuriſiurandi 4. quæſt. 3. qui volunt, etiam ſi continenti iuret teſtis poſt ſuam depoſitionem, hanc nequaquam eſſe validam.

96 Vndè Aretin. in capit. de teſtibus, & Felin. ibi nu. 5. & 6. ſic ſubdiſtinguunt: ſi teſtis poſt examen, aut repetitionem eius iuret in cõtinenti ex ſe ipſo, eſſe admittẽdã ſententiam Baldi; ſecus verò, ſi non ex ſe ipſo, ſed ad inſtãtiam Iudicis, ſeu exami-

97 natoris. Hæc autem ſubſtinctio merito non admittitur à Bellamer in dict. cap. de teſtibus, & præter alios à Farin. dict quęſt. 74 nu.41. Atque his ſatis ſit dictum de hac conditione ſeu ſolemnitate pręmittendi iuramentum de dicenda veritate in examine vel repetitione teſtium.

98 Sequitur nunc explicanda altera ſolemnitás, ſeu conditio valdè requiſita in examine teſtium, aut in ipſorum repetitione: nempè, quod quando examinantur vel repetuntur teſtes ab vna parte, poſſit altera pars dare ſua interrogatoria, & ſuper eis debeat iudex, ſeu examinator ipſos teſtes examinare. Patet ex text in cap. præſentium, ibi, examines ſecundum partis aduerſæ interrogatoria, de teſtibus in 6. Atq;

99 ibi adducunt Gloſ. in figuratione caſus, verſ. vndè partes communiter dant interrogatoria generalia, & ſpecialia ad reperiendum teſtes in aliqua variatione, vel falſitate. Geminian. ibid. §. teſtes, num. 3. Hoſtien. in cap. per tuas, num 5. verſ. & ſecundum, extra de teſtibus & ex alijs relatis Farinac. quæſt. 73. nu. 7.

100 Quo cum circa rem præſentẽ prẹnotandum, quod olim ante text. in dict. cap. præſentium, de iure interrogatoria non erant cognita, ſed tantum de conſuetu-

101 dine. Item prænotandum cum Archidia. in eod. cap præſentium, nu.7. quòd de conſuetudine cauſarum ſit, vt producens teſtes det articulos, is autem contra quem producuntur det interrogatoria: Atque cum Bald. in dict. cap. per tuas, nu. 5. verſ. ſed interrogatoria, extra de teſtibus quòd ſicut vtile eſt producenti teſtes, dare articulos, ne in confuſo examinentur, ita vtile eſt aduerſario, teſtes, ſuper ſuis interrogatorijs examinari: quibus ſic pręnotatis,

102 Dubium inſurgit, an teſtes ſine interrogatorijs à parte datis examinati probent. Pro ſententia affirmante videtur facere textus, in cap. per tuas, extrà de teſtibus, & eam manifeſte tenent Alexan. conſil. 41. nu. 9. lib. 4. & conſil. 172 cum Specul. per ipſum allegato. Maran. de ord. iud. par. 6. rubr. de interrogatoriorũ productione nu. 4. Decian conſil. 51. nu. 122. lib. 2. Maſcard. de probat. lib. 2. ac præter diuerſos alios,

Virg. Boccac. in tract. de liter. remissor. 103 cap. 6. nu. 23. vbi tractat de eo tantum casu, quando testes fuerunt examinati super aliquibus interrogatorijs, non verò vbi omnia interrogatoria ommittuntur.

104 Negantem autem sententiam vti magis communem, & veram amplectuntur multi plures, præcipuè Ioan. Andr. in cap. cum causam nu. 12. versic. propter hoc cautum est, & ibi Bellam. nu. 2. Brun. nu. 17. Anchar. nu. 13. vers. aduertendum tamen, Abb. nu. 6. & Felin. nu. 2. versic quibus adde, extra de testibus. Ripa in l. 1. num. 39. ff si cer. pet. Monticel. in repertorio testium rubr. quomodo & qualiter testes circa, & extrà articulos sint interrogandi. Octau. Cacch. consil. 65. nu. 5. lib. 1. Bursat. consil. 34. nu. 4. lib. 1. & præter reliquos ab ipso 105 adductos Farinac. dict. quæst. 73. nu. 6. affirmans diuersos ex Doctoribus oppositæ sententiæ non dicere, quod testes examinati sine interrogatorijs datis à parte probent, sed quòd possint repeti, & indè non sequitur, quòd probent; sed contrarium eos non probare, & posse repeti.

106 Verum quidquid sit de hac sententiarum contrarietate, illud certum est, & in eo omnes concordant, vbi testes fuerunt examinati sine interrogatoris datis à parte, si hec velit, & petat, cum dictis interrogatorijs ij debent à iudice repeti, & aliter facta ista repetitio non est valida, nec testes repetiti quidquam probant, neque pro repe-107 titis habentur. Vnumquodque istorum sigillatim ostenditur: primum sic resoluunt citati Auctores pro sententia negante, præcipuè Spec in tit. de teste, §. iam de interrogatorijs, nu. 21. Pract. Corrad. rubr. de interrogatorio, nu. 4. Bursat. consil. 358. 108 nu. 10. lib. 4 & Farina ibidem nu. 7. Additq; id habere locum etiam post publicationem testium, quod possit pars, seu reus facere, vt cum suis interrogatorijs sibi illi repetantur, quando sine eis fuerant priùs 109 examinati. Addit etiam idem Farinac nu. 17. teneri iudicem, vel examinatorem ad damna, & interresse parti resarciend. si dicto modo eos non repetat: quaquam hanc additionem ait limitando nunquam se vidisse in practica seruari, vnde quãdo teneatur, & quando non, remittit ad Abb. & ad alios, in cap. cum causam, extrà de testibus.

110 Similiter secundum, quòd testes sine interrogatorijs partis repetiti non probent, neque habeantur pro repetitis, resoluunt ijdem Auctores sententiæ negatiuæ ibid. 111 maximè Farina. Qui cum Monticel loc. cit. & cum alijs subiungit, quòd etiam si examinentur, vel repetantur testes cum interrogatorijs datis à parte, aut à reo, si super ipsis interrogati non respodeant, & sic interrogatoria non euacuent, nequaquam probant, nec habentur pro repetitis. Ratio est, quia tunc examen, vel repetitio testium ita censetur, ac si non essent adhibita partis interrogatoria.

112 Debet item iudex, seu examinator, aut quiuis alius testes producens dare parti, vel reo, contra quem producuntur, copiam articulorum, si eam petat, vt possit formare interrogatoria, & concedere ipsi aliquam breuem, & competentem dilationem ad 113 ea formanda. Vtrumque docent Spec. in tit. de teste, §. iam de interrogatorijs nu. 1. 2. & 3. Albert. de Malet. in tract. de testib. cap. 7. & 8. num. 3. & 102. Maran. in spec. pa. 6. rubr. de interrogatoriorũ productione, num. 1. Viui. opin. 896. num. 6 & cum multis quos citat Farina. dict. quæst. 73. nu. 114 16. & 14. Exprimit etiam benè vtrobiq; neutrum esse sub obligatione concedendum, nisi à parte, seu à reo petatur. Facta 115 autem petitione, & negata, seu aliter examinatis, aut repetitis testibus, semper manere ius apud reum, iterum examinandi, aut repetendi testes dicto modo, data copia articulorum, & dilatione prædicta, affirmat cum alijs idem Farinac.

116 Quamuis autem articulorum copia, vt vidimus, danda sit ei, contra quem testes producuntur, è contra tamen illos producenti non est danda copia interrogatoriorum, quia si hoc fieret, esset eidem comoditatem tribuere ad subornandos testes. Ita Glos. cap. præsentium, in verb. interrogatoria, lit. N. vers. & hæc, ibique Franc. post num. 6. de testibus in 6. Innoc. in cap. per tuas, num. 2. extrà de testibus & ibi Ioan. Andr. num. 7. Bellamer. num. 2. in prima quæst. Imol. num. 3. in fine, versic. & licet 117 copia, Abb. nu. 2. vbi ait (vt refert Farinac. dict. quæst. 73. num. 19. citans plures pro hac doctrina, cui ipse adhæret) propterea quòd pars posset appellare, si Iudex vellet dare hanc interrogatoriorum copiam, quod vt certum addmitte.

118 Preterea hactenus in communi resoluta à nobis de testibus examinandis aut repetendis super interrogatorijs à parte datis & formatis, secundum articulos producentis ipsos testes, certum est, quod habeant locum non solum in causis ciuilibus, sed etiam in criminalibus. Ad tex. in l. postulaueris, §. 9. ibi, interrogandique facultas datur patronis ff. de adul. Sali. Bursat. & alij quos citat Honded. in consil. 101. 28. vbi insurgit contra Foller. & Clar. oppositum sentientes, quòd in criminalibus non debeant seruari, & respondet benè ad omnia ab eis adducta; quam responsionem approbat Farina. ibid. num. 8.

119 Est tamen aliquantulum inter DD. cõtrouersum, an in causis criminalibus S. Inquisitionis sint repetendi testes super interrogatorijs datis à reo formatis secũdum articulos à Fisco porrectos? Qui vniuersaliter in quibusuis causis criminalibus aliorum Tribunalium hunc modum examinandi, aut repetendi testes cum interrogatorijs reorum non admittunt, à fortiori in similibus S. Officij. Et quidem Clar. in §. fin. suæ praxis quæst. 23. vers. item quæro, vni-

vniuersaliter loquitur pro parte negante.

120 Et affirmat ita esse consuetudine receptum in toto Statu Mediolani; de qua consuetudine etiam attestantur Bernard. Porrus in suis Addit. ad Ambrosin. lib. 3. cap. 2. num. 1 & Carena par. 3 tit. 7. §. 11. nu. 69. atque eandem consuetudinem esse admissam in multis locis Germaniæ asserit Ludouicus Gilhausen. in arbore iud. crim. cap 5

121 ram. 4. num. 8. Specialiter item Symanc. de Cathol. Instit. tit 64. num. 10. & in Enchirid. Iud. violatæ Religionis rubr. 35. de testib. num. 3. & 4. loquens de huiusmodi causis S. Inquisitionis ait, quod Iudex ex officio in hoc Tribunali debet diligenter perscrutari fidem testium, illorum vitam, & mores, quia non admittuntur interrogatoria rei inquisiti ad testes fisci.

122 Amplectenda nihilominus pars affirmans, cuius resolutionem ex mente aliorũ Scriptorũ audiamus à Carena citato proprijs ipsius verbis.

123 Verum opinio, inquit, Symanchæ fortasse in Hispania potest locum sibi vẽdicare; cum in supremo Almæ Vrbis Tribunali S. Inquisitionis sine dubio totum contrarium obseruetur, nam in repetitione testiũ fisci, vtique examinari solent super articulis à fisco productis, & interrogatorijs à reo datis; ita Genuen. in prax. Archiepisc. Neapol. cap 4. in antiquis, num. 3. versic. quarto loco, & vers. item his stantibus, Pegna in sua praxi Inquisitorum, quæ manuscripta circumfertur lib. 2. cap. 28. & 31. & Farinac. de hæres. quæst. 188 §. 1. num. 14. vers. vide tamen.

124 Et ratio istius praxis supremi Tribunalis duplex est. Prima, quia de iure testes ab vna parte producti interrogari debent super interrogatorijs partis aduersæ, iuxta text. l. si postulauerit, §. quæstion. ibi, interrogandique facultas datur patronis, ff. ad l. Iul. de adult. qui text. loquitur præcisè in criminalibus, cum alijs allegatis à Farinac. de testib. quæst. 73. per totam, sed maximè nu. 8. Gilhaus. in arbor. crim. cap. 5 ram. 4. num. 13. & seqq.

125 Altera est, quod ex non editione nominum testium, & denunciantium, satis trunca, & manca redditur defensio reorum in hoc Tribunali, (de vi huius rationis innotescet infra, vbi discutietur, an sint prodenda nomina testium) absque eo, quòd alium nouum speciale inducendo, magis adhuc trunca, & manca eadem defensio reddatur ex omissione interrogatoriorũ istorum ex parte Rei; & ita passim obseruatur contra Symanch. in omnibus Inquisitioni-

126 bus Italiæ. Hactenus ille. De obseruatione autem simili in nostra Inquisitione Melitensi testis fui oculatus spatio 39. annorum, per quod munus consultoris apud illam exercui.

127 Dein, vt iam in hac materia examinis, vel repetitionis testium cum interrogatorijs partium, ad particularia deueniamus, certum omnino est, quod possint interrogari testes non solum super contentis principaliter in articulis, sed etiam super illorũ circumstantijs, substantialibus vtique, & pertinentibus ad causam, factique veritatẽ; secus super impertinentibus, & friuolis. Textus clarus, in cap. cum causam, ibi, & de singulis circumstantijs diligenter inquirens, extra de testibus vbi Gloss. in verb. circumstantijs, Abb. num. 1. in fine, vers. nota Iudicem ex officio, Aret. num. 4. in tertio notabili, Bellamer. post num. 1. verb. circumstantiæ, Ioann. Andr. post num. 3.

128 & num. 47. vbi ait. Quod circumstantiæ sunt quæcunq; aggrauant factum, vel possunt mouere animum Iudicis ad credendũ, vel discredendum. Ita ille, vt refert Farinacc. dict. quæst. 73. num. 26.

129 Qui num. 17. nu. 48. benè ostendit oppositum, nempè, quod non sint interrogandi testes regulariter super circumstantijs impertinentibus, incongruis, superfluis, & extra articulos; ob eam rationem, quia cum huiusmodi interrogatoria non faciant ad causam, nec ad personam testis, non sunt admittenda; & si admittantur, non tenetur respondere, & si respondeat dicendo nescire, non ideo hæc depositio redditur inualida, aut vitiosa. Ita Spec. in tit. de teste, §. iam de interrogatorijs, num. 19. vers. caueat tamen Iudex, Alber. in lib. 3. num. 8. ad finem, ff. de testib. Paul. de Castro, in lib. 1. num. 16. vers. sed si esset impertinens.

130 Viui. opin. 912. num. 6. Apud quem inuenies 27. casus, in quibus quis non tenetur respondere interrogatorijs impertinentibus, & alij plures, quos adducit Farinac. dict. num. 48.

131 Dixi regulariter, quia si testis esset suspectus, etiam in circumstantijs non substãtialibus, & impertinenribus posset ipse interrogari, & quibuscumque modis veritas à Iudice inquiri: vndè tunc curare debet ipse Iudex, vt ipsum testem in mendacijs, & contrarietatibus intercipiat. Ita Gloss. in dict. cap. cum causam, in verb. tempore, vers. nisi esset suspectus, & ibi Innoc. nu. 3. in fine, vers. nisi & testes essent suspecti,

132 Bald. num. 54. in fine. Et ibi ait, quod Iudicis arbitrio remittitur, an testis sit suspectus, Bellamer. post principium, versic. vnde dicebat, Odofred. in l. si quando, n. 8. versic. sed denuò quæro, C. de testibus, vbi etiam, quod Iudicis religioni remissum est, an testis sit bonus, vel malus vir, & alij, quibus citatis adhæret Farinac. dict. quæst. 73. num. 52.

133 Peculiariter interrogari possunt testes à Iudice, vel Inquisitore de circumstantijs loci, & temporis. Constat ex text. in dict. cap. cum causam, ibi, loco, tempore, &c. Et ibid. Gloss. reddens rationem, quia si diuersi sint in loco, & tempore, nihil probãt. Hostien. num. 8. in fine, versic. attendat ergò locum, & tempus, Anchar. num. 5. Felin. num. 12. extra de testibus, Innoc. in cap.

cap. per tu as, num. 4. versic. item nota, Bartol. in lib. 3. §. ideoque num. 6. ff de testib. & cum alijs ab ipso relatis, Farinac. dict. quæst. 73. num. 28.

134 Nequaquam tamen sunt testes cõstringendi, prout dicunt DD. ad angulum tẽporis, vel loci, secundum Hostien. in capit. cum causam, num. 9. extra de testibus, vbi ait, quod sufficiat testi exprimere annum, 135 mensem, & diem. Neque item possunt interrogari testes super qualitate temporis, an fuerit nebulosum, vel serenum, &c. Vtrumque bene docet post alios, quos adducit, Farinacc. ibidem, num. 29. & 30. apud quem, tu benigne Lector multa inuenies, in dict. quæst. 73. circa interrogatoria facienda testibus, vel secus, super circumstantijs particularibus, quæ omitto hic, ne nimis diffundar.

136 Solum vltimo loco discutio dubium illud non leue, an possit testis interrogari super ijs, quæ crimen, infamiam, & turpitudinem ipsius testis continent? Duplex est opinio, altera affirmans, altera negans; hanc defendunt multi, vt Hostien. in cap. cum causam, num. 20. in fine, versic. sed nunquid testis, ibidem Ioann. Andr. num. 15. Bellamer. num. 2. Abb. num. 13. Felin. num. 10. extra de testib. Item Bart. in Authen. si testis, num. 4. vers. si vero illud, C. de testib. & reliqui, quos latè allegat Farinacc. dict. quæst. 73. num. 53. dicens hanc esse magis communem, & vsu receptam apud Iudices, seu examinatores, magisque rationi consonam.

137 Altera vero affirmans approbari videtur à Gloss. in dict. cap. cum causam, in verb. de causis, versic. sed nunquid testis, vbi ait teneri testem respondere saltem ad ea, de quibus in l. 3. ff. de testibus, & in cap. si testes, versic. si testium fides, 4. qu. 3. vbi inter alia testium fide explorandum est, an sit honestæ, & inculpatæ vitæ, an verò reprehensibilis; ergò secundum Gloss. debet testis interrogatus respondere ad ea, 138 quæ eius infamiam respiciunt. Adhærẽt etiam huic Gloss. opinioni Spec. & faciunt pro ea, quæ ipse dicit in tit. de teste, §. iam de interrogatorijs, num. 22. atque Albert. in dict. lib. 3. num. 8. ff. de testib. vbi ait, quod ita mos iudiciorum seruat, vt scilicet testes interrogentur de circumstantijs criminosis: similiter alij relati à Farinacc. nu. 55. & 56. qui post expressas has duas opiniones, vix indicat, quam nam earum amplectatur: nec est cur indicemus, quæ nam ex ipsis à nobis magis admittatur; sed sufficit, si circa hoc quid in causis S. Inquisitionis tenendum sit decidamus cum Carena dict. §. 11 num. 73. per sequentia verba.

139 Ego, inquit, me restringendo ad forum nostrum S. Officij, inuenio Canteram in suis quæst. crimin. concernentibus probationem delictorum, cap. 2. de probat. per testes, num. 41. versic. sed his non obstantib. fol. mihi 95. quem sequutus fuit eius verba sigillatim referendo P. Diana resol. moral. par. 4. resolut. 114 per totam ex professo tenentem, quod testis teneatur præcisè respondere interrogationi, an sit ex genere Iudæorum, & Saracenorum, & quod ita passim obseruetur in Inquisitionibus Hispaniæ.

140 Et cum hac opinione transeo ego pro nunc, fauore fidei, sed verè cum maxima trepidatione conscientiæ, quia huic sentẽtiæ repugnant omnes regulæ iuris naturalis, & ciuilis, secundum quas nemo cogendus est reuelare propriam turpitudinem, Lud. Gilhausf. in Arbor. iud. crim. cap. 5. ram. 4. num. 8. Hæc Carena, qui nimis trepidum se exhibet in amplectenda hac opi-141 nione affirmante: Subiungens, quod contra eam videatur facere decretum à S. Congregatione S. Officij Vrbis editum, per quod disponitur, quod mulier solicitata denuncians confessarium, non possit interrogari de consensu eius in solicitationem.

142 Quare tandem ipse Carena circa hoc iudicio dictæ S. Congregationis se remittit; in quo nos libenter eius vestigia sequimur.

Facienda nè confrontatia testium cum reo, an secus? qualis vsus in S. Officio pro habenda identitate personæ?

REGVLA CCCXXIX.

143 ATtento communi iure, nullum dubium, quod licitæ, & opportunæ sint confrontationes testium cum reo, sicq; vsu vbique receptum, vt passim confrontentur in quibusuis Tribunalibus pro eruenda veritate, quando ille variat à dicto testium, vel persistit in negatiua delicti commissi, maximè si hoc fit ex enormioribus.

144 Nihilominus in nostro Tribunali S. Inquisitionis, licet crimen contra fidem enormissimum existat, nunquam dictæ confrontationes fiunt, excepto triplici casu indicando; imò tunc exequendæ cum magna cautela, & moderatione. Solet autem per-145 spici identitas personæ inquisiti de hæresi isto modo, vt ipse simul cum alijs in aliquo loco clauso reponatur, & testis per rimulas portæ respiciat, & quisnam ex illis sit, contra quem testimonium tulit, aut denutiationem dedit, Inquisitori manifestet.

---

146 PRimum clarè ostendit text. in l. si postulauerit, §. quæstioni, ff. ad l. Iul. de adult. vbi legis lator sic. Quæstioni, inquit, interesse iubentur reus, reaue, & qui crimen detulerit. ita ibi Consonat etiam tex. in l. de vnoquoque ff. de re iud. estque communis omnium scribentium sententia vtrobique & alibi.

147 Quin etiam confrontatio testium ad faciem

ciē delinquētis inquisiti habet vim citationis iuridicæ, & potest Iudex testes pro Curiæ informatione receptos, & examinatos, vel reo citato cum eius interrogatorijs repetere, vel ipsos ad eiusdem faciem confrontare, prout sibi melius videbitur. Ita ex mente Afflict. in constitut. si damna clandestina, num. 28. ante finem], versic. vel Iudex faciat venire testes, &c. Clar. in pract. §. finali, quæst. 11. versic. Item quæro, ad finem, & quæst. 45. versic. sed in proposito, Honded. cons. 101 post num. 1. vbi ita practicari testatur, & aliorum, quos citat, docet benè Farinac quæst. 72. nu. 139.

148 Præcepti autem iniuncti per dict. §. quæstioni, reddit optimè rationem Franc. Pegna in 3. par. directorij, comment. 23. num. 101. his verbis. Quod, inquit, ideo fieri præcipitur, quoniam ex præsentia accusatorum, seu testium, reus vix potest euadere iudicium, & veritatem diffiteri: nam vbi delatores singulas delictorum circustantias commemorauerint, titubat reus, nec potest commodas adducere responsio-

149 nes: hæc ille, ex quibus fit manifestum confrontationem testium cum reo esse licitum, & opportunum remedium ad eruendam veritatem delicti ex ore delinquentis.

150 Quamquam meritò admittenda moderatio, quam cum Marian. Soc. in cap. qualiter, & quando, il secundo, num. 950. de accusat. adducit, & admittit idem Farinac. cit. num. 129. quod si Iudex resoluit ex testium depositionibus torquere reum, dicta confrontatio debat esse sicca (vt ipse eam vocat) nempe exprimendo solum in ea delictum principaliter, non verò qualitates eius, & circumstantias; vt his expressis in tortura facilius ad fatendam veritatem manifestato delicto, de quo accusatus reus, inducatur.

151 Admittendum item, quod extendens doctrinam traditam de confrontatione testium cum reo, notat ibidem Farinac. num. 140. ex Iul. Clar. dict. quæst. 45. vers. sed in proposito, posse scilicet eam fieri non solum quando testes deponant aliquid quod de directo con trariatur ijs, quæ reus

152 dicit in examine, sed etiam vniuersaliter quoties testis deposuerit aliquid, quod reum afficiat, & si hic non contradicat, ac etiam quod delictum immediatè non tangat, vt si deponeret super corpore delicti, vel super fama, &c. inde ostenditur, quia semper vrget ratio legis, de vnoquoque ff. de re iud.

153 Est etiam cum maiori extensione rationabiliter de confrontatione testiū cum reo loquendum, quod vbi Iudex maluit eos repetere, quam confrontare, post repetitionem debeant etiam confrontari, si reus id insistendo petat, ob eam rationem, quia si inuito reo, potest Fiscus talem confrontationem exequi, pari etiam modo poterit reus inuito Fisco, pro confrontatione facienda instare, nec est ei deneganda, iuxta regulam l. non debet, ff. de regulis iuris.

154 Ita idem Farinac. nu. 141 & 142. Quamquam notat ipse hanc doctrinam licet veram, nondum vsquam fuisse in praxi receptam.

155 Similiter è contra, semel facta confrontatione adhuc est amplius locus repetitionis testium cum inquisiti interrogatorijs; & si iste petat, debent sic ei repeti. Ratio est, quia tametsi confrontatio suppleat defectum repetitionis, vt supra diximus, non tamen supplet defectum interrogatoriorū, cum quibus necessario testes sunt examinandi, vel repetendi. Ita Farinac. vbi supra nu. 144. cum Honded. cons. 101. nu. 1.

156 & seqq vsq; ad 40. Atq; decisa à nobis hactenus circa confrontationem testium, teste eodem Farin. habent locum nedum in ciuilibus, sed etiam in criminalibus, præsertim si crimina sint ex enormioribus.

157 Sed quid in causis hæresis, criminis enormissimi, spectantibus ad nostra Tribunalia S. Officij? Communis, & prorsus certa est omnium scriptorum doctrina, nequaquam in similibus testes cum reo esse confrontandos, idque in fauorem fidei, quia alias à denunciando, ac testificando contra hæreticos facilè homines retraherentur, atq; hinc maximè detrimentum in ruinam Ecclesiæ Catholicæ proueniret. Ita Pegna loc. cit. & commen. 48. num. 209. Sanctarell. de hæres. cap. 39. dub. 4. nu. 22 Scaccia lib. de Iudic. cap. 87. num. 19. Genuen. in prax. Archiep. Neapol. cap. 68. num. 6. Farinac. de hæres. quæst. 188 num. 28. Carena 3. par. tit. 7. §. 7. num. 50. & Castr. Palaus, tract. 4. disp 8. pun. 15. §. 3.

158 num 8. Qui efficaciter probat à fortiori, quia si non publicantur reo nomina testiū vt ostendetur certum ex Iure canonico Regula sequenti; quanto magis neganda ei confrontatio illorum ad faciem ipsius, ob rationem dictam quod remouerentur à testificatione? &c.

159 Prohibetur autem DD. Inquisitoribus Tribunalium Hispaniæ confrontationes huiusmodi testium cum reo facere, per Instructionem Toletanam anni 1561. num. 71. quam refert citatus Diana, his verbis Hi-

160 spanis: Aunq; en los otros juicios suelen los Iuezes para verificacion delos delitos carcar los testigos con los delinquentes, en el juicio de la Inquisicion ne se deue, ni se acostumbra hazer; y por experiencia se halla, que si alguna vez se hà hecho, no hà resultado buen efeto, antes se han seguido

161 inconuenientes; hæc ibi. Imprudenter igitur faciet Inquisitor si testem ad confrontationem compellat, eamque exequatur: secus, si idem testis ex se ipso sponte ad eam se offerat, velitque depositionem suam contra reum in faciem ipsius sustinere.

162 Tres item casus assignantur à DD in quibus apud Tribunal S. Inquisitionis confrontatio testium cum reo conceditur. Primò, quando testis est simul socius criminis, quia tunc

tunc ob societatem in delicto, & non ob testificationem eius confrontari compelleretur. Neque indè videtur sequi inconueniens alicuius considerationis; nam testis seipsum simul condemnat, & reus obligatur ipsum deponentem manifestare: sic præter alios Martinus Delrius, disquis. magic. lib. 5. in 2. appendice, quæst. 39. & Castr. Palaus loc. cit.

164 Secundò, Quādò recto Iudicis arbitrio nullum prorsus testibus imminet periculum ex eo, quod deposuerint contra reum, & consequenter ipsum infamauerint; vt cum hic est vilis, & abiecta persona, quæ non curat de fama, puta meretrix, vel similis ex se, aut ratione professionis, iam apud omnes infamis reputatur, ex allegatis DD. sic peculiariter Pegna, Genuen. & Diana.

165 Tertiò, Quando dubitatur aliquo modo de testium falsitate, nec occurrit via, qua sublato dubio de veritate innotescat, tunc poterit Inquisitor cogere testes ad confrontationem, nè innocens damnetur. Ita omnes ferè citati suprà num. 157. præ-

166 cipuè Castrus Palaus. Qui cum Pegna, ac Farina. relatis, & cum Sigismundo Scaccia de iudic. lib. 1. cap. 87. num. 19. optimè aduertit, quod in tali casu debeat Inquisitor procedere cum maxima prudētia, & cautela ad præcauendum omninò periculum testium. Vndè haud veniet ad exequendam eorum confrontationem inconsulto Episcopo, aut sine eius voto decisiuo,

167 cum res ista sit adeo grauis. Et quidem in supremo totius Orbis Tribunali S. Inquisitionis Romanæ, nūquam prædicta testium confrontatio fit, nisi causa cognita, & ex decreto Eminentissimorum Cardinalium ibi præsidentium, vt notant ijdem citati auctores.

168 Dixi inconsulto Episcopo, aut sine eius voto decisiuo: quod intelligitur respectu eorum Tribunalium S. Officij, in quibus Episcopus, & Inquisitor causas S. Officij si-

169 mul decidunt. Ab eis autem excipitur nostrum Melitense, in quo, vt iam alibi diximus, ex vi diplomatis Pontificij solus Inquisitor decisiuè procedit circa fidei causas excepto vbi inquisitus de fide esset ex S. Religione Hierosolymitana, nam tunc Episcopus est etiam Iudex vnà cum illo, & subscri-

170 bit sententiam. Occurrente autem casu, in quo Inquisitor Melitensis iudicaret necessarium testes cum reo confrontare, expediens omninò videtur consulat prius dictum Supremum Tribunal Sanctæ Inquisitionis Romanæ, atque responsum ab eo ex-

171 pectet. Hoc idem etiam ab omnibus Inquisitoribus eidem Supremo Tribunali subiectis esse semper obseruandum, opportunè aduertit, & suadet Carena loc. cit.

172 Superest tantum in hac Regula videndum, qualiter in Sanctæ Inquisitionis Tribunali de identitate personæ delinquentis inquisiti possit innotescere: quod ab ipsomet Carena, dict. §. 6. num. 51. audiamus,

173 Quia tamen, inquit, aliquando contingit in S. Officio, quod de necessitate reus est per testes recognoscendus; ideo hęc recognitio facienda est, (vt scilicet pateat de identitate personæ) non per confrontationem apertam, sed per rimulas ostij alicuius cubiculi clausi; vbi reus vna cum alijs personis vestitu, statura, & facie similibus reperiatur, vti docet Scaccia loc. allegat. num. 19. vers. tunc Reuerendissimus Do-

174 minus Inquisitor. Hæc ille. Et addit, quod fuerit sic practicatum in S. Inquisitione Cremonæ de mandato S. Congregationis Romanæ; in nostro item S. Officio Meliten sic practicari solet, sed non cum tanto rigore quoad similitudinem in vestitu, facie, & statura; Atque hæc satis.

An publicanda, seu potius supprimenda nomina testium? Quia hac in re apud Tribunal S. Inquisitionis?

REGVLA CCCXXX.

175 TAmetsi pari modo sit valde cōsonū iuri positiuo ciuili, vt in quibusuis causis tam criminalib. quam ciuilibus, nomina testium reo manifestentur, ad finem, vt suas defensiones ritè, ac plenè formare valeat; sicque extat vniuersalis vsus quo-

176 rumcunque Tribunalium: At apud Tribunalia S. Inquisitionis in causis peculiariter fidei, multiplici, & stricta iuris canonici prohibitione nullo modo id locum habet, maximè si aliquod indè testibus peri-

177 culum immineat. Vndè non solum nomina, & cognomina eorum supprimenda, sed nullum etiam reo præbendum indiciū, nullaue aperienda via, qua in ipsorum notitiam deuenire possit.

---

178 COnsonantia iuris ciuilis ad publicāda nomina testium patet ex eisdem textib. in l. si postulauerit, §. quæstioni ff. ad l. Iul. de adulter. & in l. de vnoquoque ff. de re iudicata, paulò antè adductis, facto argumento à maiori ad minus. Si enim ex vi legum istarum conceditur, vt confrontatio testium cum reo fiat, vt vidimus; quanto magis concessum erit, vt nomina, & cognomina ipsorum eidem reo manifestētur, iuxtà regulam, cui conceditur, &c. de reg.

179 iur. Quę intelligitur maximè, si plus, & minus sint eiusdem generis, seu ad idem referantur, vt contingit in casu præsenti; nam ęquè ista duo, testes confrontare, & nomina ipsorum ostendere, hunc finem respiciunt, defendendi scilicet reum, & à cōdemnatione eum liberandi; ergo consonū valdè est iuri ciuili nomina testium publicare, consonum etiam est iuri canonico, vt

180 infrà videbimus. Supponunt id omnino certum omnes DD. pręcipue Pegna, Farinacc. Sanctarell. Castrus, Palaus, & alij statim

tim citandi: sicque in praxi receptum videmus in quibusuis Tribunalibus, tam Ecclesiasticis, quam Sęcularibus, & in omnibus causis tam criminalibus, quam ciuilibus.

181 Nihilominus in criminalibus S. Officij contra hæreticos nequaquam eis publicātur nomina testium, & hoc in fauorem Fidei, nè remoueantur à denunciando, vel testificando aduersus illos, & vt promptiores ad vtrumque existant. Varias habemus diuersorum Romanorum Pontificum circa hoc dispositiones, alijs alias minus,

182 aut magis strictas. Disposuit minus strictè Bonifacius VIII. in cap. Statuta, §. iubemus, de hæret. lib. 6. præcesserat enim olim magna inter Doctores controuersia circa punctum istud de publicandis delato in crimine hæresis, sicut in quouis alio solet, testium nominibus, & pro eius decisione sic ille statuit.

183 Iubemus tamen, inquit, quod si accusatoribus, vel testibus in causa hæresis interuenientibus, seu deponentibus (propter potentiam personarum, cōtra quas inquiritur) videant Episcopus, vel Inquisitores graue periculum imminere, si contingat fieri publicationem nominum eorum, ipsorum nomina non publicent, &c. *Et in-*

184 *fra prosequitur*. Sicque (non obstante, quod illis, cōtra quos huiusmodi deposuerunt, nomina ipsorum non fuerint publicata) adhibeatur ad cognitionem Iudicis instruendam plena fides depositionibus testium eorundem, &c. Hactenus de dispositione Bonifacij.

185 At idem Pontifex Summus ibidem etiam paulò post sic limitat. Cessante vero, inquit, periculo supradicto, accusatorum, & testium nomina (prout in alijs fit

186 iudicijs) publicentur. Hęc ibi. Et equaliter per verba comprehensa in parentesi innotescat, quod consonum Iuri canonico sit, vt nomina testium, & accusatorū delatis publicenter in quibusuis Iudicijs, seu Tribunalibus, ac etiam in nostro S. Inquisitionis, quando cessat dictum periculū, iuxtà propositam limitationem Bonifacij, qui iudicio Episcopi, aut Inquisitoris relinquit videndum, an cesset tale periculū, vel secus; & circa hoc eorum conscientias onerat, ibi.

187 Cęterum, inquit, in his omnibus pręcipimus, tam Episcopos, quam Inquisitores puram, & prouidam intentionem habere, ne ad accusatorum, vel testium nomina snpprimenda, vbi est securitas, periculum esse dicant, nec in eorum discrimen securitatem asserant, vbi tale periculum immineret, super hoc eorundem conscientias onerantes. Ita Papa Bonifacius.

188 Absque dicta vero limitatione, & absq; alia conditione, circa hoc idem de non publicādis testium nominibus in causis fidei, sanciuit Innocentius IV. per Registrum, incip. Cum negotium fidei, ibi. Sanè volumus, vt nomina tam accusantium prauitatem hęreticam, quam testificantiu super ea, nullatenus publicentur, propter scandalum, vel periculum, quod ex publicatione huiusmodi sequi posset, & adhibeatur dictis huiusmodi testium nihilominus plena fides. Hęc Innocentius.

189 Similiter absque limitatione vlla propositam sanctionē Innocentij stabiliuit Pius Quartus per Breue Apostolicū, incip. Cum sicut, quod inter multas Summorum Pontificum Bullas ad negotia Sācti Officij spectantes adducit Franciscus Pegna in fine

190 Direct. Meminit etiam ipsius in 3. part. eiusdem Direct. comment. 124. vbi ex professo tractat rem istam, & absolute resoluit ex communi omnium doctrina, quod non obstante supradicta dispositione Bonifacij VIII. nunquam hodie apud S. Officium in causis fidei publicētur reo nomina testium, & denunciatorum, ob eam rationem, quia hodie perpetuo dictum periculum adesse rationabilirer præsumitur. Ita præter Pegnam allegatum, Sanctarell. de hęres. cap. 39. dub. 4. num. 22. Castrus Palaus tract. 4. disp. 8. pun. 15 §. 3. num. 7. & cum multis, quos abundè citat, Farinac. de hæres. quęst. 188 §. 1. nnm. 7.

191 Adducit item ibidem Pegna in confirmationem, quod statutum fuit circa idem in Concilio Biterrensi, cap. 10. in hunc modum. Illud autem, inquit, caueatis secundum prouidam Sedis Apostolicæ voluntatem, ne testium nomina signo, vel verbo aliquo publicentur. Addit etiam ille, hoc eisdem prorsus verbis haberi in Concilio Narbonensi, cap. 22.

192 Perpendens autem bene ipse Pegna particulam illam, *signo*, ait non solum nomina, & cognomina testium, & denunciatorum publicari non debere, sed neque circumstantias (id enim, inquit, eo loco puto vocari signum) esse indicandas, ex quibus posset reus in cognitionem illorum

193 venire. Quod pari modo docent alij Scriptores præcipue citati Sanctarell. Castrus Palaus, & Farinac. dict. §. 1. num. 8. Atque manifeste innotescit ex dicto Breui Apostolico Pij IV. incip. Cum sicut, & ex duplici instructione pro Inquisitoribus Hispanicorum Tribunalium.

194 Altera Hispalensis de anno 1484. cap. 16. sic habet. Cum probatio facta fuerit, & testes reproducti, debent Inquisitores publicare dicta, & depositiones eorum, suppressis, & tacitis nominibus, & circumstātijs, ex quibus reus accusatus posset de-

195 uenire in cognitionem testium. Madriliana vero altera de anno 1561. cap. 32. est huiusmodi. In publicatione ponetur mēsis, & annus, in quibus deponunt testes; quoniam si aliquod inconueniens insurgeret, si poneretur præcise dies, non debet

196 apponi. Similiter apponetur in publicatione locus, & tempus commissi delicti, quoniam hoc ad defensionem reorum spectat:

ctat: Cęterum non est apponendus locus loci. Hactenus de vtraq; Instructione ex Hispano in Latinū reddita per citatū Pegnam qui sic immediate post addit, & optime.

197 Sed non, inquit, diffiteor contingere quandoque posse, vt si locus, & tempus cōmissi criminis reis panderentur, ipsi possent facile deuenire in notitiam denunciatorū, vt cum delictum recenter est commissum, quo casu sicut in alijs prouidendum omnino est testium incolumitati, & legitimæ etiam reorum defensioni alijs competentibus modis, quos prudens Inquisitor pro negotij qualitate melius scire poterit. Hęc ille.

198 Pro coronide huiusce materię de supprimendis reo nominibus denunciatorum, & testium in causis fidei, quando publicantur depositiones eorum, visum est oportunum apponere hic formam, quæ circa hoc seruatur in Tribunalibus Hispanię, prout eam ex Paulo Garzia per ipsum citato affert sermone Hispanico Carena 3. par. tit. 7. §. num. 68. sic.

199 Vn testigo jurado, y ratificado en tiempo y en forma, que depuso en el mes. N. año N. dixo, que por el mes. N. estando en la Ciudad, villa ò lugar de N. en cierta parte, que declarò, presentes ciertas personas, que nombrò, viò, y oyò, &c. guardando lo que disponen las Instruciones nueuas 31 y 32. (quarum verba refert Pegna, commen. 124. vers. in Madriliana) no se accostumbra dar en publicacion los testigos, que no dizen nada, ni menos las cosas superfluas, &c. y al fin dize, que esta es la verdad, y no lo dize por odio.

Si la certification fuere larga, se sufre diuidir: puedese sacar por capitulos assì.

Iten dixo este testigo, &c. narrando hasta lo que al delito. Hucusque de dicta forma.

200 Tandem circa testium nomina publicanda Eymeric 3 par. direct. proponit quęstionem, nempè 80. an ea debeant manifestari Consultoribus S. Officij? & respondet affirmanter, probatque per text. in dict. cap. Statuta, ibi, iniuncto præcepto non manifestandi nomina denunciatorum, & testium denunciatis in causis fidei, in hunc modum subiungitur.

201 Nihilominus siuè Episcopus, siuè Inquisitores processerint, al quibus alijs personis prouidis, & honestis, iurisque peritis (quas ad hoc vocari, & eis per totum processum, super quo deliberandum est, seriosè manifestari, ac integraliter explicari, & de ipsorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus) ex-

202 primatur. Ita ibi. Quanquam consuetudinem esse in contrarium, aduertit citatus Pegna, & ego aduerti sæpius in nostro Tri-

203 bunali Melitensi. Clausula autem per parentesin hic proposita, diligenter à DD Inquisitoribus perpendenda, & ad vnguem, vt muneri suo satisfaciant, iugiter obseruanda: atque iam satis de pręsenti Regula.

Num aliquando habeat locum depositio relatiua in repetitione examinis testium, & qualiter, maximè in causis fidei?

REGVLA CCCXXXI.

204 QVando testis in aliqua causa examinatus postea super eadem, vel super aliquo eius articulo repetitur, potest deponere, referens se omnino ad primum suum dictum, siuè hoc fuerit ei prius ostensum (vti ipsi petenti ostendi debet) siuè non: atque talis relatiua depositio valida censetur, & necessario à Iudice admit-

205 tenda, vt plurimum. Verum secus est, si testis repetatur in causa fidei; sed tunc iste inducendus ab Inquisitore ad referendam summatim saltem, & quoad substantialia suam primam depositionem, & hæc nullo

206 modo ipsi prius legenda: excepto vbi factum esset antiquum, & ob labilem memoriam maximè in sene, vel ægroto, eius obliuio rationabilirer supponeretur.

---

207 CIrca doctrinam huius Regulæ iam aliqua attigimus lib. 2. cap. 2. Regu. 163. à vers. similiter non censetur: at nunc eadem, & alia ibi ommissa, ex professo discutiuntur. Non exigua extitit semper controuersia inter DD. circa hoc punctum, an testis repetendus in tota aliqua causa, vel ex parte in aliquo ipsius articulo, possit se referre ad primum eius examen? Duo præcipuè ex iuris peritis Bart. & Bald. cum multis sequacibus in sententias omnino oppositas abierunt, prout refert Farinac. prax. crim. quæst. 66. à nu 39.

208 Nam Bart. in l. eos qui diuersa, nu. 6. ff. de falsis, allegans l. si exhibuissent, §. 3. ff. de publi. & cum eo Abbas, in cap. cum in tua, nu. 3. & ibi Felin. nu. 5. in prin. Aret. num. 8. vers. Tu adde primo, extra de testibus. Salic. l. iurisiurandi, vers. sed potes respondere, C. de testibus. Conrad. in pract. de testibus rubr. de hoc dubio, num. 39. Diaz regu 749. Bosi in tit. de tortu. est, num 34 & alij affirmanter duo docent.

209 Primum, quòd testis ad effectum ne variet, aut vacillet in repetitione sui examinis, possit vel se referre ad primum suum dictum, vel vt hoc sibi ostendatur à iudice

210 instanter petère. Secundum, casu quo neutrum ipsi conceditur, sed cogitur primam suam depositionem referre, protestatur, quòd dictum in ea approbet, & non dictum in repetitione, si hoc sit diuersum ab illo; & quidem apparet prima dispositio verisimilior, quia tunc testis recordabatur de facto, super quo deposuit. Vndè cum

211 tali protestatione, licet depositiones sint variæ, & contrarię, excusatur omnino, & immunis manet à præsumptione falsitatis, &

& collusionis, standumque in hoc primæ depositioni. Ita adducit Farinac,

212 Baldus verò in l. iurisiurandi, & l. fin. C. de testibus & cum eo Bursat. consil. 20. num. 64. Mascard. de probat. lib. 3. conclu. 1368. n. 5. Albert. de testib. cap. n. 69. & 70. Lauren. in decis. Auenion 91. n. 5. vers. ceterū, vt apertè loquamur. Osasc. decis. Pedem. 128. & plures alij relati per Monticell. in repert. test. in rubr. testis dictum debet extensè scribi, absolutè partem negantem tuentur, quòd responsio testis relatiua ad primum examen, non exprimendo quæ in eo deposuit, nequaquam debeat à Iudice

213 vllo modo admitti. Ratio est, quia eo ipso quòd non vult respondere, nisi audita prima depositione, contra ipsum sinistra oritur suspicio de dolo, corruptione, &c. Quòd

214 si reclamet se non recordari de dictis in primo examine, assignabit ei Iudex terminum competentem, vt recordetur. Ita præsertim Albert.

215 Nihilominus sententia Bart. & sequacium, vt magis communis, & verior amplectenda est. Immo Farinac. num. 43. eam dicit esse verissimam, cum declarationibus tamen nunc exprimendis: & primo addit cum eod. Bart. in dict. l. eos num. 7. ff. de testibus, Butr in cap. cum tua, in fine, Felin. etiam ibi, post num. 1. versic. si autem dubitat testis, & alij, quòd habeat locum prædicta sententia, quæ defendit posse testem in repetitione examinis ad suam primam attestationem se referre, etiam si hæc non fuerit adhuc publicata.

216 Addit idem idem Farinac. cum Diaz & Monticell. citatis cum Menoch. de arb. quæst. lib. 2. cas. 109. num. 4. & cum alijs, quòd possit testis se referre ad primum suū examen, quamuis istud fuerit nullum:

217 Dummodo nullitas non ei eueniat ratione falsitatis, aut ex eo, quod extraiudicialiter, vel non citata parte fuerit factū: quia tunc non potest testis se referre ad primam depositionē sic nullam: quod præter citatos docet Lauren. decis. Auenionens. 91. nu. 4.

218 Pari modo non est admittenda à Iudice depositio relatiua in triplici casu. I. quando testis repetitur ad declarationem sui primi dicti dubij. Secundo, quando testis examinatus coram iudice arbitro repeteretur coram ordinario, nequibit tunc se referre ad examen factum coram illo. Tertio, si testis

219 similiter examinetur in iudicio summario & postea repetatur in plenario citata parte, non est locus referendi se ad primum examen. Ita cum citatis Menoch. & Osasc. cum Aret. in dict. cap. cum in tua, num. 8. vers. Tu ergo, extrà, de testib. & cum alijs, Farinac. num. 50. 52. & 53.

220 Prædictæ tamen sententię oppositæ, & auctores pro vtaque allegati quoquomodo in concordiam reducuntur, simul concedentes, quod prudentis iudicis arbitrio, iure, ac ratione regulato sæpius remittatur, sit admittenda, nec ne relatiua testis depositio in repetitione examinis. Vide Menoch. relatum, Alber. de Malet. in tract. de testib cap. 7. nu. 68. versic. mihi tamen magis placet, Foller. in pract. crim. in verb. capiat informationem num. 51. vers. est enim in arbitrio Iudicis, Mascard. de probat lib. 3. conclu. 1468. num. 5. & cum alijs ab ipso adductis Farinac. num. 49.

221 Quid tandem in causis S. Officij contra fidem? Nonnulli ex classicis DD. neganter respondent pro quibuscunque causis criminalibus, quòd non possit testis in eis se referre ad primum suum examen, quando hoc repetitur. Ita cum Brunor. à Sole in suo cons. crim. num. 58. versic. vndè succedit illud, Aymo. cons. 115. nu. 8. & cum alijs Farinac. vbi supra, nu. 51. Ostenditur hac ratione, quia in causis criminalibus insurgit magis sinistra & vehemens suspicio contra testem de subornatione aliqua, vel collusione, aut falsitate, ergo, &c.

222 Cæterum, si hæc ratio, & proposita responsio negatiua ita procedit in reliquis aliorum Tribunalium, quanto fortius, & verius procedet in causis criminalibus S. Inquisitionis? nempè, quòd non sit admittenda depositio relatiua, seù quòd testes in repetitione examinis debeant iterum suū dicere testimonium, non ostenso eis per Inquisitorem, vel exhibito priori dicto, maximè vbi testis apparet suspectus. Ita communiter DD. præcipuè Iacob. Sept. in Instit. cathol. cap. 62 in fine, citans Boer. decis. 108. Ioan. à Rojas, Singul. 206. nu. 2 Simanc. in cathol. Instit. tit 44 nu. 13. & in Enchir. Iudi. viol. relig tit. 35. num 10 ac ex magis recentioribus Scaccia de Iudi. cap 86. num. 44. & 55. lib. 1 Castr. Palaus, disp. 8. punct. 15 § 3 num. 5 & Carena dict. §. 5. num. 40.

223 Moderanda tamen pręcedens doctrina pro casu, quando factum esset antiquum, & hinc vel ob senectutem, aut ęgritudinem, aut ob aliam probabilem causam, testis affirmaret, se primę depositionis esse oblitū; nam tunc ipsi petenti, ostendi, vel legi debet dictum primæ depositionis, priusquam proferat secundam; & hoc ei negare esset nimis rigorosum, & contra debitum humanitatis, quam profitentur DD. Inquisitores. Ita citati Auctores pręcipuè Ioan. Rojas, cuius verba ne graueris audire.

224 Quòd, inquit, satis inhumanū, meo iudicio, esse arbitror; si longū tēpus esset elapsū nam primę attestationis testis esset penitus oblitus, cum labilis sit hominum memoria; l. 2. §. si quid autē, Cod. de veter. iure enucleād. cap. porrectę, de confir. vti vel inuti. cap. præterea, 23. distin. Ideo cautus testis sequatur consilium Bart. in dict l eos qui, quod ille dicat, quòd si apparuerit aliter dixisse in alia examinatione quam hic, quòd ex tunc corrigit dictū suū, & illud reducit ad primū dictū, cū illo tēpore melius huius rei erat memor, ne reatu periurij testis inuoluatur, ita ille, hisq; finita Regula manet.

Quid

Quid si testis nolit deponere, aut variet in repetitione examinis? subyciendusne tortura, vt constet, in quo dicto maneat?

REGVLA CCCXXXII.

225 NVllum dubium, casu quo Iudex, vel Inquisitor prudenter non admittat depositionem testis relatiuam, nec acquiescat ei petenti, vt sibi prior depositio legatur, ipseque testis obstinato animo persistat in eo, quod nolit dictum primi examinis denuo proferre, cogendus est per tortu-226 ram id pręstare. Dato autem quod pręstiterit sine ea, sed cum variatione, aut cōtrarietate, pari modo nullum dubiū, quòd potest aliquādo torqueri ab Inquisitore ad videndum in quo dicto perduret, cui standum sit.

227 DE doctrina huius Regulæ, ac vniuersaliter de materia torturæ, deque speciebus, seu gradibus eius, & de reliquis tormentis, quibus quęcunque Tribunalia, pręcipue nostra Sancti Officii, pro inuestiganda delictorum veritate vtūtur, ex professo lib. 4. sequenti per diuersa capita, & multiplices Regulas pertractabimus: sed non potui non attingere obiter duo contenta in pręsenti Regula pro maiori luce rei explicatæ, nimirum depositionis relatiuæ in repetitione examinis; Vnde ea breuissime ostendo, vnica tantum auctoritate pro vnoquoque adducta.

228 Pro primo facit, quod ait Carena dict. tit. 7. §. 5 num 43. sic. In casu autem, in quo Inquisitor prudenter arbitratur non esse locum petitioni testis, quod sibi prior attestatio legatur, & testis obstinatus persistat, quod stat in eius prima depositione, tunc Senatus Sabaudiæ, apud Fabrum lib. 4. Cod. tit. 15. deff. 57. censuit, esse locum torturę, non solum vt veritas habeatur, sed etiam vt sciatur, à quo testis ille fuerit corruptus, ne alioqui impune Iudici illusum videatur. Hęc ille, quæ valde approbo.

229 Dein pro secūdo adest auctoritas eiusdem Carenæ, qui optime ibid. num. 46. aduertit, quod vbi testis in repetitione deponit cōtrarium eius, quod dixerat in primo examine, debeat Inquisitor, recluso eo in custodia, consulere supremum Tribunal S. Officij Vrbis circa ipsius contrarietatem, & punitionem; quod etiam mihi placet.

230 Sed melius resoluit idem Carena distinguendo duos casus; quorum alter exprimitur in cap. accusatus, §. licet de hęret. in 6. nempe quando testis denuo examinatus manifestat in fauorem fidei delictum inquisiti contra eam, quod in primo examine celauerat, & clare apparet, quod talis manifestatio ex conscientiæ remorsu, aut ex zelo eiusdem fidei, & non ex alicuius amore, vel odio procedat; tunc absque dubio non est locus torturę, & standum secūdo dicto, iuxta dispositionem dicti §.

231 Alter casus est, quando testis extra expressum in eo cap. accusatus, deponit in repetitione diuersimode à depositione primi examinis, excusando prorsus inquisitum à crimine contra fidem, quod prius ei tribuerat, vel saltem minuendo ipsum, aut aliter variando: tunc, quod non standum sit secundo dicto, nisi testis subijciatur torturę, & in ea illud confirmet, censet idem Carena cum Sousa lib. 2. Aphor. cap. 10. num. 2.

232 Atque inde ostenditur, quia speciale est id, quod disponitur in dict. cap. accusatus, §. licet, & exceptum in fauorem fidei à cōmuni iure, quo attento in variatione per testes facta, statur primo eorum dicto, & quidem exceptio firmat regulam in contrarium, de reg. iur. ergò extrà casum dict. §. licet, nequaquam standum secundo dicto, nisi hoc à teste in tortura confirmetur.

233 Verum, quod etiam absque vlla tortura possit attendi in repetitione testis, varia, seu contraria deponentis, ad secūdum eius dictum, tametsi hoc ad exculpationem inquisiti tendat, non sine firmo iuris, & rationis fundamento tuetur Farinacc. prax. crimin. quæst. 66 part. 4. num. 161. (quidquid dicant alij in oppositum) & ante eum Simanc. de cathol. Institut. tit 64. num. 60. cuius verba visum est tibi tradere.

234 Neque audiendi, inquit, sunt, qui putant non aliter posteriori testimonio fidem habendam esse, quam cum testis prius testimonium corrigit contra hęreticos in fauorem catholicę fidei. Nam etsi prima frōte Alexandri IV. constitutio (*in dict. cap. accusatus*) id planè dicere videatur, mens tamen legislatoris aliud proculdubio vult. Aequalitas enim seruanda est in iudicijs inter accusatorem, & reum; neque fauorabilior esse debet hęresis retectio, quam innocentis à tam graui crimine liberatio. Quid quod fauorabiliores reis esse debemus, & ad absoluendum, quam ad condemnandū promiores. Ita ille.

235 Quod confirmatur ex iure: l. fauorabiliores, ff. de regul. iur. l. scire oportet, §. aliud, de excusat. tutorum, l. Arrianus, de action. & obligation. & l. absentem, de 236 pœnis. Ratio etiam pro eodem est firmissima, quia Iudex, seu Inquisitor semper attendere debet ad id, quod est magis verisimile; ergo si secunda depositio appareat verisimilior, quam prima ob causam probabilem, quam testis suæ variationis assignat, dicto secundæ, licet hoc sit in fauorē inquisiti, absque vlla testis tortura standum est: atque his paucis satisfactum sit præsenti Instituto.

Post publicatum, & conclusum, est ne adhuc locus examinandi, & repetendi testes, & qualiter ex parte Fisci, vel rei, maxime in Sancto Officio?

REGVLA CCCXXIII.

237 LOquendo regulariter post publicationem attestationum, sicut etiam post conclusum in causa, nequeunt alij testes super eisdem articulis examinari ijdem vel prius examinati, ac repeti, maximè si iam pars didicit testificata, vel si prius renunciauit ius eos examinandi, aut repetédi: quod si nihilominus fiat, nequaquam ipsi probant; quod etiam ex parte procedit 238 in causa appellationis. Secus vero erit, quando testes ante publicationem fuerunt nulliter examinati, aut repetiti; vel vbi ipsa publicatio ex aliquo capite nulla extitit. 239 Atque sic se res habet respectu quarumcumque causarum ciuilium, præsertim ad matrimonia, vel ad personas, quibus conceditur restitutio in integrum, spectantiū. 240 Circa causas item criminales vt plurimū etiam post publicatas attestationes, & post conclusionem in causa, possunt denuo testes ad examen, & ad repetitionem induci 241 tam à reo, quam à Fisco. At in S. Officio quoad causas fidei non ab illo, sed ab isto tantum.

242 DE materia doctrinę in pręsenti Regula contentæ copiosissime tractant Scriptores, pręcipuè Prosp. Farinac. Prax. crimin. par. 2. de testibus longissima quæst. 75. in capita 15. & numeros marginales 471. partita: fere per totam expendit illam circa ea, quę pertinent ad causas ciuiles, & partem solummodo ipsius paruulam insumit circa spectans ad criminales, quæ sunt magis proprię nostri instituti.

243 Quamquam non raro in Tribunalibus S. Inquisitionis tractatio causarum ciuilium etiam occurrit, vt iam supra diximus, propterea visum mihi opportunum pręcipua queque pro re ista examinis, & repetitionis testium post publicationem, & conclusionem in causa, cuiuslibet ipsa sit generis, ex Farinacc. & ex alijs per eum citatis desumpta attingere.

244 Ad impediendum autem, ne lites fierent immortales, aut causę apud quęuis Tribunalia ne in immensum protraherentur, & ad euitandum in eis, quoad posit, quoduis periculum subornationis, adinuęta sunt hęc duo remedia, nempe Publicationis attestationum, & Conclusionis in causa: vtraque enim definitur, seu describitur sic, quod sit terminus exclusiuus vlteriorum quarumcunque attestationum, ac cuiuslibet modi probationum. Tradunt ex communi omnium sententia citat. Farinacc. cap.4. num.69.70. & 257. ac Baptista Fragos. par. 1. lib. 5. disp. 13. §.7. num. 140.

245 Atque tametsi attento exequutionis ordine, quem iugiter obseruare in nostris Regulis tradendis promisimus, de conclusione in causa videbatur agēdum à nobis infra, vbi de præcedentibus immediate prolationem sententiæ difinitiuæ (cum & ipsa tunc præcedat) sermonem habebimus; coniungimus tamen hic cum publicatione attestationum, sicuti coniungit Farinac. dict. quæst 75. post alios, cum sint ferè eiusdem rationis, & ad finem eundem, vt diximus, institutæ.

246 Sumit initium Farinacc præmittendo nonnulla in tribus primis capitibus ad decisionem reliquorum principalium conducentia. Pręmittit, & discutit in primo quinque quæstiunculas veluti proemiales: quę-247 rit primo quid sit publicatio. Et remittit Lectorem ad vidēdas aliquas definitiones, seu descriptiones apud Butrium in cap fraternitatis, num.7. vers publicatio autem, extra de testibus, & apud Cagnol. in lib. 2. num. 82. versic. redeundo ad primum, C. eodem; ac nos similiter remittimus, quia res est exigui momenti, & sufficit nobis descriptio ab effectu, iam supra adducta.

248 Secundò, quærit quotuplex sit, & quot modis sumatur testium publicatio? Respōdet, circa hoc videndum esse Bart. in auth. atqui semel, num. 17 vers. breuiter sciendum, C. de prob. Bald. in l. Gesta, num. 1. & ibi Paul. de Cast num. 1. & seqq. C. de exec. rei iud. ac alios; atque hæc responsio sufficit.

249 Tertiò, Quærit Farinacc. requisita ad formam, substantiam, & valorem publicationis testium, quænam? Pari modo remittit lectorem ad Bart. Bald. & DD in l. Gesta, C. de exec. rei iud. vbi peculiariter deciditur à quo Iudice fieri possit publicatio, & quando in ipsa partis præsentia sit necessaria; & vniuersaliter de requisitis omnibus, & substantialibus ad publicationem legendus est Butr. in cap. fraternitatis, nu. 7. post vers. secundus terminus est: atque hoc in præsenti sufficit.

250 Quartò, Quærit, num publicatio testiū sit de substantia processus, ita vt eius omissio vitiet ipsum, & acta, ac sententiam? Respondet cum multis, quos citat, affirmans, & meritò, quòd nec in ciuilibus, nec 251 in criminalibus id habeat locum. Imò addit cum Rebuf. tractat. de public. attest. num. 1. & seqq præsertim num 4. in Tribunalibus Curiæ Romanæ non solere peti publicationem, nisi in tertia instantia, nè pręcludatur via ad producendos alios testes: hincque vitio prorsus carent sentētiæ præcedentes, & acta, ac processus primæ, & secundæ instantiæ, atque valorem habere supponuntur: ergò non est de substantia eorum, publicatio attestationum.

252 Vltimò quærit Farinacc. num. 10. an testes non publicati probent? Communis reso-

resolutio eius, Bart. Bald Butrig. Fel. & aliorum, quos allegat, est negatiua, quòd non probent, nec quidem semiplenè, vt addit ipse Farinac num. 18. cum Corrad. in practica, num. 5. versic. amplia rursus, & cum

253 alijs. Intelligitur tamen, vt procedat, casu, quo sumus in diuerso Iudicio, ac diuersa instantia, & coram diuerso Iudice, iuxta text. in l. res gesta, C. de re iud. & notant ibi Bald. num. 4. ad med. vers. sed coram alio non valent, Salic. in l. 2. num. 5. C. eodem, & cum multis, quos adducit, Farina. dict. cap. 1. num 12. Qui num. 19. reddit rationem sic: Dicta enim, inquit, testiũ sunt semper publicanda Iudici examinanti, vel examinari mandanti, & propterea coram

254 eo etiam non publicari probant: hoc illo limitans resolutionem traditam. Vide alias limitationes apud ipsum, & qualiter concordet quod paulò ante dictum de stylo Tribunalium Curiæ Romanæ.

255 Præmittit item cap. 2. nu. 29 idem Farinac. & circa articulos, seu interrogatoria, quinque perquirit, nempè quando dicantur noui articuli? secundo quando dicantur antiqui? tertio quando dependentes à primis? quarto, quinam sint directè contrarij? quinto, quinam indirectè contrarij? Pro intelligentia autem vnuscuiusque remittit lectorem ad auctores, qui de istis tractant, Abb. Butrig. Marian. Zabarel. & ad alios per ipsum Farinac. allegatos; atque ista remissio sit tibi satis pro loco præsenti.

256 Dein cap. 2 num. 54. idem Farinac. discutit pro decidendis infra, illud dubium valdè controuersum, quando nam dicatur quis didisse testificata, seu notitiam eorum acquisiuisse, ad effectum vt non valeat postea testes nouos producere? & propositis nouem quæstiunculis iuxta diuersitatem personarum, & modorum, vndè dicta notitia potest acquiri, resolutionẽ dubij partim negatiuã, partim affirmatiuã benè deducit,

257 Pars negatiua est eiusmodi, quòd nõ censeatur quis didicisse testificata ad dictũ effectũ si eorum scientiã habuit, vel ab ipsis testibus, antè, aut post examen, vel à Notario, vel à Iudice, vel à parte opposita, vel alia

258 persona extranea; excepto si à suo Aduocato, vel Procuratore. Hoc vltimum patet ex text. §. quia verò, in vers. si verò, ibi, neque ipse neque aliquis Aduocatorum eius, aut aliquis pro eo agens, & docent ibi Gloss. in verb. agens, quæ extendit etiam ad tutorem, Angel. num. 19. vers. nunc restat, in authen. de testib. & cum alijs Farinac. nu. 49.

259 Qui totũ in hac parte negatiua expressum ex cõmuni DD. tradit, adiungens ampliationes, & limitationes nonnullas: vide apud ipsum.

260 Altera pars resolutionis, affirmatiua sic se habet, quòd in triplici casu dicatur quis didicisse testificata, & inde fiat inhabilis ad producendos alios testes. Primus casus est quando penes Notarium, vel aliam personam non transcursim, aut perfunctoriè, sed plenè, aut perfectè ipsa testificata perlegit. Ita Bellamer. in cap. fraternitatis, num. 23. versic. aut testibus publicatis, & ibi Marian num. 51. versic. modo, extra de testib. Lanfranc. in suo tract. de testibus, ad cap. quoniam contra, in verb. testium depositiones extrà de probat, & Farinac. dict. quæst. 75.

261 cap. 2. num 52. Quidquid dicant alij, qui intelligendi sunt, si lectura fuerit imperfecta, aut non finita, vel legens sit persona rudis, simplex, & inhabilis ad capiendas attestationes, nam tunc nequaquam censebitur habuisse notitiam earum, etiam ex mente auctorum, quos citauimus.

262 Secundus casus, quod dicatur quis didicisse testificata ad effectum, vt non possit producere alios testes quãdo illa subtraxit, vel alias penes ipsum sigillata, nempè ipsa originalia, vel copiæ scriptæ manu Notarij, qui eadem à testib. acceperat, reperiuntur. Text. est in §. quia verò, in verb. si vero deducens, ibi, quòd neque subtraxerit, &c. in authen. de testi. Bart. in authen. at qui semel. num. 19. Alber. num 4. vers. addit Bald. & c. Castr. nu. 5. extenditque ad casum vbi attestationes essent repertę penes Aduocatum, vel procuratorem, C. de probat. & cum varijs ab ipso citatis Farinac. ibid. n. 56. Ratio est, quia eo ipso quod testificata reperiuntur penes partem, præsumitur cer-

263 tò didicisse, & perlegisse ea. Secus autẽ erit, vt ait idem Farinac. num. 57. ex mente aliorum, si ipsa pars, apud quam testificata reperta sunt, probet, se non legisse, nec didicisse, cum probatio ista omnino auferat præsumptionem dictam?

264 Tertius casus est, quando tametsi testes secreto examinari soleant, & tunc partes non possint esse præsentes, culpa tamen, aut dolo examinantis, vel alterius fit, vt vna pars illorum examini præsens ita perfectè, & punctualiter reperiatur, & in tali loco, vt omnia in ipso examine acta, vulgari, & intelligibili voce prolata, benè, & audire, & percipere possit, supposito, quod sit persona non rudis, & simplex, sed docta, & instructa; tunc sine dubio censetur didicisse testificata, & propterea excludendus est à productione aliarum attestationũ. Ita Bar. in authen. atqui semel. num. 19. versic. si viderit legi, & examinari perfectè, & punctualiter, &c. de probat. Gloss. in cap. in primis, in verb. 2. quæst. & Aretin. in cap. series, num. 14. versic. sed istud dictum, extra de probat. quibus adhæret ibid. Farin. num. 62.

265 Prædictis autem omnibus sic præmissis, iam doctrina nostrę Regulæ sigillatim per partes ostendenda. Ac primo, quod post publicationem attestationum, maximè post didicita testificata, sicut etiam post conclusionem in causa, non sit amplius locus examinan-

minandi, & repetendi testes, quod si examinentur nullo modo probant, patet ex iure, & auctoritate DD. Primum, ex text. in §. quia verò in versic. illud tamen, in Authen. de testibus, vbi sic. [Illud tamen in-
266 dubium est, quia si semel producens testes, aut bis, & testificationes tractauerit, aut aduersario hoc faciente, & ipse disputationem acceperit, & ex hoc didicerit testificata, non habebit omnino licentiam vllam vlterius vti testium productione, neque si diuina hæc iussio præceperit: ita ibi, & ex text. in cap. ex tenore, extra de testib. ibi: Cùm attestationes iam essent hinc inde solemniter publicatæ, locus productioni te-
267 stium iam nō erat. Docent hoc, vt certum Angel. in dict. §. quia verò, post num. 16. & num 17. in primo notabil. Butrig. in summar. Authen. Atqui semel. C. de probat. Cyn. ibi num. 1. in 1. notab. & cum pluribus alijs, quos copiose allegat, Farinac. dict. quæst. 75. cap. 4. num 68. Ratio huius doctrinæ iam supra num. 244. à nobis assignata.

268 Extenditur autem, quòd post publicationem non solum nequeant alij noui testes examinari, vt ostendimus, sed nec etiā possint ijdem iam prius ante eam examinati repeti vllo modo ad instantiam partis. text. est manifestus, in cap. per tuas, & ibi Glos. in verb. audiendum, Bald. in summario, Hostien. num. 3. versic. ad instantiam partis, & Ioan. Andr. num. 1. extra de testibus. est etiam text. in l. producit, & ibi Glos. in 3. intellectu, ff. de testibus. Quæ
269 repetitio etiam prohibetur quoad effectū declarandi dubiam testis depositionem. De quo copiosè Aret. in dict. cap. per tuas vbi quod in isto casu testes non possint repeti, nec, vt se corrigant, nec vt addant, nec vt declarent, nec ex interuallo, nec in continenti: & in cap. per tus nu. 6. Abb. nu. 1. vers. ad instantiam autem partis, & Glos. vers. interrogati, extra de testibus.

270 Moderatur tamen respectu Iudicis, qui ex officio etiam post publicationem potest repetere testes ad declarandam eorum depositionem dubiam; quia quoad ipsum iudicem præsumitur cessare omnino subornationis periculum, propter quod dicta testium repetitio post publicationem ad instantiam partis negatur. Cum Glos. in dict. cap. per tuas, verb. audiendum, vers. & Iudex ex officio, & cum alijs affert Farinac. in prax. quæst. 66. par. 8. nu. 264. vide plura apud ipsum.

271 De secundo, quòd post publicationem & conclusum in causa, non sit vltrà locus producendi alios testes, nec prius examinatos repetendi consequenter, constat ex text. in §. quia verò, & ibi Glos. in verb. concluserint, & Ang. num. 19 in 3. notab. C. de prob. item ex text. in cap. cum dilectus, in verb. conclusus, de fide instrum. in cap. Pastoralis, & ibi Innoc. num 1. de caus. posses
272 & propriet. Ita etiam Iason in l. admonendi, num. 52. ff. de iureiuran. Couarru. in pract. cap. 20. num. 8. Menoch. de arbit. iudic. lib. 1. quæst. 35. num. 1. vbi ait concludere in causa esse, ponere finem probationibus; Atque inde conclusio dicitur etiam exclusio, quasi excludat omne, quod produci potest, idque ob rationes dictas, ne lites fiant immortales, & vt excludatur periculum subornationis. Tradunt copiosè ex mente omnium Farinac. dict. quæst. 75. cap. 5. à num. 257. huc priùs se referens, num. 73. & Fragos. vbi suprà.

273 Dixi, *loquendo regulariter*, & non semper, quia traditæ doctrinæ, quòd terminus exclusiuus vlteriorum probationum per publicationem, aut conclusionem in causa constituatur, perplures limitationes communiter DD. assignant; quarum paucas, præsertim quæ à nobis in Regula nostra attinguntur, non erit abs re hic exprimere: vt reliqua perlegas, si libuerit, apud citat. Farinac. & Fragos.

274 Primo locus adhuc est examinandi nouos testes, ac prius iam examinatos repetendi, ac alias probationes producendi, etiā post publicationem attestationum, & post conclusionem in causa, vbi agitur de periculo animarum. Ita Marian. in cap. fraternitatis, num. 190. & hoc propter periculum animarum. Butrig. num. 16. versic potest quandoque, & Felin. num. 10. in fine, extrà de testibus. Barbat. lib. 1. consil. 9. Monticel. in repertor. testium, rubr. test. prod. post conclu. in caus. colum 1. versic 2. & Farinac. de public. delict. quæst. 75 cap. 4. nu. 176. & pe conclu. in caus. cap. 5 num. 274 conuincitur ratione à minori ad maius, quia si sic res procedit in periculo corporis, seu vitæ corporalis, vt infrà videbimus, quantò magis procedet in periculo animę?

275 Dein, publicatio attestationum, aut conclusio in causa, non impedit productionem illorum testium, qui de nouo reperti sunt, vel quos ob ignorantiam pars non potuit producere. Facit pro hoc text. in cap. pastoralis, extrà de exceptio. & docent Bart. in l. mancipiorum nu. 5. ff. de option. lega. Iason in l. admonendi, nnm. 50. ff. de iureiurand. idem Bart. in authen. atqui semel, num 12. C. de probat. traduntque vt certū post alios, Farin. dict. cap. 5. quæst. 75. num. 262. & Fragos. dict. disput. 13. §. 7. num. 152.

276 Possunt item testes examinari, & repeti, aliæque probationes produci post publicationem, aut conclusionem in causa, quando interloquutoriam huius, vel illius Iudex
277 reuocauit. Similiter quando hic ex officio pro informatione id præstat; nempè nouos testes examinat, aut prius examinatos repetit, non obstante publicatione, aut cōclusione; quia istæ ligant manus partibus, sed non Iudici. Docent primum Marian. in cap. fraternitatis, num. 24. vers sed primam opinionem, Corrad in pract. tit. de testib. de recept. post term nu. 37. Menoch. de

de arbitr. quæst. lib. 1. quæst. 35. num. 14. vbi explicat, quando dicatur tacitè facta talis reuocatio. Vtrumque verò cum multis alijs auctoribus Farinacc. cap. 4. num. 246. & cap. 5. num. 267. & 269. atque Fragos. ibid. quidquid circa secundum Surd. consil. 8. num. 12. lib. 1. in contrarium dicat, quem omnes refutant.

278 Dixi, super eisdem articulis: addo nunc, quod neque super nouis, qui sint contrarij articulis partis oppositæ possunt produci testes post publicatum, vel conclusum; benè tamen super nouis non contrarijs, sed dependentibus à primis. Probat hoc vltimum text. in cap. causam quæ, il secondo, de testib. ibi, vt super alijs capitulis, &c. & ibid. tradunt Abb. num. 2. Anch. num. 4. &

279 Butrig. num. 4. Atque cum distinctione prædicta, quam cum Bald. in authen. at qui semel, nu. 2. vers. in tertio casu, C. de prob. affert Farinacc. dict. quæst. 75. cap. 4. num. 82. concordãtur plerique graues Doctores, quorum alij facta iam publicatione, vel conclusione in causa, posse produci denuò testes super nouis articulis negant, alij verò affirmant, sicuti ipse Farinacc. ibi, & cap. 5. num. 261. affirmat, super articulis scilicet nouis dependentibus à primis: vide plura apud ipsum Farinacc.

280 Præterea dixi, maximè si iam pars didicit testificata: supponenda duo omninò certa ex Iure, & ex communi Doctorum. Primum, quod non possint testes examinari, aut repeti post didicita testificata, siuè illa quis didicerit per se ipsum, siuè per aliã personam, vt per aduocatum, vel procuratorem, iuxtà tradita à Nobis suprà. Patet ex text. in §. quia verò, vers. si verò, *ibi*, aut omninò pro eo agens, in Authen. de

281 testibus. Item ex text. in authen. at qui semel, ibi, vel alius pro eo agẽs, & ibi Glos. in vers. acceperit, C. de prob. ex text. etiã, in cap. vltra tertiam ibi, neque per alium, extrà de testibus. Tradit cum Butrig. Capeg. Marian. & alijs per ipsum relatis Farinacc. dict. quæst. 75. cap. 4. num. 86.

282 Alterum supponendum est, quod post didicita testificata nequeant examinari, aut repeti denuò testes, etiam si facta non sit eorum publicatio iuridica; quod si examinentur, nequaquam probant. Pro hoc adsunt clari textus, in dict. authen. at qui semel, C. de prob. vbi ad impediendum dict. examen, & repetitionem fit consideratio de testificatis didicitis, & nullum verbum de publicatione, quod ibi benè notauit Glos. in verb. productio, lit. G. in cap. etiam, ex tenore, in verbo admittendos, versic. & ita

283 est argumentum, extrà de testibus. Atque afferunt in cap. fraternitatis Bellamer. num. 23. versic. & idem hoc casu, Felin. num. 7. Marian. num. 46. & num. 61. versic. & in Summa, Paris. num. 66. vers. quid autem si sunt didicita testificata, extrà eodem.

284 Vndè si per hoc solum, quod pars didicerit testificata, excluditur omninò à productione nouorum testium, quantò magis, si vtrunque simul coniungatur, & quod eorum notitiam acquisierit, & quod publicatio ipsorum à Iudice facta fuerit? Ideò dixi in Regula, maximè si iam pars didicit testificata. De hac vtriusque coniunctione ostendimus iam suprà, ex text. in §. quia verò, vers. illud tamen, &c. Farinacc. dict. quæst. 75. cap. 4. num. 68. & cum alijs multis ab ipso citatis.

285 Prædictis suppositis prorsus certis, est valde controuersum, num sola attestationũ publicatio, etiamsi non fuerint didicita testificata, sufficiat ad denegãdam parti productionẽ aliorum testium? Diuisi sunt DD. in duas sentẽtias oppositas; complures eorum, vt Bald. in dict. authen. at qui semel, num. 5. vers. sed hic est dubitandum, ibi etiam Salic. num. 9. & Ioan. Sicaor. num. 8. C. de prob. Ioan. Andr. in cap. fraternitatis, num. 25. vers. idem si pars testificata, licet publicata, non didicit, & ibi Bellamer. num. 19. & num. 23. ac alij absolute partem negantem amplectuntur.

286 Per multi è contrà, vt Bart. in ead. authen. at qui semel, num. 17. versic. & illa publicatio, & ibi Paul. de Castro, num. 3. versic. nam tunc etiam, C de prob. Anton. de Butr. in cap. fraternitatis, num. 7. vers. secundus, Imol. num. 5. versic. si autem sit facta publicatio, idem Imol. in Clemen. 2. num. 2. versic. & nota, ibique Zabarel. n. 2. versic. secundò oppono, de testib. Hostien. in cap. cum venisset, num. 1. verb. nullius, eod. tit. de testib. Ferrer. consil. 135. Petrus Surd. consil. 8. num. 20. & alij affirmantem omninò tuentur.

287 Resoluenda tamen cõtrouersia ista sub distinctione, quod secũdum Auctores primæ sententiæ negantis, nequaquam sola publicatio attestationum impediat productionem nouorum testium, si certum sit à parte non fuisse acquisitam eorum notitiã. Ita præter citatos supra pro illa sententia, Abb. in cap. fraternitatis, num. 5. vers. ego verò; Marian. ibi, num. 44. vers. sed his non obstantibus, & Farinacc. dict. quæstion. 75.

288 cap. 8. num 328. Qui num. 329. cum eod. Marian. num. 47. docet varijs modis posse esse certum, & probatum, quod pars non didicerit testificata.

Primò, Si adhuc reperiantur sigillata etiam penes partem.

Secundò, Si publicatio facta sit solo verbo, nec data est commoditas partibus perscrutandi attestationes.

Tertiò, Si pars fuit absens.

Quartò, Si testificata semper fuerunt penes partem aduersam.

Quintò, Si probetur, quod Notarius post decretum publicationis, in cõtinenti se absentauit.

289 At si non sit certum, testificata non fuisse didicita, sed extet dubium, & pars nõ possit hoc euacuare allegando, & probando suam ignorantiam, tunc sola publicatio atte-

attestationum excludit partem ab aliorum
290 testium productione. Nam in dubio prę-
sumuntur testificata didicita, ergo,&c. Vnde DD. partis affirmantis, de hoc casu sunt intelligendi, & præter eos, tenent Aret. in cap. fraternitatis, num. 33. extra de testibus, Rip. in l. is, apud quem, num. 42. vers. ego credo, C. de eden. & cum alijs Farinac. ibid. num. 330.

291 Item dixi, vel si renunciauit iuri eos examinandi, patet ex text. in cap. intimauit, extrà de testibus ibi, nec est abrenunciatũ, sumpto argumento à contrario sensu. Docentque communiter omnes, quod renunciatio sit terminus exclusiuus productionis
292 testium. Imò non pauci tenent hoc procedere, etiamsi non fuerit facta attestationum iuridica publicatio, vel conclusio in causa, quod ex vi solius renunciationis arceantur partes à nouorum testium produ-
293 ctione. Cuius oppositum defendunt probabiliter alij, nequaquam scilicet impediri partes per talem renunciationem à nouis testibus examinandis, & repetendis, nisi accedat simul publicatio attestationum, vel conclusio in causa. Vtramque sententiam refert Farinac. dict. quæst. 75. cap. 6. num. 275. & 276. Allegans pro prima Anchar. Butrig. Hostien. Imol. Ioann. Andr. & plures; pro secunda Gloss. in §. quia verò, extrà de testibus, Ang. ibi, Castr. Salic. & alios.

294 Nihilominus proposita triplici numero præcedenti doctrina diuersimodè limitatur. Primò, quòd procedat quoad articulos iam propositos; secus verò quoad articulos denuo proponendos; nam renunciatio testium in certis capitulis facta nõ prę-iudicat volenti producere testes in alijs, aut nouis capitulis. Constat ex text. in cap. causam, quæ, il secondo, & ibi Ioann. Andr. in summario, Anchar nu. 1. & nu. 4. Zabarel. in princip. extrà, de testibus; similiter ex text. in cap. cum venisset, versic. si quæ vero, & ibi Hostien. in verb. causam, Aret. in summario, num. 6. extra eodem, & cum alijs Farinacc. ibid. num. 288.

295 Dein limitatur in casu, quo non vtraq; pars renunciauit; nam renunciatio vnius partis haud præiudicat alteri non renuncianti, & producere nouos testes volenti. Ita Bart. in authen. at qui semel, num. 15. C. de probat. ostendens per text. in authen. iubemus, C. de iudicijs, Ang. in §. quia vero, num. 25. in authen. de testibus, Bellamer. in cap. cum venisset, num 10. vers. & nota, extra de testibus, & cum alijs Farin. ibid. num. 292.

296 Rursus idem Farinacc. num. 298. limitat sic: Quia, inquit, renunciatio nocet quoad testes, qui poterant produci tempore renunciationis; secus quoad illos, qui produci non poterant propter ignorantiã; quia tunc talis renunciatio non est impedimento, quin de nouo producantur, adhibito Iuramento, de quo in authen. at qui semel, C. de probat. Bart. in dict. authen. at
297 qui semel, num. 12. & 13. Vbi reddit rationem, quia scilicet renunciatio non trahitur ad ignota, l. mater, ff. de inoff. testam. l. legitimam, ff. de petit. hæred. Paul. de Castr. in dict. authen. at qui semel, num. 3. ad medium, vers. doctores autem limitant, & ibi etiam Ioann. Sicar. num. 6. & 7. C. de probat. Hæc ille, cui merito adhærendum; relinquo plura circa alias limitationes apud ipsum à lectore videnda.

298 Exprimendũ autem peculiariter, quòd post publicationem attestationum factam nequeant examinari testes in causa appellationis, & si examinentur non probent. Adest text. ad literam in Clem. 2. de testibus, & ibi tradunt Gloss. verb. in appellationis causa, & verb. cum non minus, Imol. num. 1. in primo notab. & Zabarel. num. 14. vers. secundo casu; adest etiam text. in cap. fraternitatis, extrà de testibus, & ibi Gloss. in figuratione casus, vers. nota, quod, Ang. in §. quia vero, num. 19. vers. quod intelli-
299 ge, in authen. de testibus. Quo cum post alios docet Farinacc. cap. 7. dict. quæst. 75. num. 305 habere id pręcipuè locum, quando fuit appellatum ab interloquutoria; nã tunc indistinctè, & tàm de Iure Canonico, quàm Ciuili, facta publicatione, non possunt testes examinari, aut ijdem repeti: reliqua huc spectantia videas apud ipsum.

300 Verùm, casu, quo testes fuerunt nulliter, aut non ritè examinati, ex defectu Iurisdictionis in examinante, vel ex defectu citationis, vel ex alio capite, possunt sine dubio post publicationem, aut conclusum in causa, alij testes examinari, & multo magis primi post examen taliter nullum repeti. Facit pro tota hac doctrina text. in Clem. 2. in verb. ritè, (sumpto ibi argumẽto à contrario sensu) de testibus, vbi eam hoc textu ostendunt Gloss. in verb. ritè, Imol. num. 1. versic. à contrario, ergo si: Anchar. num. 11 vers. quarto quæro, Bald. in cap. fraternitatis, num 10. versic. item cum; Maria. ibi, num 30. & 31. extrà de testibus, & cum multis ab ipso citatis, Prosper. Farinacc. cap. 10. dict. quæst. 75. a num. 358.

301 Quamquam idem Farinacc. num. 364. cum Parsio in cap. fraternitatis, post nu. 48. extrà de testib. cum Zabarel. in dict. Clem. 2. num. 2. vers. & secundum hæc, & cum Francis. Personal. quæst. 11. num. 25. vers. quæ omnia, benè notat, quod prædicta numer. præcedenti non habeant locũ, quando post publicationem attestationum, vel conclusionem in causa, pars iam testificata didicit, testium nulliter examinatorum ob periculum subornationis; ergò meritò à nouo examine valdè excluduntur.

302 Addit item ipse Farinacc. num. 366. in hunc modum. Quæro, inquit, pro complemento huius capitis, quando testis dicatur non ritè receptus? Vide Bonifac. in Clem. 2. de testibus num. 13. & seqq. vsque ad

ad num. 105. vbi quod testes dicuntur non ritè recepti quatuor modis,

Primò, Facto producentis.

Secundò, Facto Iudicis recipientis,

Tertiò, Facto testis iurantis.

Quartò, Facto partis aduersæ, contra quam producuntur: & ibi latissimè declarat quomodo in singulo istorum modo testes 303 dicantur nulliter recepti. Ad quod vide etiam Imol. in dict. Clem. 2. num. 4. & ibi etiam Cardinal. Zabarel. num. 4. vers. secũdo quęro, Marian. in cap. fraternitatis, nu. 31. extrà de testib. Ioann. Sicar. in authen. at qui semel, num. 15. versic. tunc autem dicuntur non ritè recepti, C. de probationibus. Hęc ille.

304 Sequitur in Regula nostra, Vel vbi ipsa publicatio ex aliquo capite nulla extitit: nam testes alij possunt examinari, vel ijdem repeti post publicatas attestationes, vbi constiterit de nullitatè publicationis. Patet ex text. in cap. ex tenore, ad fin. ibi, solemniter publicatæ, sumpto argumento à contrario sensu; & ibi Imol. num. 3. versic. vltimò, nota, extrà de testib. Bald. in l. per hanc, num. 25. versic. item dicas, quod si publicatio fuerit nulliter facta, C. de temp. appell. Ioann. Andr. in cap. fraternitatis, num. 25. vers. dem, si inscia, vel inuita parte, vel indiscrete facta sit, ibi Abb. num. 4. in 11. fallen. Marian. num. 24. vers. & hanc sententiam, quod publicatio indiscrete facta non noceat, extrà de testibus, & cum pluribus ab ipso adductis Farinacc. dict. qu. 75. cap. 12. num. 375.

305 Pari tamen modo, postquam pars didicit testificata, neutiquam potest amplius alios testes producere, nec prius examinatos repetere, etiam quod publicatio attestationum fuerit nulliter facta, nempe quia ipsa parte inuita, vel ex alio capite, ob dictum periculum subornationis. Ita cum Imol. in cap. intimauit, vers. alias non didicit testificata, extra de testibus, cum Aret. Marian. & alijs per ipsum allegatis, idemmet Farinacc. num. 380.

306 Quid iam in causis matrimonialibus? Certa, & communis est omnium doctrina, quod tum post publicationem attestationũ tum post conclusionem in causa, semper fit locus in eis producendi nouos testes, & iã prius productos denuo examinandi. Patet ex text. in cap. series, & ibi Gloss. in figuratione casus. vers. nota, quod testibus publicatis, Bellamer. in princip. vers. vel aliter in causa matrimoniali, Imol. in Summario, num. 3. vers. item nota, quod in causa matrimoniali, Felin. num. 5. extrà de testibus, & post plures alios Farinacc. cap. 13. dict. quæst. 75. num. 383.

307 Habent autem præcipue locum dicta, quando agitur contra matrimonium, seu de vinculo eius infringendo; quia tunc requiruntur probationes liquidissimæ, & concludentes, propterea sententia contra matrimonium non transit in rem iudicatam, cap. tenor, & cap. consanguinei, de re iudicata; ideò etiam, sicut in causa criminali non admittitur iuramẽtum suppletorium in defectum semiplenæ probationis, l. maritus, ff. de quęst. ita pariter, in matrimoniali, ostenditur ex traditis à Fragos. par. 1. lib. 5. disp. 13. §. 7. num. 149. cum Gabriele, tit. de testibus lib. 1. concl. 21. num. 7. Alex. in l. 3. nu. 1. ff. iureiurando, ac in consil. 143. vol. 2. & cum alijs.

308 Eodem tandem modo resoluendum, quod post publicationem attestationum, vel conclusionem in causa, concedatur facultas examinandi nouos testes, & prius examinatos repetendi in causis personarũ, quibus conceditur restitutio in integrum, secundum omnium mentem. Quænam autem sint personæ gaudentes hoc priuilegio restitutionis, & consequenter illo examinandi, & repetendi testes, etiam post publicationem, & conclusum, discutit Farinacc. toto cap. 15. dict. quæst. 75. à nu. 431. propositis 6. quæstiunculis, quas doctrinæ gratia compendiosissimè percurremus.

309 Quæritur primo de minore. Et resoluitur affirmatiuè, quòd minor restitui possit ad examinandos, & repetendos testes post publicationem, aut conclusionem in causa. Ita Ioann. Andr. in cap. fraternitatis, num. 25. vers. item cum restituitur minor, Abb. num. 4. in 8. fallen. Imol. num. 7. versic. item quando Ecclesia, vel minor, ex- 310 tra de testibus. Vbi Marian. num. 129. Bald. in l. per hanc, num. 28. C. de temp. appell. & alij, præsertim ex recentioribus, Farinacc. ibid. num. 447 & Fragos. dict. §. 7. num. 153. meritò extendunt ad maiorẽ habentem causam communem cum minore contra alium, vbi negotium est conne- 311 xum. Secus autem erit respectu vtriusq; si constet de dolo, vel subornatione. Ita idem Farinacc. ibid. num 449. cum Butrig. per ipsum citato: vide apud illum alias limitationes.

312 Secundò quæritur absolutè de solo maiore: resoluit urq; etiam affirmanter, quòd scilicet sit concedenda maiori restitutio ad examinandos, & repetendos testes post publicatum, vel conclusum, ex generali clausula, *si qua mihi iusta causa, &c.* Ita post multos, quos citat, Farinacc. dict. cap. 15. 313 à num. 431. & Fragos. loco citato. Variæ autem ab ipso Farinacc. à num. 433 vsque ad 442. & ab alijs assignantur causæ talis concessionis, quarum aliqua per clausulam generalem indicari potest.

Prima, ex capite impedimẽti, vt si testes, qui post publicationem producuntur, erãt ante eam in captiuitate.

Secunda, ex capite ignorantiæ, vt dictum suprà.

Tertia, ex eo, quod nihil possit imputari parti producenti nouos testes.

Quarta, insurgit ab æquitate hoc suadente.

Quinta, ex eo, quod sententia non fuerit

iustè

iuste lata, vt si ex testibus falsis à parte aduersa productis, ideò pars altera restituitur, vt etiam post publicatum, vel conclusum possit alios examinare contra illos. Vide Farinacium vbi suprà.

314 Tertiò quæritur de homine rustico. Resolutio sit negatiua, quam tradunt Bart. in l. 1. §. nunciatio, ff. de noui operis nunciatione, Marian. in cap. fraternitatis, num. 124. Aret. ibid. num. 4. versic. & aduerte, Felin. num. 6. ad finem, vers. item secundo circa notã. extrà de testibus, & cum alijs 315 Farinacc. ibid. num. 460. Secus autem erit secundùm citatum Felin. versic. & hoc intellige, post Bald. & Salic. quos ipse allegat, si probetur rusticum non potuisse consulere peritiores, nam tunc conceditur ei restitutio ad examinandos, & repetendos testes post publicatum, aut consultum. Ita etiam cum prædictis Farinac. num. 463.

316 Dein quartò quæritur, an restituatur Ecclesia ad effectum producendi testes etiã iam facta publicatione, vel conclusione in causa? Resoluitur affirmanter. Probatur indè, quia negligentia prælati non debet nocere Ecclesię, & quia non est præsumendũ de personis Ecclesiasticis, quòd calumniare velint. Ita Ioann. Andr. in cap. cum venisset, num. 11 & ibi Butrig. num. 8 in fine, extra de testibus, & cum multis Farinacc. 317 dict. cap. 15. num 465. Qui num. 469. post Cephal. consil. 7. lib. 1. benè limitat, dicens, quòd Ecclesia non restituatur in integrum contra aliam Ecclesiam, præsertim quando petens restitutionem tractat de lucro captando, alia verò de damno vitando. Ita ille totidem ferè verbis.

318 Tandem quæritur de Republica. Est communis resolutio affirmans, quam tradunt Paris. in cap. fraternitatis, num. 43. vbi in hoc æquiparat Rempub. cum minore, & cum Ecclesia, extrà de testibus. Gabri. tit. de testibus conclus. 21. num. 47. Sfort. Odd. de restitut. in integr. par. 2. quæst. 65. art. 319 11. num. 58. & 59. Vbi ait idem esse in Castris, & Vniuersitatibus, ac in Fisco, quod his omnibus, sicut & illi, sit concedenda talis restitutio ad examinandos, & repetendos testes post publicationem attestationũ vel conclusionem in causa, &c.

320 Restat vltimo loco agendum peculiariter de causis criminalib. quæ magis sunt propriæ nostri instituti. In istis similiter post publicationem attestationum, aut cõclusionem in causa, adhuc semper est locus nouos testes examinandi, & prius exami-321 natos repetendi. Maximè quando Iudex procedit ex officio, & per inquisitionem, sine accusatore: nam tunc communiter receptum est, etiam ad offensam posse huiusmodi examen, & repetitionem fieri. Ita Bart. in authen. Atqui semel, nu. 32. & 33. Paris. ibi, in prima additione, lit. C. versic. item adde, Alberic. post num 7. versic. Idẽ est, cum Iudex, Salic. num. 5. vers. item fallit, C. de probat. Abb. in cap. fraternitatis, num. 4 in 15. fallen. Marian. ibid. nu. 178. extrà de testibus, & cum multis alijs, quos copiose adducit, Farinacc. dict. quæst. 75. cap. 14. num. 407. & 412. quibus adde Fragos. dict. §. 7. num. 146.

322 Post publicatum item, aut conclusum in criminalibus, possunt testes examinari, & repeti, non solum quando Iudex ex se, & ex officio, vt dictum, procedit, sed etiam quando id præstat, & inquirit ad instantiam fiscalis non habentis ius aut interesse in ipsa inquisitione, vti pars habet, sed procurantis via iuridica offensam, seu punitionem reorum. Ita Innocen. in cap. cum clamor, num. 1. versic. sed fortè oppones, Hostien. ibi, num. 5. vers. quid ergo, si quis, Ioann. Andr. num. 3. per totum, Felin. num. 4. extrà de testibus, & cum pluribus per ipsum allegatis Farinacc. ibidem, num. 413.

323 Non impedit etiam publicatio, vel cõclusio in causa, quin possit Iudex post eam testes ex officio examinare, & repetere ad offensam, & punitionem rei, non solum in processu inquisitionis, sed in processu etiam accusationis, si ipse Iudex sit certus nullam adesse subornationem, & concurrat etiam aliqua iusta, & vrgens causa dictæ exami-324 nationis, ac repetitionis. Cum hac duplici conditione ex mente Clar. in pract. §. fin. quæst. 61. versic. sed hęc quidem, admittit propositam doctrinam Farinac. dict. cap. 14. nu. 418. per easque concordat Doctores multos inter se dissidentes, vt refert Hostien. in dict. cap. cum clamor, num. 9. extrà de testibus.

325 A fortiori autẽ deducitur clarè ex prædictis, quòd multò magis in criminalibus post publicationem, aut conclusionem in causa per Iudicem ex se præcise, seu ex officio procedentem, possint examinari, & repeti testes ad defensionem reorum. Ita Marian. in cap. fraternitatis, nu. 166. vers. & aduerte, & ibi etiam Aret. nu. 36. & 37. extra de testibus. Anchar. in cap. cum clamor, num. 4. & ibi Anan. num. 4. extra eodem, & post plures alios Farinac. vbi suprà, 326 num. 419. Qui ex Iul. Clar. in pract. §. fin. quæst. 62. versic. sed hæc quidem, sic ibi ait, quod Iudex teneatur, ne dum possit ex officio, licet sint publicatæ attestationes, ad defensam examinare, & multo magis, quãdo proceditur contra absentem, & quod hoc est indubitatum. Ita ille; ratio efficax à fortiori est, quia si hoc procedit quoad offensam, quanto fortius procedet, quoad defensam?

327 Sed dubium non leue est inter Scriptores, an, si Iudex procedat non ex officio, sed ad instantiam partis, possit post publicatũ, aut conclusum, testes denuò examinare, vel iam prius examinatos repetere, id parte ipsa petente ad defensam? Multi ex illis absolute affirmant, vt Aret. in cap. fraternitatis, num 36. Paris. ibi, num. 46. vers. nisi ad defensam, extra de testib. Felin in cap. cum clamor, num. 5. vers. & scias, quod eo casu, extra eodem, Salic. in l. fin. num. 15. versic. ad defensam vero, C. de quæst. Marsil. in l.

pri-

prima, §. si quis vero, num. 7, versic. secus autem ad defensam, ff. eodem,

328 E contra idem prorsus negant non pauci, vt ipsemet Aret. sibi contrarius, in cap. cum clamor, nu. 3. potest med. vers. & quia ibi dixi, extra de testibus. Bost. in tit. de publicat process. num. 3. Clar. in pract. §. fin. quæst. 61, versic. sed quæro; quibus consulendo adhærent Natta consil. 359. num. 4. & 5. qui ait de communi, & aliquando requisitus cum fuisset, noluit pro reo scribere, Vulpell. consil. 136. num. 25. versic. breuibus, &c. Claud. ad Bertaz. consil. 529. versic. quæ tamen conclusio.

329 Ambæ vtrorumque sententiæ videntur probabiles, atque eas in concordiam reducere conatur Farinac. dict. cap. 14. num. 422. cum Petr. Surd. in consil. 118. num. 7. & seqq. lib. 1. & Anton. Thesaur. decis. Pedem 262. num. 3. & 4. asserens, quòd habeat locum prima sententia affirmatiua, quando agitur de puniendo reo pœna corporali; secunda, verò negatiua, quandò infligenda esset ei pœna pecuniaria.

330 Verũ, ad offensam, nullo modo post publicationem attestationum, aut conclusum in causa, possunt examinari, & repeti testes à Iudice procedente non ex officio, sed ad instantiam partis, siuè ista per se immediatè instet, siuè mediatè per procuratorẽ, aut promotorẽ, vel instigatorẽ inquisitionis siuè aliter dictũ, nõ à Iudice, sed ab ipsa par-

331 te assignatum. Tradunt omnes, vt certum præcipue Bald. in cap. fraternitatis, nu. 10. versic. item in causa inquisitionis, Aret ibi num. 37. & 38. Paris. num. 46. vers. quandò verò, extra de testibus, Hostien. in cap. cum clamor, versic. vbi vero reo aliquis, Ioan. Andr. ibi, num. 3. in secundo casu, Butrig. num. 4. versic si autem datus est à socijs, extra eodem, & cum reliquis, quos citat, Farinac. dict. quæst. 75. cap. 14. num. 424. & 426. qui benè moderatur per sequentia verba, num. 425.

332 Sublimita, inquit, prædictam limitationem (positam scilicet præcedenti nu. 424.) procedere quando testes reciperentur super eisdem indicijs, & capitulis; secus, si super diuersis, & nouis indicijs, & capitulis, quia tunc post publicationem possunt testes examinari, siue ad defensam, siue ad offensam, etiam ad instantiam partis; sed multo magis ad defensam; secundum Salic. in l. fin. num. 14. & 15. C. de quæst. quem sequitur Angel. de maleficijs, in verb. comparuerunt dicti inquisiti, num. 19. versic. quod tamen intelligas, Hæc ille, & plura alia, quæ videas apud ipsum;

333 Postremo, quid apud Tribunalia S. Officij circa causas fidei? Resolutio in Regula à Nobis tradita partim affirmatiua, partim negatiua, communis est omnium, quos citat, & sequitur Farinacc. de hæres. quæst. 188. §. 1. num. 5. cuius hæc sunt verba.

334 Amplia secundo, & principaliter propositam regulam, vt in crimine hæresis testes examinentur, etiam post eorum publicationem, & didicita testificata, secundum Ioann. Andr. in cap. vt officium, post nua vers. possunt etiam alij recipi, & ibi Gemin. in §. verum, num. 7. vers. sed publicatis attestationibus de hæret. in 6. Ioann. Andr. in cap. Per hoc, sub num. 2. in verb. veritas, eod. tit. de hæret. in 6. & ibi etiam Gemin. in § verum, num. 5. summa Syluest. in verb. Hæreticus, §. 2. num. 7. in fine, vers. septimum, post publicationem, Ioann. à Rojas, cum allegatis per eum, singul. 22. & singul. 262. Simanc. Cathol. instit. tit. 64. rubr. de testibus, num. 52. & seq. Squillac. in tract. de Fide Cathol. cap. 36. num. 1. vers. Quinimò post publicatas attestationes, Pract. Conrad. rubr. de hæret. nu. 11. in princip. Francis. Pegna, in addit. ad Eymer. in Direct. Inquis. part. 3. quæst. 62. com. 111, vers. Iam quod de examinandis, fol. mihi, 650 col. 1 Decia. in tract. crimin. lib. 5. cap. 20. nu. 25. Mascard. de probat. lib. 2. concl. 857. n. 37 vbi de communi, & dixi iterum hac de re supra in tract. de testib. quæst. 75. nu. 409. & seq. Ita ille; sed audi ipsum dict. nu. seq. circa partem negatiuam.

335 Limita, inquit, hanc ampliationẽ, quia in causa hæresis, & ad defensam, non possunt testes post publicationem examinari ad instantiam partis, secundum Archid. & Ioan. Andr. in cap. per hoc, de hæret. in 6. Hæc ille cum Aret. quem citat, quibus adde Carenam par. 3. tit. 7. § 9. num. 64. Atque his, & Regulam, & caput, immò & librum tertium absoluimus.

---

336 EN tandem ad optatum valde Libri tertij Nostri Operis de Materijs Tribunalium Fidei, &c. complementum, Diuino fauente Numine, peruenimus: en post non exiguum exantlatum laborem in hauriendis cuiusque sæculi Hæresiarchis, & Hæresibus, ex multiplicibus hac de re Sanctorum Patrum, vt Epiphanij, Augustini, ac Damasceni tractatibus; ex ingentibus annalium Ecclesiasticorum, vt Cardinalis Baronij, & Abrahami Bzouij, voluminibus; ex varijs item Elenchis alphabeticis, vt Gabrielis Prateoli, & Alfonsi de Castro, atque ex diuersis chronologijs, vt Genebrardij, & Gualteri, feliciter metã attigimus: an cũ sequuto fine intẽto, formandi scilicet quẽlibet Ministrũ Tribunaliũ Fidei, præcipue Consultorem, circa intentionem, seu circa inuestigandos mentis errores in quolibet inquisito, & circa annexa antecedenter, & consequenter; aliorum, & non nostrum esto iudicium. Dimidiam itaque Operis Nostri partem, tribus libris elaboratis, benigne Lector, absolutam vides; est cur Deo Opt. Max vnà mecum gratias agas, auxiliumque ab ipso pro elaborandis alijs tribus, vita superstite, si ei placuerit, assidue deprecemur.

Finis, die 15. Ianuar. 1645.

Laus Deo Optimo Maximo, Sanctissimæque Virgini Deiparæ Mariæ.

INDEX
CVIVSQVE TITVLI
CAPITVM

Et Regularum Libri Quarti de Materijs Tribunalium Fidei, seù de Regulis multiplicibus pro formando quouis eorum Ministro, præsertim Consultore, quoad Quæstionem, seu Torturam, pro eruenda veritate circa facta negata, & circa intentionem, siue errorem mentis fidei Catholicæ oppositum. Vbi agitur de annexis ipsi Torturæ antecedenter, vt de accusatione facienda per Fiscalem; de defensionibus, & exceptionibus, &c. vel consequenter, vt de appellatione à decreto torturæ insligendæ; de ratificatione post eam inflictam, & de alijs vsque ad completam formationem processuum in causis Sancti Officij.

CAPVT V.

De committentibus delicta contra fidem catholicam circa particulares materias apud Tribunal Sanctisimæ Inquisitionis, si adsint sufficientia indicia, torquendis?

CAPVT VI.

De habentibus potestatem ad infligendam reis torturam, maximè apud Tribunal S. Inquisition. De personis itẽ, quibus infligitur; ac de ijs, quibus ipsa ex aliquo capite infligi nequit

CAPVT VII.

De aduertendis, & seruandis à Iudice, vel Inquisitore antè torturam, & dum ea infligitur, ac post ipsam inflictam; deq. eiusdem reiteratione.

CAPVT VIII.

De appellationibus à quacunq. sententia: de causis item appellandi, aut secùs reijciendi appellationem, ac de reliquis hùc spectantibus maximè quoad Tribunalia S. Officij.

LIBER QVARTVS DE MATERIIS TRIBVNALIVM FIDEI

SEV DE REGVLIS MVLTIPLICIBVS PRO FORMANDO

Quouis eorum Ministro, præsertim Consultore, quoad quæstionem, seù torturam pro eruenda veritate circa facta negata, & circa intentionem, siue errorem mentis fidei catholicæ oppositum. Vbi agitur de annexis ipsi torturæ antecedenter, vt de accusatione reorum facienda per Fiscalem, de defensionibus, & exceptionibus, &c. Vel consequenter, vt de appellatione à decreto torturæ infligendæ, de ratificatione post eam inflictam, & de alijs vsque ad completam formationem processuum in causis S. Officij.

PROOEMIVM.



IAM congruè aperit huic 4. libro, & pro aditu Procemij eius opportunè occurrit resolutio illius admodum lepidæ ac perpulchræ quæstionis, seù ingeniosissimæ controuersiæ tres inter Regis Darij seruos cubicularios, corporis Regij custodes aliquandò exortæ, cum ipse dormitum abijsset; nimirum: Quænam ex rebus omnibus, ac personis quibusuis iudicanda potentior, & fortior? vt habetur copiosè lib. 3. Esd. cap. 3. & 4. atq. iuxta condictum fuerunt sententiæ singulorum scriptæ, obsignatę, & subtus ceruical Regis dormientis appositæ, vt ei excitato è somno coràm Magistratibus, & doctissimis Persarum, & Medorum legerentur, & ille, cuius sententia, præstantior iudicata fuisset, magnis honoribus, & muneribus ab ipso Rege afficeretur. Itaque, vnus scripsit: Forte est vinum. Alius scripsit: Fortior est Rex. Tertius (huius nomen Zorobale) scripsit: Fortiores sunt mulieres; super omnia autem vincit Veritas.] ita in sacro Textu, vbi adiunguntur rationes efficaces pro vnoquoque scripto, sed efficaciores pro tertio, maximè pro parte addita vltimo loco, in cuius fauorem à Rege Dario, & à reliquis ad iudicatum est: Super omnia autem, inquit, vincit veritas, atque auditis rationibus pro ista adductis, omnium conclusio tandem, & conclamatio ita fuit: Magna est Veritas, & præualet.] quippè originem ducens ab æterna illa, & increata Veritate, Deo Opt. Max. eiq. semper innixa manens, ac de ipsius esse participans. Vndè ex omni debito æquitatis, & iustitiæ complectenda à cunctis mortalibus, præcipuè à Ministris publicis Ciuitatum, ac locorum in tractandis, & expediendis causis cuiusuis generis. At si veritas eis non innotescat, adhibenda per ipsos opportuna Iuris, & facti remedia ad eam inuestigandam: vtendum frequentibus, & peracutis reorum examinibus in causis criminalibus pro eiusdem inuestigatione: perpendenda responsa ab eis data, cum dictis Testium, seù deponentium contra ipsos facta collatione: si adhuc tamen veritas, quæ à Iudice inquiritur, haberi non pòtest, deueniendum tandem ei pro ipsa eruenda ad vltimum Iuris remedium vocari solitum à Doctoribus, examen rigorosum, ad quæstionem scilicet, seù torturam infligendam, seruatis seruandis, ac præcedentibus legitimis indicijs, vt in sequentibus ostendemus. Quòd si in reliquis Tribunalibus ita procedendum, & est locus torturæ pro indaganda cuiuslibet delicti commissi veritate, quando reus de commissione eius per testes, vel aliter non conuincitur (imo licet conuincatur, vbi nequit vltimo supplicio puniri, nisi per propriam delinquentis confessionem de delicto innotescat, vt in Tribunalibus Siculis, & his Melitensibus, iuxta leges illius Regni, quas hæc Insula in multis sequitur) quantò magis erit locus in nostris S. Inquisitionis, cum ista Sacra

Tribunalia procedant contra crimen hæresis, vel apostasiæ claræ veritati fidei catholicæ oppositū, adeò ex se occultum, & reconditum in mente hæretici, seu apostatæ, vt nulla alia via (excipe solam reuelationem à Deo factam) in eius cognitionē DD. Inquisitores deuenire nō possint, nisi per manifestam inquisiti de tali crimine confessionem: nàm quamuis ipse circa dictum, vel factum externum hæreticale, aut hæreticum sit iam conuictus: crimen tamen hæresis, quæ vt alibi à nobis traditum, in actibus internis, nempè assensu intellectus contra diuinam Fidem, & inclinatione, ac pertinacia voluntatis consumatur, atque perficitur, adhuc occultum, & incognitum manet, casu, quo reus ipsum confiteri renuit, & pernegat, se errori alicui assensisse: ergò tunc meritò dictum examen rigorosum, seu remedium torturæ pro eruenda intentione ex mente inquisiti, seù suspecti de hæresi, in Tribunali S. Inquisitionis executioni mandatur, sicque ad fatendam veritatem inducitur: atque ita fuit semper vbique vsu receptum. Cùm autem hoc de infligenda, nec ne hìc, & nunc, in casibus occurrētibus ab Inquisitore, tortura, vnum sit ex illis sex præcipuis capitibus, quæ apud S. Officium, vel Congregationem eius frequenter in consultationem venire solent, in diuisione nostri Operis de Materijs Tribunalium Fidei, peculiarem iure suo asciuit sibi librum, nempè quartum, attento ordine exequutionis, à nobis iugiter seruato, & in posterum seruando. Itaque, Deo benè iuuante, pertractabimus in eo quæcunque spectantia ad hanc torturæ materiam, tum in genere, vt inseruiant aliqualiter pro alijs Tribunalibus; tùm in specie, & peculialiter pro nostro S. Inquisitionis: ducendum tamen initium ab ijs, quæ ei antecedenter annexa sunt, in primisque ab accusatione reorum, quæ per Fiscalem fieri debet.

CAPVT PRIMVM.

De accusatione reorum in communi, & de facienda in particulari per Promotorem Fiscalem, apud Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis; deque requisitis omnibus, vt hæc sit legitima, & prorsus valida.

PROOEMIOLVM.

1 Post inchoatam validè, & legitimè contra delinquentem aliquem processus criminalis formationem, quæ quidem inchoatio erit valida, & legitima, si fiat tàm in nostro Tribunali S. Inquisitionis, quàm in quouis alio, nequaquàm sumpto initio ab illa clausula, *Cùm ad aures peruenerit*, aut *Fama extat, &c.* nam semper præcedere debet examinatio vnius, vel pluriū personarum denunciantium: de hoc constat ex Iulio Clar. quæst. 5. n. 4. & ex Bosio in tit. de denunciat. n. 18. vbi meminit ipse cuiusdam constitut. Mediolanen. in tit. de accusat. §. nec etiam admittere, per quam declaratur nulli processus facti super delationibus criminum sine nomine,
2 & cognomine delatoris. Atque quoad processus S. Officij affirmat Cæsar Carena part. 2. tit. 12. §. 24. n. 205. quòd audiuerit ita fuisse ordinatum à Sac. Congreg. Vrbis, estque conforme ijs,
3 quæ habentur in penultima clausula Edicti S. Inquisitionis, vt alibi diximus. Post executam item iuridicè, & iustè dicti delinquentis capturam, aut carcerationem, quæ exequutio erit iuridica, & iusta, si priùs probetur corpus delicti per planas, & liquidas probationes l. 1. §. item illud, ibi, liquere igitur debet ff. ad Sylan. & adducit doctrinaliter Farinac. de Inquis. q. 2. num. 6. Sed hoc
4 limitandum in delictis occultis, & difficilis probationis, maximè si non relinquant vestigia post se, vt docent, idem Farinac. n. 12. & 13. Boss. de delict. n. 20. & Clar. in praxi q. 4. vers. scias tamen.
5 Cum autem delictum, contra quod procedit S. Officium, sit ex se occultissimum, quippè in men-
6 te consummatū, non requiritur ad carcerandum, &c. vt constet de corpore eius. Excipe tamen, quando relinquit vestigia post se, vt in delicto fractionis Crucifixi, aut vulneratæ Sac. Imaginis, quia tunc quidquid alibi dixerim, censeo cum d. Carena par. 3. tit. 1. §. 4. n. 42. & 43. quòd debeat
7 priùs probari corpus delicti. Quamquàm adhuc videtur limitanda hæc doctrina, nisi sit periculum fugæ delinquentis, vel simile. Vnde ob id in nostro Tribunali Melitensi S. Inquisitionis vidi
8 aliquotiès carcerationem polygami, nondum supraiuuentia prioris coniugis probata. Post multiplex dein, & sæpiùs iteratum eiusdem contra Fidem delinquentis constitutum, seù examen pro eruenda veritate tàm circa factum, vel dictum hæreticale, quàm circa intentionem, seù errorem
9 mentis. Post repetitionem denique Testium, maximè pro comprobanda identitate personæ inquisitæ, si opus fuerit, Notario prædicta omnia in actis iugiter recipiente, sequitur immediatè ad vlteriorem formationem processus, vt Promotor fiscalis talem inquisitum apud D. Inquisito-
10 rem accuset, seù denunciet. Consequenter itaque et opportunè de hac accusatione, seù denunciatione nunc agimus, et suppositis iam initio lib. 2. de hac materia traditis, citiùs circa ipsam dupliei Regula nos hic expediemus.

An in causis criminalib. maximè Sancti Officij nequeat iudex procedere sine accusatore, saltem ficto?

REGULA CCCXXXIV.

11 SIcut in causis ciuilibus actor, ita in criminalibus quibusuis, accusator ad substantiam iudicij concurrit, & sine actore, vel accusatore aliquo respectiuè, iudex, quoad earum tractationem, & decisionem nequaquàm potest quidquam validè agere. 12 Ad validitatẽ autem istam in diuersis causis ex criminalibus haud necessario requiritur accusator verus, sed sufficit aliquomodo fictus; imò nec fictus est necessarius in aliquibus casibus particularibus, atque hoc imprimis habet locum in causis S. Officij.

---

13 PRo faciliori intelligentia dicendorum ad ostendendam necessitatem accusatoris, & accusationis, quæ fit in iudicio, præmittenda aliqua magis generalia circa ipsum. 14 Præmittendum primo, Iudicium in cõmuni sumptum (omissis alijs acceptionibus huius vocis, quas apud Menoch. de arbitr. q.8. n.14. & apud alios explicatas inuenies) in hunc modum definiri. quòd sit legitima rei controuersæ inter litigantes apud Iudicem 15 disceptatio, seù tractatio. Aut iam magis in particulari ad rem nostram sic, quòd sit actus trium personarum, Iudicis, actoris, & rei in Iudicio contendentium. Vtramque definitionem ex varijs actoribus, quos ipse citat, affert noster Baptista Fragosus in eruditissimo opere Regim. Christ. Reip. par. 1. lib. 5 disp. 12. §. 1. n. 1. ac per se patent.

16 Præmittendũ 2. ex requisitis ad iudicium, alia pertinere ad essentiã, & substantiã ipsius, alia verò ad integritatẽ, & solemnitatẽ. Sunt de substantia iudicij solæ tres personæ expressæ in secũda definitione: Iudex scilicet, actor, siue accusator, (qui in ciuilibus actor, in criminalibus accusator ab omnibus vocari 17 solet) & reus. Neque faciunt in contrarium tex. in cap. forus, de verbor signif. & in cap. 1. 4. qu. 4. vbi innui videtur, quod etiam testes sint de substantia iudicij, cum reus absoluatur, actore non probante. l. actor. C. de probat. & cap. fin. de iura, & consequenter necessario producendi sint testes, nè actor succum- 18 bat. Nam prædicta ad summum ostendunt esse necessariã productionem testium ad hũc effectum, nè actor succumbat, non verò ad substantiam, & essentiam iudicij, quod completum substantialiter existit, etiam si actor non probet, & reus absoluatur. Bald. in l. is, apud quem, C. de edend. Felin. in cap. Eccles. n.24. de constit, & cum alijs ab ipso adductis relatus Frago. n. 2.

19 Præmittendũ tertio, Inter spectantia ad integritatem, & solemnitatem iudicij, vt sũt, tempus præscribere litigantibus ad probandum, vel respondendum: iudicium tali, vel tali die exercere, & non feriatis diebus; dolosas exceptiones non admittere, &c. in præcipuo loco reponi citationem, & contestationem litis, atque ab vtraque diuersimodè iudicium tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus inchoari; ab ista, si sit sermo de iudicio integro, & propriè dicto; ab illa verò, si de 20 iudicio impropriè dicto, atque imperfecto. Ex doctrina Bald. in cap. 1. extra de litis contest. & Pauli in l. 1. n. 4. C. iudic. ac aliorum, sic in concordiam adducit nuper citatus Fragosus duas oppositas sententias, quorundam, vt Gloss. in l. Si is, qui Romæ. verb. iudicium, ff. de iudic. affirmantium incipere iudicium à litis contestatione; quorundam verò tenentium citationem esse principium iudicij. Quibus omnibus sic in communi præmissis,

21 Efficaciter probatur iam prima pars nostræ Regulæ; quę tametsi ex pertinentibus ad integritatem, & solemnitatem iudicij, aliqua, si omittantur, nullum omninò processum reddant, vt si omittatur citatio, sine qua iudicium corruit, nec potest absque ea inchoari, cum defensionem respiciat, quæ est secundùm ius naturale, l. vt vim ff. de iustit. & iur. & in Clement. Pastoralis de re iudicat. Menoch. de arbitr. lib. 1. quæst. 17. & Peregrin. de iure fisci lib. 1. tit. 3. n. 61.

22 Aliqua verò vti non tanti momenti, nequaquam processum annullent, sed hic possit post eorum omissionem à Iudice ante sententiam reformari; non immoror in exemplificatione ne nimis extrà rem nostram dis- 23 fundar. At si loquamur de rebus, seu personis spectantibus ad substantiam, seù essentiam iudicij certissimum est apud omnes Doctores, ex omissione cuiusuis earum ipsum corruere, & processũ penitùs annullari, Gofred. in summ. tit. de iudic. Hostien. eod. tit. §. 1. Suarez de Paz in praxi an. 3. n. 1. & post alios, adductus Fragos. §. 2. n. 35. ergo sine actore, vel accusatore nequibit iudicium vllo modo subsistere, neq; Iudex quidquam valdè agere in quouis genere causarum.

24 Contracto autem sermone ad solas causas criminales, quæ accedunt magis ad nostrum institutum, objiciet aliquis ex varijs capitibus deduci, quòd in iudicio ad earum decisionem non requiratur, semper accusator. Primo, quia absque vllo accusatore Diuina iustitia peccatores condemnat, & punit, sicq; Danielis cap. 13. nemine accusante iniqui illi senes, qui falsò Susananm accusarãt, 25 condemnati sunt. Item quia officium accusatoris est deferre ad iudicem delictum, sed hoc ad ipsum potest peruenire per denunciationem, vel per infamiam, vel per notorietatem, vel si committatur in præsentia ipsius iudicis. Hinc absque accusatore, Prælati puniunt subditos Religiosos, Patres familias filios, & seruos; Magistri discipulos, &c.

26 Firma tamen stat doctrina proposita, & vt certa communiter traditur à Theologis, & à Iurisperitis, vt à D. Thoma 2. 2. q. 67. artic. 3. Aragon. ibi Sayr. in Claui, lib. 12. cap. 7. vers. ad iudicium. Less. lib. 2. cap. 29. dub. 12. n. 104. Mirand. de ordin. iudiciar. q. 13. art. 1. conc. 1. & post

& post alios multos à Fragoso ibid. §. 4. n. 114. quòd non possit Iudex procedere in criminalib. nec condemnare aliquem absque accusatore saltem ficto, iuxta illud Actorũ 25. 27 ibi. Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur.] quæ verba affert. D. Th. in corpore illius art. ad confirmandam dictã 28 doctrinam. Quam non esse de iure Diuino, nec de iure naturali, sed tantum de iure humano, hocq. esse valdè conforme iuri, & rationi naturali, vt nemo adducatur in iudiciũ sine accusatore, affirmant benè præter alios, Sotus de tegend. secret. memb. 2. q. 6. coroll. 50. n. 582. & Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 11. pun. 3. & quæst. 13. pun. 2.

29 Esse autem de Iure humano patet, de ciuili, ex l. illicitas. ff. de offic. Præsid. & ex l. rescripto, ff. de muner. & honor. vbi expressè disponitur. Si quis accusatorem non habet, ab honoribus prohiberi non debet: de iure item Canonico constat ex cap. Qualiter, & quando, 2. de accusat. vbi est sermo de inquisitione speciali, quæ non potest fieri, nisi præcedente infamia: et ex cap. Si quis potestatem, 22. quæst. 4. vbi ex D. Ambros. habetur, quòd non debeat iudex quemquam sine accusatore damnare.

30 Ostenditur clariùs exemplo Iudæ, quem Christus Dominus non abiecit, cum esset fur eo, quod non fuerat accusator. Ex vi itaque Iuris humani accusator est de substantia iudicij: vndè nihil mirum, si Daniel senes illos iniquos, et iustitia Diuina peccatores sine accusatore condemnauit.

31 Seù dicito meliùs cum D. Thoma citato in solu. ad 3. Quòd Deus, cum procedat ex notitia veritatis, simul est accusator, et iudex; et pari modo fuit Daniel, qui instinctu Dei mouebatur: et responsum ad primam partem obiectionis.

32 Colligitur autẽ ex textu prædicti cap. qualiter. et quando, et ex alijs textibus, infamiam supplere vices veri accusatoris, et docet D. Thom. citatus in solut. ad 2. quo cum deducunt præcitati auctores, non requiri semper in iudicio verum accusatorem, sed sufficere aliquandò virtualem, seù fictum, iuris fictione, aut aliquid supplens locum veri accusato-33 ris. Cuiusmodi est simplex denunciatio in criminibus contra bonum publicum; in his enim denunciator non suscipiens in se onus probandi ea (sicut susciperet, si esset accusator, iuxtà differentiam inter eos alibi à nobis assignatam) id tantùm intendit, vt iudex per denunciationem omni meliori modo occurrat damno boni communis, & in persecutione delinquentis denunciati vlteriùs progrediatur: lege circa hoc Fragosum, vbi supra. num. 116. & 120.

34 Vices item accusatoris veri supplet notorietas delicti, & euidentia, siuè hoc sit contra bonum publicum, siuè contra priuatum. Colligitur ex D. Thom. dict. quæst. 67. art. 3. in solutione argumentorum, ibi Caiet. & Arag. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 12. num. 104. 35 & alij communiter. Dicitur autem delictum notorium, quod probabiliter negari, aut celari non potest. Bald. in l. ciues, C. de appell. Anton. Burgen. in cap. ad nostram, num. 27. de empt. & vend. & Mascard. de probation. conclus. 101. qui declarans magis, ait crimen notorium per euidentiã facti dici illud, quod oculis hominum euidenter subijcitur, & nulla tergiuersatione celari potest, sicque expri-36 munt scribentes. Vndè, quando iudex procedit contra delinquentem prædicto modo notorium, potest ordinem iuris prætermittere, cap. consuluit, extrà de appellat. cap. quæ Lotharius 2. quæst. 1. cap. quanto, de translat. prælato. Bald. in l. Presbyteri, col. penult. C. de Episcop. & cler. Anton. Gomez, de delictis, c. 1. n 42. & Iul. Clar. in pract. q. 9.

37 Non requiritur pari modo in iudicio accusator verus, sed huius vices supplentur, si delictum patretur coram Iudice, & alijs, & multo magis, si coram Iudice sedente pro 38 Tribunali, idque propter euidentiam, seù notorietatem facti, (secus si coram Iudice solo, quia tunc ac occultum) atq. hic modus ficti accusatoris coincidit cum præcedenti, & tunc absque alia accusatione potest iudex delinquentem iudicare, ac punire. Bartol. in l. Librarius. ff. de reg. iur. Mirand. loco citato, artic. 2. concl. 1. & Caiet. præter alios 2. 2. qu. 67. 39 art. 3. Vbi refert exemplum S. Ludouici Regis, præcipientis cauterio aduri linguam ho-40 minis coram se blasphemantis. Imò addunt Glossa ordinaria, in cap. Deus omnipotens, §. quando autem, 2. quæst. 1. Hostiens. in cap. Tua nos, de cohab. cler. & mulier. Albert. in l. illicitas §. veritas, ff. de offic. Præsid. quando quis commisit delictum coram Iudice sedente pro Tribunali, & coram multitudine astantium, quòd tutò possit ipse iudex eum punire non solùm ordine Iuris minimè seruato, & sine solemnitatibus, sed etiam sine processu, & probatione, quia præsentia iudicis inducit euidentem probationem, ex l. 2. ff. de minor.

41 Prædictam autem doctrinam quamuis approbet Antonius Gomez, de delictis, cap. 1. n. 48. eam tamen benè limitat, dicens, tutius esse teste Fragoso, dict. §. 4. 27. per sequentia verba, vt iudex in eo casu recipiat probationes, & reus in continenti examinetur, quòd si fateatur sine vlla probatione, præcedente 42 tamen citatione, statim condemnatur. Requiritur enim citatio, vt appareat, an habeat defensionem, nisi simus in casu, in quo nulla reperitur tergiuersatio. Menoch. de arbi-43 trar. lib. quæst. 27. in fine, nu. 13. Quod si reus neget etiam quando crimen commissum fuit coram Iudice pro Tribunali sedente, & multis adstantibus, nullo modo illum condemnet, nisi priùs testes concludant illum deliquisse coram Iudice pro Tribunali sedente, & coram alijs astantibus. Carre. in pract. crimin. in 1. tract. de appellat. §. Secundus erit casus à n. 23. in sequent.] hactenùs ille.

Sup-

44 Supposita prædicta doctrina, quòd requiratur ad substantiam iudicij accusator aut verus, aut saltem fictus, seu æquiualens, nempè vel infamia, vel denunciatio, vel notorietas delicti modo dicto, pro responsione ad vltimam partem obiectionis optimè censent auctores melioris notæ, vt Sotus, de iustit. quæst. 4. art. 3. Nauar. lib. 2. consil. de sentent. & re iudicat. consil. 1. Roder. in summa, in tract. iudicand. cap. 12. Suar. tom. 4. de Religio. lib. 2. cap. 10. & alij, quòd in delictis ma-
45 ioris momenti, Prælati Religionum, quamuis non teneantur in faciendo iudicio, omninò sequi iuris positiui apices, ac rigorem, possintq. validè, ac iustè sententiam condemnatoriam contra subditos delinquenter ferre, non seruatis iuris positiui solemnitatibus, iuxta cap. Cum olim, ac cap. qualiter, & quando, de accusat. vbi habetur posse illos procedere de plano, sine strepitu, ac forma iudicij:
46 Peccabunt tamen grauiter, si ommittant, quæ sunt de iure naturali, & de essentia, seu substantia iudicij, qualis est accusatio, vt patet ex dictis: ergo &c.

47 At in leuioribus delictis Prælati Religionum induunt personam patris, et similes defectus leues nō puniunt vt iudices, sed vt parentes. Patet ex dicto cap. Qualiter, et quando, cap. Reprehensibilis, et cap. Cum contingat, de foro compet. et alij; ac propterea ad puniendas transgressiones regularum, et ordinationum communium in quauis Religione non requiritur accusator, nec vllus ordo
48 iudicialis à iure præscriptus. Argum. sumpto à fortiori, quia si hic ommittitur in seculari foro, circa culpas leues, iuxta l. leuia, ff. de accusatio, & ibi omnes scribentes; quãto magis omittetur in puniendis delictis leuibus Religiosorum?

49 Tandem ad obiectionem de patribus, dominis, ac magistris, respondet benè cum Soto lib. de iustit. q. 4. artic. 3. Fragosus dict. §. 4. num. 113. patres familias, ac magistros non habere potestatem simpliciter coercitiuam, nec capitali pœna, aut graui ferire posse; sed esse in illis potestatem paternam, seu œconomicã: ac proinde non posse procedere ad grauiora supplicia, cum non sint iudices in puniendis delictis filiorum, seruorum, seu disci-
50 pulorum, et ideò in leuioribus supplicijs imponendis non obligari ad formam iuridicam omninò seruandam, sed satis esse ad castigandas culpas, vt eas licitis medijs certò cognoscant, aut saltem puniant solùm pro ratione probationum.] ita ille.

51 Restat vltimo loco breuissimè attingamus in quibus casibus particularibus absque vllo accusatore etiam ficto, aut non præcedente infamia, possit iudex inquirere, et procedere contra aliquem in particulari.

52 Primo, quando iudex procedit per inquisitionē generalem, seu generalissimam, de qua est sermo in l. congruit, ff. de offic. presid. et in c. 1. de officio ordinar. et fit ad inuestigandos facinorosos, ac plura delicta: tunc si ille veniat in cognitionem auctoris delicti, absq. diffamatione, aut accusatione cõtra hunc potest procedere. Abbas. in cap. Ad nostram el. 2. num. 2. de iureiur. Bart. in extrauag. ad reprimendum in verb. Inquisitionem. Caiet. 2. 2. quæst. 59. art. 1. Less. lib. 2. cap. 29. dub 15. n. 121.

53 Secundò, quando fit inquisitio contra aliquem de mandato Principis, motu proprio, emanato; nàm Princeps potest inquirere non præcedente infamia. Bald. in l. nullus C. ad legem Iul. Maiest. Menoch. lib. 1. de arbitr. quæst. 75. num. 4. et præter alios Iul. Clar. in
54 pract. q. 6. n. 8. vers. Præterea scias. Qui tamen ibi asserit ita esse, etiamsi ad postulationem partis mandatum Principis emanet, &
55 addit se vidisse in praxi seruari. Oppositum tenent alij, vt Felin. in cap. Cũ oporteat, in 4. notab. et ibi Ioan. de Anania, n. 2. de accusat.

56 Tertiò, quando inquiritur, an quis sit dignus, vel indignus tali honore, aut officio, priusquàm assumatur ad illud, vel ad dignitatem, sicut vbi inquiritur, an sit impedimentum ad contrahendum matrimoniũ, tametsi illud ex delicto proueniat. Ita Panorm. in cap. 1. de officio ordinar. Sotus, de secret. memb. 2. qu. 6. concl. 3. Less. vbi supra, et alij communiter, quidquid in contrarium dicat
57 Nauar. rubri. de iudicijs, num. 85. Ratio est, quia ad malum impediendum in conferendis beneficijs, aut in matrimonio contrahendo, licitum est inquirere de impedimentis, vel delictis personarũ particularium, quamuis de illis nulla præcedat infamia; conducit cap. final. de clandest. despons. vbi præcipitur dicta inquisitio pro contrahẽdo matrimonio

58 Quartò potest iudex, sine præuia infamia, ad inquisitionem specialem contra reum deuenire, qui confessus est in iudicio crimen suũ occultum, etiam coram duobus, Iudice, scilicet, et Notario. deducitur ex cap. 1. de accusat. in 6. eo, quòd talis confessio, cum sit iudicialis, facit notorium iuris, etiam si coram paucis sit prolata. Nauar. in rubric. de iudic. n. 86. Sayr. in clau. lib. 12. cap. 11. num. 15. vers.
59 Non tamen, et Less. loco citato nu. 124. Nec audiendus est Sotus suprà relatus, sine fundamento quidem hanc doctrinam reijciens.

60 Quintò, sine accusatione, aut sine infamia præuia proceditur, quoties fit inquisitio contrà officiales in syndicatu, finito eorum officio; Atque hoc in praxi vbique receptum est. Nam si delinquentes fuerint reperti, vocantur, et facta litis contestatione conceditur eis copia ad se defendendum. Bald. in l. obseruare §. Proficisci, n. 3. ff. de offic. Proconsf. et Legat. Angel. l. si vacantia, n. 170. C. de bonis vacantibus, lib. 10. et propter alios Clar. in pract. quæst. 6. num. 6. ibi sub finem affirmat in hoc casu impertinens esse requirere, quòd aliqua diffamatio præcedat.

61 Sextò, pari modo loquendum est, quando fit inquisitio de naui submersa, seu ad scopulos allisa ex incuria nautarum, seu militum,
62 iuxta l. quoties C. de naufrag. Similiter vbi inquiritur de domino occiso contra seruos, si ignoretur occisor. ex l. 1. ad S. C. Syllan. Nam tametsi nulla præcedat diffamatio contra nautas

nautas, vel milites, nonnulla tamen est suspi-
63 cio de illis, dimanans ex voce populi. Atque idem in similibus, quoties populi suspicio cõtra aliquos insurgit. Ita Nauar. in rubric. de iudic. n. 95. et Less. dict. dub. 15. n. 130.

64 Septimò, quando quis patrauit crimen læsæ maiestatis iuxta Extrauag. ad reprimendum, Federici Imperatoris, ibi Gloss. in verb per inquisitionem, & Bartol. verb. Inquisitionis, vbi limitans nimis, asserit ante hanc Extrauag. nullum iudicem potuisse procedere contra aliquem in crimine læsæ maiestatis humanæ sine infamia, vel notorietate;
65 at verò post illam posse. Quæ Bart. limitatio non admittitur fortè ab alijs Doctoribus, vt à Præposito, in c. 1. vers. in crimine tamen, n. 62. secunda, quæst. 8. Gigas de crimine læsæ maiestatis, quæst. 9. n. 4 lib. 2. et à Nauarro in
66 cap. inter verba 11. quæst. 3. n. 686. Qui absolutè, et simpliciter affirmant, non solùm in hoc crimine læsæ maiestatis, posse iudicem procedere contra aliquem nulla præuia diffamatione; sed etiam in omnibus alijs delictis atrocibus, et enormibus, et sufficere præuiam suspicionem &c.

67 Tandem octauò, quod spectat ad rem nostram, sine vlla accusatione, aut diffamatione in crimine hæresis, vel Apostasiæ à fide potest procedi cõtra aliquem: deducitur ex cap. Excommunicamus, §. Adijcimus, de hæreticis, et ex l. Apostatarum 4. de Apostatis, et tradunt Sayr. in claui, lib. 12. cap. 11. et Nauar. in dicto cap. Inter verba 11. quæst. 3. Qui benè ad-
68 dunt id verum esse, dummodo præcedat aliqua suspicio; alias nullo modo potest inquiri contra aliquem: confirmat Simanch. in pract. hæres. tit. 22. de inquisitionis ordine, vbi ait quod etiamsi non potest fieri inquisitio particularis contra certam personam, nisi præuia infamia, nihilominus hoc fallit in homine de hæresi suspecto.

69 Sed quanta hæc suspicio debet esse? Boss. in tract. criminal. in tit. de hæretic. tenet sufficere leuem, et modicam etiam ad detentionem suspecti. Sed meritò id non admittunt, sed debere esse grauem, nisi timeatur de fuga illius, tuentur citati Nauarrus, et Sayrus, quos sequitur Fragosus dict. §. 4. n. 137. qui sub finē
70 eius sic ait. Fundamentum autem, inquit, quare de crimine hæresis cõtra aliquem specialiter inquiratur absque accusatore, et infamia, est, quia hæresis crimen est valdè perniciosum, et contagiosum, et tanquàm pestis fugiendum, vt patet ex cap. vt Inquisitionis, de hæreticis in 6.] ita ille, apud quem plura videas, tàm circa hunc casum criminis hæresis, quàm circa reliquos explicatos aliorum
71 criminum. Atque in causis fidei ad procedēdum contra hæreticos, quòd nullo modo, vt diximus, sit requisitus accusator, intelligitur ex natura rei, attēta enormitate delicti adeò perniciosi, et contagiosi: quid autem in praxi de consuetudine seruetur, ex dicendis Regula sequenti patebit.

Vtrum inquisitus præcipuè in S. Officio semper ab Aduocato fiscali, accusari debeat? & quanam in forma accusationis exprimenda?

REGVLA CCCXXXV.

72 PRo diuersitate regionum, et nationum diuersus est vsus Promotoris fiscalis, quoad accusationem reorum: alicubi ipsemet reum accusat; alicubi verò facta, et porrecta
73 accusatione ab alio, huic assistere tenetur. Quocunque tamen loco in causis fidei contra hæreticos, et apostatas, vel suspectos de hæresi, aut de apostasia accusationē porrigit, et vsque ad expeditionem illarum idem Fisca-
74 lis prosequitur. In formula autem accusationis compendiosè exprimere debet omnia crimina, de quibus inquisitus accusatur; petere item ab Inquisitore, vt pro eruenda veritate, eum, si opus fuerit, torturę subijciat, ipsumque iuxtà Canonum, ac legum dispositionem punire velit.

---

75 EGimus iam alibi de virtutibus, et qualitatibus in persona ad gradum Aduocati fiscalis promouenda requisitis: nunc quæuis eius munia obiter indicanda, præcipuè munus accusandi, seù denunciandi inquisitos. De spectātibus ad promotorem fiscalem tractat ex professo Simancha tit. 4. et tit. 53. Ca-
76 thol. institutionum. Primo, ad officium eius spectat dicta testium exquirere, ac libros denunciationum perscrutari, vt quos delinquētes inuenerit, possit apud Inquisitorem instare, vt capiantur, et carceribus mancipentur. Ita præter Simanch dict. tit. 53. de Promotore fiscali, n. 3. adducunt Ludou. Param, de origine S. Inquisitionis lib. 3. quæst. 9. n. 39. vers. præcipuum tamen munus, et Carena pr. par.
77 tit. 9. §. 4. num. 28. Atque intelligitur similiter de quibusuis Fiscalibus quorūcunq. Tribunalium, quia eadē vrget ratio in omnibus.

Preterea spectat ad Fiscalem, quantum po-
78 test S. Officij iurisdictionem defendere, et curare diligenter, nè in aliquo quantumuis paruo minuatur. Si enim Regia iurisdictio, vt
79 ait Bouadill. in sua Polit. lib. 2. cap. 19. Aduocatis fiscalibus valdè cōmendari solet, quantò magis iurisdictio Officij S. Inquisitionis. Promotoribus Fiscalibus huius Sacri Tribunalis commendata esse debet? ita idem Carena, num. 26.

Spectat etiam ad Promotorem fiscalem
80 instare apud Inquisitorem, vt edictum fidei debitis tēporibus, et locis publicetur. Quoad tempora, in Hispania, teste Param. de origine, &c. quæst. 4. in rubric. de forma, et ordine, num. 20. semel tantùm quotannis publicari solet: sæpius in Italia, et in hac Insula, ex præscripto S. Congregationis, vt alibi diximus. Quoad loca autem, publicatio deberet
81 fieri in singulis Ecclesijs Curatis, vti fit in Ciuitate Cremonensi, vt auctor est Caren. 2. parte titul. 9. §. 7. vbi proposito Edicto, Adiungit sic lingua Italica.

Et

82 Et accioche il presente nostro Editto generale passi à notitia di tutti, nè alcuno pretenda ignoranza, commandiamo in virtù di santa obedienza, sotto pena di scommunica à tutti li RR. Arcipreti, Curati, e Rettori delle Chiese soggette alla nostra giurisditione, ò a i loro Luogotenenti, che la prima festa doppo la riceuuta di esso, in qualsiuoglia modo debbano publicarlo, e legerlo, ò farlo legere per extensum al suo popolo in tempo di maggior concorso nelle dette sue Chiese; e publicato, lo facciano affigere alla porta principale delle medesime Chiese, ò in altro luogo patente, oue da tutti possa esser veduto, e letto: il che parimente incarichiamo à tutti i Presidenti de' Monasteri.] hactenùs ibi.

83 Atque videtur valdè congruum, vt quod ab Inquisitore Cremonensi ita strictè præcipitur, pari modo à quolibet alio Inquisitore, maximè à nostro Melitensi, instante Aduocato fiscali, quoties fit publicatio Edicti, præcipiatur: quod, me instante apud Illustrissimũ Dominum Inquisitorem Gorium, iam paucis ab hinc diebus executum fuit.

84 Dein ad munus ne Aduocati fiscalis pertinet interesse Congregationi S. Inquisitionis, dum causæ referuntur, & circa eas ibi votum ferre: præsentem item esse, dum tortura reis infligitur. Attenta dispositione Iuris, praxis negãs quoad hæc omnia, & respectu cuiusuis Tribunalis, videtur sine dubio tenenda. Textus clarus in l. proximè. ff. de his, quæ in testamento delentur. Quòd si alicubi in Iure

85 appareat disponi contrarium, debet intelligi de interuentu fiscalis, dum probationes in facto, & allegationes in iure producit; Item debet intelligi de solis causis ciuilibus, in quibus plura Aduocato fiscali conceduntur, quæ in criminalibus denegantur, & Mastril. decis. 114. vbi hæc à num 22. copiosè, & eruditè discutit, affert Carena ibidem n. 31. & 32. Vnde ex vi iuris nequibit Fiscalis interesse actui infligendi torturam.

86 Verùm, si attendamus ad consuetudinem, seù stylum nunc vigentem, valdè receptum videmus, vt Promotor fiscalis diuersimodè Congregationibus, et actibus iudiciarijs assistat. Et quidem quoad Tribunalia S. Inquisitionis (vt de alijs nunc taceam) Primò, stylus S. Officij in Regnis Hispaniarum huiusmodi est, vt testatur Simanchas de cathol. instit. tit. 35. n. 10. quòd Fiscalis, si vult, possit in Congregatione esse præsens relationi actorum, et ibi allegare in iure, et in facto; abesse tamen debeat, dum testium dicta scribuntur, & rata habẽtur, ac dum Inquisitores, et Consultores de sententia ferenda deliberant.

87

88 Consuetudo autem S. Officij in Italia, præcipuè in Ciuitate Cremonensi, magis se extẽdit in fauorem Promotorum Fiscalium. de hoc audi Carenam citatum, num. 41. vti testem occulatum: Sed in nostra, inquit, Inquisitione Cremonæ ista non seruantur: nam licet examinibus testium Aduocatus fiscalis non intersit, nisi ab Inquisitione vocetur: at-

89 tamen ex Decreto particulari S. Congregationis Eminentissimorum DD. Cardinalium supremorum Inquisitorũ, vt ex litteris Eminentissimi Domini Cardinalis Mellini, sub die 27. Iulij 1618. interest examinibus testiũ, ac etiam esse debet præsens Congregationibus, etiam dum causa votatur, et semper esse præsens torturæ.] Hæc ille.

90 Qui nu. 43. sic addit. An autem stante stylo nostræ Inquisitionis, possit reis inferri tortura sine Aduocato fiscali, cum absens est, dubitari potest.

91 Egò certè, inquit, si essem Inquisitor, nunquam ad torturam deuenirem sine Aduocato fiscali; & si abesset, deputarem vnum aliũ Officialem Tribunalis pro illo actu, vt solitus erat facere Illustrissimus Salamanca, dũ erã illius Proiudex maleficiorum, sub sua insigni Prætura nostræ Ciuitatis, cum instabant condemnationes faciendæ, vel è latere fisci accusanda erat contumacia, & negotium dilationem non patiebatur, ac Aduocatus fiscalis absens erat: ipse enim pro illis actibus deputabat, vnum I. C. qui loco fiscalis accusabat contumaciam, et alia necessaria peragebat, secundùm doctrinam Clari §. fin. quæst. 10. vers. scias igitur, quæ cõmunis est, cam enim sequitur Mattienz. in lib. 5. Recompilat. nouæ legum Hispaniæ tit. 14. lib. 1. glos. 1. n. 1. Bouadil, in sua Politica, tom. 1. lib. 3. cap. 35. nu. 99. vbi in Apostill. alios allegat.] huc vsque Carena.

92 Sed quid circa prædicta de stylo nostri S. Officij Melitensis? multo maior est eius extensio in fauorem Aduocati fiscalis; nam quibusuis actibus iudicialibus, me teste oculato simul, et diuturno per spatium 36. annorum, interesse solet, nec ab vllo eius præsentia excluditur.

93 Præsens est semper actui infligendi torturam, examinibus reorum, receptionibus, & repetitionibus testium, ac similibus: presens item omnibus Congregationibus, in eisque ipse causas proponit, seù legit processus, vt Consultores ad eas decidendas sint magis

94 instructi. Imò ad earum decisionem pro veritate, DD. Inquisitores ab eodem Promotore fiscali, sicut etiam ab Aduocato reorum, quandoque votum petunt, maximè quando pauci Consultores ad Congregationem accesserunt. En quàm fauorabilis stylus nostri Tribunalis S. Inquisitionis Melitensis Promotori fiscali ipsius.

95 Atque ex his omnibus, vt ait benè Carena dict. n. 45. apparet stylum in hac materia vniuscuiusque Tribunalis esse sequendum, & vbi de stylo non appareat, à terminis Iuris communis non esse discedendum.] ita ille.

96 Accedamus iam ad munus præcipuũ Promotoris fiscalis, de quo nos peculiariter in præsenti Regula accusandi scilicet reos. Nequaquam hic immorandum mihi in explicãdo sigillatim, quid circa tale munus, apud alia Tribunalia, siue ecclesiastica, siue secularia seruetur. Solum attingo, quòd non vbilibet idem sit vsus; sed pro diuersitate regionum

97 diuersus. Nã in Regnis Galliæ, & in Ducatu Sabau-

Sabaudiæ Aduocatur Fiscalis accusatoris officium exercet, porrigendo, & prosequendo accusationes rerum, vt ex Abauo de Reatibus, quæst. 2. num. 1. & in praxi §. Inquisitio, n. 4. testatur Carena 3. par. tit. 1. §. 1. n. 12.

98 Vbi è contrà ait, quòd in toto statu Mediolanen. Promotor fiscalis non possit quemquã accusare, tametsi facta, & porrecta accusatione teneatur accusatori assistere: estque hoc secundum mentem Iulij Clari in §. fina. qu. 10. vers. scias igitur.

99 Certissimum verò apud omnes habetur, quod vbilibet in quibusuis Tribunalibus S. Inquisitionis sit in vsu receptum, vt Aduocatus fiscalis quemcumque in materia fidei inquisitum apud Inquisitorem accuset, & accusationem prosequatur. Porrigitur autẽ ab eo accusatio post assumptas inchoato processu contra reum informationes. Ita Param. de orig. S. Inquisitionis quæst. 4 rubric. de forma, & ordine, num. 46. lib. 3. et post alios Carena par. 1. tit. 9. §. 4. num. 2. Vbi sic addit.

100 Vnde Azeued. in Regias Hispaniæ Constitutiones nouæ Recompil. lib. 2. tit. 13. l. 3. ait, quòd fiscales accusare non possunt nisi inquisitione, vel delatore præcedente: et exclamat contra Episcopos, qui permittunt in suis curijs seruari contrarium.] hæc Carena.

101 Portigere autem debet Promotor Fiscalis accusationem contra inquisitum, seù de aliquo errore in materia fidei denunciatum, in quocumque statu hic reperiatur, siue sit negatiuus in totum, aut in parte; siue sit pertinax, nolitque resilire ab errore, siue de plano eum fateatur, petat veniã, & reconciliationem. quod Simanc. tit. 53. cathol. instit. n. 5.

102 his paucis benè tradit. Et quamuis, inquit, rei, dum admonentur, confessi fuerint omnes suas hæreses, nihilominùs Promotor fiscalis de eisdem eos accusare debet, vt iudicium ex accusatore, et reo, et iudice constet]. ita ille.

103 Accusatio item porrigi debet ab accusatore in scriptis, secundùm doctrinam Bart. in Extrauag. ad reprimendum, verb. per inquisitionem, num. 33. Cardinal. in cap. 1. vers. ponitur etiam, ibi. Accusatorum personæ nũquàm recipiantur, 2. qu. 8. & aliorum com-

104 muniter. Quamquàm ad validitatem accusationis sufficit, si hæc verbaliter fiat ab accusatore sine scriptura, Notario tamen scribente, et redigente eam in actis. Cum Saliceto in l. penult. num. 2 cap. de accusat. & cum Iulio Claro lib. 5. sentent. §. fin. quęst. 12. vt certum, et in praxi obseruatum tradit Franc. Pegna, in 3. part. Direct. comment. 14. n. 67. vers. Vbi autem.

105 Formula autem, seu libellus accusationis expressè, licèt compendiosè, continere debet omnia, et singula crimina, de quibus reus accusatur, vt hic, ea ipsi iuridice lecta, et sic iam contestata lite, intelligat, quibus delictis contra fidem sit respondendum, & vt se tueatur. Ita idem Pegna loco cit. vers. in hoc libello.

106 Notat verò benè Simancas, dict. tit. 53. n. 8. si post factam accusationem alicuius inquisiti de aliquibus hæresibus, denunciationes aliarum hæresum contra eundẽ quouis tempore superuenerint, quòd debet Fiscalis has illis adijcere, et reum denuò accusare.

107 Modum formandi libellum accusationis in S. Officio sic exprimit idem Simanch. cathol. instit. tit. 4. num. 11. Accuso Bucærum, qui cum sit Christianus baptizatus, multas hæreses credidit, et docuit, speciatim autem hanc, & illam. quibus enumeratis, concludit Promotor Fiscalis, petens, vt Bucærus tanquàm hæreticus pertinax puniatur, et pœnas grauissimas hęresis exposcit.] ita ille.

108 Maiori aliquantulum cum extensione adducit Pegna vbi supra in hunc modum talis accusationis libellum. Ego Augustinus Officij Sanctissimæ Inquisitionis Fiscalis corã te Reu. Inquisitore Iudice delegato in causis fidei contra hæreticam prauitatem, criminaliter accuso Martinum Lutherum, qui cum sit Christianus baptizatus, et velut talis apud omnes habitus, à Fide Catholica recessit, & ad pestiferam hæresim Manichęorũ, ac aliorum hæreticorum, talem, videlicet, et talem, impiè accessit, prædicans, scribens, cõponens, firmiterque asserens multa dogmata hæretica, erronea, scandalosa, et valde suspecta in approbationem, et laudem pręfatæ hæresis, & hæreticorũ, quos velut magistros imitatur.] ita ille cum Conrado Bruno, lib. 4. de hæret. cap. 7. et cum alijs, qui hac de re agunt.

109 Verùm, vt innotescat de modo, quo libellus accusationis in nostro S. Officio Meliten. à D. Promotore Fiscali formari solet, proponam per extẽsum exemplar eius, quod contra inquisitum de apostasia à fide catholica negatiuum Illustrissimo, & Reuerendiss. Domino Inquisitori nostro Ioanni Baptistæ Gori Pannelino, fuit nuper porrectum, atq. admixtis in eo clausulis lingua vulgari ex processu ferè ad verbum desumptis, ita se habet.

110 Comparuit in Officio S. Inquisitionis Meliten. et coram Illustrissimo, et Reuerendissimo D. Io. Baptista Gori Pannelino Inquisitore Generali, et Apostolico delegato &c. D. Paulus Testaferrata Promotor Fiscalis eiusdem, et præsens denunciauit, ac denunciat, accusauit, & accusat, reumque fecit, et facit N.N. filium N.N. de Ciuitate Cagliari, siue Rabato eiusdem, de apostasia à S. Fide Christiana ad falsam sectam Mahumetanam cum adhæsione cordis: et de eo, et supra eo, qualiter ipse denunciatus, non timens Deũ, neque eius iustitiam, spiritu Diabolico ductus, del Anno 1637. essendosi detto N. accordato sopra di vn Bergantino armato in Cagliari contro Infideli, esso N. lasciãdo nella Galita detto Bergantino se ne transferì in Tunesi, doue di propria sua volontà si è fatto Turco, sì come di propria sua bocca disse iui, che se n'era fugito da' Christiani, per ritornare Turco, si come publicamente iui andaua vestito alla turchesca, co'l ciuffo in testa, faciẽdosi chiamare co'l nome Mahomettano Mustafà, viuendo, e facendo attioni da Turco; mangiando della carne indifferentemente

mente in tutti i giorni prohibiti a' Christiani, e come tale procuraua farsi scriuere nella paga del Gran Turco, la quale gli era stata promessa al ritorno del viaggio, che doueua fare col vascello detto l'Armirante, sopra il quale s'imbarcò per barbiero salariato, hauendo hauuto dieci pezzi d'otto, e sopra detto vascello armato in guerra contro Christiani è stato preso dalle Galere di questa santa Religione, essercitando detta sua arte, si come di propria sua bocca lo cōfessa. Et de alijs, prout ex informationibus captis, & capiendis, secundùm quas regulatur præsens denunciatio. Quarè instat, & petit dict. Dominus Promotor fiscalis dictum denunciatum condemnari, puniri, & castigari, prout iura, Sacri Canones, Constitutiones generales, & particulares volunt, & mandant; & in defectum legitimæ, & plenæ probationis, illum subijci quæstionibus, & tormentis, &c. citra tamen præiudicium probatorum, & confessatorum. & ita petit nedùm prædicto, sed omni alio meliori modo, &c. petens, &c. saluo iure, &c. Vndè, &c.

111 Præsentetur, & redigatur in actis.

112 Die vndecima mensis Decembris 1641. præsentata fuit, & est supradicta denunciatio per præfatum D. Fisci Promotorem huius Sancti Officij, & recepta, iuxta Decretum præfati Illustrissimi D. Inquisitoris, &c. Vnde, &c.

113 En stylum seruari solitum apud nostrum Tribunal Meliten. Sanctissimæ Inquisitionis in exequendis tribus prædictis, nempè in formando accusationem alicuius inquisiti per D. Promotorem Fiscalem: in decretando per Illustrissimum D. Inquisitorem, vt ea præsentetur, & redigatur in actis: atque in faciendo authenticam fidem de ipsius præsentatione, & receptione per Dominum Cancellarium eiusdem Tribunalis.

114 Vltimo loco, à Promotore fiscali exigit Simanc. dict. tit. 4. n. 12. id quod ad contestandam causam criminalem cum reo coram Iudice, sine dubio conducit, et exprimit ipse per sequentia verba. Promotor fiscalis, inquit, præsente eo, quem accusat, in scriptis, iudici accusationem offerre debet, & propria voce literas suæ accusationis legere, vt Calixtus Papa constituit (cap. vltim. 2. quæst. 8.) & statim iurare solet, accusationem illam à se non malitiosè editam esse, sed vt suum officiū faciat, quia obiecta crimina probare intendit.] Hæc ille.

115 Et quod ait ex suo de iuramento emittendo, idem repetens infra tit. 53. nu. 6. nescio an vbique sit vsu receptum: & quidem non videtur necessarium, cum iam initio, quando quis promouetur ad officium Promotoris fiscalis, solemne præstet iuramentum in manibus Domini Inquisitoris, præsentibus multis, de eo legitimè, ac fideliter exercendo: & hoc pro singulis causis occurrentibus sufficiat.

116 Exigit tandem optimè ab ipso Promotore Fiscali idem Simancas dict. tit. 4. num. 9. & 10. vt processus, qui contra reos Sancti Officij formantur, diligenter scrutetur, quo tempore relationis, & vbi opus fuerit, tam in facto, quam in iure allegare possit: quod etiam cum illo tradit Carena par. 1. tit 9. §. 4. n. 29. apud quem plura toto eo titulo inuenies circa Aduocatum Fiscalem. Nobis pro nostro instituto, qualiter exercere debeat sua munia, maximè accusandi reos Sancti Officij, hactenus adducta sint satis.

CAPVT II.

De defensionibus, & exceptionibus reorum, maximè delinquentium contra fidem Catholicam apud Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis.

PROOEMIOLVM.

1 Formata, & porrecta modo dicto alicuius delinquentis accusatione per Promotorem Fiscalem, statim hic ad probanda crimina, de quibus illum accusauit, animum applicare debet, vt optimè docet Simanc. dict tit. 53. num. 7. sic. Vbi autem, inquit, fuerit à iudicibus concessa dilatio ad probandum, producet contra reum testes, petetque vt examinentur, et eorum dicta rata fiant.] ita ille. 2 Probabit verò talia crimina, vel per testes, vt plurimum fit; vel per alias species plenæ, et semiplenæ probationis, de quibus nos 2. lib. per diuersa capita copiosè egimus, et infra iterum, quando de probationibus, et indicijs, vel ad torquendum sententia interloquutoria, vel ad condemnandum sententia definitiua nobis erit sermo, necessariò inculcabimus. Probatis itaque delinquentis accusati criminibus, et impinguato sufficienter processu, ac reducto in eum statum, vt Fiscalis suam intentionem fundatā habeat: Nihilominus, siue ex eo reus conuictus, vel confessus appareat, siue negatiuus saltem ex parte, vt quoad intentionem, in crimine hæresis; haudquaquam deueniri potest ad vllum actum condemnatorium, nec ad subijciendum eum torturæ pro vlteriori veritate habenda, quin priùs concedantur ipsi defensiones, vt valeat crimina obiecta diluere, et contra personas, ac dicta testium opponere, excipereque illa, quæ ad innocentiam suā osten-

3 ostendendam conducere iudicauerit. Proinde consequenter post traditam doctrinam de accusatione facienda, & prosequenda per Fiscalem, cuiusque delinquentis, maximè contra Fidem; nunc de defensionibus, et exceptionibus ipsi concedendis meritò tractationem instituimus, quæ pro quibusuis Tribunalibus, nedùm pro nostro S. Officij, poterit inseruire.

REGVLA CCCXXXVI.

Quid, defensio? quid exceptio? & an, ac qualiter ipsa delinquentibus, maximè S. Officij, sint danda?

4 EXprimitur defensio, quòd sit instantis, seù imminentis periculi propulsatio: Exceptio verò definitur, quòd sit defensio, quæ reo competit, contra actionem, quæ est 5 in eum. Regulariter autem loquendo, cuiuis reo etiam inquisito in Tribunali S. Inquisitionis, dantur quouis tempore defensiones, & exceptiones legitimæ, quamuis eas ipse non petat; imò quamuis reus eis renunciet, cum 6 id facere nequeat. Reo item ad se defendendum assignatur, vt plurimum, trium dierum terminus; qui sicut à Iudice, vel Inquisitore elōgari potest, ita et à reo breuiari, renunciādo ei ex parte. Conceditur et reo ad defen- 7 sionem ipsius, Aduocatus, ac procurator, et curator minori.

8 SVb eodem cap. defensiones, & exceptiones reorum meritò coniungimus, et explicamus, vt Castrus Palaus sub eodē pun. 1. tract. 4. disp. 8. (Quidquid velit Sousa eas diuersis capitibus, nempe 29. et 34. lib. 2. Aphoris. seiungens, et explicans) cum ad eundem finem tendant, et simul coincidant in ostendendo reum innocentem, saltem ex parte.

9 Hinc per defensionem describitur exceptio, tanquam per quid isti genericum, vt patet ex definitione à nobis secundo loco proposita in Regula ex Syluest. ver. exceptio, et ex Doctoribus in l. 2. ff. de excep. quæ descriptio eius per se perspicua est, et manifesta: sicut et alia defensionis ibi priori loco tradita, nec maiori indigent declaratione.

10 Quod defensiones, et exceptiones sint regulariter reis dandæ, nullus Doctorum dubitat, cum hoc ex vi iuris naturalis debeatur, vt deducitur ex Clemen. Pastoralis, § cæterum, de sentent. et re iudic. et Clem. sæpè de verborum signific. l. vt vim, et ibi scribentes 11 communiter. Quod sint dandæ ante torturā expresse in l. vnius, §. cogniturum, ff. de quæstion. & in l. defensionis facultas C. de iure Fisci. Calder. tract. de hæreticis, rubric. de materia processuum nu. 3. Boss tit. de heret. num. 9. Simanc. Cathol. inst. tit. 65. nu. 16. et 17. Pegna 3. par. direct. commen. 28. vers. ac defensiones iuris, et post alios, quos citat Farinac. crimin. prax. quæst. 39. n. 1. et de hæres. 12 quæst. 185. §. 14. num. 216. Ratio est, quia iudex, seù Inquisitor quoad inquisitum in S. Officio, debet ex munere suo rei defensiones quærere, eo quòd teneatur veritatem inuestigare; sed nulla alia via aptior occurrit ad veritatem vestigandam, quam concessio defensionum iure debitarum: ergo, &c. Ita probat Castrus Palaus, ibid. n. 1.

13 Ob prædictam rationem dari debent reo, seù inquisito in materia fidei, vt se defendat, omnia indicia contenta in processu, et dicta testium, suppressis istorum nominibus. Ita Anton. Gomez var. resolu. tom. 3. cap. 11. de tortura reorum, num 21. Iul. Clar. in pract. § fin. quæst. 49. vbi ait hanc doctrinam esse cōmunem; Pegna 3. par. direct. commen. 110. vers. Postremo, et cum alijs multis ab ipso re- 14 latis Farinac. dict. q. 39. num. 2. Tenetur autem iudex, seù inquisitor, copiam dictorum indiciorum ad suam defensionem dare reo, 15 seù hæretico, etiam si iste non petat; Imò quamuis defensionibus ipse renunciet, quia hæc renunciatio defensionum ab eo facta nullius valoris existit, nisi in casibus, vbi non est locus defensioni, de quibus agetur. Idem Ant. Gomez cap. 13. vers. secundò poterit probare Menoch. de arbit. quæst. 7. nu. 9. & Farinac. dict. quæst. 39. à num. 51. Atque inde patet, quia defensiones sunt de iure naturæ, & nullus est dominus membrorum suorum, Gloss. in cap. Quoniam contra, de probat.

16 Assignandus etiam reo, seù hæretico ad suā defensionem competens terminus, qui trium dierum communiter esse solet, secundum Tranquil. Ambrosinum, lib. 3. de modo formandi process. informatiuum cap. 1. num. 23. & Farinac. crimin. quæst. 39. num. 12 vbi ait adijciendam esse clausulam in concessione talis termini, *& plus, & minus arbitrio Iudicis.*

17 Vnde bene affirmat ipse Farinac. ibidem n. 4. plures terminos debere reo concedi, seu eam dilationem, quæ censetur necessaria ad indicia contra ipsum reum contenta in processu diluenda. Ita ante Farinac. Simanchas in Enchir. viol. Relig. tit. 35. nu. 12. Pegna dict. vers. Postremò, Decia. crim. lib. 5. c. 36. num. 4. & alij.

18 Verùm, sicut in concessione dilationis termini intelligitur reseruata potestas iudici, seù Inquisitori reuocandi eam, quando iudicauerit expedire, vt docent Gloss in cap. fin. de hæretic. in 6. ibi Ioannes Monachus, nu. 1. & Farinac. de hæres. quæst. 185. §. 14. num. 226.

19 Pari modo arbitrarium est reo, seù hæretico, renunciare ex parte termino sibi per iudicem assignato, quando non inuenit aliquid ampliùs in quo defendat se. Gomez de potest. hominis in seipsum, lib. 1. cap. 17. n. 29. & cum alijs Carena, 3. par. tit. 9. §. 19 num. 92.

20 Ratio est, quia terminus defensionum est de iure positiuo, cum statuatur à Iudice lōgior, vel breuior arbitrio: ergo ex causa saltem rationabili, tam à reo, quam a Iudice, poterit aliquando breuiari.

Quoad

21 Quoad circumstantiam temporis, dixi in Regula, dandas esse defensiones, & exceptiones quouis tempore, nimirum in qualibet parte iudicij, non solùm ante torturam, vt iā ex Iure ostensum, & ante sententiam; sed etiā post sententiam. Cum Vmbert. Locat. in iudiciali Inquisitor. in verb. processus, nu 6. Repertor. Inquisitor. in verb. Defensores, vers. defensio rei. Pegna, 3. par. Direct. comment. 28. num 117. & cum alijs ab ipso relatis, Farinac. de hæres. quæst. 185. §. 14. nu. 125. [Pro-22 batur efficaci ratione, quia dum est locus, & tempus, se defendēdi, nulli vnquam defensio deneganda est, cum hæc sit de iure naturali, quod quouis tempore obligat; ergo etiam post sententiam dandæ sunt reo defensiones.

23 Circa qualitatem personę inquisitæ, dixi concedendas defensiones, & exceptiones iuris reo, quantumuis facinoroso, etiam inquisito in Tribunali S. Inquisitionis de quibuscunque erroribus contra fidem, tametsi sit relapsus, si se esse relapsum neget. Tradunt Eymer. 3. par. director. rubric. defens. reorū num. 117. & ibi Pegna, commen. 28. Repert. Inquisit. verb. Citatio, & cum alijs Farinac. de 24 hæres. qu. 181. §. 14 n. 210. Qui, nu. 218. benè addit: tametsi hæreticus sit malæfamæ, & vitę, & nō declaret, quas velit facere defensiones, dandas ei esse, etiam non petenti. Adducit Anton. Sousa. lib. 2. Aphorism. cap. 29. num. 3. & conuincit totam hanc doctrinam eadem ratio pro doctrina præcedentis paragrafi, & aliorum adducta.

25 Dein patrocinium vnius, vel plurium Aduocatorum, & Procuratorum ad defensiones, & exceptiones formandas, reo seu hæretico, qui talem se esse negat, concedi debet à Iu-26 dice, vel Inquisitore. Vnde dum illæ formantur, vt reus cum suis Aduocatis, Procuratoribus, &c. conferre possit, constituitur, vt dici solet, ad largam, seù in carceribus publicis. Probatur, quia cum defensio sit de iure naturali, omnia ad eius exequutionem necessariò requisita reo concedantur, oportet: ergò tale patrocinium necessariò, vt per se patet, requisitum ad defendendum reum, concedi ei debet. Docent Simanc. Cathol. instit. tit. 5 n. 2 27 Pegna, 3. par. direct. comment. 28. (Vbi benè ait, quòd non indigeat reus Aduocato, quoad ea, quæ fatetur,) et Farinac. de hęres. quęst. 197. §. 3 et crim. quæst. 39. n. 13. exprimit, de reponendo eo in carceribus communibus.

28 Quod nequaquam fuit vsu receptum in vllo Tribunali S. Officij, imò neque in alijs Tribunalibus, quando delicta sunt atrocissima, vt ipse Farinas. limitans, ait, n. 14.

29 Si reus, aut hæreticus fuerit minor 25. annis, vel 18. pro Regno Siculo, & hac Insula Melitensi, locisque ei adiacentibus, iuxta legē illius Regni, quā Melita sequitur, præter dictū patrocinium aduocati, &c. assignandus est ei curator, seù tutor, sub cuius auctoritate sit & 30 defendatur in iudicio. Quod si aliquid sine curatore cum minore gestum sit, ipso iure irritum censetur, et nullum. Pegna par. 3. direct. rubr. de defensionibus reorum. num. 117. comment. 28. & Farinac. crim. qu 81. cap. 10. 31 nu. 352. vbi copiosè totum id probat. et nu. 367. addit ex mente omnium; quòd loco curatoris sufficiat procurator legitimus à Iu-32 dice assignatus. At cum Aduocatus vices procuratoris suppleat, vt notat benè Castrus Palaus, vbi supra n. 5. sub finem; hinc fit, vt ferè nullus sit vsus procuratoris, aut curatoris pro reo in materia fidei apud Tribunalia S. Inquisitionis, maximè apud nostrum Melitense: nec in hoc ampliùs immoremur.

33 Finem imponamus huic Regulæ, relatis quibusdam Farinac. verbis, de hæres. q. 185. §. 14. nu. 211. quibus magis exprimit obligationem strictissimam Iudicis seù Inquisitoris exequendi prædicta, adducto exemplo supremi Tribunalis Vrbis. Amplia, 1. inquit, vt imò iudex ex officio teneatur inquirere defensiones pro reo inquisito; et propterea etiam non petenti, copias indiciorū dare.] et paulò 34 post. Hæc inquit, ampliatio recepta est in supremo Vrbis, et totius Christianæ Reip. S. Inquisitionis Tribunali, in quo inquisito, et carcerato de hæresi etiā non petenti, offeruntur copiæ processus, et indiciorū, vt se ipsum de-35 fendere valeat. Imò in hoc S. Tribunali non solū, vt dixi, non petentibus offeruntur defensiones, et copiæ indiciorū; sed etiā Iudex, vbi putat rei innocentiam aliquo modo detegi posse, illam omni cura, et vigilantia quærit, & ex officio, eiusdem rei defensiones facit, iuxta textum, in l. & si non defendantur, ff. de pœnis.] ita egregiè quidem Farinac.

An aliquandò quibusuis reis, præcipuè inquisitis in S. Officio, sint defensiones negandæ?

REGVLA CCCXXXVII.

36 NEgantur cuiuis reo defensiones quoties eius delictum est publicum, ac prorsùs notorium, & quando fuit captus in fragranti: probabilius tamen censetur, quod reo con-37 fesso, et conuicto negandæ non sint. Statutū verò Principis disponens circa defensiones non concedēdas in criminibus exceptis, seù atrocissimis, interpretandum de defensionibus iuridicis, seù secundum iuris positiui dispositionem; non tamē de naturalibus cuilibet reo quantumuis facinoroso debitis. Hæ-38 retico item pertinaci, aut volenti probare non esse hæresim, quæ verè hęresis est, nullo 39 modo dandæ defensiones. Denique sicut defensiones calumniosæ sunt negandæ; ita exceptiones friuolę, et inutiles non admittendæ.

---

40 CErtum omninò est apud omnes, nullam competere reo defensionem, si crimen eius sit notorium, aut publicum, et nullo modo

do ipsi dandam, si repertus in fragranti delicto fuerit, atque posse contra eum procedi ex abrupto, non seruato ordine, nec forma iudicij. Ita Menoch. de arbit.lib.1. quæst. 17. num.15. Decian.conf.18.num.6.vol 1.Marsil. in l. vnius, §.cogniturum, ff.de quæst. in penult.col.Seraph. de Seraphinis. in tract de priuil. 132. post num.4. Grammat. in decis. 36.num.69. & præter alios ab ipso relatos Farinac.crim.quæst.39.nu.103.& seqq.

41 Quamuis autem idem Farinac.ibid.n.102. decidere videatur cũ Paris de Puteo in tract. de synd.verb.condemnatio.cap.4.n.13.& cũ alijs,in crimine blasphemiæ non esse locum defensionibus.argumento l.famosi,& l.quæstionibus.ff.ad legem Iul.Maiest. adducitque casum singularem ipsius Paridis his verbis.

42 Quòd cum esset Commissarius Regni, & transiret syluas,in quibus erant pastores, & ex his vnum audiuisset alta voce Deum blasphemantem, illum capi fecit, & examinatis testibus,qui vnà cum ipso aderant, illico nulla data defensione, sibi linguam incidi, & in arbore quadam illius nemoris affigi iussit.]

43 ita ille. Qui nihilominus benè concludit cũ Boër.decis.301.nu.11. & cum Clar. in pract. §.blasphemia, versic.Reperio etiam, parem esse rationem de blasphemia, atque de alijs delictis in concedendis defensionibus, & nil mirum absque eis fuisse condemnatum illum pastorem; quia eius crimen blasphemiæ no-

44 torium,ac publicum erat Firmum itaque,& certum prorsùs maneat, in delictis notorijs, & reperto reo in fragranti,non esse dandas ei defensiones, quia superuacaneæ, et inutiles erant.

45 Est autem dubium,& controuersum inter Doctores,an reo confesso, vel conuicto negãdæ sint defensiones? Quòd debeant negari, tenent Carrerius tract.de hæreticis,nu.131. Campeg in addition ad Zanch.tract. de hæretic. cap.9. vers. indiciorum verò copiam, Eymeric par 3. direct. n.117. in princ.,& videtur in idem inclinare Pegna ibi. cõment. 28.vers.ex his ergò. & loquuntur præcipuè isti

46 Auctores de hæretico confesso. Ratio pro isto peculiariter est, quia cum eius delictum in mente cõsumetur, si ipsum hæreticus manifestet,& proprio ore fateatur coram iudice, nihil superest ad infringendam hanc probationem adeò validam,& quæuis defensio erit superflua,& inutilis: ergò hęretico confesso nequaquam danda; ergò neque alijs delinquentibus similiter confessis aut conuictis, si constet de corpore delicti,vt supponitur.

47 Probabilius tamen censetur oppositum, & vt benignius amplectendum, dandas scilicet esse reo, aut hæretico confesso, vel conuicto defensiones iuridicas antè,vel post sententiã. Ita idem Pegna vbi suprà, Simanch. Cathol. instit.tit.17.nu.1.Farinac. de hæres. quęst.185. §.15. et crimin.quæst.39 num. 8.Sousa lib 2. Aphorism.cap.29.num.4. & Castrus Palaus, tract.4.disput.8 pun.6. num.3. quibus addo Carenam,3.par.tit.9.§.1,num.5.

48 Ad sic affirmandum ea congruentia ducitur Pegna, videlicet,ne delinquens vllo tempore conqueratur se iniustè fuisse condemnatum.Sed potissima ratio est, quia reus aliqua cõtra propriam confessionẽ deducere potest,vt quòd fuerit timore facta;similiter contra testes,à quibus ille conuincitur: ergo &c.

49 Sed quid, si Princeps supremus ecclesiasticus, aut sæcularis statutum edat, prohibens in aliquibus delictis atrocibus defensiones dari? Discutit hoc copiosè,et perdoctè,vt solet,Prosper Farinac.dict. quæst. 39. à num.18. ac primo ponit vt omninò certum,non posse Principem absoluta potestate tollere defensionem; quæ ex vi iuris naturalis introducta est,Clemen. Pastoralis,ibi,Cum illa Imperatori tollere non licuerit.vbi Gloss. in verb.licuerit,& alij auctores communiter, & instit. de iure natur. gent. & ciuili, cap.1. de causa poss & propriet. in fin.ibi,Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.

50 Vbi loquitur legislator in ciuilibus, quantò magis ita erit in criminalibus? in quibus tradunt,etiam,vt certum Bald.in l.3 §.is,pro quo,vers in eadem gloss.ff.quòd quisque iur. Conrad.in pract.tit.de præced. ante defin.& defens.num.4.Iul.Clar.pract. §.fin. quæst.49. vers. & hoc adeò verum est; & alij multi relati ab ipso Farinac ibidem. Hoc itaque posito,

51 Tale Principis edictum, seu statutum, si prodeat prohibens defensionem reo, interpretari debet de iuris positiui defensionibus, nimirùm cum terminis, & exceptionibus ex lege humana introductis,cum forma,& stylo particulari:hæc enim et similia Princeps sine

52 dubio tollere potest. Nam sicut eius potestas extenditur ad introducenda aliqua in causis tractandis seruanda; ita etiam ad illud iam conditum,et ad hæc iam introducta tollenda. Ita Afflict. decis.391. post, num.3. citans pro hac doctrina Alexand in l.sicut iniquum, §.si is,pro quo, ff quod quisque iur. Paris de Puteo in tract. de syndic. verb. commendatio cap.4. et præter ab ipso relatos idem Fa-

53 rinac.d.quæst.39.num.24.limitans paulò antè dicta ait,cum Decian. in cap.delicti,n.36. de exceptionib.et cum alijs,quòd possit Princeps aliquando defensionem iuris naturalis reo negare ex causa graui vrgenti,vel ex alio iure naturali magis stricto ad id inductus; vt quando timetur de tumultu populi, vel de Reip. ruina, si talis defensio ei concedatur.

54 Sed benè addit ipse Farinac. tunc non solum Principem,sed quosuis etiam Iudices ordinarios,posse licitè talem defensionem illi negare,imo et ad id teneri, vt patet.

55 Expendit item idem Farinac casum singularem ibid. num.22.An Sixtus Papa V. mandauerit, quosdam torquere contra superiùs à nobis resolutum, negatis defensionibus, & copijs indiciorum? Atque respondet negatiuè per sequentia verba. Ego tamen, inquit, qui dictum mandatum in actis registratum vidi,testari possum, quòd ibi Summus Pontifex

lex mandat illos, sic denegatis defensionibus torqueri, non simpliciter pro habenda veritate; et sic pro habendis complicibus, et alijs qualitatibus; quo casu, etiam de iure cōmuni potest reus torqueri absque eo, quòd copia indiciorum sibi decernatur. Vndè nihil in eo mandato, quod à iure cōmuni discrepet, continetur.] sic ille. Ex quibus obiter decisum manet, quòd propriè significat modus iste loquendi *pro vlteriori veritate habenda*. Et quòd pro habendis complicibus, & alijs qualitatibus, possit reus de iure torqueri, non concessa ei copia indiciorum, neque defensione.

57 Quòd autem hæretico pertinaci nullo modo competat defensio, per se patet, & videtur de iure naturali, & diuino; cum nolit audire Ecclesiam, & sit absque vlla miseratione condemnandus: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Matth. 18. Pegna. 2. part. direct. commen. 10. vers. In hac difficultate. Farinac. de hæres. qu. 185. §. 14. num. 225. & quæst 157. §. 3. num. 70. &

58 Sousa, lib. 2. Aphorism. cap. 29. num. 10. Qui idem prorsus docent de inquisito S. Officij, volente probare aliquam speciem hæresis, quæ verè hæresis est, sicque constat, non esse hæresim; quia par est ratio de isto, atque de pertinaci, seù obstinato in suo errore, cum renuat acquiescere veræ doctrinæ ab Ecclesia, & à Sanctis Patribus traditæ.

59 Dixi, quæ verè hæresis est, sicque constat; nam si non constet esse hæresim, nequaquam tali reo negandæ sunt defensiones, nec copia indiciorum contra ipsum; ob rationem communem dictam, quia nullus indefensus est condemnandus, cum defensio sit de iure naturæ; & ob particularem, quia reus sic intendens probare non esse hæresim, quam esse adhuc non constat, potest habere, imò habet, vt supponitur, animum præparatum ad reijciendam doctrinam quamlibet, vbi primum ex definitione Ecclesiæ, aut aliundè hæreticā, aut contra communem sensum Catholicorum esse sciuerit. Ita cum citatis Pegna, & Farinac. affert Sousa dict. num. 10.

60 Verū consequenter prædicto hæretico pertinaci, aut volenti probare non esse hæresim, quæ, quòd sit, constat, denegari debet dictum patrocinium, Aduocatus, &c. & quicunq. in hoc illum patrocinari ausus fuerit, illico hæ-

61 reticus, aut fautor hæreticorum censetur. Facit pro hoc constitutio Nicolai Papæ III. de anno 1281. edita, incip. Nouerit Vniuersitas, relata per Pegnā in fine direc. fol. 67. & magis in specie afferunt Hostien. in cap. 1. si aduersus, num. 1. extra. de hæretic. Carer. in tract. de hæretic. n. 29. et Farin. de hæres. q. 197. §. 3. n. 55. & 70. facit etiam tex. in cap. final. de hær. in 6. nec maiori hoc indiget probatione.

62 Secùs verò erit, si Aduocatus patrociniū porrigat alicui, etiam reo Sancti Officij, credens hunc non esse hæreticum, vel nesciens eius pertinaciam, aut dictam voluntatem probandi non esse hæresim, quæ reuera est.

63 Quamquàm vbi primum ista cognoscit, tenetur non solùm à dicto patrocinio desistere, et exhortari reum, vt veritatem fateatur, sed etiam ipsum illico Inquisitoribus denunciare. Circa hæc præter alios, legendi præcipuè Simanch. Cath. inst. tit. 5. n. 3. et in Enchirid. tit. 42. à n. 2. et Farinac. de hæres. q. 197. §. 3.

64 De non admittendis exceptionibus friuolis, et inutilibus quid? Respondeo breuiter, quòd tales censeantur illæ, quæ probatæ non prosunt, & propterea haud sunt admittendæ ad defensionem reorum l. Ad probationem 21. vbi scribentes, C. de probat. et cap. inter Monasterium, vbi Abb. num. 15. de sentent.

65 & re iudic. E contra verò exceptiones, quæ probatæ releuant excipientem, & conducunt ad eius defensionem, legitimæ habentur, & admitti debent, etiam pro inquisitis in Sancto Officio. Gloss. 1. in cap. Super eò, de appellat.

66 et ibi Abbas. Atque intelligitur, siue dictæ exceptiones sint contra testes, et alia indicia, siuè contra ipsos iudices, aut Inquisitores. Pegna, part. 3. direct. commen. 30. vers. cæterum. Farinacc. de hæres. quæst. 185. §. 15. numer. 236. et Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 34.

67 num. 2. 3. et 4. Qui cum Eymerico 3. par. direct. num. 120. et cum Pegna, ac Farinacc. citat. bene notat, exceptiones non posse formari contra Inquisitores, nisi ex solis inimicitijs grauibus, capitalibus, vel ex causis talium inimicitiarum. Sed hoc iam coincidit cum materia, de accusatione, de qua initio 2. lib. satis diximus.

68 Superest proferre vnum verbum circa defensiones calumniosas. Circa hoc duo sunt omnino certa apud omnes, vt cum Felino, in cap. Pastoralis, §. quia verò, num. 15. extra, de offic. et potest. iudic. deleg. et cum alijs

69 tradit Farinacc. crim. quæst. 39. à num. 105. Primum, quòd negari semper debeant defensiones calumniosæ. Ita Sousa lib. 2. aphoris. cap. 29. num. 9. Secundum, quod tunc sint defensiones calūniosæ quando eas petit reus, aut inquisitus in sacto Officio, cui nullo modo competunt, et calumnia ipsius manifestè apparet, quia talis reus, aut inquisitus eas petit à Iudice, seu Inquisitore, non, vt ostendat se innocentem, sed vt in longum protrahat condemnationem.] Ita præter citatos Felinum, et Farinac. afferunt Bossius. de iudic. num. 80. Alexan. consil. 65. num. 5. vol. 1. et Grammat decis. 36. n. 69.

71 At quando certum sit (inquit Farinacc. num. 106.) reo defensionem non competere, item, quando defensio dicatur per calumniam petita, hoc opus, hic labor est. Ego enim credo posse dari alios casus, quam illos, qui sunt expressi in iure, & de quibus aliqua supra posuimus exempla, videlicet, in notorijs, & in fragranti.] ita ille. Et addit hoc esse in quouis Tribunali omninò seruandum, et nō permittendum, vt relinquatur in potestate iudicis, aut Inquisitoris denegare reo defensiones, et deinde dicere, hoc feci, quia per calumniam id petebat, vel quia sciebam ei nul-

lam competere defensionem] ita ille.

73 Discutit autem ipse Farinacc. aliquos casus, an] in eis dandæ sint defensiones; præcipuè illum [de insignibus furibus, latronibus, seù alias facinorosis hominibus; & resoluit cum Bald. in authent. sed nouo iure, num. 11. vers. Item circa præsentem. C. de seruis fugitiuis. Boss. in tit. de iudic. & consideratio. ante torturam, num. 16. Marsil. in l. 1. in princip. numer. 43. ff. de quæst. et cum alijs, nullo modo esse eis concedendas, idque non ob atrocitatem delicti, sed ob notorietatem eius: communiter enim tales fures, & facino-74 rosi delinquentes notorij sunt. Quòd si quis ex ipsis fuerit occultus, defensio ei neganda non est. ex mente eiusdem Farinac. dict. quæstion. num. 109. Boss. citati, & aliorum Doctorum.

75 Alium casum, qui in quouis Tribunali occurrere potest, memini aliquoties occurisse in nostro Melitensi, Sanctæ Inquisitionis, de teste falsum deponente, adducit idem Farinac. et pertractat copiosè dicta quæst. 39. à num. 116. an ei negari possint defensiones, antequàm torqueatur? Circa ipsū, vt alias in Vrbe discussum per duos illius temporis celeberrimos Aduocatos valdè eruditos hinc inde proponit allegationes, et ex eis cum distinctione tandem concludit, num. 148. per sequentia verba.

76 Quando de variatione, seù mendacio conuincitur reus ex suo proprio dicto, seu confessione, aduersus quam probabilirer nihil deducere possit, cum certum sit testem esse varium, seu mendacem; tunc videtur iure optimo, et iam non datis defensionibus, contra ipsum posse ad torturam procedi, per 77 superius allegata. Verum si de mendacio testis constaret aliunde, vt puta per testes alios, qui dicerent ipsum testem fuisse præsentem alicui delicto, et ipse negaret; tunc non videtur de iure ipsi posse auferri facultatem probandi (si petat) illos testes contra ipsum examinatos, esse, vel falsos, vel inimicos, vel aliàs de iure inhabiles, et non pro-78 bantes.] ita ille. Cuius decisio valde mihi placet, quam ante ipsum tradidit Franc. Personal. in tract. de indic. num. 33 vbi propterea reprobat Boss. in tit. de testib. num. 39. dicentem, quòd indistinctè propter timorem subornationis sibi magis placet, quòd testi denegentur defensiones, etiam quòd de mendacio aliunde, quàm ex suo dicto conuincatur; sed meritò id reijcit Farinac. ibid.

79 Cum autem tradita hactenùs de concedendis, vel negandis reo, aut inquisito de hæresi, defensionibus, & copijs indiciorum, intelligantur ante inflictionem torturæ; restat videndum, an eadem seruanda ante eius repetitionem, vbi de iure tortura repeti potest, vt videbimus infra. Nunc paucis accipe quod multis affert Farinac. dict. quæst. 39. num. 160. circa propositum dubium.

80 Videlicet, quòd negari debeant copiæ indiciorum, et defensiones reo, vel inquisito apud Tribunal Sanctæ Inquisitionis eas petenti in repetitione torturæ, cum censeatur ipsas calumniose petere; ob eam rationem, quia non purgatis indicijs per primam torturam, subsequens tortura non dicitur noua tortura, sed continuatio primæ. Ita Pegna 3. par. direct. comment. 54. vers. Cæterum vt hic locus. Flam. Cartar. in pract. interrogat. reor. lib. 4. cap. 1. num. 161. et Farinacc. citat.

81 Qui num. 165. meritò limitat, vt non procedat præcedens doctrina, sed concedendæ defensiones sint, quoties repetenda tortura, non propter antiqua indicia vrgentia, et non bene purgata, sed propter emergentia de nouo; quia tunc non est continuatio torturæ, sed noua tortura: ergo dandæ sunt nouæ defensiones. sic ille cum Franc Pegna, et Flam. Cartar ab ipso cit.

82 Affirmat item limitando Farinac. num. 166. esse concedendas defensiones reo ante repetitionem torturæ; Quando, inquit, reus tortus, et confessus, non vellet ratificare suam confessionem, allegans illius errorem, et offerens se talem errorem probaturum; quia tunc, antequàm iudex ex reuocata confessione illum repetat in tormentis, debet eum ponere ad largam, cum termino ad docendum de allegato suæ confessionis errore, vt dixi supra in antecedent. quæstion. numer. 100. & seq. hic non repeto.] hactenùs ille.

83 Limitat etiam Farinacc. ibidem num. 161. et ait cum Marsil. in l. 1. § Si quis vltro. num. 72. ff. de quæst. quòd debeat Iudex, aut Inquisitor supersedere à repetitione torturæ imò ab exequutione sententiæ, si iam reum condemnasset, datis ei nouis defensionibus, donec videat, an sit verum id, quod reus de nouo allegat; vt si imputatus de homicidio per maleficium illato, dicat Inquisitori se velle probare, quòd ille, qui taliter ab ipso occisus prætenditur, adhuc vi-84 uat. Ratio est, quia quod reo prodest, et fisco non nocet, facile illi semper concedi debet. l. 1. §. idem aiunt, aquam, ff. de aqua plu. arcen. l. 2. § Item Varius, in fine, eod. tit. l. rescripta, C. de precibus Imperat. offer. cum alijs ad propositum perpensis à Cartar. in prax. interrog. reorum lib. 4. cap. 1. num. 187. ergò cum ad effectum inquirendi veritatem non noceat fisco, supersedere ab exequutione sententiæ, vel repetitionis torturæ, et reo prosit defensiones dari; in tali casu vtrumque Iudex efficere tenetur. Ita ibidem Cartar. præter Marsil. et Farinaccium citatos.

85 Prædicta autem doctrina maximè locum habet, quando iudex, seu Inquisitor subiecit torturæ reum ex processu solo informatiuo, et ipse non petijt copias indiciorum. Nam tunc, si ante repetitionē torturæ petat eas, et defensiones sibi dari, nullo modo ei denegari possunt. Ita cum Cartar. loc. cit. num. 206. tradit idem Farinac. num. 63.

Dixi

86 Dixi ex processu solo informatiuo; nam secus iudicant ijdem Cartar. num. 193. & Farinac. cum Marsil. in l. vnius, c. cogniturum, num. 3. ff. de quæst. Si ex legitimo, & publicato processu, ac ex testibus, vel parte citata repetitis, vel ad eius faciem confrontatis, iudex ad torturam processit, non petente reo defensionem, nec copiam indiciorum. Quo ca-

87 su poterit idem iudex ad repetendam torturam, negatis defensionibus, et copijs indiciorum, deuenire, etiamsi reus ante illius repetitionem eas petat: eo quòd sumus non in noua tortura, sed in continuatione primæ, & sibi imputet reus, quòd ante primam torturam defensiones non petierit: atque his pro præsenti Regula satis.

Vnde, & qualiter defensiones formandæ, & exhibendæ, vt finis à reo, maximè S. Officij, intentus proueniat?

REGVLA CCCXXXVIII.

88 Diuersis ex capitibus desumi potest defensionum formatio, et exhibitio, tùm pro reo, aut inquisito apud Tribunal S. Inquisitionis, à quauis sententia condemnatoria liberando; tum pro eius condemnatione, saltem ex parte, quoad torturam, et pœnam mi-

89 nuenda. Pro primo conducit omninò negare imputata crimina, et diluere quæcunque indicia, maximè desumpta ex dictis testium.

90 Qui repetendi sunt cum interrogatorijs ex parte inquisiti, sicut è contra testes ab hoc producti, cum interrogatorijs ex parte fisca-

91 lis. Pro secundo verò, de minuenda rei condemnatione, faciunt plurima, ex eius qualitatibus, et circũstantijs, ac aliundè proueniẽtia; vt quod reus fuerit minor, ignarus, ebrius, dormiens, &c. quæ sigillatim attingentur.

---

92 IAcobus Simancas Episcop. Pacensis lib. de Catholicis instit, tit. 17. copiosè, et eruditè præ cæteris scriptoribus antiquis tractat de his capitibus, vnde defensiones reorum (sermo est ei præcipuè de hæreticis) formari, et exhiberi possunt; sed ex recentioribus copiosiùs Cæsar Carena, in tract. de Officio Sanctissimæ Inquisitionis tit. 9. Ex vtroque, et ex alijs pro nostro instituto nonnulla compendiosè attingemus.

93 Per se patet, quòd primarius, et præcipuus finis reorum cuiuslibet Tribunalis in suis defensionibus sit, ab omni sententia condẽnatoria se liberare, ad quem obtinendum expedit omninò, vt illi probent innocentiam suam: nam in huius probatione primam, et præcipuam ipsorum defensionem consistere, negatis criminibus imputatis, benè ait Simanc. loc. cit. num. 2. Probari autem posse dupliciter innocentiam adiungit ibid. §. 3. num. 9.

94 Carena. Primò, directè ostendendo per euidentiam facti, quod res aliter se habeat, vt docet Iul. Clar. §. fin. qu. 52. in princip. Exemplificat Carena sic, vt si quis grauetur, quòd in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, et in tali Altari imaginem Crucifixi fregerit, et constet per euidentiam facti, eam imaginem non esse fractam, illius innocentia probata manebit. Si-

95 militer maleficam esse innocentem cõstabit, si probet adhuc viuere illum puerum, cuius mors per sortilegium maleficum ipsi imputatur.

96 Secundo, indirectè probari potest reorum innocentia, ostendendo veram esse negatiuã coarctatam, quòd talia crimina non commiserint, ex circumstantijs loci, et temporis, quoad seipsos, vel quoad testes: vt si reus plene probet se tempore commissi delicti fuisse in loco valdè distanti ab eo, in quo delictum cõmisisse dicitur, eius innocentia plenè probata erit. Ita Clar. dict. quæst. 52. vers. item potest. Simanc. vbi supra num. 7. et Carena dict. §. 3. n. 10. Qui cum Cantera per ipsum

97 citato, benè aduertit, quòd talis probatio negatiuæ coarctatæ haud iuuaret maleficum, qui habet commercium cum Dæmone, à quo de loco ad locum distantem velocissimè trãs-

98 ferri possit. Quoad testes verò sic, vt ait idem Carena, n. 11. his verbis; Puta, inquit, Titius, et Seius deponunt, me die 6. huius mensis in Ciuitate Cremonæ, ipsis audientibus, blasphemasse hæreticaliter: ego probo, dicta die, Titium, et Seium fuisse Romæ: certè ista probatio rei elidit probationes fisci, et testes possent puniri de falso.] ita ille cum eodem Cantera.

99 Probatur item dicta innocentia, et euacuantur indicia præcipuè desumpta ex dictis testium, per actus virtutum à reo executos, oppositos criminibus, quæ ei imputantur: vt si reus in Tribunali S. Inquisitionis grauetur, quòd negauerit veritatem circa existentiam Purgatorij, et ipse plenè probet se pro defunctis sæpius orasse, pro eisque Missas non paucas celebrari fecisse, ac officium defunctorũ

100 pluries recitasse. Quæ probatio ad dictum effectum ostendendi innocentiam reorum, et euacuandi indicia producta à fisco, maxima censetur, iuxtà cap. cum in iuuentute, extrà de præsumptio. Simanc. dict. tit. 17. n. 58 cum Bertrand. consil. 37. lib. 2. et Carena, ibid. num. 13.

101 Vt defensio per repulsam testium à fisco productorum, excipiendo contra eorum personas, dicta, examen, &c. quæ inter species defensionum præcipua, et maxima est, secũdùm Simanc. ibid. num. 9. Sousam, lib. 2. Aphoris. cap. 34. n. 8. et alios ad supradictum finem benè fundetur, oportet omnino, vt exprimatur specificè eorum delictum (ex quo fides ipsorum minuitur) vnà cum loco, et tempore, quo fuit patratum. Ita Caren. dict. tit. 9. §. 4. num. 15. cum Iul. Clar. quæst. 53. vers. ca-

102 ueant tamen. Vbi adducit praxim aduocatorum in exceptionibus continentibus crimina testium; apponendo clausulam, citrà animum iniuriandi.

103 Aduertit optimè hic idem Carena n.16. per sequentia verba: Quòd conspiratio, de qua maximè pertimescendum in S. Officio, & cui Inquisitores ex officio totis viribus, & toto conatu occurrere debent, est delictum difficillimæ probationis, cum nulli illud sciat, nisi ipsimet conspiratores. Lud. Gilhauf. in 104 arb. crim. cap.6.p.1. §.21. nu.1. Ideò communiter Doctores dicunt huiusmodi conspirationem probari per testes singulares, etiam conspiratores ipsos, etiamsi iurassent se sc cõspirationem non reuelaturos. Ita Gilh. dict. §.21. per totum, & Mascard. de probat. tom.1. 105 concl. 420.] hæc ille. Et quidem esse difficillimæ probationis delictum conspirationis, experti sumus aliquoties in nostro Tribunali Meliten. præcipuè in casu graui, tempore Illustriss. Fabij Chiggi; conspirauerant enim quatuor in materia sortilegiorum contra pauperem seruam, quæ quoties constituebatur, flebat, et exclamabat se esse innocentem, petebatque instantissime à B.V. Maria, vt id miraculo indicaret, vt fortè sic contigit. Nam 106 prudentissimo D. Inquisitore ex voto nostræ Cõgregationis expeditionem causæ differente, post aliquot menses vnus ex conspiratoribus, cum propter vxoricidium ad mortem fuisset damnatus, me inducente, qui curam eius animæ susceperam, totam conspirationem Illustrissimo Chiggio manifestauit. hincque serua illa à pęna saltẽ fustigationis, damnatis conspiratoribus, libera mansit.

107 Circa repetitionem autem testium, ad defensionem fundandam à reo inquisito, vel ad eam diluendam è contra à Fisco, solet hic discuti illud graue dubium: an in ea repetitione, et examine sint admittẽda interrogatoria rei inquisiti ad testes Fiscalis, et è conuerso, Interrogatoria huius ad testes illius? Verùm resolutionem huius dubij iam nos tradidimus lib.1. cap.20. Reg.318. vti in proprio loco, et partem affirmantem vti communem, et certam amplexi sumus: ad tradita ibi à nobis Lectorem remittimus.

108 Superest tamen circa eandem materiam videndam, aliquid ibi omissum, nempe, an sit admittendus articulus propositus à reo, tendens etiam ad defensionem alterius absentis? vt si Petrus sit carceratus in S. Officio, eo quod imputetur ei mandasse Francisco die 1. Maij, vt statim in hac Insula sortilegium hostile faceret, ex quo puer innocens eodem die mortuus repertus est; et Petrus proponat articulum, quo probat, Franciscum illa 109 die fuisse Neapoli. Pro solutione dubij sit breuis responsio, quòd talis articulus quatenùs tendit ad defensionem Petri, debeat omninò admitti. Ratio est, quia alioquin tolleretur reo, defensio naturalis. Ita docent Farin. crim. quæst. 99. num. 193. et alij ab ipso relati.

110 At quatenùs dictus articulus tendit ad defensionem Francisci absentis, siue iam condẽnati in contumaciam, siue non, nullo modo est admittendus, imò debet iudex, seu Inquisitor in admissione talis articuli exprese interloqui, quòd non intendat probationes fa-111 ciendas prodesse absenti. Ratio est, quia in criminalibus nõ audiuntur absentes per procuratorem, sed tantùm in carceribus constituti. Ita ibid. Farinac. consil.73. vol.1. & Carena, part. 3. tit.9. à num.46.

112 Percurrenda iam breuissimè, pro præsenti instituto defensionum, alia diuersa capita, ex quibus condemnatio reorũ omninò tollitur, aut minuitur, vel secùs. expendenda eadem à nobis copiosiùs infra, vbi de abiurationibus, et pœnis earum tractabimus. Fũda-113 re itaque potest reus suam defensionem, ad minuendam saltem pœnam, ex eo, quòd commiserit delictum in minori ætate. Patet ex l.1. §. impubes. ibi; ætas enim excusationem meretur, de pœnis temperandis. Farinac. quæst. 114 92. num.41. et alij plures ab ipso relati. Qui communi voce affirmant, minorem in delictis mitiùs puniri. atque hoc præcipuè verũ habetur apud Tribunalia S. Inquisitionis, quæ, vt videbimus suo loco, præ cæteris in puniendo mitissima sunt.

115 Defendunt se inde aliquando rei, quòd fuerint ebrij, dum delictum commiserũt; pro quo distinguunt communiter Doctores de triplici gradu ebrietatis, nempè maximæ, 116 magnæ, et leuis. Dicitur maxima ebrietas, quæ in totum rationis vsum aufert, et ideò excusat ebrium à tota delicti pœna, et cum Cantera sic annuente, quæst. crim. cap.7. n.68 et 69. docet Carena, dict. tit.9. num.41. Ma-117 gna ebrietas censetur illa, quæ non tollit, sed solum minuit rationis vsum; atque de hoc gradu ebrietatis communiter dici solet, quòd ebrietas excusat à toto, & non à tanto. Ita Eymer. 2. par. direct. quęst.41. vers. Rursus, secundum, Pegna, 3. part. direct comment.17. vers de eo verò, loquens de proferente hæreses, dum ebrius est, Farinac. quæst.92. num.1. 118 et alij. Leuis denique ebrietas est illa, quæ non tollit, nec diminuit rationis vsum, sed tantum hilariorem reddit ebrium; et hæc à pœna delicti ordinaria eum nõ eximit. Tradit ex mente aliorum Carena dict. tit.9. §.10. num.46.

119 Suam etiam defensionem formant rei, asserentes, se, dum dormirent, deliquisse: quod si probent, non imputatur eis delictum, nec 120 pœna aliqua infligitur: Nisi fortè in culpa fuissent, vel quòd scientes se solere dormientes, noctu surgere, et arma capere, non clausissent ostium; vel quòd post somnum habuissent ratum crimen commissum. Docent Clar. §. fin. quæst. 60. vers. Quæro etiam. Pegna, dict. comment.17. vers de dormientibus. Farinac. qu.98. nu.6. 30. 70. et 75. Sousa lib.3. Aphor. cap 36. num.4. et Carena dict. tit.9. §. nu.38.

121 Qui benè aduertit, quamuis non possint Inquisitores punire reum defendentem se ex hoc capite, quòd deliquerit, puta protulerit propositiones hæreticas, dum dormiret; posse tamen, et debere inde ansam sumere ad-122 uertendi super mores, et vitam illius. Quia, vt tradunt Conimbricenses Commentatores, in lib. Arist. de somno, & vigilia, cap 7. ea quis noctu in somnis ore proferre solet, quæ inter-

interdiù mente contrectauit.

123 Ex passione item iræ defensionem desumit reus, quia minuit malitiam delicti, atque propterea mitiùs puniri debet, secundùm textum, in l.2. ibi, seù calorem, C. de abolit. & tradit cum Tiraquell.& alijs ab ipso citatis Farinac. tract.de pœnis temperandis, qu.91.

124 num.1. Quod intelligitur respectu cuiuscúque criminis, etiam spectantis ad Tribunal S. Inquisitionis: requiritur tamen, vt ira proce-

125 dat ex causa iusta. Secùs ex iniusta, vt ex ludo illicito; Ita idem Farinac.num.38.cum Cagnol.l. quidquid calore.num.9.de Regulis

126 Iuris, et cum alijs ab illo allegatis. Aduertunt autem benè, Pegna, dict.comment.17. part.3. direct. et Sousa, lib.2. Aphoris.cap.13 num.14 Quòd Inquisitores non debent esse admodum faciles ad credendum excusationē desumptam ex calore iracundiæ.

127 Sequitur defensio desūpta à reo ex amore, qui solet furori comparari, vt patet ex textu, cap.cum in iuuentute, extrà de præsumption.Farinac.qu.98.num.77.cum seqq. & Marius Giurba insignis I.C. Siculus, cons. crim.

128 47.à num.8. Mitiganda itaque pœna delinquentis ob amorem vehementem, vt si ex vi eius fiat sortilegium amatorium; Ita Oldrad. cons. 210. cui adhærent Farinac. ibid. nu.88. qui optimè declarat illud consilium, & alij ab

129 eo relati. Qualiter autē minuenda sit pœna ob amorem, et an etiam sit minuendus gradus abiurationis, alibi videbimus.

130 Defensio prætèrea sumitur ex qualitate delinquentis, vt si sit rusticus, vel fæmina; & intelligitur respectu cuiusuis Tribunalis, maxime S. Inquisitionis circa illa, quæ delinquē-

131 tis capacitatem excedunt. Secùs in alijs. Ita Simanc.Cathol.instit.tit.17.num.21.et 28. et tit.16.num 4.Farinac.de hæresi,quæst 179. §. 2. num.14 Sousa lib.3.Aphoris.cap.36. nu.1. et Carena dict.tit.9 § 20. à num.47. Qui de

132 parte negante, num.48. sic. Hinc passim, inquit, videmus mulieres, & rusticos in delicto Polygamiæ, Sortilegij, cū admixtione Chrismatis, vel olei sancti, confractionis sacræ imaginis, & similibus, non excusari; sed abiurare de vehementi, fustigari, et etiam ad triremes mitti, &c quia nullus est, quamuis simplex, sit, qui non sciat minime licere habere plures vxores, vel viros simul, sortilegia illicita, & Sanctorum imagines esse adorandas.] Ita ille cum Zanardo in summa par.2. tract. de pœnis minuendis, cap. 12. vers. Prima quarum est.

133 Non attingo caput illud defendendi se reum, & minuendi pœnam, ob multitudinem delinquentium; quia quidquid sit de reliquis criminibus apud alia Tribunalia; in crimine tamen hæresis, vel apostasiæ apud nostrum S. Inquisitionis nullo modo habet locum. Imò quo maior est delinquentium numerus, eo maior pœna infligenda, præsertim auctoribus

134 et principalibus: Nisi fortè de scandalo ex augmento pœnæ timeretur; Docent Farinac. cum alijs ab eo relatis, de hæres. quæst.197. §.2 num.32. & Sousa, lib.3.Aphorism.cap.53. num.1.& seqq. quibus addo Carenam, dict.

135 tit.9.§.12.num.55. Qui cum eisdem Farin. et Sousa benè aduertit, num.56 casu, quo tota ciuitas laberetur in hæresim, non spectare ad particularem Inquisitorem de eo resoluere, sed esse mittendam certiorationem ad Summum Pontificem, vel ad S.Congregationem Vrbis, vt consulto statuant, quid in tali casu agendum.

136 Pari modo contra quoscunque delinquētes, regulariter transacto 20. annorum spatio non est locus vlterius procedendi; vndè præscriptione tanti temporis ipsi defendere se possunt. Clar. §.fin.quæst.51. Farinac. in prax.

137 quæst.10. & alij ab ipso citati. At in crimine hæresis, vel apostasię à fide, non admittitur hæc præscriptionis exceptio; quia contra hæreticum in S.Officio semper, et quandocunq. durante vita ipsius, et etiam post mortem potest procedi, idque in fauorem fidei. Ita Simanc Cathol.instit.tit.18. num.14. Pegna, 3.par.direct.comment.92. vers. his ita positis. Sousa lib.2. Aphorism. cap.50 num.1. et Thomas Sanchez in decal lib.2. cap.22. Quibus

138 cum videbimus lib.6. nostri operis, qualiter in S.Officio sit locus præscriptionis, quādo agitur de vindicandis per Fiscum bonis possessis bona fide ab hæredibus illius, cuius memoria ob hæresim damnata fuit.

139 Defensionis verò, etiam apud Tribunal Inquisitionis non leue argumentum sumit reus ex eo; quòd non sit solitus contra fidem

140 delinquere. Sicuti è contra ex multiplicatione criminis, et consuetudine delinquendi instare potest Fiscalis pro augmento pœnæ Vtrumque vt certum, & in praxi receptum asserunt Menoch. de arbitr. iud. cas.295.n.19. Tiraq.de pęnis temperan. causa,51. Farinac. de delictis, et pœnis, quęst.23 num.32. Sousa lib.3. Aphoris. cap.34.nu. 10. et Caren. dict. tit.9.§.13.n.58.

141 Quòd item possint defendere se delinquētes, et pro diminutione pœnæ clamare, si ex delicto bonus proueniat euentus, cum alijs ab ipso relatis docet Farinac. quęst 98. num. 173.& num.179. assignat rationem huius doctrinæ, quia in delictis attenditur exitus non

142 intentio. Exemplificat Carena part.3.tit.9. §.14.num.6. in Sahauedra, qui fingendo se Nuncium Apostolicum, & decipiendo in diuersis Regem Lusitaniæ, dicitur ibi fundasse Tribunal S. Inquisitionis cum eo splendore, ac rigore, in quo vsque ad præsens seruatur, et cum ingenti, ac inenarrabili fructu illius Regni, qui hucusque percipitur: quamquàm non deest, qui talem eius originem neget; de quo nos in Prolegomenis nostri Operis. Ve-

143 rùm optimè ipse Carena cum Sousa lib.3. Aphorism. cap.36. num.16. affirmat, dictam doctrinam Farinac. cessare in crimine hæresis, et in suspicione eius, quia cessat quoque illius ratio, cum hæresis, et eius suspicio ex intentione dignoscantur.] ita ille ferè totidem verbis

144 Sed quid de reorum defensionem ex iussu Superioris sumpta? si procedat dubium in his

his. quę ex se non sunt prohibita? Certũ omninò est, quòd inde se reus possit defendere, et quod iussum superioris in totum excuset. Ita Clar. §. fin. quęst 60. vers. solet dubitari, et Farinac. quæst. 97. num. 131. et ponunt exemplum in operarijs conductis ab aliquo nobili
145 ad laboran. in fundo alieno. Si verò procedat dubium in prohibitis, et delictum sit leue, adhuc est locus defensionis ex iussu superioris, ad minuendam pœnam, ijdem Clarus,
146 et Farinac. locis citatis. Quando tamẽ delictum est graue, quale censetur, quodcunq; ad Tribunal S. Inquisitionis spectans, non excusat iussus Superioris, seù Principis; quia huic in rebus iniustis obtemperandum non est, cap. Si Dominus, 11. quæst. 3. ibi, oportet obedire magis Deo, quàm hominibus, ex cap. 5. act. Apost. desumptis.

147 Prædictam doctrinam cum eisdem Clar. et Farin. limitat primò Caren. dict. tit. 9. §. 16. num. 80. exemplificans in famulo, qui iussu Domini ex Cœmeterio ossa defuncti attulit ad conficiendum sortilegium: si enim Dominus sit vir potens, et minetur mortem, vel aliud damnum graue, soleatque minas executioni mandare; nam tunc famuli pœ-
148 na minuenda est. Secùs verò, si Dominus non est vir potens, nec mortem, aut aliud malum graue fuit minatus famulo, cui tunc pœna ordinaria infligi à Iudice, seù Inquisitore debet.

149 Secundò limitat Carena, num. 23. prædictam doctrinam, quòd tantum habeat locum, quando iussio superioris, seù Domini est manifestè iniusta; nam si esset dubia, haberet locum defensio; cum in dubio pręsumatur pro superiore, seù Principe, et eius iussio sit prorsùs exequenda, vt docent etiã ipse Farinac. numer. 44. Molin. de iustit. & iur. disputat. 113. tom. 1. Sanchez in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 3. Suar. de Relig. tom. 4. cap. 15. numer. 20. & præter alios communiter Sousa Aphorismor. lib. 3. cap. 35. numer. 9.

150 Defensiones etiam fundant rei contra Fiscum Sanctæ Inquisitionis ex his capitibus, quòd lubrico linguæ, vel ioco, aut inaduertenter verba hæretica protulerint, ac propterea, si id probent, non vt hæretici, sed mitiùs sunt puniendi. Ita Anton. Sousa, lib. 2. Aphorism. cap. 13. per totum, & Carena, 3.
151 part. tit. 9. §. 8. num. 35. Contra eos, qui per iocum verbis Sacræ Scripturæ ad res profanas abutuntur; tractat benè Simanc. Catholic. institut. tit. 59. num. 17. & 18. atque sic abutentes insania, ac mentis alienatione, à Deo puniri, et veterum, et sui temporis exemplis abundè comprobat. Contra eosdem abutentes legendus Franc. Pegna, 3. par. Direct. comment. 17.

152 Tandẽ formare, et exhibere possunt suas defensiones inquisiti, etiam Sanctæ Inquisitionis, saltem ad minorandam pœnam ex alijs capitibus, nempe ratione vis illatæ (si vis, seù coactio sit absoluta, in totum excusat) aut ratione metus iniecti, vel ratione nobilitatis. Circa quæ legendi sunt Farinacc. quæst. 97. num. 11. et quæst. 98. nu. 93. Zanard. in sum. par. 2. tract. de pęnis minuendis, cap. 12. et Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 17. et lib. 3. cap. 36. Nobis attigisse sit satis, cum iam alibi de eis dixerimus, et infra dicturi simus, vt iam hoc caput claudamus.



CA.

CAPVT III.

De generibus tormentorum in Tribunalibus, maximè S. Officij, pro eruenda veritate vsu receptis, peculiariter de Tortura, & de gradibus, seù speciebus.

PROOEMIVM.

1 POst formatas, et exhibitas cuiusuis inquisiti in S. Officio defensiones, si ex ipsis de eius innocentia planè constet (dato, quòd constaret, deueniendum esset ad liberandum reum per sententiam absolutoriam; sed de hoc opportunius lib. seq. cap. 1.) & hic in neganda veritate ex indicijs vrgentibus præsumpta circa factum, aut saltem circa intentionem persistat; cogitur Inquisitor, pro munere suo, ad decretandum, seù ad ferendam interloquutoriam sententiam deuenire, qua inquisitum pro illa eruenda, torturæ, aut si ob infirmitatem, vel debilitatem cor-2 poris, huius capax non est, alteri generi tormentorum subijciat. Verum priusquàm in particulari videamus, qualiter id ipse Inquisitor præstare debeat, et ex quibus maximè indicijs ad exequutionem torturæ procedere (de quo nobis longus futurus est sermo) præmittenda sunt generalia ista, in titulo præsentis capitis contenta, vt ex his ad illa, ordine exequutionis, et natu-3 ræ seruato, facilius via muniatur. Explicanda itaque breuiter genera tormentorum, quibus Tribunalia, præcipuè Sanctæ Inquisitionis, pro inuestiganda veritate vtuntur: in primis perpendendum præcipuum eorum genus, nempe tortura, cum speciebus, seù gradibus eius; cum hæc multo frequentior sit cæteris.

Quorum tormentorum vsus pro eruenda veritate licitus? quorum item illicitus in Tribunalibus, maximè Sancti Officij.

REGVLA CCCXXXIX.

4 TAmetsi pro regionum, ac prouinciarum varietate varia, & multiplicia tormentorum genera à Iudicibus catholicis valide, et licite applicari soleant, vt reos indiciatos ad fatenda delicta commissa indu-5 cant; Vniuersaliter tamen loquendo, apud Tribunalia, tam secularia, quàm Ecclesiastica, maximè Sancti Officij, quinque, vt plurimum, tormentorum genera ad dictum effectum sunt in vsu; nempe tormentum, funis, item sibilorum, taxillorum, seu, vulgò stanghettæ; dein tormentum ignis, ac tormētum vigiliæ; quorum vnumquodque per se 6 statim declarabitur. Verum nulli Iudici particulari, nedum Inquisitori, licitum est nouum aliquod, et inusitatum tormenti genus excogitare, eique pro libito reum indiciatum subijcere.

---

7 DOctrinaliter tantùm, tùm ista contenta in hac Regula, tùm aliqua eis anne-8 xa breuissimè hic à nobis indicanda: ac præmittendum, et distinguendum de tormentis, nempe vel quæ infliguntur pro veritate commissi delicti eruenda, vel quæ sunt pro augmento pœnæ inflictæ ob idem delictum; vt si pœna sit vltimi supplicij pro crimine atrocissimo homicidij, vt ea augeatur, prius reo aliquando abscinduntur manus, et ignita forcipe adunca carnes eius dilacerantur, vt sæpe fit in regionibus Italiæ, Hispaniæ, et alijs; aut subijcitur reus tormento rotæ, vt communiter vocatur, cuius est magnus vsus in Prouincijs Galliæ, et similia, de quibus non est nobis futurus sermo hic (fortè aliquid attingam in lib. 6.) sed tantùm de prioribus inflictis pro eruenda veritate.

9 Secundo. Præmittendum, et explicandum, quid sit tortura, seù quæstio genericè sumpta: nempe est indagatio, et inquisitio veritatis per tormenta corporis, et dolorem cordis; quæ definitio communiter adducitur ab omnibus, præcipuè à Carrerio, in pract. crim. fol. mihi, 68. num. 3. à Brun. à Paul. Gril. et ab alijs per illum relatis: atque his duobus sic præmissis;

10 Quòd ista tormenta pro varietate nationum, et prouinciarum varia sint, et quòd in praxi applicari debeant iuxta consuetudinem prouinciæ, vbi cuique iudici, seù Inquisitori, ius dicere, seu causas fidei tractare contingerit, docent Iul. Clar. in pract. § fin. quæst. 64. versic. item debet; Corrad. de offic. præto. in tit. de negat. crim. num. 43. et cum eis Tranquillus Ambrosinus, tract. de proces-11 su informatiuo, lib. 4. cap. 1. num. 2. Qui à n. 6. ex Gomez variar. resolut. tom. 3. cap. 13. n. 5. aduertit benè quemuis iudicem Christianū, et à fortiori Inquisitorem, teneri ita esse moderatum, et misericordem in tormentis inferendis pro eruenda veritate delicti, vt reos tortos, innocentiæ, vel supplicio incolumes seruet, iuxta textum in l. quæst. modum, ff. de quæst. Ac propterea, secundùm Clar. cit. versic. debet etiam, et omnium mentem, cum tor-

tormenta sint remedia quædam subsidiaria, ad ea non est Iudici, aut Inquisitori deueniendum, nisi quando veritas aliter haberi nequit.

13 Vniuersaliter autem loquendo, quinque, vt plurimum tormentorum genera ad vsum applicari solent; singula à nobis breuiter explicanda. Primò, tormentum funis, seu vt vulgo dicitur, cordæ; de quo vti præ alijs multò magis in praxi recepto, dicemus plura

14 in sequentibus. Nunc autem tantum aduerto, huiusmodi tormentum funis olim infligi consueuisse cum aqua frigida in dorso, ad maiorem cruciatum, vbi agebatur de criminibus atrocissimis; posseque sic infligi defendunt Paris de Puteo. in tract. de syndic. ver. tortura, il 3. cap. 4. num. 5. Carrer. in pract. tract. 2. de indic. et tortura, §. circa sextum,

15 et alij. Verùm bene affirmat Farinacc. in prax. crim. quæst. 38. num. 64. quidquid fuerit de superioribus annis, hodie non esse amplius in vsu torturam cum aqua frigida apud vlla Tribunalia, ne dum apud nostrum Sanctissimæ Inquisitionis.

16 Secundo, tormentum, quod vulgò dicitur stanghettæ, vel vt alij vocant, tormentum taxillorum, de quo peculiariter agunt Brun. in tract de indic. & tortur. Marsil. l. 1 in princ. num. 76. versicul. Aliqui verò vtuntur, ff. de quæst. & Farinac. dict. quæst. 38. num. 67. Qui

17 ibi notat optimè per sequentia verba, Sed isto, inquit, tormento Iudices nostri non vtuntur, nisi in subsidium, quando tortura, vel ob senectutem, vel ob aliud corporis impedimentum non potest inferri; quia paucissimi inuenti sunt, qui ob id falsi fuerint.] ita

18 ille: et quod ait de paucitate confitentium, confirmatur peculiari casu, quia hoc tormentum stanghettæ in nostro Tribunali Meliten. Sanctæ Inquisitionis 28. ab hinc annis illatum fuit cuidam vetulæ septuagenariæ, à qua veritas erui non potuit in causa atrocissimi homicidij, quod ipsa simul cum alio exequi mandauerat; magna pecuniæ quantitate oblata, in persona cuiusdam Doctoris familiaris Sancti Officij; cum tamen executores eius statim in tortura confessi fuerint; vnde isti subierunt vltimum supplicium; illa verò reclusionem in monasterio per decennium.

19 Tertio, tormentum sibilorum: de hoc pauca admodum adducunt auctores, qui de eo tractant, vt Conrad. in pract. tit. de negat. crim. et tormen. post num. 43. vers. virgarũ immissio, Brun. et Marsil. citati, quibus cum Farinac. vbi supra, num. 68. affirmant, quòd isto tormenti genere vtantur aliquando Iudices, vel in pueris, vel in mulieribus, et in leuibus delictis.

20 Quarto, tormentum ignis, quod teste Farinac. ibidem num. 69. magno fuit in vsu retroactis temporibus pro indaganda veritate, aut pro indicijs purgandis, antequàm fuisset inuentum tormentum vigiliæ; sed hodie pœne nihil de eius praxi apud Tribunalia Chri-

21 stianitatis manet; vnde vt quid rarum refert Francisc. Bernardinus in suis scholijs ad Ambrosinum, lib. 4. cap. 1. num. 2. quòd Mediolani in Tribunali Archiepiscopali, fuerit suo tempore semel tantum illatum dictum tormentum ignis cuidam Presbytero, de stupro quarundam puellarum ætatis 9. et 10. annorum, ac de crimine sodomiæ accusato, eiusque pedes sint combusti cum vnctione

22 lardi porcini. Vide plura, si lubet, apud Brun. relatum, Conrad. tit. de negat. crim. et tormen. num 43. vers. et combustio pedum, Iul. Clar. in pract. quæst. 64. §. fin. vers. item debet. et apud Flam. Cartar. in pract. interrogan. reo lib. 4. cap 1. post num. 4. et cap. 2. num. 6. vbi ponit formam constituendi reos in hoc tormento ignis. Vide Dianam 4. part. resolut. moral. resolut. 35. vbi ait, in Tribunalibus Regni Siciliæ, et in Sancto Officio eius, non esse in vsu tormentum ignis.

23 Quinto tandem, est tormentum vigiliæ, quo sæpe vtuntur Iudices tam ecclesiastici, quàm sæculares pro eruenda veritate circa commissa delicta, vel secus. Eius mentionem facit præcipuè Mars. in l. 1. num. 76. vers. nam ponitur reus. ff. de quæst. et iuxta ea. quæ ibi dicit, ipse videtur fuisse inuentor huius tormenti, in hac forma pro eo tempore non ita rigorosa: videlicet, ponebatur reus super vno scamno ad sedendum, et aderant ibi duo ad eius custodiam, ne dormiret, et si dormire vellet, illum expergefacerent, non sinentes eum dormire, nec quiescere per spatium quadraginta horarum, et interim pro obtinenda quiete fateri veritatem cogeba-

24 tur. At hodie rigor tormẽti huiusmodi valdè excreuit, et acriori, ac crudeliori modo inferri solet, vt testatur Farin. dict. quæst. 38. n 70. Quippe scamnum, vbi reus nudus, et ligatus sedet, quod aliqui Capram, aliqui equum vocant, non est planum, sed in parte superiore habet formam cuspidis. De eius rigore vide plura apud Baiard. in addit. ad Clarum, in pract. §. fin. qu. 67. post n. 101. qui hoc tormenti genus, Caualetti tormentum vocat, sicque communiter ab omnibus vocari solet.

25 Nota hoc tormentum caualletti sæpius infligi post illatum illud funis, quando reus persistit in negatiua criminis atrocissimi, cuius sunt multa, et vrgentissima indicia contra eum, vt experientia ipsa patet; sicque vt plurimum coniunctis his duobus tormentis elicitur facilè confessio veritatis ex ore reo-

26 rum quorumcunque. Nisi forte aliquis sit adeò robustus, et ferox; vt ad pœnam vltimi supplicij euitandam, quæ in hac Insula, et locis adiacentibus, sicut et in Regno Siculo iuxta leges eius peculiares, non infligitur nisi reo confesso, vtriusque tormenti rigorem su-

27 peret. vti superauit complex illius vetulæ septuagenariæ in atrocissimo per assassinium homicidio Doctoris familiaris S. Officij, vt

28 paulò ante dictum. Quamquam ob efficaces probationes, et vrgentissima inditia contra eum

eum, quæ non apparebant euacuata, attentis conditione personæ, & alijs circumstantijs, Illustriss. D. Inquisitor ad relegationem per decennium meritò ipsum condemnauit.

29 Vltimam Regulæ nostræ partem, quod non sit licitum alicui iudici priuato, siue sæculari, siue ecclesiastico, etiam causas fidei tractanti, nouum aliquod, & inusitatum tormenti genus excogitare, ac ipsum reis pro eruenda veritate inferre, docent præter alios Brun. in tract. de indic. & tortura, in 2. part. quæst. 2. num. 7. et Farin. dict. quæst. 38. n. 55.

30 Qui addit, num. 56. ex mente Bald. in l. 1. in fine, num. 4. C. de emenda. seruorum, & Angel. in l. nemo carcerem, C. de exactoribus, lib. 10. si ex nouo tormenti genere aliquod reo malum accidat, vt si ei membrum debilitetur, ad compensandum teneri iudicem; quin etiam hunc decapitari debere, si ex rigore noui tormenti contingat illum mori. sed non est nostri instituti hoc amplius discutere.

31 Accipe tandem illud scitu valdè dignum, quòd dedeceat quemcunq; iudicem, & multò magis nostrum Inquisitorem, per se ipsum, immediatè, seu proprijs manibus dicta tormenta reis inferre. Tradit Farin. vbi supra, nu. 59. completè exprimens per sequen-

32 tia verba. Non enim, inquit, hæc iudici, & eius dignitati conueniunt, sed onus est satellitum, & birroariorum, prout refert Paris de Puteo in tract. de syndic. in verb. tortura, il 3. cap. 4. incip. de repetitione, num. 9. vers. an potestas, se vidisse quendam Potestatem, qui capiebat reum per capillos, vel aures dando caput ipsius fortiter ad columnam, dicendo, Confitearis, & dicas veritatem, ribalde. & licet, post gloss. Ioan. Andr. in cap. non licet. 85. distin. per Paridem vbi supra allegatus, dixerit, hæc licere nedum Iudici, sed etiam Episcopo; non per hoc tamen, vt dixi, magistratui, et iudici decoro talia vnquàm conuenire crediderim.] hactenus Farinac. et egregiè quidem: atque hæc satis pro Regula præsenti.

Quot sunt species, seu gradus tormenti funis? qualiter item, & quando, ac quandiù infligi debent in Tribunalibus, maximè S. Officij?

REGVLA CCCXL.

33 **T**Ormentum funis, seu tortura specificè sic dicta, pro eruenda veritate à reis, plures habet species, seu gradus. Ab aliquibus auctoribus tres tantùm ei assignātur: et hinc diuisio torturæ, in leuem, grauem, et grauissimam, ab alijs verò quinque gradus diuiduntur; & circa hoc est adhuc magna va-

34 rietas: Congruentius tamen sic enumerantur, vt ad primum gradum solum spectent spoliatio rei, et ligatio; ad secundam eleuatio, & retentio per modicum tempus, vt vnius Aue Maria; ad tertiam per longius spatium, vt duplicis, Miserere, eadem retentio, absq. ictibus funis; ad quartam præter retentionem longiorem dimidiæ, aut vnius etiam horę, dicti ictus, duo vel plures; ad quintam præter modo dicta, ligatio ponderum ad

35 pedes torti. Circa ligaturam autem, & circa reliqua, circumstantiæ, modi consueti, & temporis, à quibusuis iudicibus, præcipuè S. Officij, seruari debent.

---

36 **N**Otandum primo ex Foller. in pract. crim. verb. Rei indurati torquantur num. 9. secundùm l. nullus. C. ad Iul. Maiest. in iure, & in quibuslibet Tribunalibus sæcularibus, et ecclesiasticis, maximè Sanctissimæ Inquisitionis, adeò esse vsu receptum tormētum funis, seu cordæ, vt vulgò nuncupant, vt iam per antonomasiam nomine isto, tortura, quo genericè quæcunque tormenta exprimuntur, iuxta definitionem initio præcedentis Regulæ traditam, ipsum solum intelligatur, contracta torturæ significatione ad speciem particularem tormenti, scilicet funis, propterea vocari solet regina tormentorum.

37 Vnde dicenda à nobis in sequentibus de infligenda reis tortura, vel secus, de hac specie tormenti funis intelligi debent.

38 Secundo notandum, hoc peculiariter tormentum funis quandoque infligi in pœnam alicuius delicti; exempli gratia: si is, qui agit excubias, dormiens fuerit repertus; ac propterea tortura cum pluribus ictibus puniatur.

39 Atque hoc modo nequaquàm est in vsu tortura, quod sciam, apud Tribunalia Sanctæ Inquisitionis, sed tantum pro eruenda veritate, maximè quoad intentionem rei indiciati de hæresi: & in hac acceptione de ea hoc loco agimus. His duobus, vt certis, et ab omnibus communiter admissis, sic præ notatis,

40 Discordant Scriptores circa species, seu gradus torturæ, siue funis tormenti: nam nonnulli, præcipuè apud Senatum Mediolan. vt refert Iul. Clar. in pract. §. fin. quæst. 64. vers. nunc de gradibus, post medium, tres so-

41 los esse affirmāt. Primus gradus constituitur per territionem; & hæc tunc non solùm minas de torquendo, sed adductionem etiam ad locum tormentorum, spoliationem, & ligaturam comprehendit. Secundus est, vbi

42 reus ligatus eleuatur, sicque per notabile

43 temporis spatium retinetur. Tertius est, quando præter retentionem in suspenso dictam, reus vno, vel pluribus funis ictibus

44 quassatur. Ex hac autem trimembri torturæ graduum diuisione ortum duxit triplex illa eiusdem speciei; ita, vt alia sit tortura leuis correspondens primo gradui; alia grauis correspondens secundo, et alia grauissima correspondens tertio, secundùm Baldū in consil. 77. num. 8. lib. 3. & Boss. in tit. de tortu. nu. 16. docet

docet Franc. Personal. in trac. de indic. & tortu. num.76.

45 Ex aliorum verò mente idem Clar. loco cit. aliam torturæ diuisionem in quinque gradus adducit. Primus continet in se minas tantum de torquendo: secundus addit conductionem ad locum tormentorum: tertius spoliationem, & ligaturam: quartus eleuationem, ac retentionem in suspenso aliquandiù: quintus præter dicta continet squassa-

46 tionem. His quinque torturæ gradibus adiungit sextum idem Franc. Person. sub finem dict. num.78. nempè torturæ repetitionem; de qua nos opportunius infra.

47 Verùm placet diuisio torturę expressa in Regula in quinque gradus, seu species, quam ex communi Doctorum mente adducit, & expendit doctrinaliter Farinacc. dict. quæst. 38. à nu&.40 vsque ad 51. ostendens, quando quisque gradus infligi debeat, quo cum, & cum alijs citandis idem nos præstabimus.

48 Primus gradus est continēs spoliationē reorū, ligationem, et applicationem ad funē, ac reliqua vsque ad eleuationem exclusiuè. Atque hic torturæ gradus reo infertur, quando indicia sunt leuia, seu non sufficientia ad plenam torturam, tametsi ille suspectus co-

49 gnoscatur. Infertur item à Iudice, seu ab Inquisitore personis non robustis versutis, ac dolosis, sed debilibus, timidis, ac delicatis, à quibus experientia ipsa teste, hoc solo torturæ gradu veritas facilè elicitur, licet non dicatur propriè tortura, sed initium eius. Ita dict. Farinac. nu 42. & 43. cum Paulo Ghirl. tract. de quęstion. & tormen. quęst.4. num.1. vers. Primus, seu infimus. Conrad. in pract. tit. de negatiuis crim. & tormen. num.41. vers. Primus est; et cum alijs.

50 Secundus torturę gradus est, quando reus eleuatur, & in suspenso retinetur per spatium breuis temporis, vt vnius, Aue Maria, vel vnius, Pater noster, vel ad summum vnius,

51 Miserere, sine vllo funis ictu. Vti possunt Iudices, aut Inquisitores hoc gradu torturæ, quæ adhuc potest vocari leuis, quoties reus reperitur magis suspectus de commisso crimine per indicia plenè probata, quam in primo gradu; tametsi ea non sunt ita plena, & proxima, vt grauior tortura dicto reo infligi valeat. Ita cum eisdem Ghirlan. Conr. & alijs per ipsum relatis, Farinac. ibidem nu. 44. & 45.

52 Parum differt tertius torturę gradus à precedenti: nimirùm in eo, quòd reus diutius aliquantum in suspenso detinetur, vt per spatium duplicis, Miserere, aut paulò amplius, & similiter absque vllo funis ictu, seu squassatione. Est de mente prædictorum Ghirlan. Conr. Farinac. & plurium, quos iste

53 citat, num.46. Qui addunt posse Iudices, & Inquisitores ad hunc torturæ gradum deuenire, quando indicia sunt plena, et plenè probata, sed crimen non est atrox; et licet sit atrox, reus tamen est nobilis, vel honestæ familiæ, ac bonæ famæ.

54 Quartus torturæ gradus tunc est, quando reus diutius multò, vt per tertiam partem vnius horę, aut per dimidiam, aut per duas tertias partes, aut per horam integram, suspensus retinetur, cum vno, vel duobus, vel pluribus funis ictibus, siue squassationibus.

55 Deueniendum autem non est Iudici ad hanc torturæ speciem cum tanto rigore, nisi indicia sint vrgentia, et plenè probata, ac consequenter reus censeatur suspectissimus, & nisi iste habeat membra robusta, crimenque sit atrox, & scandalosum. Docent citati Ghirlan.

56 num.9. et Conrad. num.41. vers. quartus gradus. Flam. Cartar. in pract. interrogan. reo. lib.4. cap.1. num.98. et Farin. dict. quęst.38. num.47. et 48. Qui bene exemplificat in furto rei magnæ, vel sacrę, in turpi sacrilegio, aut abusu sacrorum, in homicidio graui, in falsificatione litterarum Apostolicarum, atq. sic in similibus.

57 Superest quintus torturæ gradus, multo maioris rigoris: nempè præter expressa in præcedenti gradu, si reus suspensus persistat in negatiua, & torturam paruipendere ostēdat, iussu Iudicis in pedibus illius ligantur compedes ferrei, vel aliud huiusmodi pon-

58 dus. Atque hac specie torturę, eo quòd sæuissima sit, cum per eam corpus torti dilanietur, membra dissoluantur et aliquando à corpore separentur, adeo vt ipse magis mori expetat, quàm torturam ita rigorosam, et crudelem sustinere, Iudices rarissime vti solent, ac debent, nisi in aliquo crimine atrocissimo, vt in proditione patrię contra multorum salutem, in ingenti assassinio, in enormissimo homicidio personæ sacræ valde grauis, vt Episcopi, vel Cardinalis, aut alterius Magni Principis. Tradunt vt prorsus certum adducti Ghirlan. dict. quæst.4. nu.10. & Conrad in pract. tit. de negat. crim. et tormen. n. 41. Flam. Cartar. interrog. reor. lib.4. cap 1. n.132. versic. et quoniam aduertendum. Foller. verb. rei indurati torqueantur, num.17. & Farinacc. dicta quæst.38 nu.49 & 50.

59 Sed miror, quòd hi duo Foller. & Farinac. posuerint etiam exemplum in crimine hęresis, & maleficij, seu in hęretico, & malefico, ac sortilego, et absolutè protulerint posse istis infligi quintum gradum torturę adeò rigorosum, non specificantes à quonam Tribunali. Negari equidem non potest crimina hæresis, et sortilegij esse atrocissima, et Ecclesiæ Catholicę perniciosissima, et consequēter taliter criminosi, si indicia, et probationes contra ipsos valde vrgeant, et obstinati sint in negatiua, videntur torquendi cum dicto rigore ponderis ligati in pedibus torti, vt af-

60 firmant citati auctores. Nihilominus nullibi apud Tribunalia Sanctæ Inquisitionis est in vsu quintus torturę gradus, imò nec quartus, quoad id quod additur in eo de ictibus funis, seu squassationibus. de nostro Meliten. patet me teste per spatium 37. annorum: de reliquis bene notauit Caren. 2. part. tit. 12. §.25. num.213. & 3. part. tit.10. §.22. nu.164. & 165.

& 165. præmissa doctrina. Iul. Clar. §. fin. quæ 64. vers. item debet. Ludou. Gilhausen, in arbo. iudic. crim. cap. 6. sect. 3. num. 22. & aliorũ iam supra tacta, quòd debeat Iudex vel Inquisitor vti tormentis vsitatis, & non
61 insolitis. Poterit itaque intelligi id, quod asserunt Foller. & Farin. vbi non sunt Tribunalia Sancti Officij, de Tribunalibus sæcularibus, quæ in torquendo multò magis rigorosa solent esse, quam illa.

62 Circa modum primi gradus torturæ in ligatura potest contingere excessus, vt si hæc sit multum atrox, aut stricta, aut cum taxillis &c. Ac meritò tunc æquiparatur secundo gradui torturæ, vbi reus in ea eleuatus breuissimè retinetur. Ita cum Clar. dict. quæst. 64. vers. nunc de gradibus, tradit
63 Farinac. vbi supra num. 36. Qui addit num. 37. per sequentia verba: Non possum laudare illos Iudices, qui permittunt custodes, & satellites carcerum, tales ligaturas facere, prout scio etiam quandoque quòd præfati custodes, seù potius humani carnifices solent voluere, vt ipsi vocant, stringam, et cum ea sic torta, et voluta, manus miserorum, et carceratorum ligare: vnde fit, vt mirabilem sentiant in ea ligatura dolorem, cum in tormentis persistendo illa stringa sic torta totam dilaniet carnem vsque ad ossa.] ita ille.

64 Quoad circumstantiam temporis in tortura inferenda, aliqua hic breuiter attingo. Primo de excessu commisso in primo gradu eius, vt ait ibidem Farinacc. numer. 38. sic.


65 Prout etiam, inquit, non possum, nisi vehementer excandescere contra illos Iudices, qui reum tenent ligatum, antequam illum torturæ subijciant, per longum temporis spatium, absque eo, quòd id faciant in actis describere: vnde fit, vt dum reus in tortura ponitur, ita ab illa ligatura defatigatus reperiatur, vt multò maiorem patiatur dolorem, & cruciatum.] hactenus Farinacc.

66 Ab hac itaq; inhumanitate, seu crudelitate quiuis Iudex, et præcipuè Inquisitor, abstinere tenetur.

67 Ad summum per horam reus in tortura suspensus manere debet apud quæuis Tribunalia, maximè apud nostrum Sanctæ Inquisitionis, et in quarto gradu torturæ supra explicato, sicque debet moderari Iudicis, aut Inquisitoris arbitrium in reo torquendo, quamuis indicia sint valdè vrgentia contra ipsum. Ita cum Ghirlan. in tract. de quæst. et tortur. quæst. 4. num 4. Farinac.
68 dict. quæst. 48. num 54. Vbi circa torturam in quinto gradu cum alligato pondere pedibus torti, qui (vt dictum) haud est vsu receptus in Sancto Officio, merito sequitur Foller. in verb. rei indurati torqueantur num. 16. reprobantem eos Iudices, vti nimis crudeles, qui per tres, vel quatuor horas reum cum pondere pedibus eius alligato
69 in suspenso detinent: Cum non diutius quam per horam, et paulo plus, vt per dimidium, aut integrum quadrantem, ex mente dictorum auctorum detineri debeat.

70 Tenetur etiam quiuis Iudex, & Inquisitor reum non torquere statim atque comedit, vel bibit, sed post transactas à tempore comestionis, & potus, nouem, aut decem horas, secundùm Marsil. l. 1. num. 81. ff. de quæst. ob eam rationem, ne stomachus tortura vertatur, & vomendo vexetur, & sic
71 non possit examinari. Quamquàm secundùm Farin. ibidem num. 32. sufficit transierint 7. vel 8. quia tunc iam est perfecta digestio: Imo 5. vel 6. in reo habente stomachum expeditiorem, secundùm Nouell. citatum à Farin.

72 Regulariter non esse inferẽdam reo torturam diebus festis, seù Deo dicatis, tenent communiter Doctores, & ex Farin. ibid. nu. 107. tradit Sousa lib. 2. Aphor. cap. 39. nu. 23. quem videas.



CAPVT IV.

De indicijs, & probationibus requisitis in communi, & in particulari ad torturam inferendam, vel secus, quibusuis reis, maximè inquisitis apud Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis.

PROOEMIVM.

1 SVpponimus vt omnino certum ex iure, et communi omnium doctrina, à nullo Iudice, nec ab Inquisitore inferri posse torturam, nisi legitimis præcedentibus indicijs, iuxta text. in l. maritus, et in l. vnius §. in ea causa, ff. de quæst. & in l. milites §. oportet, et in l. cum cognitionaliter C. eodem, & in cap. cum in contemplatione extra de reg. iuris; affertque cum multis per ipsum relatis Farinac. pract. crim. quæst. 37. à nu. 1. & ex eo Sousa lib. 2. Aphor. cap. 39. num. 3. Ratio dictæ suppositionis est, quia, vt ait Gotofred. in suis notis super dict. l. 1. §. quæstionem, ff. de quæst. cum tortura sit res fragilis, periculosa, & quæ veritatem fallit, nunquàm est inchoandum ab ipsa, vt dicitur expresè in ipsa l. 1. ibi, & non esse à tormentis inci-2 piendum. Hoc supposito (magis expendemus infra, vt videbimus, an aliquis casus ab hac generali doctrina excipiatur) nunc, vt prospiciamus quæ indicia ad torturam inferendam sint requisita, et qualiter probata esse debeant: reuocare oportet breuiter in memoriam præcipuas indiciorum diuisiones à nobis traditas lib. 2. cap. 3. Regul. 182. Nimirùm, quòd alia 3 indicia sint parua, seu leuia; alia verò magna, seu vehementer vrgentia. Item, quòd alia sint indicia indubitata, quæ ita arctant mentem Iudicis ad omninò credendum, vt non possit in contrarium inclinare, vt ex mente omnium declarat Farin. quæst. 36. num. 27. Alia verò dubitata, quæ non ita arctant animum Iudicis. Atque hæc indiciorum diuisio multùm coincidit cum præcedenti; vnde istius declaratio illi inseruire potest. Tandem, quòd alia indicia sint delicto proxima, alia remota; illa dicuntur proxima, quæ respiciunt veritatem delicti per sensum visus; vel auditus circa substantiam, vel materiam eius; at remota censentur, quæ tantum respiciunt circumstantias ipsius, ita idem Farinac. vbi supra. His sic præmissis.

Qualia, & quot indicia requirantur ad inferendam torturam reis, maximè S. Officij? & an vnum aliquando sufficiat?

REGVLA CCCXXXXI.

4 PRo inferenda reis tortura præcedere debent indicia legitima, & sufficientia, quæ talia censentur, si sint verisimilia, probabilia, non leuia, sed grauia, & vrgentia, 5 ac luce meridiana clariora. Quamquam probabile est in criminibus exceptis, et atrocibus, vt est illud contra fidem, posse Iudicem, aut Inquisitorem ex leuioribus indicijs deuenire ad infligendam torturã, præcipuè quoad primum, & secundum eius 6 gradum. Item ex indicijs remotis, ad effectum torquendi reum plura simul requirũtur, ad minimum duo; vnum nunquam sufficit, nisi sit indubitatum, et proximum delicto circa eius substantiam.

---

7 VTi axioma valde receptum, et vel præcipuum fundamentum in hac materia præmittitur communiter à Doctoribus, quòd totum istud negotium de sufficientia, & legitimitate indiciorum, aut de insufficientia, ac illegitimitate eorum pro torquendis delinquentibus, vel secus, sicut de dictis supra circa qualitatem, & tempus torturæ; debeat reduci ad arbitrium prudentis iudicis, aut Inquisitoris, regulatum tamen secundum iura, ac secundum rationem, et æquitatem. Patet ex l. 1. ibi, vt legem non offendat, ff. de vsuris, ex cap. cum autem, 22. distinctione, ex cap. iudicat. 3. 8 quæst. 7. et ex alijs iuribus. Ita Mascard. lib. 1. quæst. 15. num. 16. et lib. 3. conclus. 1391. num. 18. Pegna, 3. part. direct. quæst. 61 comment. 110. Farinac. quest. 37. à nu. 192. ac de hæresi quæst. 185. §. 8. à num. 140. et Sousa lib. 2. Aphor. cap. 39 nu. 6.

9 Ratio efficax dicti axiomatis, et fundamẽti est, quia non videtur posse assignari doctrina vniuersalis pro quibusuis reis torquendis, ita, vt quæ censentur indicia sufficientia pro vno, sint etiam pro alio; et quia non omnes æqualiter sunt torquendi, sed magis, vel minus, attenta qualitate personarum, criminis, et indiciorum: vt docent Iul. Clar. in praxi, §. fin. quæst. 64. vers. nunc de gradibus, Farinac. quæst. 38. n. 33 et seqq. et Sousa dict. cap. 39. nu. 30.

10 Nihilominùs ab ipsis Doctoribus, præcipuè à Mascard. dict. conclus. 1391. num. 20. à Farinac. quæst. 37. à num. 3. et à Sousa, ibidem,

dem, num. 9. aliquæ assignantur conditiones à nobis ferè in Regula expressæ, vt indicia dicantur legitima, & sufficientia ad torturam inferendam, nimirùm, (vt aliquas earum breuiter explicemus) debent esse

11 verisimilia, et meritò quidem: nam iudex quiuis in tractandis causis semper præ oculis verisimilitudinem, et inuerisimilitudinem habeat oportet, cum ex hoc præcipue pendeat, vt rectum formet iudicium, et iustam ferat sententiam; quod egregiè docet Martinus Delrius disquis. magic. lib. 5. in append. 2. quæst. 16. in casu nominationis complicium ad infligendam eis torturam, et idem est de alijs casibus; ne graueris, quæso, eius verba audire, plena quidem eruditione ex iure, et ex doctrina aliorum.

12 Porrò, inquit, sicut inuerisimilitudo testimonij plurimum detrahit fidei ad vim eius infringendam: nam vbi testantur inuerisimilia, numerus non supplet fidem, Farinac. quæst. 63. nu. 320. Mascar. de probat. conclus. 1358, num. 13. nec iudex debet credere non verisimilia deponentibus. Innoc. in cap. quia verisimile est, de præsumpt. Mars. in l. 1. §. in criminibus, num. 35. ff. de quæst. et in rep. rub. de probat. num. 108.

13 Quia quod non est verisimile speciem habet falsitatis; adeò vt confessio non verisimilis non noceat confitenti, arg. tex. in l. 1. §. Diuus Seuerus, et in §. Si qui vltrò, ff. de quæst. Bald. in l. si quis in hoc genus, C. de Episc. et Cleri. num. 3. Petrus Ancharan.

14 cons. 24. col. 1. sic è contra magnam vim habet verisimilitudo, adeò vt potius credatur paucioribus verisimilia asserentibus, l. ob carmen, §. si testes, ff. de test. cap. in nostra est, de test. Curtius Iun. cons. 17. nu. 6.

15 Socin. Iun. cons. 183. num. 10. lib. 2. *Multùm prodest, vt testium defectus suppleatur.* Carol. Ruin. cons. 149. num. 6. lib. 5. Decian. cons. 18. num. 204. lib. 1. Mascard. concl. 944. num. 14. Farinac. quæst. 47. nu. 158. *& magnum præstat ad torturam fundamentum*, l. 3. et l. milites, C. de quæst. non secus, ac ea, quæ à communiter accidentibus vera sunt. Marsil. in §. diligenter, num. 33. et sing. 1. ad fin.] hæc Delrius, quæ pro decidendis infra valde nobis inseruient.

17 Debent item indicia esse probabilia, seù potiùs probata, vti ostendetur statim peculiari Regula, et tunc etiam innotescet qualiter ad torturam requirantur indicia luce meridiana clariora.

18 Præterea esse debent indicia non leuia, sed grauia, et vrgentia. Circa hanc conditionem est nonulla controuersia inter Doctores. Equidem in criminibus exceptis, et atrocibus, qualia sunt spectantia ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, procedi posse ad torturam ex indicijs leuioribus, absolute tenent diuersi ex auctoribus classicis, præcipuè Carrer. in tract. de hæret. num. 116. versus finem; Campeg. in addit. ad Zanchinum, tract. de hæret. cap. 9. litt E. in princ. vers. Rursus obserua, et Martinus Delrius in Append. 2. disquis. magic. lib. 5. quæst. 20. quo teste idem affirmarunt DD. Ingolstadienses, Friburgenses, & Patauini.

19 Nota, quòd vocet ipse Delrius indicia leuia, quę secúdùm se, aut absolutè loquendo, sed comparatiuè, seu relatiuè, respectu eorum, quæ in criminibus non exceptis requiruntur, leuia videantur: et idcircò comparatione istorum sunt leuiora, quam in his requisita; non verò, quæ sunt leuiora, seù minus sufficiétia, quàm vis, aut natura criminis requirat.] verba sunt ipsius Delrij, ex quibus concluditur, quòd secundùm eum, in crimine contra fidem, ad torquendum leuiora, quàm in alijs criminibus suf-

20 ficiant indicia. Inde ostendit primo, quia quæuis crimina opposita fidei, sunt vt plurimum difficilis probationis, cum ex se sint valde occulta, maximè quoad intentionem; et cum sint digniora, vt citius, et grauius puniantur, expedit Reip. Christianæ, vt ex leuioribus indicijs DD. Inquisitores ad torturam talia committentium procedant, quando aliunde ea probari nequeunt.

21 A fortiori item ostendit, quia in delictis difficilis probationis leuiores probationes etiam ad condemnandum semper sufficiũt, l. non omnes, à barbaris, ff. de re milit. ac multa Bapt. Plotus de in lit. iuram. §. 4. nu. adducit: ergo multo magis in similibus sufficient leuiora indicia ad torquendum.

22 Cum constet eò clariora, et verisimiliora requiri indicia, quo actus iudicialis maioris præiudicij fuerit reo, vt ad condemnationem, quàm ad torturam; ad torturam, quàm ad capturam; ad capturam, quàm ad inquisitionem; quod cum Bruno, Claro, et alijs per eum citatis tradit bene idem Delrius, dict. lib. 5. sect. 3. initio.

23 Tertio ostendit, quia in dictis criminibus, quæ sunt occulta, et difficilis probationis, procliuior, et promptior quiuis iudex debet esse ad torturam, docet præter alios Bald. se ipsum declarans in l. nemo, 3. nu. 3. cap. de Episc. audient. et Ias. in l. 4. §. si ibi indicium, num. 4. de condict. ob turp. caus. estque communis sententia; ergò sufficient ei indicia leuiora ad effectum torquendi.

24 Quòd autem peculiariter Inquisitores debeant esse proniores, et promptiores ad torquendum reos, quidquid in contrarium dicat Torreblanca, lib. 3. de magia, cap. 19. num. 3. et seqq. defendunt, et meritò Simanchas in cathol. instit. tit. 65. num. 5. Ioan. Rojas part. 2. de hæreticis, num. 295. Martinus Delrius dict. lib. 5. quæst. 22. et cũ alijs Diana, part. 4. tract. 6. resol. 11. Proba-

25 tur ab eisdem, rationibus adductis, quia crimen, de quo ipsi iudicant, suaptè natura est occultum, et consequéter difficilis probationis, et quia est expediens Reip. et ipsi hære-

hæretico admodum vtile, vt de hujus delicto innotescat; ergò torquendus est ab illis, etiam ex leuioribus indicijs.

26 Facit in confirmationem id, quod benè docet Sousa, dict. cap. 39. num. 12. sic. In atrocissimis, inquit, præsertim si sint de genere occultorum, minora sufficiunt indicia ad torquendum; cum etiam in illis licitum sit Iudici iura transgredi; solemnitatem nō adhibere, & ordo sit ordinem non seruare. Mascard. lib. 3. conclu. 1391. num. 13. & Farinac. quæst. 37. num. 85.] hæc Sousa, ergo sufficiunt ad torturam indicia leuiora.

27 Nihilominus alij id negant, & requiri ad torturam indicia grauiora, et vehementer vrgentia tuentur, ob eam rationem, quia, vt optimè affirmat Vlpianus in l. 1. §. quæstioni; ff. de quæst. per hæc verba Quæstioni fides non semper habenda est, res enim fragilis, & periculosa est, et veritatem plerũque fallit: ergo non est ad eam facilè ex leuibus indicijs deueniendum, etiam casu hæresis. Ita Simanc dict tit. 65. num. 22 qui licet prius id videatur remittere arbitrio iu-

28 dicis, statim tamen sic addit. Sed leniter moueri, inquit, non debent Iudices ad torquendum homines, opus enim est, vt ad eã rem indicia vehementer vrgeant.] Eymer. in direct. part. 3. quæst. 61. num. 6 & ibi Pegna, comment. 110 vers. Quinta Regula; Sanctarellus de heres. cap. 41. dub. 1. num. 1. & præter reliquos Diana vbi supra, resolut. 2.

29 Ex prædictis duabus sententijs hæc posterior, vti reis benignior, et in se probabilior, ita videtur vsu magis recepta; quamquam prior tutò potest practicari, cum magnam habeat probabilitatem, saltem apud me, cui ista scribenti fortè ad manum se obtulit doctissimus Thomas Sanchez (cuius auctoritas instar multorum doctiorum mihi semper fuit) tom. 2. Consil. moral. lib. 6 cap. 3 dub. 15 num. 11. sic affirmans, septima conclu. Duo indicia leuia constituunt vnum sufficiēs ad torturam. Ita Bart. quem refert, & sequitur Sylues. verb. indicium quæst. 2. Tabien. num. 1.] hæc Sanchez pro sententia priori.

30 Equidem si agatur de tortura in primo, & secundo gradu, comprehendentibus, vt dictum, tantummodò adductionem delinquentis ad locum tormentorum, spoliationem, ligaturam, et eleuationem eius per breuissimum tempus, cum in vtroq. adhuc ipsa ab omnibus censeatur leuis, seu initium completæ torturæ; nullum dubium, quod ex leuibus indicijs ipsa inferri, imò ex vno solo leui, cum duo leuia, vt traditum cum Sanchez, et cum alijs, constituant vnum sufficiens ad torturam simpliciter, & absolutè. Ita Paris de Puteo in tract. de Syndic. verb. tortura, cap. 9. num. 1. Carrer. in pract. §. circa quartum, quando, et qualiter, n. 27. vers. limita etiam, et cum alijs per ipsum

31 relatis, Farinacc. quæst. 37. 102. Imò hic ibidem addit ex Bald. in l. 2. num. 4. C. quorum appella. et ex Gomez variarum resolut. tom. 3 cap. 13. num. 4. versic. et ita debet procedere, quòd iudex, quamuis non adsit indicium sufficiens, si extra processum habeat vehementem opinionem circa reũ aliquem de commisso delicto, possit eum terrere, inijciendo minas de infligenda tor-

32 tura. Nec video cur hæc non habeant locum in reis S. Officij: habere autem affirmat Sousa dict. cap. 39. num. 4. vbi in specie loquitur; et excipit, nisi reus sit persona timida: idem affirmat Diana loco citato, resol. 2.

33 Superest ostendenda vltima pars Regulæ de numero indiciorum ad torturam requisito. Si sit de remotis sermo, communis est ferè omnium sententia, quòd regulariter plura indicia ad talem effectum requirantur, saltem duo. Ita cum Bart. in l. finali, n. 6. ff. de quæst. Guazin. de defens. reorum defens. 30. cap. 4. num. 12. Peguer. in prax. cap. 12. §. 9. nu. 8. & alij multi, quos copiosè refert, & sequitur Farin. de indic. & tortur. quæst. 37. num. 45. & seqq. Vbi meritò reij-

34 cit Iul. Clarum asserentem, quæst. 64. n. 14. sufficere vnum solum indicium remotum ad torturam, sicque in praxi seruari: sed de tali praxi non apparet, et oppositum est

35 vsu receptum. Exponit autem Carena pár. 3. tit. 10. §. 4. quòd sit intelligendus Clarus, de casu, quo indicium remotum facit semiplenam probationem, posito eo principio, vt vero, de quo nos infra, quod indicium quoduis faciens semiplenam probationem sit sufficiens ad torquendum reum.

36 Verum non absque fundamento, credo, insurges contra Carenam, si dicas eius expositionem non valere, esseque petitionem principij (tanti viri pace sit dictum) et adhuc subsistere reiectionem *Clari factam* à Farinaccio, qui, attenta eius doctrina, necessariò negabit posse dari indicium remotum, nudè sumptum, quod semiplenè pro-

37 bet. Quid quòd nō desũt auctores graues, vt Pegna 3. part. direct. ad quæst. 61. comm. 110. et Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 39. num. 8. qui absolutè sic affirmant, quòd ad torturã non sufficiant indicia remota per se sumpta, alijs non concurrentibus, nimirum circumstantijs, seu adminiculis, benè tamen,

38 si ista concurrant. Vnde ita congrue videtur explicari posse Clarus, quòd de vnico indicio remoto circumstantijs vestito, et benè adminiculato loquatur, & hoc modo non caret probabilitate aliqua eius sententia.

39 Denique, quòd ex vno tantum indicio proximo, respiciente substantiam delicti, aut ipsum prorsus inferente, deuenire possit Iudex, vel Inquisitor ad torquēdos reos pro veritate eruenda, docent omnes, nullo, quod sciam, excepto, præcipuè Pegna dict. commen. 110. Carrerius in pract. crim. leg. obseruare curabis, nu. 109. Marsil. in pract. §. ser-

§. diligenter, num. 177. Peguer. in praxi cap. 12. §. 9. n. 8. & Sousa dict. cap. 39. n. 11. vbi sic. Ex violentis, inquit, aut vehementibus indicijs, licet sit vnum tantum, deueniri potest ad torturam, etiam nulla infamia præcedente, vt religiosa seruatio Reliquiarum combusti hæretici, Dæmonum adoratio, & similia. Ita ille, egregiè quidem: nec quidquam addendum occurrit.

An, & qualiter ante torturam probanda indicia à Iudice, aut Inquisitore? & num per testes singulares ad eam sufficiat?

REGVLA CCCXLII.

41 Antequam reis tortura infligatur, debent iuridicè probari indicia ad eã requisita; alioquin præter delictum Iudicis, aut Inquisitoris torquentis, nullum causant 42 effectum. Indicium proximum vnico teste, qui sit omni exceptione maior, sufficienter probatur; quin ipse solus, si deponat de facto cognito per visum, aut alium sensum, facit indicium sufficiens ad torturam, nisi reus sit bonæ famæ; tunc enim alia indicia 43 requiruntur. Indicium non ita proximum, licèt valdè coniunctum, per testes duos contestes, vt probabilior tenet opinio, probari debet; atque à fortiori, quoduis indicium 44 remotum. Ad huius autem probationem testes singulares non duo tantum, sed plures necessarij sunt, deponentes de tendentibus in eundem finem, secùs ad probandum indicium proximum, seu coniunctum valde ipsi delicto.

45 Pari modo certum est requiri indicia ad infligendam reis torturam, atque ea debere esse probata iuridicè, cum non sint legitima, nisi probentur, & se habent ac si non essent; quòd autem debeant esse legitima indicia ad torturam requisita, patet ex l. 1. §. de quæst. & ex communi sensu Doctorum præcipuè Iul. Clar. in praxi §. fin. quæst. 64. vers. dixi etiam. Zanger. de indic. & tortur. in proœm. num. 4. et quoad delicta spectantia ad Tribunal S. Inquisitionis Pegna, 3. part. direct. comment. 110. vers. ad hæc priusquam Martin. Delri. disquis. magic. lib. 5. in 2 append. quæst. 21. Farinac. de hæres. quæst. 185. nu. 121. Castr. Palao, tom. 1. tract. 4. disp. 8. pun. 9. num. 2. quibus adde Carenam, 3. part. tit. 10. n. 10.

46 Ex prædicta doctrina ita certa deducitur primo, quòd peccet grauiter iudex, aut Inquisitor si absque indicijs legitimis, & iuridicè probatis, ad inferendam torturam procedat; nec excusabitur, licet extrà processum certò ipsi constet delictum à reo torto fuisse commissum. Nam iudex debet iudicare secundum allegata, ac probata, et ea, quæ sunt extra processum, respectu iudicis dicuntur esse extra mundum vt cum Beltram ad decis. 1. felicicis mem. Gregor. XV. numer. 5. bene docet Care-

47 na loco cit. num. 14 Addens num. 15 id habere locum; etiamsi iudex non careat iure procedendi auctoritate regia, quia adhuc ex sola sua conscientia non poterit aliquem torquere, nisi aliqua saltem indicia leuia in scriptis prius essent redacta cum sufficienti eorum probatione.

48 Excusaretur autem iudex, vel Inquisitor, & non subiret syndicatum Commissarij, seu visitatoris, casu, quo circa sufficientiam, et iuridicam probationem indiciorum essent variæ Doctorum opiniones, et ipse secutus probabilem, relicta probabiliori, ad inferendam reis torturam deueniret. Sic resoluit Diana par. 4. tract. 6. resol. 38. cum Mart. Delr. in disquis. magic. lib. 5. append. 2. qu. 1. et cum Ioan. Sancio, in selectis, disput. 44.

49 num 72. Cuius verba accipiat libenter, eo quòd contineant doctrinã perutilẽ ad praxim. Animaduertant, inquit, quoq; Iurisperiti non ob id subijci syndicatui, quod iuxta opinionem probabilem sententiam ferat, relicta probabiliori, & communiori, nam prudenter agit, qui iuxta opinionẽ probabilem operatur, syndicare antẽ Iudicem, eò quòd iuxta probabilẽ opinionẽ sententiam tulerit, esset eũ punire absq; culpa, quod herclè iniquum est, et oppositũ rectæ rationi.

50 Quapropter Doctores oppositum sentientes reijciendi sunt, velut punctum veritatis minimè attingentes; certè namque in principijs moralibus minùs fidendum est de Iurisperitis, quàm de Theologis] hactenus Sancius.

51 Deducitur secundo, si non præcedant indicia sufficientia, ac iuridicè probata, et Iudex, vel Inquisitor ad torquendum reum deueniat, haud vllum inde sequi effectum iuridicum, et tam huiusmodi torturam, quàm confessionem subsequentem, et more solito ratificatam prorsus nullas esse, nec posse in subsequentibus indicijs validari. Tradunt Iul. Clar. §. fin. quæst. 55. vers. Si verò confessio, et qu. 64. vers. dixi etiam Zanger. loco citato, cap. 2. num. 9. Grego. Lopez. in l. 2. tit. 30. partit. 7. glos. 2. Torreblanca de magia lib. 3. cap. 18. num. 26. Castil. decis. Regni Siciliæ 179. et Carena vbi supra, nnm. 12. patetque vltimum ex vulgata iuris Regula, quòd, quæ ab initio nulla sunt, tractu temporis non conualescunt. Non posse item ex dicta confessione sic extorta iniun-

52 gi aliquam abiurationem, nec disponi reũ ad pœnam relapsus; dicemus infra expendentes circumstantiam personæ torturam infligentis.

53 Circa probationem autem indiciorum Eymeric. 3. par. Direct. qu. 61. et ibi Pegna comment. 110. Mascard. conclus. 895. nu. 2. Farinac. quæst. 37. num. 13. et de hæres. qu. 185. §. 8. num. 145. Sousa lib. 2. Aphor. cap. 39. num. 15. & alij asserunt, primo in communi, quòd absolutè loquendo, debeant in genere suo per duos testes probari. Descẽdendo

54 dendo tamen ad particularia, omnes ferè concordant, quòd ad probandum indicium proximum respiciens immediatè substantiam delicti pro infligenda tortura; sufficiat vnus testis omni exceptione maior. Ita Farinac. cũ multis, quos copiose citat, quæst. 37. num. 13. & Sousa ibid num. 16. inde patet, qua duo testes omni exceptione maiores regulariter faciunt plenam probationem ad condemnandum, vt infra videbimus: ergò vnus solus talis faciet, vt plurimum, semiplenam probationem ad torquendum: vbicumq; autem adest semiplena probatio, ex mente omnium Doctorum, indicium sufficienter probatum reperitur.

55 Quin etiam dictus testis omni exceptione maior, deponens circa substantiam criminis cogniti immediatè per visum, vel alium sensum corporeum, solus per se ipsum constituit indicium proximum, ac simul id sufficienter probat, ad torquẽdum reum: vt si deponat, quòd viderit Titium conficientem sortilegium qualificatum, vt cum abusu rerum sacrarum, vel quòd audierit Caium blasphemantem, Deum esse iniustum, aut dicentem non esse in Deo tres personas. Afferunt Pegna 3. part. Direct. quæst. 61 comment. 110. Rojas de hæret. part. 2. Campeg. in Addit. ad Zanchin. cap. 9. eum ibi sequutus, Sousa dicto cap. 39. num. 17. & cum alijs ab ipso relatis Antoninus Diana, part. 4. tract. 6. resolut. 6.

56 Prædicta tamen doctrina meritò limitatur, quoad reum bonæ famæ, pro cuius tortura non sufficit vnus testis, licet omni exceptione maior, sed requiruntur alia indicia, vel adminicula Ita permulti ex DD. vt Decianus, tom. 1. lib 5. cap. 36 num 6. Simanc. in Enchir tit. 52. num. 13. cuius hæc sunt verba in probationem præcedentis, et præsentis doctrinæ. Necessaria est, inquit, dimidiata, siuè semiplena probatio ad torquendum hominem; reus ergo infamatus torqueri poterit vnius hominis fide digni testimonio, de crimine ipso testificante; quòd si reus sit bonæ famæ, alia præterea indicia necessaria sunt.] Sic ille; idem sentiunt Sanchez tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 3. dub. 15 num. 3. Sanctarellus de hæresi, cap. 41. dub. 1. num. 1. & cum alijs Diana vbi supra. Qui ex Boerio decis. 103. n. 2.

57 notat Sanctum Ludouicum Regẽ Galliæ statuisse, ne vllus vir honestus, vel integræ famæ, quamuis pauper existeret, ad vnius testis depositionem torqueri posset: quidquid contra hanc limitationem dicat Petrus Caballus in resol. crim. cent. 1 cas. 84. nu. 15. vt refert ipse Diana.

58 Quando autem reus esset malæ famę, seu scandalosæ vitæ, tunc probabile est, quòd ad eum torquendum sufficiat quiuis testis, etiam non omni exceptione maior, dummodo non sit ipso iure inhabilis, vel non patiatur plures defectus, licet vilis, aut pauper existat. Ita Baiard. in addit. ad Iul. Clar. quæst. 21. num. 15. Carerius in prax. crim. leg. obseruare curabis, num. 110. & Menochius de præsump. lib. quæst. 89. num. 6. quibus adhæret Farinac. quæst. 37. num. 65. ac ego probabiliter.

59 Sed quid, si indicium non est ita proximum, coniunctum tamen valdè cum delicto, vt si quis reperiatur cum instrumentis, seu præparatorijs ad sortilegium siue maleficium conficiendum, aut si gladio stricto, & sanguinolento exeat de domo, vbi homo occisus postea reperitur, & de similibus actibus delicto maximè coniunctis, & ipsum clarè inferentibus? meritò, & probabilius defendit Sousa dict. cap. 39. numer. 16. cum Farinac. dict. quæst. 37. à numer. 13. id hinc inde discutiente, & plures pro vtraque parte allegante, quòd huiusmodi indicium crimini coniunctum, quodcunque illud sit, debeat per testes duos contestes probari, sicque erit sufficiens ad torturam inferendam, quia sic faciet semiplenam pro-

60 bationem. Atque à fortiori idem affirmandum est de indicio quolibet remoto, quòd non minori, quàm duorum testium contestium probatione ad torquendum reum sufficere possit.

61 Addit autem idem Sousa numer. 18. dicens esse controuersum inter Doctores, an dicti testes ad indicium coniunctum delicto, vel remotum ab eo probandum requisiti, debeant esse omninò integri, & omni exceptione maiores? an secus? & remittens ipse lectorem ad videndum Farinacc. dict. quæstion. 37. à numer. 18. vsque ad 42. nihil circa id resoluit, fortè eò, quòd iudicet, debere relinqui arbitrio prudentis iudicis, vel Inquisitoris, aut esse vtramq; partem æquè

62 probabilem; Quamquàm ea videtur probabilior, quæ tenet ad probandum indicium conducens ad torturam inferendam maximè reis Sancti Officij, sufficere testes duos patientes aliquem defectum, seù non omninò integros, argumento ex cap. in fidei fauorem de hæreticis in 6. et quidem si vnus ex duobus haberet defectum, et alter esset omni exceptione maior, apparet iam prædicta resolutio multo probabilior

63 Restat in præsenti Regula discutiendum dubium illud graue circa testes singulares, an, et qualiter isti probent indicia ad torturam? Duæ sunt sententiæ oppositæ; altera prorsus negans, indicia remota posse sufficienter probari per testes singulares deponentes de visu, & multo minus de auditu. Tenent Bald. consil. ton. 5. consil. 515. n 2. Carrer. in pract. tract. de indic. & tex. §. quæ autẽ, & qualis, à n 4. Marsil. in l. vnius, §. testes, ff. de quæst. Boss in tit. de indic. &c. num 20. & præter alios, quos copiosè refert Farinac. vbi infra, id affirmat Anton. Gomez, cap. 13 rubr. de tort. reo. sub num. 18. adeò mordicus, vt addat contrarium non esse verum, nec tenendum: ratio est, quia tales testes singulares non coniunguntur

guntur ad faciendum indicium sufficiens ad torturam.

64 Altera sententia affirmans est Fulgos. in l. fin. ff. de quæst. (quamquàm hæc eius lectura nunc non extat, teste Farinacc. citando ex Gomez citato) vel, vt alij allegant, l. final. C. famil. ercisc. Gram. decis. 34. num. 30. et 35. Gig. de crim. læsæ Maiest. lib. 2. tit. quomodo, et per quos crimen læsæ Maiest. probe. quæst. 25. in fine, num. 3. & præcipuè ex ijs, qui de causis Sancti Officij tractant, Arnal. Alber. in tract. de agnoscen. assert. cathol. & hæret. quæst. 25. num. 20. & seqq. Inde ostendit, quia tametsi in coniunctione præsumptionum, et indiciorum debeant singula indicia esse plenè probata per duos contestes, intelligendum tamen hoc est, ita se habere, pro condemnatione, et nō pro tortura infligenda.

65 Prædictæ duæ sententiæ in concordiam reduci possunt, sicut conatur eas reducere Farinacc. quæst. 38. Ac primò distinguendum de indicijs, nempè remotis, et proximis. Proximum indicium vocamus hic cū Farinac. ibid. num. 42. non illud valdè proximum, de quo iam supra, respiciens immediatè substantiam delicti, sed actum aliquem ipsi delicto coniūctum, qui à DD. indicium proximum quandoque appellatur, et hoc obiter pro vitanda æquiuocatione prænotato.

66 Si ex huiusmodi indicijs proximis adsint duo saltem, licet per testes singulares probentur, nempè vnumquodque eorum per vnum testem habilem, & omninò integrum, facient sine dubio indicium sufficiens ad torturam. Ita Farinac. dict. num. 38. & Sousa lib. 2. Aphor. cap. 39. num. 19. post Turrecrem. in cap. Nihilominus 3. quæst. 9. Ostenditur inde, quia talia duo indicia sic probata, vnumquodque per suum testem singularem, ob coniunctionem cum delicto, vehementem præsumptionem contra reum, & semiplenam probationem efficiunt, ergo ad torturam ei infligendam sufficiunt.

67 Remota verò indicia, circa quæ præcipuè est dictum diffidium inter auctores, in concordiam reducendos, probata per testes singulares, sunt sufficientia ad torquendum reum cuiusuis Tribunalis, maxime Sancti Officij, quoties adsunt quatuor conditiones, quibus stantibus admittitur posterior sententia Fulgos. Alber. & aliorum, affirmans; vna tamen ex eis deficiente, locum habet prior negans. ita Farin. loc. cit.

68 Prima conditio, quòd sint indicia non valdè remota, idest non sint tantum adminicula, quæ, teste eodem Farinacc. indicia remotissima quandoque vocantur.

69 Secunda, quòd probentur per testes integros, & omni exceptione maiores, & multò magis, si notabiles, & probatæ vitæ

70 existant. Tertia, quòd talia indicia sint plura, quàm duo, nempè tria saltem, vel quatuor, et singula singulis testibus pro-

71 bentur. Quarta, et præcipua, quod omnia coniunctim tendant in eundem finem, nēpè in manifestationem delicti, et delinquētis; vt patet in exemplo proposito à Fulgos. nimirùm; vnus testis deponit, se vidisse Caium in terra prostratum, & interrogatus ait, quòd præsumat fuisse vulneratum à Titio; alter verò dicit, se vidisse Titium sanguine aspersum, et cum euaginato ense fugientem; alius item deponit, eundem Titium vidisse versus nemus recto tramite euntem, et ibi se occultantem; tunc, cum hi tres ad idem tendant, et vnusquisque eorum per se aliqualem præsumptionem faciat, coniunguntur simul, & vnam præsumptionem vehementem constituunt, sufficientem ad torturam.

72 Non enim est verisimile, quòd tot testes non suspecti talia dixissent, nisi reus esset culpabilis; sicque efficaciter probata manet dicta sententia affirmans, quam, præter citatos, tuentur etiam, Clar. §. fin. quęst. 53. versic. dixi etiam. Delri. disquis. magic. lib. 5. in append. 2. quæst. 10. Sousa dict. cap. 39. num. 20. Diana 4. part. tract. 6. resol. 5. et alij, ex quibus nonnulli non ita exprimunt quatuor illas conditiones, sicut Farinac. quem videas. Atque hactenus in communi de indicijs, et probationibus eorum sufficientibus ad torturam infligendam; de vtroque magis constabit, agendo in sequentibus Regulis de indicijs particularibus.

Qualiter socius criminis faciat indicium ad torturam, maximè in S. Officio? & an ad id ipse torquendus, ac quiuis alius testis inhabilis?

REGVLA CCCXLIII.

73 Ex depositione vnius socij criminis absolutè loquendo, non oritur sufficiens indicium ad torturam; (nisi adsit alia præsumptio, seu adminiculum) bene tamen ex depositione duorum, vel pluriū, etiam singularium, ad eundem finem tendentium; secus, si non tendant, sed sint

74 disparati. Nominatio item socij criminis, quamuis nominās patiatur alios defectus, probabiliter facit, maximè in causis Sanctæ Inquisitionis, sufficiens indicium ad torquendum nominatum; probabilius ta-

75 men censetur oppositum; Præcipuè, si hic sit adeò bonæ famæ, vt nec trium sociorū

76 criminis depositiones sufficiant. Denique vt socius criminis, et quiuis alius testis inhabilis, faciat indiciū ad torturam, non est necesse, vt is peculiariter torqueatur; sit ta-

tamen sæpè, & meritò, aliquando etiam addita confrontatione nominantis cum nominato in ipsa tortura.

---

77 ANte probationem singularum partium huius Regulæ, prænotanda aliqua huc spectantia. Prænotandum primo, quòd quamuis ex dispositione iuris reus de se crimen confessus non possit de socijs interrogari, cap. Veniens, extra de testibus, ibi, nullique de se confesso, aduersus alium in eodem crimine est credendũ]. l. final C. de accusat. ibi, nemo igitur de proprio crimine confitens super conscien-
78 tia scrutetur aliena: De consuetudine tamen legitimè recepta in criminibus exceptis, præcipuè hæresis, & in hoc ex priuilegio iuris, cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6. ac ex vi Decreti Pij V. cuius meminit Carena citandus, interrogari solet, & debet. Ita Clar. §. final. quæst. 21. vers dictum. Farinacc. quæst. 43. num. 56. & alij.

79 Prænotandum secundo, quod debeat aduerti diligenter, an reus nominauerit socium criminis ad suggestionem iudicis, qui male illum in specie de socio interrogauit, cum debuisset tantùm in genere interrogare: quia tunc nominatio nihil prorsùs nominato preiudicat. Affert Ca-
80 rena part. 3 tit. 10. §. 8. num. 53. cum Claro ibidem, vers. retenta, in fin. affirmante ibi, fuisse annullatum Mediolani à Magistratu similem processum ad suggestionẽ Prætoris cuiusdam formatum, & cum Farinacc. dict. quęst 43. num. 132. Sed id limitans benè ait non procedere, quando contra personam nominatam in specie adsunt indicia.

81 Tertio, prænotandum, quòd oporteat expendi motiuum, quo inductus fuit reus ad nominandum criminis socium, maximè si ante Iudicis interrogationem nominauit, an id fecerit ex odio, aut inimicitia cum eo, an spe gaudendi impunitione sibi vel à iure, vel speciali Principis edicto cõcessa. Vtrumque adducitur in l. final. cit. reddendo rationem, cur non sint interrogandi rei de complicibus, ibi, ne scilicet rei veniam fortè à Principe sperantes, fauore, vel priuilego alterius, eum nominẽt, neue odio, vel inimicitia, alioue affectu ducti quemquam nominent, vt supplicio pereat.] Vide Farin. quæst. 44. num. 192.

82 Quarto prænotandum, quòd tam in hoc indicio nominationis socij criminis, quàm in alijs explicandis, valde oporteat, vt quiuis iudex, sed præcipuè Inquisitor, semper præ oculis habeat verba text. cap. in fidei fauorem, de hęreticis in 6. nam postquàm Papa dixit, in fauorem fidei testes alias inhabiles admitti, addit, Si ex verisimilibus coniecturis, et ex numero testium aut personarum, tàm deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac alijs circumstantijs, sic deponentes falsa non dicere præsumitur.] Ita in text. & adducit Carena citatus, num. 56. Quibus sic prænotatis, ac præmissis, vti huic materiæ lucem afferentibus,

83 Iam, quòd sola nominatio vnius socij in delicto patrando non sufficiat ad torquendum nominatum, tradunt præter Clar. citat. Farinac. de heres. quęst. 185. §. 8. n. 151. Delrius disquis. magic. lib 5. in 2. Append. quęs. vers. dico primo Castrus Palao, tom. 1. tract. 4. disput. 8. pun. 9. num. 6. & alij communiter, vt certum Atque inde efficaciter probatur, quia vbi suum crimen quis confessus est, statim contraxit infamiam, & desijt esse omni exceptione maior, licet prius fuisset: ergo nominans coram Inquisitore socium criminis, non facit contra eum semiplenam probationem, nec indicium sufficiens ad ipsum torquendum.

84 Faciet tamen haud dubiè, si dicta nominatio socij criminis coniungatur cum alia præsumptione, aut indicio, vel adminiculo aliquo. Ratio est, quia quando adiungitur dictę nominationi huiusmodi præsumptio, vel adminiculum, iam supletur ille defectus infamiæ in nominante, ex confessione iuridica proprij criminis ortus; ergo faciet semiplenam probationem, & indicium sufficiens ad nominati torturam, depositio rei nominatis sic adminiculata, aut pręsũptione aliqua innixa. Docent auctores citati numero præcedenti, quibus adde Pegnam 3. part. direct. cõmen 110. Sanchez consil. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub 15. num. 7. Dianam, & alios ab ab ipso citatos, dict. tract. 6. resol. 7.

85 Quòd si petas quænam sint præsumptiones, aut indicia, vel adminicula, ex quibus alicui coniuncta nominatio socij criminis facit indicium completum ad torturam nominati? Respondent tibi Menoch. de arbit. lib. 2. cas. 474. num. 47. & alij, nimis genericè asserentes, id remittendum esse
86 arbitrio Iudicis, aut Inquisitoris. Sed melius Farinac. vbi supra, et Sousa, lib. 2. Aphor. cap. 25. exemplificantes in aliquibus casibus. Primo, si præter nominationem socij criminis, adsint testes de auditu. Secundo, si cum dicta nominatione concurrat fama. Tertio, si concurrat fuga. Quarto, si fuit peculiaris, et stricta amicitia nominati cum socio criminis nominãte. Quinto; si alloquutio secreta, et conuersatio inter ipsos præcessit. Vide Dian. citat.

87 Exempla item particularia doctrinæ traditę, quòd nominatio sola non sufficiat ad torturam, accipe ab Antonio Sousa, qui dict. cap. 25. nu. 29. ait per sequentia verba: Dictum mandatarij, qui mandatum exercuit, contra mandantem, nisi alia prę-sum-

sumptio interuenerit, non facit indicium ad torturam. Mascard. conclus. 1317. n. 19. 88 Farinac. quæst. 44. à num. 2. Præterea idem Sousa, nom. 30 sic. Testis, inquit, dicens se falsum deposuisse ab alio corruptum, non facit indicium ad torturam contra corrũpentem, sed neque ad inquirendum, dummodò falsum deposuerit, nisi alia præsumptio, vel adminiculum interueniat, Farin. quęst. 45.] hactenus Sousa, qui similia repetit, cap. 39. num. 57.

89 Quòd verò ex nominatione duorum, vel plurium sociorũ criminis contestiũ insurgat indicium ad torturam contra nominatum, quidquid dicat Michael Zanard. in direct. Theolog. par. 3. cap. 94. reliqui omnes, vt certum, docent, præcipuè Clar. §. fin. qu. 21 Pegna 3. par. direct. comment. 110. in append. Menoch. de præsump. lib. 1. quæst. 91. num. 5. & Castrus Palaus tom. 1. Ratio est, quia vnusquisque ex illis socijs nominantibus facit per se aliqualem probationem: ergò coniunctæ duæ simul probationes faciẽt vnam semiplenam, et indicium sufficiens ad torquendum nominatum.

90 Sed quid, si dicti socij criminis sint singulares deponentes de diuersis actibus, facient ne indicium ad torturam contra cõplicem? Affirmanter respondet Sousa, dict. cap. 39. num. & citat pro se Clar. §. fin. qu. 21. qui id ibi non discutit, sed adhæret Bossio dicenti, tit. de indic. num. 159. ita seruari; citat item Farinac. quæst. 43. num. 37. & 38. hic tamen nequaquam sic expressè 91 affirmat. Sententia itaque Sousæ, vt benè ait Carena dict. §. 8 num. 47. solum habebit locum, quando socij criminis singulares deponunt de diuersis actibus tendentibus ad eundem finem, vt, verbi gratia; si vnus diceret, ego de mãdato Sempronij abscondi in domo eiusdem homicidam vxoris suę, & homicida ipse fateretur, se occidisse vxorem Sempronij, ipsomet Sempronio mandante; cum hi duo socij criminis deponant de eodem delicto homicidij, & de diuersis actibus, idem tamen delictum inferentibus, vtique eorum singularitas obstare non potest ipsorum coniunctioni; ergò facient indicium ad torquendum Sempronium. Ita Carena totidem ferè verbis, qui alios citat.

92 At si depositiones sociorum criminis singularium non tendant ad eundem finem, nec alias sint adminiculatæ, nequaquam facient indicium ad torturam contra complicem Egregiè docet ibidem Carena à nu. 41. & efficaciter probat, quia dicti socij criminis, respectu complicis nominati sunt testes, et singulares, vt supponitur, disparati inter se, & nullo modo coniuncti; ergò tantum probabit vnus, quàm mille, attenta vulgata Regula Baldi, l. Iurisiurandi, C. de testib. Sed vnus ex socijs criminis non sufficit ad torturam, ergò nec plures, ita sin- 93 gulares sufficient. Probatur item, quia in simili doctrina Farinac. quæst. 45. num. 45. benè ait, si ex pluribus testibus corruptis, deponat se fuisse corruptum in vna causa, alia in alia, & alius in alia, ac sic de reliquis, vnumquemque istorum tantùm probare, quàm mille, seù omnes simul, nec posse coniungi ad effectũ torturæ contra corrũpentẽ, eò, quòd dicto modo sint singulares; ergò idẽ dicendũ in socijs criminis singularibus. Ita Carena contra Dianã citatum, & alios.

94 Sequitur discutiendum illud dubium aliquantulum controuersum inter DD. an depositio socij criminis adminiculata modo dicto, sufficiat ad torquendum complicem, si ille patiatur alios defectus? Partem affirmantem in criminibus contra fidem, seù in causis Sãcti Officij defendit Delrius. disquis. magic. lib. 5. in 2. appen. quęst. 17. & citat pro ea Baiardum, Boss. & Ludoui- 95 cum. Probatur, quia ex vi legis, præcipuè cap. in fidei fauorem. de hęret. in 6. infames, criminosi, aut alias inhabiles admittuntur, vt deponant non solum ad inquirendum, sed etiam ad torquendum, & condemnandum; ergò cum lex non distinguat inter habentem plures defectus, & habentẽ vnum solum, nec nos distinguere debemus. 96 Confirmatur inde in peculiari materia Sancti Officij, quia malefici multi, & execrandis criminibus solent esse inuoluti, & si necesse esset, maleficos testes alijs criminibus carere, nullus vnquàm reperiretur testis idoneus ad probandum, & puniendũ maleficium, cum hoc inter ipsos solos occultè, vt plurimum, committatur, ergò, &c. hæc pars probabilis, & tuta mihi videtur.

97 Verùm opposita negans est sine dubio probabilior, et tutior, ac valdè communis inter auctores, ex quibus plures citat, & sequitur Diana, dict. tract. 6. resol. 8. Mascard. de probat. tom. 3. concl. 1311. Menoch. de arbit. lib. 2. cas. 474. n. 54. Rojas sing. 188. n. 5 Sousa lib. 2. Aphor. cap. 39. num. 53. Farinac. 98 quęst. 62. à num. 381. Imò & Delrius dict. lib. 5. sect. 3. vbi non sibi contrarius, vt ei impingit Diana, sed loquendo de alijs criminibus, etiam exceptis, sic ait. Socius criminis, vt faciat indicium ad torturam, requiritur, vt non patiatur, nisi hunc defectũ, nam si plures habeat, etiam si tãtùm duos verbi gratia, quòd non tantùm sit infamis, et criminosus, sed etiam sit vilis, abiectus, vel alias inhabilis, tunc ne in exceptis quidem faceret indicium ad inquisitionẽ specialem, ne dùm ad torturam, & si in tortura suam nominationem confirmasset.] hęc 99 Delrius. Sed alij Doctores in specie loquuntur de crimine hęresis, præcipuè Rojas adductus, et Sesse citatus à Diana, relatis his eius verbis; Licet, inquit, in crimine hæresis admittatur socius criminis, hoc procedit, quando talis socius non sit ex alio delicto infamatus, & sic non datur cõtra eum duplex exceptio, & defectus; nam sicut plura adminicula probant probationem, sic plures defectus eam destruunt.] ita ille reddens rationem.

Ex

100 Ex dictis duplici numero præcedenti colligo primò; id quod colligit Diana vbi supra cum Farinac. quæst 43. num. 86. per sequentia verba. Si reus, inquit, primò examinatus negauerit delictum, ac etiã cõplices, vel confessus de se delictũ, interrogatus de cõplicibus, illos reticuerit, si postea iterũ interrogatus, vel tortus, sponte, aut per torturã variando à prima depositione socios nominauerit, non vtiq. faciet tunc talis nominatio indicium ad torturam contra nomi-
101 natos, defectu periurij. Nisi forsan cum dicto socij criminis periuro concurrerent non solùm adminicula, sed illa quidem etiã grauia.] hæc ille.

102 Colligo secundo, partem illam negantem, quod depositio socij criminis patientis plures defectus non faciat indicium ad torturam, tametsi habeat locum respectu cuiusuis nominati, multò magis esse admittendam casu, quò nominatus est vir bonæ
103 vitæ, & famæ; Imò aliquando tam bonæ famæ, talisque status, & conditionis contingere esse nominatum, vt eius respectu nullo modo sit admittendum id, quod communiter tenent omnes, nempè ex dicto trium sociorum criminis posse torturam nominato infligi, ob magnam personarum inæqualitatem: vt v. g. ait Delrius, dict. lib. 5. qu. 6. si Princeps denunciaretur à suis subditis, istorum denunciationes tot esse deberent,
104 quot possent præponderare. Atque meliùs ad rem præsentem exemplificat Diana, dict. resolu. 7. sub finem, in eo, qui publicè apud ciues, & populares haberetur pro Religioso eximiæ sanctitatis, cum magni facienda sint præcedentis vitæ merita, secundùm l. 3. §. Sed si ex improuiso, et l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit.

105 Quamquàm circa hoc benè aduertit idem Diana resolu. 9. per sequentia verba. Sed hoc (attendant DD. Inquisitores) ego puto remittendum esse eorum prudenti arbitrio; nam si cum dicto socij concurrant tot adminicula, & præsumptiones, vt superarent bonam famam, esset omninò nominatus subijciendus torturę, & ita tenet Farinac. quæst. 37. num. 588. hactenus ille.

106 Denique pro parte vltima Regulæ, estne socius criminis, & quilibet alius testis inhabilis specialiter torquẽdus, vt eius depositio faciat fidem, & conducat ad torturam nominati, vel alterius? Hoc dubium circa vtramque partem procedit apud nostrum Tribunal Sanctæ Inquisitionis, in quo ex priuilegio cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6. quæcunq. personæ quantumuis inhabiles, ad deponendum admitti solent; apud alia verò Tribunalia, in quibus regulariter à testificando inhabiles repelluntur, procedit saltem circa primam partem de
107 socio criminis nominãte. Diuisi sunt Doctores in ipsius decisione: partem affirmantem tuentur plures, vt Anton. Genuensis in praxi Archiepis. cap. 68. num. 11. Campeg. in addit. ad Zanchin. de hæret. cap. 9. litt. C. Martin. Delrius, dict. lib 5. sect. 3. Sanctarellus de hæres. cap. 38. dub. vn. num. 1. & nouissimè Carena part. 3. tit. 10. de indic. & tortu. num. 38.

108 Alij è contra negantem partem sequuntnr, vt Simanc. cathol. instit. tit. 53. nu. 38. Rojas de hæret. assert. 7. num. 155. Anton. Gomez, var. resol. lib. 5. cap. 12. num. 16. Sigismun. Scaccia, tom. 1. lib. 1. cap. 82. num. 2. Sousa, lib. 2. Aphoris. cap. 13. nu. 15. & Diana, dict. tract. 6. resol. 10. & 11. vbi ait, sic practicari in Tribunalibus Sancti Officij Hispaniarum, vt testes inhabiles pro confirmãda sua depositione non torqueantur.

109 In eandem inclinare videtur Mascard tom. 3. de probat, concl. 1318. num. 43. dum ibi asserit, dictum socij criminis tunc facere indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à iudice; secus, si ante eius interrogationẽ voluntariè complicem delicti nominauit, nulla facta mentione torturæ.

110 Verùm in hoc Doctorum dissidio media via nobis incedendum, et affirmandũ cum Pegna. 3. par. direct. quæst. 46. comment. 113. & Diana citato, attentisque alijs circumstantijs, arbitrio prudentis iudicis, vel Inquisitoris vtramque partem affirmãtem, et negantem posse, ac debere quando-
111 que in praxi seruari. Et quidem pro posteriori, quoad testes inhabiles in causis fidei (in quibus denunciantes habent vices testium, vt alibi dictum) est efficax ratio, quia si huiusmodi testes inhabiles non admittantur in S. Officio ad testificandum, seu denunciandum sine tortura, facilè auertentur à testimonio ferendo, vel à denunciando, in detrimentum fidei: ergò non est necesse, vt torqueantur, sed sufficit, si eorum dictum iuramento firmetur, vti debet.

112 Nihilominus quoad socios saltem criminis, maximè si sint personæ viles, & abiectæ, valdè est vsu receptum, teste Genuensi relato, vt aliqualis tortura, saltem vsque secundum gradum eis infligatur. In Tribu-
113 nalibus huius Insulæ Meliten. ita fieri solere audio, etiam pro dicto testium inhabilium confirmando, & in nostro Tribunali Sanctæ Inquisitionis istius loci scio certò fuisse aliquoties inflictam torturam socijs criminum pro corroborandis depositioni-
114 bus per eos prolatis: Imò circa casum particularem materiæ sortilegiorum, eo quòd contra complicem nominatum extabant aliæ præsumptiones, & persistebat in negatiua, de consensu nominantis (qualiter fieri id possit, quandoque alibi docuimus) ab Illustrissimo Domino Inquisitore Gorio addita fuit confrontatio istius cum illo in ipsamet tortura.

115 Reijciendum tandem, vti cum Farinaccio, & Antonio Queuedo per ipsum citatis reijcit Diana dict. resol. 7. assertum illud Mascardi, maximè pro nostro Tribunali S. Officij, quia in eo reus de se crimen confessus

sus,ex obligatione Edicti Domini Inquisitoris,tenetur complices manifestare,etiam si ab Inquisitore de eis non interrogaretur; semper tamen interrogari solet, vt patet ex praxi ipsa: imò etiam sponte comparens non solum de suis complicibus, sed etiam de alijs hæreticis,vel suspectis de hæresi,an aliquos in hoc loco cognoscat,inter-
116 rogetur. Nihilominus ex nominatione socij criminis etiam per torturam eius cõfirmata, cautè, ac pedetentim procedendũ est à iudice contra nominatos, maximè si sint personæ nobiles, & nominans vilis, ac infamis; nam bis contigit, vt in criminibus atrocissimis annis proximè præteritis à personis vilissimis nobiles Equites Religiosi apud Tribunal seculare huius Ciuitatis nominati fuerint, qui postea reperti sunt in-
117 nocentes. Talem autem nominationem fuisse ab eis factam, vt nobilium auxilio, pœnam vltimi supplicij effugerent, aut saltem diù exequutionem eius differrēt, quis dubitet?Sed haud obtinuerunt. Atque hactenus de indicio ad torturam ex depositione socij criminis.

An, & quomodo confessio extraiudicialis faciat indicium sufficiens ad torturam, maximè in causis S. Officij.

REGVLA CCCXLIV.

118 Ex sola confessione extraiudiciali, vt plurimum,oritur sufficiens indicium ad torturam,respectu eius, qui confessus est proprium delictum:estque id etiã verum, quamuis à delinquente talis con-
119 fessio fuerit reuocata. Vt autem ex vi eius procedere possit iudex, aut Inquisitor ad torquendum reum sic confessum,plures requiruntur conditiones, præcipuè quatuor. Primo,quòd debeat esse verisimilis. Secundo,quòd fuerit facta seriò,et cum plena deliberatione, non verò iocosè, nec ex calore iracundiæ. Tertio,quòd sit specialis, ac quo loco, et tempore facta, indicetur. Quartò, quòd probanda per duos testes
120 contestes. Duæ item confessiones extraiudiciales probatæ per singulares testes, singularitate adminiculatiua, ad torquen-
121 dum sufficient. Confessio denique facta coram iudice incompetente; vti extraiudicialis est, & sufficiens ad eundem torturæ effectum.

---

122 Secundùm glossam in l.capite quinto,ff. de adulter, Bart. ibi, Antoniũ Gomez,tom.3.variar. cap.13. num. 8. Clarum pract. §. fin. quæst. 21. vers. confessio extraiudicialis, Menochium de præsumpt. lib.1. quæst.89. à num, 14. Pegnam,3.part. direct. commen.110. & Farinacium cum multis ab ipso relatis, quæst.137. num.47. certa omninò est prima pars Regulæ,quòd sola confessio extraiudicialis faciat indiciũ
123 ad torturam. Inde patet, quia talis confessio, quoad substantiam manifestationis delicti æquiualet illi, quæ fit in iudicio: ergò cum iudicialis confessio sufficiat ad condemnationem, extraiudicialis sufficiet ad torturam,eo quòd semiplenè probet.
124 Imò aliqui, vt Mascard. lib.1. conclus. 353. num.24. videntur plusquàm semiplenam probationem ei tribuere, cum asserãt, si ex indicio confessionis extraiudicialis indiciatus fuerit tortus, et confessus delictũ, absque ratificatione extrà torturam, posse eum condemnari ad pœnam ordinariam.
125 Verùm hæc assertio, vti sine fundamento prolata,meritò reijcitur à Simanca, cathol. instit. tit.65 num.70. à Iul. clar. §. fin. quæst.64.num.136. à Gomez, citato, à Pegna,3. part.direct. cõmen.118.in append. & ab alijs communiter. Ratio est, quia ex dispositione iuris,vt infra videbimus,quæuis confessio delicti in tormentis facta debet extra ipsam ratificari; alioquin, cum censeatur vi tormentorum extorta, nequaquàm valet ad effectum condemnandi pœna,precipuè ordinaria.
126 Dixi in Regula, respectu eius, qui extraiudicialiter confessus est proprium delictum:nam si confessus est, seù manifestauit delictum complicis, hic haud subijciendus torturæ ex vi talis manifestationis,seù confessionis extraiudicialis, vt cum alijs docet Carena 3. part. tit. 10. q.8. num. 30. & 40. addens, quòd Cremonæ nunquàm Curia curauerit confessiones extraiudiciales sociorum criminis,quamuis probatas, ex de-
127 fectu iuramēti,& torturæ. Itaque secundùm Carenam, & Bellonum Papiensem ab ipso citatum, confessio, seù notificatio delicti complicis extra iudicium facta, etiam si probatio eius accedat,non sufficit ad torturam ipsius complicis, nisi denuò in iudicio fiat,& iuramento, ac tortura notificantis corroboretur; sed tunc iam coincidit cum indicio in precedenti Regula explicato.
128 Verùm, quid,si reus confessionem de crimine à se commisso extraiudicialiter factam postea reuocauit, erit ne adhuc ipsa sufficiens indicium ad torturam? Diuisi sunt circa hoc Doctores, negatiuè respondent Carrer.in praxi.leg.obseruare,nu.121. Marsil.310.Menoch.de presumpt.lib.1.qu. 89.num.25.& alij; eo quòd sit confessio nudi facti, quo negato, non remanet presumptio contra sic priùs confitentem: & hanc responsionem negatiuam precipuè tuetur Alberrin. de agnos. catholic.quæst.25.num. 22. & refert pro ea Bald. Felin. ac Innocentium.
129 Responsio tamen affirmatiua, vt magis funda-

fundata, nobis amplectenda; quam defendunt Iul. Clarus pract. crim. lib. 5. §. fin. qu. 21. num. 112. Boss. tit de confess. numer. 55. Binsfeld. in comment. de malef. leg. 9. de indic. §. 9. Farinac. quæst. 82. num. 28. & Diana, dict. tract. 6. resolu. 12. vers. notandum, citans præcipuè Petrum Caballū, resol. crim. cent. 1. ca. 81. num. 4. vbi, vt ait idem Diana, cum multis alijs, probat, quòd si error non probetur, semper talis confessio facit indicium ad torturam, & ita testatur de pra-
130 xi.] hæc ille. Debet itaque reus in suis defensionibus probare se ex errore talem cōfessionem extraiudicialem fecisse; quòd si non probet, torturę subijciendus est, tametsi eam confessionem reuocauerit; imò ideò subijcitur torturæ, quia persistit in illius reuocatione, & in negatiua de commisso à se tali crimine, quod priùs confessus fuerat. Atque hoc præcipuè locum habere in criminibus contra fidem catholicam, seù in causis S. Officij, quis dubitet?

131 Quid item de conditionibus requisitis, vt confessio extraiudicialis faciat indicium ad torturam? De eis copiosius præ cæteris Doctoribus tractat Follerius pract. crim. rubr. Et si confitebuntur. in 2. part. 3. à n. 1. vsque 21. vbi proponit, & explicat decem & septem, videas apud ipsum, si lubet: nobis sufficiat expendere quatuor in Regula expressas, ad quas aliæ ferè reducuntur, præ-
132 sertim necessariæ. Prima, quòd confessio extraiudicialis debeat esse verisimilis, nam quod caret verisimilitudine, speciem habet falsitatis, adeò, vt confessio quæuis inuerisimilis haud noceat confitenti, arg. text. in l. 1. §. Diuus Seuerus, & §. Si quis vltrò, ff. de quæst. & cum Bald. in l. Si quis in hoc genus. C. de Episcop. & cler. num. 3. affert Delrius, magic. disquis. lib. 5. in append. 2.
133 quæst. 16. Ac proindè confessio extraiudicialis, vt indicium faciat ad torturam, & sit verisimilis, debet habere causam præexistētem, nàm si nulla causa existit, qua ita factū dici posset, indicium ex ea sufficiens sumi nequiret.

134 Secunda conditio, quòd talis confessio facta fuerit seriò, & cum plena deliberatione, non verò iocosè, neque ex calore iracundiæ. argum. not. per Ioan. de Imola in cap. fin. de confess. ion. nam quod calore iracundiæ factum est, ad pœnam non est trahendū, l. 1. C. si quis imper. male. & affert Follerius ibidem n. 10.

135 Tertia conditio requisita, quòd debeat esse confessio specialis, & non generalis, ita, vt exprimatur in particulari, quo tempore, ac loco fuerit facta, & in vtraq. hac circumstantia concordare debent testes eam probantes: Ex Glos. in fin. C fami. ercis. & ibi Bart. ac in l. final. ff. de quæst. & ex alijs, quos citat, & sequitur Foller. nu. 2.

136 Quarta denique conditio, quòd probata sit dicta cōfessio extraiudicialis per duos saltem testes contestes, in loco, & tempore, quia est indicium remotum; & quamuis hoc requisitum sit commune cum alijs indicijs remotis, habet tamen nescio quid plus, cum maiori quadam diligentia ij testificari debeant.] verba sunt fere omnia Dianæ, dict. tract. 6. resol. 12. vers. sed notandum, sic explicantis cum Foller. relato, & Menochio de præsump. lib. 1. quæst. 89. num. 16. & seqq. vbi de his quatuor conditionibus agit.

137 Sed quid, si duæ confessiones extraiudiciales probentur per testes singulares? Si eorū singularitas sit adminiculatiua, idest, vnus testis deponat de vna confessione extra iudicium à reo facta, & alius de alia simili, ad idem tendentibus, quidquid in contrarium Farinac. quæst. 82. num. 45. cum alijs, dicat, loquendo consequenter ad tradita in communi supra de indicijs remotis probatis per testes singulares, tenendum à nobis est, dictas confessiones sic probatas
138 facere indicium ad torturam. Ratio est, quia vnaquæque earum, si probetur vno teste, facit aliquale indicium: ergo ambæ probatæ testibus singularibus facient duo, ex quibus coniunctis, vti coniunguntur, cum illi ad idem tendant, & singularitas eorum sit adminiculatiua, resultabit vnum indiciū completum faciens semiplenam probationem, ac proindè sufficiens ad torturam. Do-
139 cent Albertin. de agnoscen. quæst. 15. n. 20. ex theorica Bart. in l. fin. ff. de quęst. & cum alijs, quos refert Castrus Palaus tract. 4. disput. 8. pun. 9. num. 3. Diana, dict. tract. 4. resol. 12. vers. & tandem, ac præcipuè Sousa, lib. 2. Aphoris. cap. 21. num. 10 vbi sic: Confessio, inquit, extraiudicialis sufficiēter probatur testibus singularibus, quorum singularitas est adminiculatiua, præsertim in crimine hæresis.] hæc ille citans Mascard. lib. 1. concl. 379. num. 9.

140 Ex eodem Sousa ibidem accipe illud doctrinaliter ad rem præsentem spectans sic num. 9. Confessio extraiudicialis non nocet clerico, nec facit indicium ad torturam, nisi fuerit infamatus de tali crimine, vel graues concurrant circumstantiæ, & coniecturæ. Mascard. lib. 1. concl. 350. n. 12. & Farinacc. qu. 41. nu. 7. & seq.] ita ibi.

141 Vnum deniq. verbum de vltima parte Regulæ, quòd confessio facta coram iudice non competente se habeat, vt extraiudicialis, & ex ea oriatur indicium ad torturam concurrentibus cōditionibus prædictis. In-
142 de ostenditur, quia cum reus confessus fuerit delictum, incompetentia iudicis non tollit, quin talis confessio saltem semiplenè probet; ergò facit indicium ad torturam. Ita Diana dict. tract. 6. resol. 12. vers. ex Miranda in ordine iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 7 concl. 2. & ex Genuensi in prax. Archiepisc. cap. 8. nu. 3. atq. hæc de indicio confessionis extraiudicialis.

Quan-

Quando, & qualiter ex fuga oriatur indicium sufficiens ad torturam, maxime in causis fidei?

REGVLA CCCXLV.

143 ABsolutè loquendo, fuga aliquale indicium facit contrà fugientem; tunc quidem sufficiens ad torturam, quando quis ante accusationem, seù inquisitionem ei transmissam fugit; ad quem effectum 144 debet ipsa per duos testes plenè probari. Secus autem est, si adsit causa iusta, & probabilis fugiendi; vel si fugiat, vt se præsentet 145 coram maiori superiore. Ex fuga verò alicuius post accusationem, vel inquisitionem, vt plurimum, non oritur indicium sufficiens ad torquendum fugientem, nisi sit adminiculata alio indicio, vel coniectu-146 ra. Quamquam probabile est, quod ob solam fugam è carcere, etiam tentata, possit reus torqueri; nequaquam tamen, si ani-147 mo reuertendi effugit. Omnis tandem præsumptio ex fuga oriens aufertur prorsus spontanea comparitione.

---

148 COncordant circa hæc auctores, quæ partim ex iure deducuntur, l. in eos, ff. de custod. reor. §. igitur ne latente eo. in Authen. de exhiben. &c. Nimirum, quòd absolutè loquendo non solum ex fuga exequuta oriatur aliquale indicium contra fugientem, sed etiam ex tentata, vel quando per signa manifesta innotescit aliquem se præparare ad eam; nam idem censetur operari fuga in promptu, & in effectu. Ita Mascard. lib. 2. conclus. 819. nu. 2. & 9. Farinac. quæst. 48. nu. 1. & 9. ac Sousa lib. 2. Aphoris. nu. 60. & 61. quin etiam ijdem, Farinac. nu. 23. & 62. ac Sousa nu. 62. benè addunt, quòd fuga socij criminis per se sola faciat tantummodò suspicionem contra alium socium.

149 Notandum item statim cum eodem Farinac. & cum alijs, quòd quæ dicuntur in hac Regula de fuga, & de reo fugiente, debeant proportionaliter intelligi de latibulo, ac de reo latitante, qui se abscondit, ne à ministris iustitiæ capiatur.

150 His præmissis in communi, vt omninò certis, discutimus modò, quæ sunt aliquantulum dubia: nempe quando, & qualitèr ex fuga proueniat sufficiciens indicium ad torturam? Sed omne ferè dubium tollitur per distinctionem illam, quam adducunt Simancа in Cathol. instit. tit. 65. num. 28. & ex eo alij citandi, de fuga siue exequuta, siue 151 tentata antè accusationem fugientis, vel post eam. Nam si quis fugiat, vel tentet fugam, antequam accusetur, aut de reo inquisitio fiat; ex tali fuga vt plurimum, oritur sufficiens indicium ad ipsum torquendum. Ita præter Simancam adductum, Farinaccius quæst. 48 nu. & e seq. cum multis, quos citat Giurba cons. 13 nu.. Mascard. lib. 2 conclus. 819 nu. 4 & conclu. 831 nu. 9 Ghirlan, in tract. de relaxat. carcerat. in rubr. de fuga incarcer. nu. 2. & Angel. de 152 malefic. in verbo, quòd fama publica &c. Qui duo vltimi cum varijs Glossis relatis affirmant, quòd talis fuga faciat semiplenam probationem, cum ex ea oriatur vehemens suspicio de commisso per fugientem delicto: ergò faciet sufficiens indicium ad ipsum torquendum.

153 Prædicta tamen doctrina non habet locum, nisi talis fuga plenè, & concludentèr per duos testes probetur; quòd docent omnes, vt certum, præcipuè Archidia. in cap. cum contumacia, de hæret. in 6. & cum eo Ca-154 taldin. de Sindic. quest. 137. nu. 7. Qui addunt, ad effectum fundandi fugam, loco duorum testium, posse supplere vehementem de fuga præsumptionem, seù fortem, & grandem, sicut eam vocat ipse Cataldin. quam additionem adducit, & non reprobat Farinac. quæst. 48 nu. 59 nec ego reprobo, sed probabilem iudico.

155 Non habet item locum illa doctrina, casu, quo adfuit causa iusta, & probabilis fugiendi, aut discedendi à loco, in quo crimen, aut maleficium fuit commissum; vt si quis aufugit, quia timebat ab Inquisitore, seù ab alio iudice inquiri, accusari, & carcerari; vel quia minæ iniectæ ei fuerant ab inimicis, aut discessit non ob conscientiam patrati delicti; sed quia, cùm esset mercator, proficiscendum ei fuit, de more, ad nundinas; vel ob aliam similem causam: tunc talis fuga, vel discessus non facit indicium sufficiens ad torquendum fugientem, 156 vel discedentem. Tradunt etiam, vt certum multi, vt Felin. in cap. nullus, nu. 7 de præsumpt. Ias. in l. admonendi, nu. 89. ff. de iure iuran. Mascard. lib. 2. concl. 819. n. 11. Menoch. de præsumpt. lib. 1. quæst. 89. nu. 38 & cum alijs ab ipso relatis Farinac. dict. 157 quæst. 48. nu. 36 Qui benè nu. 46. aduertit ex Mascard. citat. nu. 12 & ex alijs, quot & quænam sint causæ iustæ, & probabiles, que solæ fugientem, vel discedentem excusant, non posse certo numero definiri, nec in particulari resolui, sed remittendum esse arbitrio prudentis iudicis, aut inquisitoris.

158 Est autem illud aliquantulum controuersum inter Doctores, qualiter probari debeat, quòd quis aufugerit ob causam iustam, & non ob conscientiam commissi criminis. Aliqui enim ex eis, vt Marsil. in pract. §. diligenter, nu. 43 Brun. de indic. & tort. par. 1 quæst 3. nu. 12. Carrer in prax. in 2. tract. de indic. & tort. §. tertium indicium, nu. 6. & 11 Conrad. in pract. lib. 1 cap. 9 §. 2 de offic. prætor. Mascard. de probat. lib. 2 conclu. 894. nu. 18 & alij absolutè asserunt sufficere, si probetur per iuramentum fu-159 gientis. Ostenditur per communem Regulam, quod in ijs, quæ dependent ab animo, statur dicto iurato dicentis; ergò cùm casus præsens fugæ pendeat ab animo stan-

standum est iuramento fugientis. Vide confirmationem apud Farinac. citandum ex doctrina Foller. in pract. rubri. & si confitebuntur nu. 26.

160 Assertum tamen eorum prorsus reijciunt alij, vt Blanc. de indic. ad l. fin. ff. de quæst. nu. 28. Vers. Aduerte, & Franciscus Cason. de indic. tract. 10. cap. 4. rubri de fuga; nu. 19. & seqq. qui inde probat, quia in dubio præsumptio est contra fugientem, nempe, quod aufugerit ob causam propter quam fiscus procedit contra ipsum, nisi aliam iustam causam probet, ex l. de minore, &

161 Bald. C. de adulter. Exemplificat ipse Cason. sic, vt si quis dicat cum iuramento se aufugisse à loco commissi homicidij propter minas consanguineorum occisi, non creditur ei, nisi tales minas probet; quia alioquin vnusquisque se excusaret à fuga sic dicendo, quod videtur absurdum.

162 Huic dubio pro concordia prædictorum auctorum resolutionem ita tribuunt Farinac. dict. quæst 48. nu. 44. & 45. Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 39. nu. 64. & alij, quòd vbi constat de causa iusta, & probabili, ob quam fugiens se discessisse affirmat, præsumptio fugæ tollatur ex eius iuramento, maximè si ipse sit homo bonæ famæ, & probitatis (per hanc fugæ præsumptionem dict. minui bene ait idem Sousa. num. 66. cum Mascard. lib. 2. conclu. 819. nu. 22.) licèt in contrarium possit præsumi, quòd discesserit ob conscientiam iam commissi

163 delicti. Ratio est, quia quando concurrunt duæ causæ, altera inclusiua criminis, & altera exclusiua, præsumenda ista, quæ excludit illud, & non ea, quæ includit, vt multis ostendit Alcia. de præsump. regu. 3. præsumpt. 1. nu. 1. & sequ. ac cum eo Farinac. ibid. nu. 44.

164 At vbi de causa iusta, & probabili fugiendi non constat, hæc à fugiente probari debet, & non creditur ipsi etiam iuranti, nisi probetur. atque absurdum, & ridiculum est dicere, quòd tunc standum sit eius iuramento, quia quiuis fugiens hac via se à prosequutione fisci liberaret, sicque iustitia frustraretur, vndè concludit ibid. nu. 45. Farinac. quòd ista

165 sit pura veritas. Nec quidquam facit contra hanc eius resolutionem, quæ mihi valdè placet, illud de regula communi, quòd in ijs, quæ ab animo, seu intentione pendent, standum sit dicto iurato dicentis: nam, vt benè docet ipse Farinac. nu. 42. cum citato Cason. talis regula solùm habet locum in ciuibus, non autem in criminalibus, quia ista non dirimuntur iuramento: quod verum est respectu quorumcumque Tribunalium, sed inprimis respectu nostri S. Officij, in quo omnes causæ pendent ab animo, cùm præcipuum eius negotium sit, intentionem, seu errorem mentis inuestigare, & per torturam, quandò aliter haberi nõ potest: ergo in prædicto casu nõ debet Inquisitor stare iuramẽto fugientis.

166 Quoad alterum mẽbrum distinctionis suprà positæ, si fuga arripiatur post accusationem, vel inquisitionem factam, quod non sufficiat, vt plurimum ad torquendum fugitiuum, nisi ipsa fuga sit adminiculata alio indicio, aut coniectura, est valde commune, inter doctores, & præter Parid. de Puteo, tract. de syndicatu, verb. fuga officialis, cap. 2. incip. An iudex post nu. 2. Carrer. in pract. in 2. tract. de indic. & tort. §. tertium indicium; nu. 8. Mascard. de proba. lib. 2. conclu. 819. nu. 26. Menoch. de præsumpt. lib. 1 quest. 89. nu 38. Farinac. dict. quest. 48 nu. 36. & præter alios multos ab ipso citatos, tradunt ex magis recentioribus Diana 4. par. tract. 6. resolu. 14. & Ca-

167 rena, 3. part. tit. 10. §. 11. nu. 84. Ratio est, quia tunc non præsumitur fuga capta ob cõscientiam criminis, sed ob timorem molestiarum, & vexationum, quæ ex inquisitione, & carceratione proueniunt; qui timor eò magis crescit, & tollit præsumptionem criminis in fugiente, teste Sousa dict. cap. 39. nu. 65. quò iudex censetur rigorosior, & sæuior in persequendis reis; ergò in eo casu fuga per se sola non faciet indicium ad torturam, nisi sit adminiculata alio indicio, vel coniectura.

168 Extendit hoc Farinac. ibid. nu. 25. quòd sit verum, quando quis discedit, aut fugit, videns socium criminis iã carceratum, quia præsumitur fugere ob timorem propriæ carcerationis: ergò tunc non orietur ex fuga

169 sola sufficiens indicium ad torturam. Atque id magis habet locum in eo, qui summa afficeretur verecundia, si captus carceri esset mancipatus, & multò magis in eo, qui ob ætatem, vel ob aliam infirmitatem, carceris duritiem ferre non posset,

170 vt testatur idem Farinac. dicto nu. 32. Quod tametsi respectu cuiusuis Tribunalis verum sit, sed multò verius respectu nostri S. Officij, cum in isto, & durities carceris, & verecundia carcerati, maior esse soleat ob infamiam, quæ ex sola carceratione inquisito in materia fidei prouenit.

171 Purgatur item indicium fugæ, si quis fugiat animo reuertendi: quod per testes ipse probare tenetur, nisi ex conditione personæ aut ex allijs circumstantijs iam innotescat, vt docent Mascard. lib. 2. conclu. 819 nu. 23. & 24. ac Sousa, dict. cap. 39.

172 nu. 67. Sed omninò purgatus ab indicio fugæ manet, si actu spontè reuertatur, siue fugiens existeret in propria libertate, quando fugit, siuè non; cum hac differentia, quod fugiens è carcere reuerti debet non ex magno interuallo; fugiens verò, qui erat in sua libertate, sufficit, quòd reuertatur, dummodo non expectet se condemnari. Ita totidèm ferè verbis ibid. Sousa. nu. 68. cum Farin. dict. quæst. 48. nu. 49. & seq.

173 Si quis autem è carcere fugiat animo non reuertendi, nec reuertatur, sed à iustitiæ ministris captus carceri iterùm mancipetur, absolutè tenent Iul. Clar in pract. quæst. 21.

verf.

vers. Tertio autem modo; Menoch. de præsump. lib. 1. quæst. 89. nu. 42. Farinac. quæst. 30. nu. 85. cum multis, quos citat, & Sousa lib. 2. Aphorism. cap. 26. nu. 34. quòd ex tali fuga etiam tentata oriatur indicium sufficiens ad eius torturam: quod saltem ob auctoritatem tantorum Doctorum valdè probabile iudico, quia per eam crimen semiplenè probatur.

174 Non facit tandem fuga indicium ad torturam in duplici causa. Primo, si quis fugiat, vt se præsentet superiori maiori, actuque exequatur, vel probet se eo animo fugisse: de hoc nullus auctorum dubitat, & tradunt vt certum Farinac. quæst. 48. nu. 57. & Sousa dict. cap. 39. nu. 70.

175 Habuimus casum in praxi tertio ab hinc anno apud nostrum Tribunal Melitense S. Officij, cum vir quidam Religiosus citatus iam, vt carceraretur, aufugit, seque Tribunali sacræ Congregationis Romanæ præsentauit.

176 Secundo, non facit indicium fuga ad torturam, ratione spontaneæ comparitionis corā iudice, quæ sæpe omnino tollit præsumptionem delicti commissi, maximè in eo, qui numquàm aufugit, sed sciens se inquiri, vel quæri à ministris iustitiæ, sponte se constituit coram iudice, vel permisit se ab illis capi, non fugiens, cum posset. Ita copiose docet Farinac. quæst. 48. nu. 50. & tribus seqq. cum Mascardo, de probat. lib. 2. conclu. 904. nu. 22. & cum alijs ab ipso Farin. relatis.

177 Accipe vltimo loco etiam doctrinaliter id quod ex eodem Farin. circa indicium fugæ affert bene Sousa dict. cap. 39. nu. 69. per sequentia verba. Spontanea, inquit, præsentatio licèt tollat indicium fugæ, & alia indicia debilitet, non tamen operatur, quod reus, qui aliàs erat torquendus, non torqueatur; sed quòd torqueatur leuiùs.] hucusque ille, & hucusque nos de hoc indicio fugæ ad torquendum fugientem.

Quid de fama publica? sumit ne ex ea Iudex, seù Inquisitor indicium sufficiens ad torquendos reos?

REGVLA CCCXLVI.

178 Fama ex se sola regulariter non facit indicium ad torturam infligendam,

179 benè tamen, si adsint aliqua adminicula. Ad hunc autem effectum torturæ fama debet probari per duos testes legitimos, & omni exceptione maiores, qui deponant nominando, etiam non interrogati, personas, à quibus audierunt, talem esse reum illius delicti, de quo reperitur inquisitus. Ve-

180 rùm in delictis occultis, & difficilis probationis, probabile est ex sola fama plenè probata sine vllis adminiculis oriri indicium ad torturam; imo & in alijs criminibus, si ipsa

181 sit vehemens. Augetur denique suspicio delicti per famam malam in genere: quamquam hæc econtra per bonam famam etiam in genere semper diminuitur.

---

182 De indicio, & probatione per famam l. 2. c. 5. Regula 181. egimus tùm obitèr in ciuilibus, tùm ex professo in criminalibus, etiam quo ad effectum torquendi. Vnde hic breuitèr nos expediemus, addendo, quod ibi prætermissum, aut moderando id, quod eo loco à nobis diuersimode resolutum; sed non sine probalitate.

183 Quo ad primam præsentis Regulæ partem, quod fama publica, siue infamia in criminalibus, per se sola non faciat regularitèr loquendo indicium ad torturam, est secundùm text. l. 3. §. eiusdem, ff. de testib. cap. sepe etiam, ac ibi Glos. 4. quest. 3. traduntque preter alios Iulius Clar. quest. 21. vers. Fama sola; Simanc. cathol. instit. tit. 65. nu. 37. Foller. in pract. rubric. dentur capitula; Mascard. de probat. lib. 2. conclu. 754. & Menoch. de præsumpt. quæst. 89. nu. 29. Rationem efficacem assignant Torreblanca de Magia lib. 3. cauf. 17. nu. 5. & Castr. Pala. tract. 4. disp. 8. pun. 9. nu. 9. quia fama est indicium remotum, & fallaciæ subiectum, ac proindè non faciet semiplenam probationem: ergò non erit sufficiens ad infligendam diffamato torturam.

184 Si verò fama publica adminiculetur alio indicio vel coniectura aliqua, vtique ex ea poterit reus torqueri, quia sic adminiculata sine dubio semiplenam probationem constituit. Docent vt certum prædicti auctores, quibus adde Pegnam 3. par. direct. comment. 110. Sousam lib. 2. Aphoris. cap. 39. n. 59. Sanchez tom. 2. opuscul. lib. 6. cap. 3. dub. 15. nu. 19. & Syluestr. verb. indicium, quæst. 4.

185 Adminicula autem, vt fama sit indicium sufficiens ad torturam, ex Farinac. quæst. 47. nu. 17. ista assignat Carena 3. par. tit. 10. §. 10. nu. 74. fuga delinquentis, inimicitia, minæ, ac testes aliqui, quamuis exceptionem patientes: indicia n. remota se inuicèm coadiuuant, vt sufficiant ad inferendam torturam.

186 Nihilominus adhùc, vt ex fama sic adminiculata possit iudex, seù inquisitor ad torturam hæretici procedere, requisita sunt aliqua, nempe, quod debeat probari per duos saltèm testes legitimos, omni exceptione maiores, & quòd isti, etiam non interrogati, teneantur exprimere, à quibusnam audierint diffamationem delinquentis, & reddere rationem suæ depositionis, vt restantur præallegati auctores, præcipue

187 Farinac. & Torreblanca. Imo secundùm Bart. l. de minore. §. plurimum, nu. 31. ff. de quæst. esset addendum à dictis testibus, quod audierint à maiore parte populi id dici; sed bene ait Carena, dict. §. 10. nu. 71. Quòd quamuis hęc doctrina Bart. sit iuri conformis oppositam Bald. in cap. literas nu. 2. extrà de præsumpt. seruari communiter in praxi, vt attestatur Iul. Clarus §. fin. quæst.

quæst. 6. verſ. debent etiam dicere, nempe ſufficere, ſi deponant, ſe publicè ita dici audiuiſſe, ob eam rationem, quia alioquin ex mille teſtibus vix repereriretur vnus, qui famam probaret.

188 Sed quid, ſi ſinguli teſtes diuerſos nominent, à quibus audierint, & poſt nominatos non addant clauſulam, quòd à pluribus alijs audierint, probant ne famam? cum Pegna 3. par. direct. commen. 19. verſ. Rurſus ſi teſtes, cum Farinac. quæſt. 47. nu. 267. & cum alijs, quos citat, affirmatiuè reſpondet idem Carena, nu. 69. & quidem probabiliter, quia tametſi videantur ſingulares, hæc tamen ſingularitas non obſtat probationi famæ, cum ſit adminiculatiua, dummodo illi legitimi, & omni exceptione

189 maiores habeantur. Quamquam in cauſis fidei, ſaluo meliori iudicio, videtur dicendum, quòd ad probandam famam ſufficiant teſtes etiam habentes aliquam exceptionem, aut inhabilitatem, ſi ſint plures, quam duo, & concurrant aliqua adminicula, iuxta cap. in fidei fauorem, de hæreticis in 6. & quòd ex tali probatione reus torqueri poſſit. Quia ſi ex vi dict. cap. In fidei fauorem, tales teſtes plenè probant crimen contra fidem catholicam, etiam ad condemnandum, vt à ibi videbimus; quanto magis plenè probabunt diffamationem criminoſi, ad ipſum torquendum?

190 Diſcutiendum ſequitur id, quod magis controuerſum eſt inter Doctores; num fama ſola ſic probata, & nullo ex prædictis indicijs, nec alio ſimili adminiculata, aliquando vt in delictis occultis, ac difficilis probationis, aut in alijs, ſi ipſa ſit vehemens, faciat indicium ſufficiens ad torturam? Quidquid dicant alij circa primum, amplectimur partem affirmantem cum Iul. Clar. §. fin. quæſt. 21 verſ. fama, vbi affirmat, quòd paſſim ita obſeruari viderit, vt ob ſolam famam in delictis occultis, & difficilis probationis deueniatur ad torturam. idem defendunt Farin. quæſt. 47. nu. 11. & alij, quos ipſe citat. Inde oſtenditur, quia talia crimina ex natura ſua, & ex vi iuris non requirunt tam exactam probationem, argum. ex conſtitut. Gregorij XV. incip. vniuerſi Dominici gregis; contra crimen ſollicitationis &c.

191 Circa ſecundum verò Maſtrill. decis. 295. nu. 11. tom. 3. cum alijs ab ipſo relatis mordicus tenet partem negantem, & addit in Regno Siciliæ, nunquam ex ſola fama etiam vehementiſſima fuiſſe reos tortos, ob periculum fortè falſorum teſtium in tali loco, & tamen ibi ipſi eſt ſermo de crimne nefando, quod inter delicta difficilis probationis an-

192 numerari ſolet. Nihilominus quòd ſola fama, ſi ſit vehemens, ſine alijs adminiculis faciat indicium ad torturam, eſt magis commune, & meritò approbatum apud auctores multos melioris notæ, vt Menoch. de præſumpt. lib. 1. quæſt. 89. nu. 51. & cõſil. 788. nu. 27. Pegnam 3. par. direct. comment. 110. Farin. quæſt. 47. nu. 18. Mirand. de ordin. iudic. tom. 2. quæſt. 26. arta 5. conclu. 1. Martin. del Rio, diſquiſit. magic. lib. 5. in 2. append. quæſt. 7. Caſtrum Palaum tract. 4. diſp. 8. pun. 9. n. 9. & apud alios, præcipuè apud Clar. §. fin. quæſt. 21. verſic. fama ſola, quibus prorſus adhæreo.

193 Tota tamen difficultas poſita eſt in explicando, quando nam, & qualiter fama ſit vehemens. Menoch. id remittit arbitrio prudentis iudicis, ſeu Inquiſitoris, ſicque

194 ſe liberat à ſolutione difficultatis. Diana item par. 4. tract. 6. reſolut. 13. affirmat, famam tunc eſſe vehementem, quando eſt adminiculata, & quòd tantum ſit dicere famam vehementem facere indicium ad torturam, quantùm dicere famam adminiculatam facere indicium ad torturam, additque ſic concordari dictas oppoſitas

195 ſententias. Verùm ſic reſpondendo videtur effugi vis difficultatis, aut non reſponderi ad ordinarium quæſitum, quod proponitur à Doctoribus, præſertim à magis recentiori Carena citato, nu. 75. an ſola fama ſine vllis indicijs, ſeu adminiculis faciat indicium ad torturam, ſi ſit vehemens? concedimus famam fieri vehementem, adiunctis ei indicijs, ſeu adminiculis, ſed quærimus, an ſine eis per ſe ſola poſſit alio modo vehemens exiſtere, & ſic eſſe ſufficiens ad torturam.

196 Quare audi Caſtrum Palaum, vbi ſuprà, qualiter vtroque modo fiat fama vehemens, & ſufficiat ad torturam, egregiè paucis verbis exprimentem. Quo circa, inquit, vt fama præbeat indicium ſufficiens torturæ, debet eſſe ita vehemens, hoc eſt, ex tali fundamento firmo, & ratione orta, vt merito ipſum fundamentum, & cauſa reddat ipſam famam vero ſimilem, vel alio adminiculo adiuuata, & coniuncta, ſ mplenè

197 ſaltem probet delictum.] hæc ille. Sed ante Caſtrum bene Simanca dict. tit. 65. nu. 37. & cum eo Farinac. quæſt. 47. nu. 28. aſſignant conditiones, quibus ſtantibus fama dicto modo probata, ſed non adminiculata, efficitur vehemens, & ſufficiens indicium ad torturam: nimirùm, quòd diffamatus ſit perſona vilis: item quòd fama non habeat originem ab hominibus maleuolis aut leuibus, ſed ab honeſtis, & fide dignis: tertio & principalitèr, quòd teſtes aſſignent cauſam vero ſimilem, ob quam fama prodijt, ſeu reddant talem rationem originis eius: his tribus concurrentibus fit

198 fama vehemens. Quòd ſi has conditiones velit Diana vocare adminicula, & famam eis adminiculari, admittimus modum loquendi ipſius, ſed non propterea duæ illæ ſententiæ concordatur, cum adhùc oppoſitæ maneant.

199 Dixi in prima conditione, quòd diffamatus ſit perſona vilis, nam reſpectu hominis honeſti, & bonæ famæ raro admodum exurget diffamatio vehemens; cùm ſecundùm

dum valde receptam doctrinam, quam adducit Carena dict. §. 10. nu. 79. bona fama in genere tollat malam etiam in genere, aut saltèm minuat tantum, vt vult Farinac. quæst. 47. num. 193. quòd precipuè verum habet in materia religionis, seu fidei apud Tribunal. S. Officij, vt bona fama inquisiti diminuat aliqualiter de indicijs Fisci, teste eodem Carena nu. 78. ex mente aliorum.

200 At bona fama in genere non tollit malam in specie, maxime si adsint alia indicia, seù adminicula, vt docent Iul. Clar. §. fin. quæst. 60. vers. frequens etiam, & Farinac. ibid. nu. 192. quia alioquin facillimè possent

201 inquisiti tormenta effugere. Inseruit tamen probatio famæ bonæ, vt bene ait ipse Farinac. dict. nu. 192. vt reus leuius torqueatur, sicut e contra probatio malæ ad ipsum grauius torquendum.

202 Tandem ex Farinac. dict. quæst. 47. n. 199. sic docet nos Carena citatus, nu. 82. Fama mala, inquit, in genere auget suspicionem delicti in inquisito, dummodo sit in eodem genere delicti, idque ex vulgari regula, Semel malus semper præsumitur malus, in eodem genere mali.] ita ille, qui præter Farinac. citat Gilhausen nu. 143. & Peguer. decis. 17. n. 13. Atque hactenùs de indicio diffamationis.

Mendacium, variatio, titubatio, pallor & taciturnitas, præbentnè Iudici aut Inquisitori indicium sufficiens ab torturam?

REGVLA CCCXLVII.

203 EX solis per se mendacio, & variatione sine alijs indicijs, seù adminiculis non oriri indicium sufficiens ad torquendos reos mentientes, & variantes, probabiliùs censetur, quamquàm oppositum non caret probabilitate, maxime, si varietas, & mendacium sint circà substantialia delicti, vel si adsint plura mendacia se inuicem adminiculantia.

204 Pari item modo asserendum est de vacillatione, & pallore, quòd vtraque pars vt probabilis admittatur, sed magis negans, nimirùm ob pallorem, vel titubationem tantùm, absque vllo indicio, seù adminiculo, inquisitum pallentem, aut vacillantem coràm iudice, vel alibi non

205 esse torturæ subijciendum. Denique si reus taceat, & nolit respondere iudici, aut Inquisitori interroganti, ex hac taciturnitate, & negata responsione ad torturam ei infligendam deuenire potest.

---

206 QVoad primum de variatione, & mendacio, nouissime omnium ex nostris scriptoribus, qui de rebus S. Officij tractarunt, Cæsar Carena, dict. tit. 11. §. 14. cum Iul. Clar. §. fin. quæst. 21. vers. mendacium, & cum Pegna 3. par. direct. comment. 110. vers. sed in hoc articulo, affirmat totum hoc esse positum in arbitrio prudentis iudicis, seù Inquisitoris, vt pensatis circumstantijs omnibus, qualitate delinquentis, & mendacij seù variationis, an hæc versetur circa substantialia, vel accidentalia, delicti, an delinquens in continenti seù transacto longo interuallo, variauerit, seù se correxerit; an item adsint alia adminicula, vel nulla, ex dictis omnibus decernat, deueniendum ne sibi ad torturam, vel abstinendum ab ea.

207 Hæc resolutio Carenæ, quamuis fundata sit, & admittenda; apparet tamen nimis generica, & indefinita; præstat itaque ad magis particularia descendere. Non pauci ex doctoribus inclinant absolutè in hanc sententiam, quòd ex mendacio, & variatione per se solis non oriatur indicium sufficiens ad torturam contra variantem vel mentientem; bene tamen si illis coniungantur alia indicia, seù adminicula. Ita Mascard. de probat. lib. 2. conclu. 140. nu. 1. & 2. Foller. pract. crim. in rubri. Item quòd sororem venenauit, n. 29. Menoch. de præsumpt. lib 1. q. 89. n. 68. & cum multis ab ipso relatis. Farinac. q. 52. n. 6. & 8. eam nos vti probabiliorem tenemus cum Castro Palao, tract. 4. disp. 8. pun. 9. nu. 11. qui inde probat, quia variatio, & mendacium in confessione, de se est signum remotum delicti, & non proximum, & concludens. At ad torturam requiritur indicium vehemens, vrgens, & luce clarius, ergò.] ita Castrus.

208 Prosequitur idem Castrus sic respondens ad tacitam obiectionem. Nec obstat, inquit, testem varium ob variationem torquendum esse, l. qui falsa vel varia, ff. de testibus, l. ex libero, ff. de quæst. quia torquetur eo, quod eius dictum non valet, nisi tormentis firmatum; non enim erat conueniens, vt aduersùs tertium valeret dictum testis mutabilis; at cum cuiusque dictum aduersum seipsum valeat, l. de ætate §. 1. ff. de interrog. action. non est opus tormentis ad dictum illius firmandum.] hæc ille.

209 Quod autem adiuncto aliquo indicio, seù adminiculo, mendacium, seù variatio faciat indicium ad torturam, vt omninò certum tradunt omnes auctores citati, præcipuè Farinac. dict. quæst. 62. nu. 22. & 29. item Carrer. in pract. crim. legen. obseruare, nu. 119. & Sousa, lib. 2. Aphor. cap. 39. nu. 80. Ratio est, quia ex duobus, vel pluribus indicijs remotis, vt supra diximus, consurgit vnum completum, & vehemens, faciensque semiplenam probationem; ergò quoties mendacium, aut variatio coniungetur cum alio, vel alijs indicijs, seù adminiculis, fiet ex omnibus vnum indicium

210 graue, & sufficiens ad torturam. Hinc constat, cur reus, qui variat nolens ratificare, quod priùs in tortura confessus fuerat

rat, denuò torqueatur, quia tunc simùl concurrunt diuersa indicia constituentia vnum sufficiens ad nouam torturam ob variationem: sed de hoc infra, vbi agetur de iteratione torturæ in prædicto, & in alijs casibus.

211 Nihilominus haud desunt, qui oppositum defendunt, nempè, quòd ex mendacio, & variatione per se solis sumatur ab Inquisitore, vel quouis iudice indicium sufficiens ad torquendum mentientem, aut variantem. Ita Giurba in consil. criminal. consil 87. nu.

212 27. cum multis, quos citat. Id probabile iudicat Castrus Palaus loco citato, & nos de hac probabilitate, maximè, quando mendacium aut variatio versatur circa substantialia delicti, quia hinc augetur indicium, & fit vehemens. Atque multò magis, vbi concurrunt duo, vel plura mendacia, & vnum ab alio adminiculatur sufficienter ad torturam, vt benè cum alijs adnotauit ibidem Giurba nu. 26.

213 De pallore, & titubatione, seù vacillatione quid? Similiter circa ista diuisi sunt Doctores, quorum alij absolute tuentur, non nasci inde sufficiens indicium ad torturam, quòd reus coràm iudice titubet, seù vacillet, aut palleat, nisi adsint alia indicia, seù adminicula. Ita Marsil. in pract. crim. §. diligenter, nu. 74. Carrer. loco citato, nu. 120. Menoch. de præsum. lib. 1. quæst. 89. nu. 71. Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 39. nu. 81. & alij, quos citat, & sequitur Diana, 4. par tract. 6. resol. 15. Argumentum sumi potest ad probandum hoc à paritate, aut maioritate rationis ex dictis supra de mendacio, aut variatione: quia maior est ratio hic, propterea hanc partem probabiliorem iudicamus.

214 Alij tamen absolutè tenent, quòd pallor & titubatio, seù vacillatio præbeant per se sola sufficiens indicium iudici, vel Inquisitori ad torquendos reos. Audi qualitèr id doceat, & probet Torreblanca lib. 3. de

215 magia cap. 17. n. 42. his verbis. Dicitur, inquit, similitèr indicium graue, quando ad iudicis præsentiam loquitur quis tremens, trepidans, vel varians, pallens, vel sudans præ angustia timoris, quod sepè ex criminis conscientia delinquentibus solet adesse, vt tradunt Bart. in l. de minore, §. plurium, ff. de quæst. Brun. de indic. par. 1. quæst. 3. nu. 28. Menoch. de arbitrar lib. 1. quæst. 89. nu. 173. Quia oculus, & vultus sunt animi indicatiui. Ecclesiast. cap. 13. Prouerb. 10.

216 Iob 15.] Hæc Torreblanca. Qui limitans sic addit: Licet hoc aliquando ex naturali hominis pusillanimitate, vel ex alia causa naturali soleat accidere, vt tradunt diuersi ab ipso citati.

217 Peculiariter de pallore cum Ant. Gomez. Menoch. & Farinac. per ipsum citatis sic affirmat Sousa lib. 2. Aphor cap. 39. nu. 82. Fugiens, inquit, pallidus è domo, vbi commissum est crimen contra fidem, præsumitur illud cōmisisse, estque ad torturam sufficiens indicium: dummodo hoc plenè probetur, & domus vnicum tantum habeat ostium.] hoc ille, quod, sicut & traditum n. 214. probabilius iudico, saltem ob auctoritatem talium Doctorum.

218 Circa taciturnitatem restat dicendum breuitèr; quæ potest contingere duplicitèr quo ad præsens institutum sumendi ex ea indicium sufficiens ad torturam tacenti infligendam. Primo, si crimen, vt homicidium, aut maleficium, in domo, vinea, vel agro alicuius sit commissum, & ipse, nempè dominus, aut habitator, vel colonus talis domus, vineæ, vel agri taceat, & non denunciet statim; sine dubio sufficienter indiciatus ad torturam existit, etiam si non

219 sit homo malæ conditionis, & famæ. Ratio efficax est, quia tùnc concurrunt contra eum duo indicia, nempè quòd in ipsius domo, agro, vel vinea delictum patratum fuerit, & quod ipse tacuerit, & non statim denunciauerit; ex quibus insurgit vnum admodum vehemens, & violentum, ad torturamque sufficiens. Ita Marsil. in pract. §. expeditæ in fine, Menoch. de præsump. lib. 1. quæst. 89. num. 91. & post Roman. Parid. de Puteo, ac alios ab ipso citatos, Farinac. quæst. 52. nu. 96. & 97.

220 Potest secundo contingere eo modo, quo expressimus in Regula, nimirùm, si reus de crimine interrogatus a iudice, vel inquisitore, taceat, & nolit eis respondere, certum omninò est, quòd ex hoc solò pos-

221 sit ille torturæ subijci. Adde idem esse, si respondeat non aptè, nec directo, vt si dicat, *nescio* vel non recordor. Probatur efficacitèr, quia quiuis reus effugeret pœnam delicti, de quo non est conuictus hac via tacendi, nisi deueniretur ad remedium torturæ; ergò ad ipsum deueniendum. Vtrumque cum Bald. in l. accusationum, C. de accusat. num. 6. Paris de Puteo in syndic. verb. tortus, cap. 7. nu. 16. Brun. de indic. par. 2. quæst. 5. nu. 4. docet benè Torreblanca, vbi supra nu. 45. cuius hæc sunt verba. Vel quando, inquit, quis interrogatus de crimine, non respondit; vel non aptè, nec directò respondit; vt si dicit *nescio* vel *non recordor*. nam & hoc casu nullo alio indicio poterit torqueri; vel respondeat confitendo, aut negando crimen] hactenus ille. atque his præsentem Regulam claudimus.

Quatenus inimicitiæ, & minæ, quatenus alia indicia diuersa sint sufficientia ad torturam inferendam? vel secùs?

REGVLA CCCXLVIII.

222 Capitalis inimicitia, si sit adminiculata, facit indicium ad torturam; secùs, si nullo modo adminiculetur. Inimicitia ve-

verò non capitalis, nec ad torturam, nec 223 ad inquisitionem specialem sufficit. Ob minas item potest quis torturæ subijcij, dummodo plenè probentur, & is qui minatur, sit potens, & solitus minas exequi, atque post eas intra breue tempus, maleficium sit sequutum; nequaquam tamen absque his conditionibus, nisi aliundè minæ adminicu- 224 lentur. Denique contumacia, secreta alloquutio, riualitas, depositio testis impuberis, vel testis ad perpetuam rei memoriam, solicitatio apud iudicem, seù Inquisitorem, & huiusmodi alia indicia remota quandoque sufficiunt ad torturam, maximè si ad inuicem coniungantur; quandoque secus, vt statim explicabitur.

---

225 SVb hac Regula, ne longiùs rem istam de indicijs sufficientibus ad torturam protrahamus, multa, ex eis breuitèr comprehendimus, præcipuè indicia inimicitiarum, & minarum, cum istæ non rarò ab animo proueniant. Circa primum, ex his duobus distinguendum statim de inimicitijs capitali, & non capitali, & indicandum, 226 vnde nàm vnaquæq; istarum oriatur. Secundum communem doctrinam Pegnæ 3. par. Direct. comment. 116. Farinac. quæst. 46. nu. 1. & aliorum, capitalis inimicitia contrahitur ex atroci iniuria, etiam consanguineis facta, ex lite omnium, vel maioris partis bonorum, ex accusatione criminali, ex detentione in carceribus, & ex similibus.

227 Non capitalis inimicitia dicitur illa quæ prouenit ex causa haud graui, seù leui. Tota tamen difficultas est in assignando, quando nam sit causa non grauis: nec potest dari circa hoc regula generalis, & certa pro quouis casu, vt sciatur, an sit inimicitia non capitalis, seu potius capitalis? Vnde cum eod. Pegna loco citato, vers. sunt, qui dicant, & cum Peguera, decis. 17. nu. 8. benè ait Carena dict. tit. 10. §. 12. nu. 87. id remittendum arbitrio prudentis iudicis, qui pensatis omnibus decernere debet, an adsit non grauis seù leuis causa inimicitiæ.

228 His sic præmissis, iàm quod inimicitia capitalis, si sit adminiculata, faciat indicium ad torturam, nequaquam tamen per se sola absque adminiculatione alterius indicij, vel coniecturæ, ostenditur ea ratione, non semel pro alijs indicijs suprà adducta, quia capitalis inimicitia, est indicium remotum, ex se non concludens, ergo vt constituat semiplenam probationem, & sufficiat ad torturam, debet aliquo modo adminiculari. Atque hoc totum præter citatos Farinac. quæst. 89. nu. 102. Peguer. dict. nu. 8. vers. si verò inimicititia, & Carenam allegato §. 12. n. 89. & seq. docent item Iul. Clar. §. fin. quæst. 21. vers. inimicitia, Cantera, in quæst. crim. cap. 2. de probat. per testes, Giurba consil. crim. 15. nu. 7. vers. ad torturam, & alij multi ab isto adducti.

229 Quamquam ipse Giurba, cum Claro, limitans ait, meo quidem iudicio non sine aliqua probabilitate, quod in delictis occultis, & difficilis probationis sola inimicitia capitalis per se sola sit indicium sufficiens ad reum torturæ subijciendum; quia in huiusmodi delictis non requiritur tanta probatio, nec tàm graue indicium, quam in 230 alijs. Extra controuersiam tamen est saltem illud, teste eod. Clar. cita. ex mente aliorum, quòd sola inimicitia capitalis sufficiat ad nomen inquisiti inter reos alios reponendum; sicque fuisse decisum in Curia Cremonensi Caren. vbi supra nu. 92. testatur.

231 Petes, an quæ tradita sunt à nobis triplici numero præcedenti, habeant locum in capitali inimicitia iam reconciliata? Distinguendum de reconciliatione, & negatiuè respondendum, quando reconciliatio est antiqua, quia tunc vestigia inimicitiarum apparent prorsus obliterata: affirmatiuè verò, si conciliatio facta fuerit de recenti, ob rationem oppositam. Ita Farinac. quæst. 49. nu. 110. Menoch. de arbitrar. lib. 1. quæst. 28. nu. 8. item de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 43. nu. 8. & Carena ibid nu. 49. 232 qui bene aduertit nu. 95. quòd quocunque modo facit inimicitia capitalis indicium ad torturam, debeat ipsa priùs plenè probari per duos testes omni exceptione maiores, qui sint contestes.

233 Circa inimicitiam non capitalem concordant omnes scriptores, quòd per se sola non solùm non sufficiat ad torturam, sed etiam neque ad inquisitionem specialem; quia tunc leuissimum, aut nullum est fundamentum contra personam sic leuitèr inimicam inquirendi. Tradunt Iul. Clar. §. fin quæst 21. versu, inimicitia ibi, Tu verò dic. Peguer. dict. decis. 17 n. 8. & alij communiter.

234 Dein, quo ad minas, faciunt similiter istæ sufficiens indicium ad torturam, concurrentibus his tribus conditionibus: primò quòd plenè sint probatæ per duos testes omni exceptione maiores: secundo quòd ille, qui minatur, sit potens, & solitus minas exequutioni mandare: tertio quòd post iniectas minas delictum, seù damnum minatum intra breue spatium temporis fuerit executum: secùs, si aliqua ex his conditionibus desit. Ita Clar. §. fin. quæst. 21. vers. minæ. Peguer. decis. 17. nu. 11. vers. vndè necessario requiritur, & præter alios, quos ipse copiose citat, Farinac. consil. 102. nu. 44. & in praxi, crimin. quæst. 50. nu. 1. & multis seq.

235 Qui n. 8. cum Mascardo per ipsum adducto, & cum alijs benè aduertit, propositam doctrinam intelligendam esse non solùm de minis expressè prolatis, vt de vulnerando, de occidendo, &c. sed etiam de tacitis, & quodammodo per enigma iniectis, vt si quis minetur se velle alicui trahere vnam pen-

pennam de ala, vel quòd faciet ipsi dole-
236 re caput. Pro parte affirmante huius doctrinæ faciunt text. in l. quidam. in l. etiam, & l. final. ff. de probat. & in l. neque
237 professio, C. de test. Ratio est; quia animus,, & voluntas cuiusque non solum ex factis indicatur, l. si tantum, §. ei qui, ff. de ædilit. edic. sed etiam ex verbis, cùm non sit credendum, quod quis verbis indicet illud, quod priùs mente non conceperat, l. Labeo, ad fin. ff. de suppellect. legata.

238 Perpendendæ tamen aliquantulum dictæ conditiones pro maiori declaratione vtriusque partis affirmantis, & negantis. Circa primam de plena probatione requisita, vt minæ faciant indicium ad torturam, cum Foller. in prax. crim. rubri. item quòd sororem venenauit, nu. 25. Anchar. consil. 277. cum Gabrie. tit. de testibus, conclu. 2, nu. 56. & cum alijs ab ipso relatis, bene docet Farinac. quod sufficiat, si minæ probentur per testes singulares, dummodo isti concordent in qualitate minarum, quamuis discordent in loco, & tempore,
239 secùs, si aliter. Quod adeo verum est, vt si probatio fiat per vnicum solum testem etsi omni exceptione maiorem, tunc tantum sufficiant ad inquisitionem generalem, & ad sumendas informationes super delicto; nullo autem modo ad inquisitionem specialem, ne dùm ad torturam, quia cum in speciali inquisitione iam agatur de grauissimo præiudicio personæ inquisitæ, indicium remotum ad eam exequendam debet esse plenè probatum.

240 Circà eam partem secundæ conditionis; quod is, qui minatur, debeat esse solitus minas exequi, valde dissident inter se auctores: nam alij, vt Anton. Gomez. var. resol. tom. 3. rubr. de tortura reorum nu. 11. vers. vndè necessariò. Menoch. de arbit. quæst. lib. 1. casu 361. nu. 39. Mascard. de probat. lib. 1. conclu. 89. nu. 8. Carrer. in pract. crimin. 2. tract. de indic, & tortu. §. 12. nu. 1. & plures affirmant esse absolutè necessariam. Alij contrà, eam vt inutilem, seù non requisitam reijciunt, vt Clar. in pract. quæst. 21. vers. minæ præcedentes, in fine, Felin. in cap. afferte, nu. 12. vers. & hanc partem, extra, de præsumpt. quibus præter reliquos addde Aymon in consil. 35.
241 nu. 3. & 16. Qui cum hac moderatione ipsam non admittit, nempè, si statim, seù intrà breue tempus post minas iniectas exequutum sit maleficium, quæ est tertia conditio ab omnibus approbata; nec aliquid amplius circa eam dicendum occurrit.

242 Verùm Farinac. dict. quæst. 50. nu. 11. has duas sententias oppositas intendit concordare per sequentia verba: Pro concordia, inquit, & secundùm veritatem distinguo sic, si cum minis non concurrit aliquod aliud adminiculum, & tunc illæ non faciunt indicium ad torturam, nisi minans sit solitus minas exequi, & procedit prima opinio: si verò cum minis concurrit aliquod adminiculum, & tunc facit indicium ad torturam, etiã quòd minans non sit solitus minas exequi, & procedit secunda opinio, & sic consuetudo exequendi minas suppletur per alia adminicula] ita ille, cuius doctri-
243 na omninò mihi placet. Possunt autem minæ esse adminiculatæ, & supplebitur dicta consuetudo mandandi eas exequtioni per fugam minantis, per inimicitiam eius cum illo, cui iniectæ fuerint minæ, vel per similia indicia remota.

244 Quod hactenus dictum de minis qualiter faciant indicium ad torturam contra minãtem, parimodo asserendum est de iactationibus contra iactantem, vt egregiè docet Farinac. dict. quæst. 50. nu. 5. vbi primò assignat discrimen inter vtrasque: nam iactatio differt a minis, quòd in ijs expresse affirmat minans se velle alicui damnum inferre; in iactationibus tamen asseuerat iactans se posse talem offendere; Itaque inter velle,
245 & posse consistit differentia. Cùm item circa hoc punctum de iactationibus facientibus indicium ad torturam, sint inter se valde dissidentes doctores, ipse Farinac. eadem ferè via conatur eos ad concordiam reducere, dicens, Si iactans est persona potens, & non solitus vanos effundere sermones, sed iactationes exequi, tunc tales iactationes faciunt contra iactantem indi-
246 cium ad torturam. Secùs, si is fuerit impotens, vilis, ac timidus in effectu, licet in sermonibus, & iactationibus potens, & loquax] hæc Farinac. vide plura apud ipsum de hoc indicio minarum, & iactationum.

247 Sequitur agendum breuissime de diuersis alijs indicijs remotis, & circa vnumquodque vnicum ferè verbum proferendum. Ac primo de contumaciæ indicio dicendum, quod bannitus quiuis, aut hæreticus, qui citatus iuridice noluit comparere, si postquam condemnatus fuit in contumaciam, seruato Iuris ordine, se præsentet iudici, vel Inquisitori, quamuis eius statua fuerit combusta, audiendus est, & quamuis in suis defensionibus concludenter suam innocentiam probet, subijciendus est torturæ, maximè in causis fidei, pro eruenda intentione. Patet, quia ex contumacia, adiunctis banno, & sententia condemnatoria, oritur sufficiens indicium ad torturam. Ita Clar. §. fin. quæst. 64. vers. Sed nunquid bannitus; Giurba, cons. crim. 13. nu. 22. & 24. & cũ alijs, quos ipse refert, Carena 3. par. tit. 10. §. 17. nu. 115 & seqq.

248 Quid itèm de indicio secretæ alloquutionis? sufficiens ne ad torturam infligendam? nequaquam si talis alloquutio per se sola sumatur; bene tamen, si fuerit coniuncta cum alio indicio, seù adminiculo. Vt si quis statim post comissum maleficium alloquatur ad aurem eius, qui ipsum commisit, & probetur inimicitia capitalis alloquentis cum maleficiato. Ratio est, quia tunc ex

hac

hac secreta alloquutione præsumitur contra sic alloquentem, quod iniunxerit illi mandatum, seu commissionem maleficiandi. Ita Caren. dict. tit. 16. §. 15. n. 101. cum Gilhaus. & Zanger. quos citat.

249 Huc potest reduci indicium illud, quod aliquis reperiatur frequentare secreta Magorum, aut hæreticorum conuenticula. De quo asserendum est pari modo atque de præcedenti, nimirum non sufficere ad torturam per se solum, nisi adiuncto alio indicio, vel præsumptione, ob rationem iam sæpe adductam, quia est remotum, & ex se non concludens ad semiplenè probandum. Tradit Farinac. quæst. 52. nu. 88. cum alijs, quos citat, & sequitur eum Torreblanca lib. 3. de Magia, cap. 17. nu. 3. Quanquam

250 Mascard. de probat. lib. 1. conclu. 452. nu. 4. oppositum defendere videtur, nempe per se solum sufficere, & hoc attenta qualitate personæ, quòd frequentans sit de genere, seu natione eorum, qui talia conuenticula faciunt, non caret, meo iudicio, probabilitate: quia tunc ex actu frequentandi ea vehemens præsumptio oritur de

251 mala credulitate. Vndè secus esset, si quis semel tantum ob curiositatem ea con-

252 uenticula adiret. Tandem, quod ex dicto actu solo frequentandi ipsa sumatur sufficiens indicium ad inquisitionem specialem, & ad carcerationem, quiuis credo Mascardo absolutè concedet.

253 Dein quærimus, an riualitas in amore, & qualiter possit facere sufficiens indicium ad torturam? cum Farinac. consil. 193. nu. 9. firmam, & congruam resolutionem huius quæstionis præbet nobis Carena dict. §. 15. nu. 109. affirmans tria simùl requiri, vt ex riualitate oriatur indicium ad torquēdum. Primo, quòd amor reciprocus inter amasium, & amasiam extiterit. Secundo, quòd hunc amorem alter, seu inquisitus non ignoraret. Tertio, quòd hic talem amorem ægrè ferret: his tribus concurrentibus sine dubio potest subijci torturæ, ille qui maleficium a se amasio illatum negat.

254 Præterea depositio sola testis impuberis, imò & testis minoris 20. annis, etiam in illis causis criminalibus, in quibus veritas alitèr haberi nequit, non facit indicium ad torturam, nisi adsint alia adminicula. Ita Carena dict. §. 15. nu. 103. Cum Cantera in quæst. crim. cap. 2. in rubrica, de indic.

255 ad tortu. quæst. 1. nu. 25. Qui addit nu. 26. quod talis depositio sola sufficiat ad inquirendum in specie, & carcerandum, maximè iuncta aliqua præsumptione, & exemplificat, dicens, ex ordine supremæ Inquisitionis Castellæ captos fuisse duos homines pro hæresi ex testimonio vnius mulieris minoris 18. annis, quæ deponebat de cerimonijs Mahometanis, ex eo quòd ipsi erant de genere Maurorum.

256 Testis verò ad perpetuam rei memoriam instante Fisco receptus, si sit omni exceptione maior, facit indicium ad torturam, licet non repetatur in plenario, vel quia ad partes longinquas recessit, vel quia non inuenitur ad repetitionem faciendam; cum Cantera, vbi supra, nu. 46. tenent citati Carena, hic §. 15. & Diana 4. p. tract. 8. resol. 115. Atque hoc præcipuè locum habet in causis, ex vi cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6. vt

257 tradit idem Cantera, Addens, attendendum esse, an talis testis deponat vtrimilia; ponitque exemplum, cuius iam alibi meminimus, de quodam Religioso, qui in Rego Galiciæ dicto modo ad instantiam Fisci contra propriam matrem ad perpetuam rei memoriam deposuit in materia sortilegiorum, & statim ex mandato sui Superioris in Italiam se transtulit: atque in supremo Concilio Inquisitionis Hispanæ resolutum fuit vt ex illa depositione, quamuis non repetita in S. Officio Regni Galiciæ contra dictam matrem vsque ad torturam procederetur.

258 De indicio item sollicitationis apud Iudicem, egregiè Martin. del Rio lib. 5. disquis. magic. sect. 4. nu. 12. per sequentia verba. Si commisso, inquit, maleficio, quis confestim veniat ad curiam, vt sollicitet inquiri, & procedi de auctore maleficij, cum hoc ad eum non pertineat sollicitare: hæc enim gestio, & sedulitas suspectū facit, & sæpè exemplis hoc deprehensum: sed hoc etiam est leue, & debet bonis præsumptionibus alijs roborari, vt sufficiat ad torturam. Quod multo magis tenendum de illo, qui spontè, cum non teneretur, malefactorem denunciat.] hæc ille, quibus nihil addendum occurrit.

259 Est præterea dubium circa assertionem vulnerati, ex vulnere mortui, an faciat indicium ad torturam? negatiuè respondendum; & quòd de consuetudine sufficiat ad inquirendum. Ita Iul. Clar. §. fin. quæst. 21. vers. Assertio vulnerati, Peguer. decis. 17. nu. 5. Gilhaus. sect. 2. nu. 31. & seqq. Canter. loco citato, nu. 35. & alij.

260 Similitèr potest dubitari, oriatur ne indicium ad torturam ex eo, quod res aliqua reperta fuerit in loco delicti, contra eum, cuius est res illa? Responsio affirmatiua traditur a Carena dict. §. 15. nu. 100. ex Zanger. de quæst. & tort. cap. 2. n. 33. cum hac limitatione, nisi tale indi-

261 cium fortiori præsumptione elidatur. Sed quid de forma pedis, quæ impressa manet in terra humida eius loci, vbi delictum fuit patratum, & correspondet formæ pedis accusati? De hoc pari modo videntur loqui Doctores atque de præcedenti, præcipuè citatus Zanger. & ante ipsum Bald. consil. 327. nu. 11. lib. 1. ac Mascard. conclu. 830.

262 num. 21. Bene tamen asserunt Gilhaus. dict. sect. 2. nu. 67. & Carena §. 15 citato, nu. 100. indicium ex planta pedis vti admodum vniuersale esse leuissimum: vnde nisi adsint alia adminicula, non sufficiet ad torturam.

263 Ne nimis diffundamur in explicandis alijs simi-

similibus leuibus indicijs, hactenus tradita sint satis: Si quis plura scire desiderat, inueniet copiosè apud Martinum del Rio, citata sec. 4. Sed multò copiosiùs apud Farinac. tom. 1. prax. crim. lib. 2. multis longissimis quæstionibus à 36. vsque ad 52.

264 Verùm solùm addam in communi pro omnibus vnum verbum, quod ex quouis eorum possit procedi ad torturam, si faciat semiplenam probationem: patet ex Glos. valdè recepta, in l. Maritus, in verb. à quæstionibus, ff. de quæst. & ostendit multis ex mente aliorum Farinac. quæst. 36. nu. 265 218 & seq. Dictam autem semiplenā probationem præbet indicium vel per se ipsum solum, quod rarò contingit, si sit remotum, vel adiunctis ei alijs indicijs seù admi- 266 niculis. Quòd verò sibi inuicem coniungi, & adminicula præbere talia indicia possint; si tendant ad eundem finem; secùs si inter se non sint subordinata, toto §. 16. dicti tit. 10. docet benè Carena cum Farinac. quæst. 46. nu. 100. & cum alijs quem videas.

Potest ne aliquando sine vllis indicijs tortura reo, aut heretico infligi? è contra, illis stantibus, potest ne quandoque omitti?

REGVLA CCCXLIX.

267 SVpponitur vt prorsùs certum, neque de absoluta Principis potestate, seu iurisdictione, posse vnquam reum torqueri, nisi adsint legitima indicia; ab hac tamen omnimoda generalitate pauci excipiuntur casus, ex mente aliquorum Doctorum, in quibus etiam sine dictis indicijs licitum est illum torturæ subijcere: nempe reum, qui fingit fatuitatem: homicidam, item, vel assassinum, vt indicet mandantem; custodem etiam bonorum perditorum, vt cauponem, & similiter in duplici alio casu 268 expendendo. Verum è conta concurrentibus legitimis indicijs probabile est, quòd possit iudex, seu Inquisitor duplici via contra inquisitum procedere, vel infligendo ei torturam, vel sine ista condemnando ipsum ad abiurationem, & pœnam extraor- 269 dinariam. Conuenientius tamen faciet, si eum torturæ subijciat pro eruenda veritate circa factum, dein circa intentionem, quod est valdè proprium Tribunalis S. Officij.

---

270 TRadita fuit à nobis supra, & probata, allegatis textibus, Iuris canonici, ac ciuilis supppositio, de qua initio præsentis Regulæ, quod absque indicijs sufficientibus nequeat deueniri ad infligendam alicui torturam: nunc confirmatur, vt omnino certa, cum expressione, quod nec de suprema, & absoluta Principis cuiusuis aut Gubernatoris potestate, seù iurisdictione possit vnquam fieri; etiam in quibuscunque causis quantumuis atrocissimis, etiam 271 si sint difficillimæ probationis. Ostenditur eo firmissimo fundamento, quia id repugnat iuri naturali, & iustitiæ, cum tortura sit medium fragile, & fallax pro eruenda veritate, inferatque graue damnum, & irreparabile torto; ergò, vt ei iustè infligatur, debent præcedere legitima indicia. Ita Iul. Clar. §. fin. quæst. 64. vers. dixi quoque, cum multis ab ipso relatis. Farinac. quæst. 37. nu. 79. & Carena dict. tit. 10. §. 18. nu. 272 Vbi refert responsum, quod Gram. voto 32. nu. 9. Cardinali Columnæ Poregi Neapolitano iuxta propositam doctrinam dedit.

273 Si quis verò obijciat, esse regulam vulgatam Doctorum, quod in atrocissimis sit licitum iura transgredi: Congrue, & rectè interpretantur eam idem Farinac. dict. quæst. 37. num. 91. Martinus del Rio disquis. magic. lib. 6. in append. 1. quæst 21. & Carena vbi supra, quòd procedat in condemnando reum confessum, aut conuictum, non autem in ordine iudicij, & in tortura inferenda; nec est qui huic interpretationi contradicat.

274 Nihilominus (en qualiter verum appareat, id quod communiter dicitur, nullam scilicet esse regulam adeo vniuersalem, quæ non patiatur aliquam exceptionem) ab illa omnimoda generalitate nonnullos casus excipiunt scriptores, in quibus absque legitimis indicijs potest licitè reus torqueri: breuissimè vnumquemque expendamus, an ita sit in omnibus per Carenam assignatis.

275 Primus est, quando reus simulat furorem, seu amentiam. affert Carena dict. §. 18. nu. 119. ex decisione Senatus Sabaudiæ, lib. 9. sui Cod. tit. 21. def. 1. & addit, quod aliquandò, iussu eiusdem Senatus, adduci soleat talis reus ita fingens dementiam in locum secretum, vbi ab omnibus Senatoribus conspiciatur, & ex vultu, & sermone deprehendatur, qualis re vera sit, an fa- 276 tuus fictus, vel sanus? Nono ab hinc anno in nostra congregatione S. Officij Meliten. ostensus fuit nobis quidam reus, qui in eo fingebat amentiam, quòd esset Religiosus Magnæ Crucis Hierosolymitanæ eā defixam in pectore habens: Deprehensa tamen à nobis fictione, vbi eleuatus in torturam, statim amentiam deposuit, & crimen confessus est.

277 Verum in præcedenti casu, saluo meliori iudicio, non videtur sine indicijs tortura reo infligi, quidquid dicat Carena, quia indicio, ratione cuius reus carceratus fuit, adiungitur simulatio amentiæ, ex qua sine dubio insurgit aliud indicium, cum præsumatur ita simulare ex conscientia commissi delicti, & ne cogatur hoc per torturam fateri: vnde ex vtroque indicio fiet vnum completum, sufficiens ad torquendum illum:

nec

nec video vndè repugnet coniunctio duorũ illorum indiciorum in vnum.

278 Pari etiam modo videabatur asserendum de alio casu, quando reus non vult respondere interrogationibus, de quo iam egimus supra nu. 222. vbi resoluimus pro parte affirmante, quod sit torquendus, sed non expendimus, an sine indicijs legitimis id fiat, quod præter Carenam citatum, cum Bald. & alijs per eum relatis, perpendit Diana 4. par. tract. 6. resol 34. cuius verba hæc sunt.

279 Affirmatiuè, inquit, respondeo; vndè in tali casu de rigore iuris Inquisitores possunt ponere illum ad torturam, & cogere, vt respondeat affirmatiuè, vel negatiuè, & ita tenet Bald. in l. accusationem, post nu. 11. C. qui accusare non poss. & vt dicit ibi Bald. talis tortura non datur reo ad eruendam veritatem, quia ad hoc necesse esset, vt præcederent indicia ad torturam sufficientia, sed datur ad extorquendam responsionem. Quam Baldi opinionem in contingentia facti approbauit Concil. Neapolit. vt testatur Capicius, decis. 145. & hæc omnia docet Brunus, tract. de indic. quæst. 5. nu. 4. Carauita ritu 259. nu. 14. Miranda in ordin. iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 4. conclu. 5. Gomez, tom 3. variarum cap. 12. nu. 5. Clar. lib. 5. §. quæst. 45. num. 6. Mascard. de probat. lib. 3. conclu. 1385. num. 15. Sousa in Aphoris. inquis. lib. 2. cap. 39. nu. 48.

280 &c.] hæc, & plura ille, ex quibus clarè aparet, quod reus sic nolens respondere interrogationibus, tunc torqueatur absque legitimis indicijs, secundùm prædictos Auctores adeo graues, quorum iudicio me libentèr submitto: & posset forte assignari differentia, quia indicium taciturnitatis, cùm hæc ex infirmitate corporis, seù ex humore melancolico prouenire contingat, non ita facile coniungitur cum indicio ad carcerationem, sicuti cum isto coniungi solet, vt diximus, indicium simulandi dementiam, atque de hoc satis.

281 Tertius casus est circa homicidam, vel assassinum, qui aliquem occidit, cum inter ipsum, & occisum nulla præcessit inimicitia, vel alia causa offendendi, tunc iste vti mandatarius poterit torqueri ad indicandum mandantem, absque alijs indicijs. Ita Foller. in pract. crim, rubri. rei indurati torqueantur, nu. 5. Boss. in tit. de indic. & consider. ante tort. nu. 144. & 146. qui testatur de consuetudine, & obseruantia, Clar. in pract. §. fin quæst. 21. vers. dictum socij criminis, & præter istos à Farinac. citatos, cum alijs multis idem tenet

282 ipse, quæst. 37. nu. 154. & 155. deducitur clare ex textibus ciuilibus, l. & si certus ff. ad Syllan. Et si certus, inquit legislator, sit percussor, tamen habenda est quæstio, vt cædis mandator inueniatur] & l. prius ff. eodem. Prius, inquit, de se familia torquenda est, & si confiteatur, tunc interrogetur, quo mandante flagitium admissum sit] ita ibi.

283 At nullus, credo, prædictorum auctorum excepto Carena, manifestè asserit, quod in tali casu inferatur tortura sine legitimo, & sufficienti indicio. imo Farinac. oppositum iudicat, his verbis. Satis enim, inquit, legitimum indicium isto casu reputatur, quod nemo præsumitur delinquere sine causa; & si causam propriam occidens non habeat, necesse est vt ad alterius instantiam id fecerit; ideo stante hac materia verisimili, meritò absque alijs indicijs torqueri in genere, ad cuius instantiam occiderit]

284 hæc ille, & paulo post, eod. nu. Sed ego, inquit, credo, quòd in hoc nulla sit specialitas, & quod iura ita statuerunt, quia, vt prædixi, vbi occidens non docet, qua de causa ad occidendum motus fuit, verisimilter (nisi stultus erat) ad alicuius instantiam id fecit: ideo ex hac verisimilitudine, quæ quodammodo necessaria est, mouetur iudex ad ipsum torquendũ, vt indicet mandantem] En quam clarè tenet Farinac. in prædicto casu inferri torturam, ex indicio sufficienti; & admodum vehementi, quale est habens verisimilitudinem necessariam.

285 Sequitur quartus casus, nempè quando iam bannitus vel assassinus, aut fur famosus, vel comites, crimine sfrosationis annonæ, aut salis fuit condemnatus, & eius sententia exequutioni mandari debet: absque vllis indicijs subijcitur torturæ super alijs criminibus, complicibus (de his paulòpost dicetur) & receptatoribus. Ita Iul. Clar. §. fin. quest. 64. vers. successiuè quæro, ibi, tamen nunquam, & Carena dict. §. 18. nu. 121. vbi ait id fundari ex consuetudine status

286 Mediolani. Et addit benè, hanc cõsuetudinem, cùm sit stricti iuris, non esse extendendam ad alios casus vltra supra expressos, vti ipse Senatus Mediolanen. non extendit.

287 Vnde iudicauit puerum de crimine nefando confessum, non esse interrogandum super alijs delictis eiusdem generis, vt apud Caren. cit. auctor est Porrus in Annot. ad Ambros. lib. 4. c. 2. nu. 5.

288 Quintus deniq. casus est in custode bonorũ perditorum, seù eorum, quæ præsumuntur furto ablata, vt in caupona, & similibus, inde ostendit Farinac. quæst. 37. nu. 159 & seq. quia cauponæ, & alij huiusmodi, vt plurimùm, sunt personæ viles, & malæ famæ; ergo poterunt absque indicijs torqueri super furto bonorum, quæ custodie-

289 bant. Vnde è contra, si custos rei deperditæ sit persona honesta, & boni nominis, nequaquam in ipsa habebit locum præcedens doctrina, sed requirentur legitima indicia ad torturam ei infligendam, vt per se patet.

290 Circa secundam verò principalem Regulæ nostræ partem, num stantibus sufficientibus indicijs ad torquendum, possit tortura omitti, iniuncta hæretico pro qualitate indiciorum abiuratione, & pœna extraordinaria, sed potius debeat ille torqueri?

Eyme-

Eymeric. in Direct. par. 3. in rubr. de 3. modo terminandi processum, &c. num. 151. absolute tenet non esse deueniendum ad torturam, quando adsunt indicia ad iniungendam obiurationem.

291 Cuius oppositum, vt verum bene defendit Pegna ibi, comment. 39. lit. A. vers. & hoc est, affirmans posse Iudicem, seu Inquisitorem eligere viam torquendi reum, etiam quod adsint indicia talia, ob quæ posset ei indici abiuratio: inde ostendit, quod falsum credat, indicia, quæ non sufficiunt ad abiurationem, sufficere ad torturam. Sed

292 hoc meritò reijcit Farinac. de hæres. q. 185. §. 8. n. 149. & contrarium approbat, nempe quod indicia sufficientia ad torturam, videantur etiam, vt plurimum suffi-

293 cere ad abiurationem. Sed de hoc, libro sequenti, vbi amplius ostendemus in diuersis casibus terminari causam cum gradu abiurationis de leui, quia ad hanc adsunt sufficientia indicia, & forte non ad torturam.

294 Vtramque autem viam dictam torturæ, vel abiurationis cum pœna extraordinaria, liberam relinquit inquisitori doctissimus Sousa lib. 2. Aphor. cap. 39. num. 41. his verbis. Quamuis, inquit, ex indicijs possit reo abiuratio indici, licitum tamen est Inquisitoribus eligere, an potius illum tormentis exponant.] hęc ille. Prædictis

295 duabus vijs tertiam adiungit citat. Pegna, vt refert ibid. Farin. sic. Propterea, inquit, concludit, quod, quando reus non est conuictus plene, sed tantum indiciatus, ita quod iure absolui possit, habet Inquisitor tria remedia terminandi processum; vnum scilicet per purgationem, aliud per abiurationem, & tertium per tormen-

296 tum. Et hoc postremum remedium accommodatius cæteris ad eruendam veritatem affirmat; cum purgatio, & abiuratio inuenta sint potius ad suspicionem, & infamiam hæresis excludendam, quam ad veritatem indagandam.] hæc ille, quibus vl-

297 tima particula præsentis Regulæ complete probatur. Atque hactenus de indicijs in communi ad torturam.

CAPVT V.

De committentibus delicta contra fidem Catholicam circa materias particulares apud Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis, si adsint sufficientia indicia torquendis.

PROOEMIOLVM.

1 TRadita à nobis præcedentibus capitibus communia fere sunt DD. Inquisitoribus, & quibuscumque Iudicibus aliorum Tribunalium, atque ab vtrisque æque practicabilia censentur; nec dubium, quin per ea possit Inquisitor, aut consultor eius in casibus occurrentibus facile decernere, an sit inquisito in materia fidei infligenda tortura? nec ne?

2 Nihilominus operæ pretium duxi omnes pæne materias S. Officij in hoc capite breuiter percurrere, & quid de singulis circa hoc de subijciendo reo torturæ, vel secus, paucis Regulis indicare; quod Lectori gratum fore confido.

Quatenus hæretici, vel apostatæ, aut de hæresi, vel apostasia suspecti, sunt torquendi, maxime quo ad intentionem?

REGVLA CCCL.

3 TOrtura infligenda est hæreticis, & apostatis (his adiunge Schismaticos errore infectos) in subsidium probationis, pro indaganda veritate, tam circa ipsos, si sint negatiui, quam circa complices in pa-

4 trando delicto contra fidem. Ad inferendam autem illis dictam torturam, haud requiruntur maiora, seu magis vrgentia indicia in crimine hæresis, quam in alijs cri-

5 minibus. Pari item modo torqueri possunt, & debent suspecti de hæresi, vel apostasia, quales sunt fautores, & credentes hæreticorum, conuersantes cum eis, impe-

6 dientes S. Officium, & similes. Præcipue tamen apud Tribunal S. Inquisitionis subijciuntur rei torturæ quoad intentionem, si hæc ab eis negetur, licet dicta, vel facta hæretica, aut hæreticalia, vel apostatica fateantur.

---

7 SVpponitur à Doctoribus, vt omnino certum, quod sint torquendi hęretici, & apostatæ in subsidium ad eruendam veritatem delicti contra fidem, quando de eo neque per confessionem eorum, neque per testes legitimos, neque aliunde constare

8 potest. Afferunt Eymeric. in Direct. par. 3. nu. 151. & ibi Pegna, comment. 39. idem Eyme-

Eymeric. 3. par. qu. 61. nu. 1. ac ibi ipse Pegna comment. 110. vers. iam tota, Simanc. in Enchirid. tit. 52. n. 1. & Sanctarell. tract. de hæresi, cap. 41. n. 1. nec alia hoc ita certum indiget probatione.

9 Cum hæreticis, & apostatis coniungi solent schismatici, vt alibi vidimus: quamuis enim aliquando cōtingat dari schisma sine errore intellectus, teste D. Th. 2. 2. q. 39. art. 1. ad 3. vt cum quis credit omnibus fidei articulis, & summum Pontificem esse caput Ecclesiæ; at ei, vti Papæ, ex propriæ voluntatis malitia non vult obedire, aut cum membris Ecclesiæ renuit communicare; id tamen raro accidit, atque vt plurimum, vbi schismata, ibi hæreses, vt docet Origenes, homil. 9. in Ezechiel.

10 Et consequenter homo schismaticus præsumitur malè sentire de fide, in his præsertim, quòd extra Ecclesiam sit salus: quòd Papæ, vt Papæ, non sit parendum: & quòd vnitas Ecclesiæ possit scindi; de quo benè Simanc. Cathol. Instit. tit. 55. nu. 6. addens num. 8. dictam præsumptionem esse vehementem, sicque sentiunt Eymer. par. 2. Direct. qu. 38. n. 3. ibi Pegna, comment. 37. lit. A. Menoch. de præsump. 6. n. 24. & Castr. Palao, tom. 1. tract. 6. disp. 4 pun. 6. nu. 19.

11 Hinc meritò ex mente prædictorum auctorum concludit Carena 2. par. tit. 2. §. 11. nu. 38. quòd schismatici debeant torqueri, sicut dictum est de hæreticis, & apostatis, quando aliter haberi veritas non potest circa delicta eorum contra fidem; nec mihi de hoc dubium extat.

12 Subijciendi item sunt torturæ hæretici, apostatæ, & schismatici pro manifestandis complicibus, si hos sine ea manifestare recusent. Patet ex decreto Sacræ Congregationis, seù potius Pij V. sanctæ memoriæ, edito, die 28. Iulij 1569. in hæc verba. Inharendo decretis alias per fel. record. Paulum Papam IV. D. N. Pius V. decreuit omnes, & quoscumque reos confessos, & conuictos de hæresi, pro vlteriori veritate habenda, & super complicibus, fore torquendos arbitrio DD. Iudicum. Affert Carena 2. par. tit. 1. §. 23. nu. 116. citans Locatum, Symanc. Farinac. & Lud. Paramum pro hac doctrina vti certa.

13 Dubitari tamen potest, an ipsa habeat locum in illis delinquentibus contra fidem, qui de se fatentur, & nihil dicunt de complicibus? Ioan. Rojas, in tract. de hæret. par. 2. n. 243. & seqq. ac nu. 315. asserit eam procedere tantummodo in delinquenti S. Officij conuicto, qui negat de se, & de alijs. Si enim inquit, de se confiteatur, verisimile apparet, quòd si alios sciret, eos similiter manifestaret.

14 Oppositum tamen benè defendunt Symanc. Cathol. Instit. tit. 65. nu. 60. Farinac. de hæres. quæst. 185. n. 135. & Carena dict. §. 23. nu. 121. nempè, quòd possit dari tortura reo in causa fidei super complicibus, quamuis ipse de se confessus sit crimen: nec habet vim ratio, quam adducit Rojas; quia, vt benè notat ibidem Farinac. multi reperiuntur, qui magis curant tegere socios, & complices, quàm se ipsos.

15 Controuersum est autem illud aliquantulum inter Doctores, quænam indicia requirantur ad prædictam torturam? Et quidem, si sermo sit de torquendo hæretico, vel apostata, vt crimen de se ipso fateantur, Farinac. de hæres. quæst. 185. §. 8. nu. 141. refert duas oppositas sententias: alteram Campegij, & aliorum, quos citat, asserentium, in crimine contra fidem leuiora, & minus legitima indicia sufficere ad torquendum, quàm in alijs criminibus.

16 Alteram verò Eymerici, Pegnæ huius commentatoris, Symanc. & aliorum, quos ibi adducit, affirmantium, ad infligendam torturam inquisito in materia fidei, adeò magna, & vrgentia indicia requiri, vt sola eius confessio deesse videatur.

17 Ab hac tamen difficultate se expedit ipse Farinac. resoluens debere id relinqui Iudicis, seu Inquisitoris arbitrio, iure, ac ratione regulato, vt declarat idemmet in prax. quæst. 37. n. 192. & seqq. notatque Carena dict. tit. 1. §. 19. nu. 100.

18 Prædicta autem resolutio Farinac. reiectis illis oppositis sententijs, valdè mihi probatur, vti communis quibuscunque causis criminalibus, tam S. Officij, quàm aliorum Tribunalium, iuxta tradita à nobis suprà: per quam etiam innotescit, ad inferendam reo torturam non requiri maiora, & vrgentiora indicia in delicto contra fidem, quàm in alijs delictis, vt expressimus in Regula.

19 Quod confirmatur ex doctrina, quam cum Symanc. Pegna, Locato, & cum alijs per eum citatis, adducit Sanctarellus, dict. cap. 41. n. 1. dub. 1. nempè in crimine hæresis testem vnicum omni exceptione maiorem sufficere ad hoc, vt quis possit torqueri; atque ita etiam se habere in reliquis criminibus suprà ostendimus, ergo, &c.

20 Si verò sit sermo de torquendo hæretico, vel apostata, pro manifestandis complicibus, aut magistris, non concordant circa hoc doctores, an, & qualia indicia requirantur ad talem torturam? Symanc. de Cathol. Instit. tit. 65. n. 60. & Enchir. tit. 62. n. 31. tenet non esse deueniendem ad torturam super complicibus nisi semiplenè probetur, quod reus socios criminis habeat, vel sciat alios hæreticos esse.

21 Verum hæc sententia Symanc. licet in Tribunalibus S. Inquisitioni Hispanæ fortè habeat locum, non verò in Tribunalibus S. Congregationis Vrbis, totiusque Italiæ, ac alijs, vt cum Diana 4. par. tract. 6. resol. 29. notat benè Carena vbi suprà; quia positum Decretum Pij Papæ V. absolutè absque tali semiplena probatione loquitur.

22 Imo idem nunc obseruari in Hispania ex testimonio doctissimi Canteræ, diu ibi, Inquisitoris munus exercentis, c. 1. de hæret. nu. 457.

nu.457. affirmat citatus Cantera ob eam rationem, quia delictum contra fidem, vt plurimum, de necessitate cum socijs committitur, ergo non requiritur dicta semiplena probatio.

23 At Farinac. de hæres. quæst. 185. §.8. n. 135. vult non esse infligendam reo torturam in causa fidei pro extorquendis complicibus, nisi adsint indicia, siue reus crimen 24 de se confiteatur, siue neget. Verius tamen est, quod docet Carena dict. §.23 nu. 121. nulla ad eam requiri peculiaria indicia cum sufficiant prærequisita ad torquendum reum, vt delictum de se ipso fateatur, vel sufficiat eius confessio, vt super complicibus torqueatur. In idem inclinat San-25 ctarell. loc. cit. vbi sic ait. Quando sunt vrgentia indicia, non solùm potest reus torqueri ad extorquendum an ipse sit hæreticus, sed etiam an in hæresi habeat complices, hæretici enim solent habere complices] ita ille, & citat propositum supra, Pij IV. & Pij V. decretum, in quo nulla fit mentio de indicijs particularibus requisitis ad infligendam hæretico torturam super socijs, aut magistris: ergo absque eis poterit ipsi infligi.

26 Plures item suspecti de hæresi sunt torquendi; huiusmodi in primis censentur fautores hæreticorum, cuiusuismodi fautoria existat ex tribus, quos ex communi Doctorum Peña 2. par. Direct. comment. 78. vers. trifariam autem, & Farinac. de hæres. quæst. 182. nu. 1. assignant: nempè omissione, seu negligentia; item facto, seù cooperatione; deniq; consilio, seu verbis. Atque 27 in hos fautoriæ modos incidere possunt tam publicæ, quam priuatæ personæ; præcipue in primum incident personæ priuatæ, si omittant denunciare hæreticos, ad quod per edictum Inquisitorum obligantur, vt alibi diximus; vel per magistratus aliquid eis fuerit iniunctum contra hæreticos, & ipsi non impediti minime exequantur, vt docent ijdem Peña dict. commen. 78. vers. priuati autem, & Farinac. 28 dict. quæst. 182. num. 27. Incurrunt vero hanc fautoriam omissionis personæ publicæ, vt si Episcopus, vel Inquisitor, aut eorum ministri hæreticos non puniant, vel contra ipsos non procedant, secundum textum in Clemen. I. de pœn. & in cap. excom. il 1. §. volumus de hæræt. affertq; Sanctarell. de hæres. c. 11. nu. 2. cum dictis Peña, & Farinac. ac alijs per eum relatis.

29 Facto etiam, seù opere, sunt fautores hæreticorum, qui præbent eis alimenta, vel pecunias mutuant: consilio item, seu verbis, qui ipsos docent viam, qua e manibus Inquisitorum liberentur. Ita cum alijs ab ipso citatis idem Sanctarell. apud quem plures casus triplicis huius fautoriæ videas.

30 Prædicti autem hæreticorum fautores torqueri possunt, & debent, eo, quod isti nisi qualitas personæ aliud suadeat, vel ratione alterius circumstantiæ excusentur, vt plurimum, sunt vehementer suspecti de hæresi. Ita Eymeric. 2. par. Direct. qu. 56. n. 6. vbi inde id bene ostendit, quia excommunicati ob causam fidei, sunt vehemẽter suspecti de hæresi, iuxta text. in cap. cum contumacia, de hæret. in 6. At quod fautores hæreticorum sint excom. ob causam fidei, patet ex cap. excommunicamus, il 1. §. credentes, de hæret. ergo, &c. Ita etiam Farinac. d. qu. 182. n. 55. & Car. 2. par. tit. 4. 31 §. 2. n. 19. Qui secundum doctrinam Bart. in l. is, qui, de furtis, & Locati in Iudiciali Inquisitorum, verb. fautores, nu. 3. vers. vnum tamen, aduertit optime, quod, vt ritè, ac rectè cõtra aliquem vti fautorem hæreticorum procedatur, debeat prius constare de hæresi illius, cui fautum prætendi-32 tur. Atque stante hac conditione, subijciendus est torturæ, & interrogandus in ea de causa, cur hæreticis fauorem præstiterit. Cum Farin. ibid. n. 69. tradit idem Carena §. 11. n. 87. quem legere non graueris.

33 Similiter infligenda est tortura credentibus hæreticorum, & conuersantibus cum eis; & quoad hos posteriores probatur efficaciter ex eo, quia, vt cum Bald. cons. 79. vol. 3. egregie testatur Ioannes Rojas in tract. de hæret. par. 2. n. 77. ex conuersatione huiusmodi oritur indiciũ sufficiens ad tor-34 turam contra conuersantem. Quamquam attenta qualitate personarum, attentisque circumstantijs loci, temporis, & alijs non semper insurgit vehemens suspicio contra tales conuersantes cum hæreticis, sed aliquando leuis, aliquando vehemens. Ita Symanc. de Cathol. instit. tit. 11. nu. 9. & Farinac. dict. quæst. 182. nu. 166.

35 Quoad hęreticorum vero credentes, res est magis certa, quia cum dupliciter isti sumi soleant, nempe pro ijs, qui explicite erroribus alicuius hęretici, seu hęresiarchæ adhęrent: Secundò, pro ijs, qui tantũ implicite, aut in communi, nullum errorem particularem exprimendo: & hi quidem ex mente omnium Doctorum sunt formaliter hęretici, sicut illi primi. Ita Suarez de fide disp. 24. sect. 1. n. 1. Sanchez in summ. lib. 2. c. 10. n. 2. & Sanct. de hæres. cap. 11. dub. 4 n. 30. vnde qui de tali credulitate sunt sufficienter indiciati, si negent, subijci torturæ pos-36 sunt, & debent. Qui vero neutro modo, neque explicite, neque implicite erroribus hæreticorum quod credant, apparet, sed tantum videntur credere eorum verbis, iussionibus, &c. quippe ad hæreticorum dictum vadunt, & redeunt, eos visitant, ipsis alimoniam præbent, &c. hi nequaquam dicuntur proprie credentes hæreticorum, sed potius fautores, teste Suar. citato dict. sect. 37 1. n. 2. Sunt tamen torquendi, si indiciati negent, quia de hæresi suspecti existunt, vt cum Eymer. 2. p. Direct. q. 50. n. 5. & cum alijs tradit Carena, 2. p. tit. 4. §. 9. n. 79.

38 Dein quid de impedientibus S. Officium? dupliciter isti se habent, si videlicet impediant directe; vt statuendo, ne quisquam de

de crimine hæresis cognoscat, nisi v.g. Iudex sæcularis; vel si impediant indirecte, ordinando, ne vllus portet arma, nisi de familia potestatis existat; nam per talem ordinationem excluduntur familiares S. Officij. Sic cum Eymer. 2. par. Direct. quæst. 54. num. 1. & cum Peña ibi adducit, & exemplificat Carena dict. tit. 4. §. 3. num. 21.

39 Qui num. seqq. plures casus exprimit, in quibus dicitur quis impedire S. Officium, vt si iniuriet, vel offendat Inquisitores, seu eorum ministros, etsi solum minis, & terroribus verbalibus vtatur. Reliquos videas

40 apud ipsum tandem n. 30. bene concludentem, quod quicumque S. Officium quolibet modo impedientes, sint vt plurimum de hæresi vehementer suspecti, & quod sint diligenter interrogandi, ac torquendi super causa, qua excitati, ad impediendum S. Officium. Ita ille cum Peña 3. par. Direct. comment. 85. & cum Farinac. quæst. 182. num. 70. De eisdem im-

41 pedientibus Sanctum Officium admodum copiose agit ipse Carena tit. 13. explicans 25. §§. Bullam Pij Quinti, Si de protegendis.

42 Pari tandem modo dicendum de receptoribus, defensoribus, & consultoribus hæreticorum, quod tales regulariter sint de hæresi suspecti vehementer, & consequenter tortura eis infligenda, si adsint indicia sufficientia, & negêt, vt traditum paulo ante de fautoribus, cum quibus illi coincidunt, ac de ipsis tractat Carena dict. tit. 4. §§. 5. 8. & 10.

43 Superest agendum in hac regula de tortura infligenda super intentione in causis hæresis, quæ cum oculta, quoad partes essentiales, in mente lateat, singulare, & valde proprium est tribunalis Sanctæ Inquisitionis eam per tormenta inuestigare. Quamuis enim alia Tribunalia etiam super intentione aliquando torqueant (duplici exemplo in criminibus furti, & percussionis baculo ostendit Carena 2. par. tit. 1. §. 20. num. 101. exequutum in suo Tribunali Cremonensi) rarissime tamen id contingit.

44 Prænotandum autem primo, quod non illico, & facile sit infligenda tortura super intentione; sed tunc tantum, quando perpensis omnibus, maxime qualitate personæ rei, seu criminis, loci, modi, & aliarum circumstantiarum (de his videas Peñam 3. par. Direct. comment. 17. vers. ad hæc, & Farinac. de hæres. quæst. 179. nu. 62.) res manet dubia, vt docent ibid. nu 7. Farinac. & ante eum Symanc. Cathol. in-

45 stit. tit. 13. num. 17. Prænotandum secundo, quod omnes causas de infligenda tortura super intentione, in causis fidei, reduci ad duo capita possint. vt tradit Carena loco citato, nempe quando inquisitus apud S. Officium confitetur dictum, vel factum hæreticale, negat tamen intentionem circa vnum, vel alterum: de vtroque nobis separatim tractandum.

46 Quoad primum, si quis fateatur, se verba hæreticalia protulisse, sed intentionem hæreticam habuisse neget, nullum dubium, quod debeat super ista intentionis qualitate torqueri. Ratio est, quia de tali intentione nequit Ecclesia (quæ de occultis iudicare non solet) vllo modo certificari, nisi per tormenta, propterea persequutis in materia fidei super intentione torturam infligere consueuit. Docent Symanc. de Cathol. Instit. tit. 65. num. 52. Peña 3. par. Direct. comment. 110. Ioann. Rojas 2. p. de hæret. assert. 18. Decia. in tract. crimin. lib. 5. cap. 36. num. 19. & Carena dict.

47 §. 20. num. 103. Qui num. 104. refert id, quod Cantera ab ipso citatus affirmat, nempe, quod in Hispania, qui negaret simplicem fornicationem esse peccatum, vtique assertor esset propositionis hæreticæ, & tamen non puniretur ibi, vti hæreticus, sed tantum fustibus cæderetur, quia creditur in illis regionibus talem assertorem ex alijs causis moueri, quam ex errore in intellectu; quod tamen in hisce nostris regionibus certe non practicaretur. Si enim talis propositionem illam cum pertinacia assereret, vtique vti hæreticus pertinax esset

48 damnandus. Si vero alia fuerit causa motiua dictæ assertionis, tunc existimarem, quod iste non posset euitare torturam super intentione, & etiam abiurationem, siue de leui, siue de vehementi iuxta qualitatem suspicionis, quæ ex circumstantijs facti orire-

49 tur] hactenus Carena. Cui prorsus adhæreo, nec video qualiter fundari possit stylus ille Tribunalium Hispaniæ, cum propositio ista (fornicatio simplex non est peccatum mortale) quod sit hæretica, constet ex decisione de fide, in Clemen. ad nostrum de hæret. & habetur Ephes. 5. Omnis fornicator non habet hæreditatem in Regno Christi.

50 Circa confitentem factum aliquod hæreticum, seu apostaticum, qui tamen prauam intentionem, & credulitatem negat, magna est controuersia inter Doctores, nam defendunt non pauci, quod talis sit absque tortura, vti hæreticus, puniendus, & relaxandus, quamuis non plene conuincatur, sed tantum per eius propriam confessionem de facto hæreticali constet. Ita Albert. de agnoscen. quæst. 8. num. 12. quæst. 32. num. 17. & quæst. 36. num. 18. circa finem. Archid. Ioann. Andre. & Domin. in cap. 2. de hæret. in 6. & multi alij, quos citat Rojas, par. 2. de hæret. assert. 17. num. 206. & in Epilog. nu. 400.

51 Vbi assignat rationem discriminis inter hunc, qui fatetur factum suum hæreticale & negat prauam intentionem, atque illum qui confitetur verba hæreticalia, negata etiam praua intentione; quia maior animi affectus, ac mentis deliberatio in fa-

ctis, quàm in verbis inest: hanc etiam partem copiosissime confirmat idem Rojas 1. par. de hæret. à num. 276. vsque ad 315. adductis varijs legibus canonicis, præcipue cap. contra Christianos de hæret. in 6. ac ciuilibus, doctrinisque auctorum.

52 E contra alij tuentur, quod similiter si quis confiteatur factum hæreticale, & neget prauam intentionem, sit torquendus, & non relaxandus; sed si ex tortura circa intentionem nihil emerserit, cum abiuratione, & pœna extraordinaria expediendus. Ita Symanc. de Cathol. Instit. tit. 65. num. 52. (quamquam hic, iuxta Dianam citandum, contrarius sibi videtur, cum tit. 13. n. 16. absolute doceat, eum, qui facto, aut verbo hæresim committit, etsi recta intentione id fecisse iuret, vti hæreticum esse puniendum) Graff. in decis. aureis, lib. 2. cap. 5. num. 15. Didac. Cantera in quæst. criminal. rubr. de hæret. cap. 1. num. 69. & 70. & Peña par. 2. Direct. comment. 59. vers. Quod si non, vbi ait,

53 quod ita practicetur in supremo Romanæ Inquisitionis Tribunali, quod cum sit norma cæterorum, hinc in nostro Melitensi eamdem praxim per spatium 38. annorum quibus eius Consultor, licet immeritus, extiti, perpetuo seruari vidi.

54 Verum Farinac. de hæres. quæst. 179. nu. 54. vers. Vide tamen, & num. 60. vers. Quod si factum, ac Diana ei adhærens, 4. par. tract. 7. resolut. 34. vers. Sed quid ego, tertiam sequuntur sententiam, nempe, quod licet quis neget prauam intentionem, si factum hæreticale a se exequutum, & propositionem hæreticam a se prolatam fateatur, & simul de alterutro sit conuictus, debeat relaxari, & vti hæreticus negatiuus puniri: secus vero, si per solam eius confessionem innotescat; nam tunc super intentione torturæ subijciendus, ac si nihil ex ea emerserit, iniuncto aliquo abiurationis gradu, pœna extraor-

55 dinaria mulctandus. Inducuntur inde Farinac. & Diana, ad dictam relaxationem, & punitionem vti hæretici asserendam, quod alioquin aperiretur via omnibus hæreticis vitandi condemnationem, omnes enim se excusarent dicendo, sine praua intentione verba hæreticalia protulisse, aut facta hæretica exequutioni

56 mandasse. Atque hanc sententiam regulariter seruari, maximè in Tribunalibus Inquisitionis, Hispanicæ addit idem Diana ex Sesse per ipsum citato.

57 Quamuis prædictæ tres sententiæ sint sine dubio probabiles, ad decidendam tamen præsentem controuersiam ex se non parum grauem, adiungenda est quarta, quæ mihi videtur multo probabilior. Auctores eius, vt Alfonsus de Castro lib. 1. aduersus hæres. cap. 1. & lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 1. Ioann. Rojas 1. par. de hæret. a num. 317. Carena 2. par. tit. 1. §. 20. num. 107. & alij pro resolutione legitima, & fundata præmittunt notabilem illam distinctionem de duplici genere factorum.

58 Aliqua enim sunt facta peccaminosa, ad quæ natura ipsa sunt proni homines, vt ad venerem, gulam, furtum, &c. aliqua vero, ad quæ nulla est naturalis hominum inclinatio, vt ad Mahometis adorationem, ad reiudaizationem, ad circumcisionem, &c.

59 Quare, si facta, de quibus reus S. Officij est inquisitus, sint primi generis, vt comestio carnium diebus prohibitis, & solicitatio ad venerem in confessione, etiam cum consummatione actus in ipsa, & similia, non habet locum prima sententia Albertini, & aliorum, imo nec tertia Farinacij, & Dianæ: sed quamuis reus sit confessus, & conuictus de facto, si neget prauam intentionem, iuxta secundam sententiam, est torquendus super ea, & expediendus cum abiuratione, &c. Ratio est, quia cùm ad talia facta homo ex vi naturæ propendat, in eis neutiquam reperitur omnimoda præsumptio hæresis, nisi quando ea exequens, impunè, seu sine peccato posse exequi crederet: ergo, &c.

60 Si verò facta sint secundi generis, vt reiudaizare, Mahomethum adorare, &c. quando de aliquo istorum homo confitetur, & conuincitur, negata praua intentione, regulariter vti hæreticus negatiuus est relaxandus, & puniendus. Probatur inde, quia nullus naturaliter inclinatur ad huiusmodi facta, & ex se ista hæresim, vel apostasiam à vera fide manifeste significant; ac cum ex eis iuris præsumptio oriatur, hæc pro plena probatione, & clara veritate habetur, quod ad sit mala credulitas in mente sic facientis, iuxta l. final. in fin. ff. de probat. Vide Ioan. Rojas par. 1. de hæret. n. 321. & seqq.

61 Dixi, regulariter, nam etiam in his factis, ad quæ natura minime proni sumus, est aliquando locus torturæ, & non relaxationis: nempe, si reus allegat, ab extrinseco se fuisse impulsum ad sic faciendum, vt si probet minas sibi iniectas, ac metum sibi

62 incussum. In his & similibus casibus, nemo, vt credo, negabit, quod attenta facti, & circumstantiarum qualitate, reus sit torquendus, vt bene notauit Carena, vbi suprà vers. Quæ etiam. Atque hæc pro præsenti loco; alibi iterum necessario attingenda, quando lib. 5. & 6. de relaxandis brachio sæculari ex professo agemus.

Quid

Quid de sortilegis, aut maleficis? Quandonam tortura per Tribunal S. Inquisitionis eis infligenda?

REGVLA CCCLI.

63 SVbijciendi torturæ sortilegi, aut malefici, si sint indiciati sufficienter de aliquo sortilegio, vel maleficio, quotiescunque hoc fuerit hæreticale, seù qualificatum, quod euenire potest varijs modis, 64 seù in varijs materijs, vt explicabitur. Secus verò vt plurimum, quando tantum est simplex, aut non sapiens hæresim, & mul- 65 to minus, si sit mera superstitio. Infligenda item tortura sortilegis, aut maleficis, non solum quando sortilegium fuit complete exequutum, sed etiam quando tantummodo inchoatum, aut preparatoria ad eius constitutionem reperta apud aliquem, hic torquendus super vsu præcedenti, quem negat.

---

66 DE materia sortilegiorum, ac maleficiorum, deque sortilegis, ac maleficis copiosè egimus lib. 1. nostri Operis, de Materijs Tribunalium Fidei, cap. 14. pluribus Regulis: in præsenti solum expendimus eadem circa hoc punctum de infligenda tortura, nec ne? Et quidem absolutè loquendo, nullus DD. dubitat, quòd sortilegi, ac malefici sint torquendi: imo concordant in hoc, quod facilior, & promptior esse debeat iudex, seu Inquisitor quiuis in procedendo ad torturam contra ipsos, vt ex omnium mente tradit Petrus Binsfeld. de confession. maleficar. & sagarum mem- 67 bro 2. conclus. 6. vers. 6. in enormibus. Quod quamuis commune sit in omnibus delictis enormibus, & occultis, ac difficilis probationis, ex Bald. in l. nemo deinceps, C. de episcopali audient. & ex multis alijs latè ostendit Ciurba relatus à Carena, par. 2. tit. 12. §. 25. nu. 218. si constet de corpore delicti, vt infra dicemus; præcipue tamen id locum habet in crimine sortilegij ac maleficij, vti valde enormi, ac valde occulto, ac difficilioris probationis, vt ex se patet.

68 Supposita autem diuisione à nobis tradita loco citato, in sortilegia hæreticalia, seu qualificata, & sortilegia simplicia, seu nō sapientia hæresim, certum ab omnibus Doctoribus habetur, quod tortura sit inferenda sortilego, aut malefico, vbicunque hic reperitur sufficienter indiciatus de aliquo sortilegio hæreticali, seù qualificato, quale est illud, quod exercetur cum aliquo dicto, vel facto hæreticali, vt cum abusu Sacramentorum, aut Sacramentalium, vt Agnus Dei, olei sancti, candelæ benedictæ, &c. vel si adiungatur Euangelium, Symbolum, Psalmus aliquis, Pater noster, vel aliæ orationes, aut verba Scripturæ sacræ, maxime si fiat ad effectum ex se peccaminosum. Ita Pegna 2. par. Direct. comment. 67. Farinac. de hæres. quæst. 181. à num. 2. Scaccia lib. 1. de iudic. ciuil. criminal. & hæretical. cap. 12. & Martinus Delrius, magic. disquisit. lib. 5. sect. 15.

69 Apud dictos auctores, precipuè apud Delrium, inuenies plura circa hoc omnino certa, nempè quod sint sortilegia qualificata. Primo, in quibus tribuitur Dæmoni adoratio latriæ, aut duliæ, soli Deo, & Sanctis eius tribuenda. Secundo, in quibus sortilegi petunt à Dæmone ea, quæ solius Dei sunt propria, vt resurrectionem mortui, veram creationem, illuminationem cæci nati, &c. Tertio, in quibus sortilegi baptizant imagines, cadauer hominis mortui, & magnetis, vel rebaptizant puerum, 70 &c. in quibus interuenit expressum pactum cum Dæmone; ex parte operantis sunt hereticalia, vt quia ab eo petitur res aliqua, quam ipse sua facultate naturali præstare potest. Quicunque enim pactum expressum cum Dæmone ineuntes sunt vehementer suspecti de apostasia, vt ex D. Thom. 2. sentent. dist. 7. asserunt Zanard. & Genuen. citati à Carena, dict. tit 12. 71 §. 4. num. 28. Sicut quicunque supradicta sortilegia qualificata efficientes, sunt de hæresi vehementèr suspecti, ergo si legitime indiciati reperiantur, meritò pro eruenda veritate torturæ subijciuntur. Delrius dict. lib. 5. sect. 3. cum alijs per ipsum citatis.

72 Econtra subijciuntur torturæ, vt plurimum, conficientes sortilegia simplicia, seù non sapientia hæresim (dato etiam, quòd aliqualis, seu modica eius præsumptio, ex ipsis oriatur) ob rationem oppositam, quia nequaquam sunt vehementer suspecti de hæresi, qui hęc construunt simplicia sortilegia. Sunt autem ista talia, quoties nihil habent ex illis, quæ supra expressimus, ad constructionem sortilegiorum qualificatorum requisita. Ita adducti Auctores Zanard. Delrius, vbi supra, sect. 4. vbi supra, sect. 4. vbi de his sortilegijs simplicibus copiosè agit, & Carena dict. tit. 12. §. 4. nu. 29.

73 Qui de quouis eorum sic loquitur ibi: Quòd paritèr, inquit, prohibitum est, & regulariter exerceri non solet sine pacto saltem implicito cum Dæmone, & ob id licet ob bonum finem factum, punitur ab Inquisitoribus, vt fuit decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana in quadam vetula, octuaginta annorum, quæ huiusmodi simplicia sortilegia faciebat ad sanandas infirmitates, teste Riccio decis. illius Curiæ 144 vol. 2.] ita ille ibi, nulla mentione 74 facta torturæ. Quæ non infligitur vt plurimum vtenti sortilegijs simplicibus, eo quod ex his sola leuis præsumptio erroris contra eum insurgat; imo aliquando vix vlla, maximè si meris, & simplicibus super-

stitionibus vtatur, adeo vt attenta qualitate personæ ignaræ, sic vtens, etiam absque vlla abiuratione, cum sola acri correptione censeatur aliquando expedienda, vti fuerunt expeditæ hesterna die 27. April. 1643. duæ mulierculæ similis conditionis per sacram Congregationem S. Officij Melitensem, me in ea Consultore existente, & consentiente. Sed de hoc modo expediendi causas, libro sequenti agetur.

75 Dixi, vt plurimùm, quia ob sortilegia etiam simplicia, leuem tantùm erroris præsumptionem inducentia, leuis etiam tortura aliquando infligi potest, maximè pro eruẽda mala credulitate, si hanc neget conficiens dicta sortilegia, cum Zanard. in summ. diuin. præcept. par. 2. cap. 94. de tortura in causis fidei, nu. 14. docet Carena dict. tit. 12. §. 25. nu. 225. ibi, torqueri debet super credulitate, & intentione sua: nam cùm in facie Ecclesiæ ob sortilegium redditus sit eidem Ecclesiæ vel vehementer, vel leuitèr suspectus, delictumque hæresis occultum sit, ac latens in mente, per tormenta certificanda est Ecclesia, an male sortilegus de fide senserit.] hæc ille, ex quibus innotescit, quòd etiam leuiter indiciato ob sortilegium simplex aliquando sit tortura, saltem leuis, pro eruenda intentione, infligenda.

76 Verum expendenda modo aliqua sortilegia, an sint qualificata, seù potius simplicia, vt magis constet de tortura certo, ac semper sortilegis infligenda, vel secus. Primo dubitatur de sortilegijs, quæ fiunt ad inuenienda furta, precipuè de illo in hanc formam confecto: ponitur puella virgo ante phialam aqua plenam, habens in manu cereum accensum, & profert verba ista. *Angelo bianco, Angelo santo*, per la tua

77 santita, per la mia virginità &c. Iul. Clar. in §. hæresis, nu 23. expresse, & vniuersaliter docet, quæcunque sortilegia, comprehendens etiam illud puellæ virginis ad finem inueniendi res furto ablatas effecta, non esse hæreticalia. Quod licet ex se, & attento fine, videatur admittendum, tamen vt falsam meritò reijcit Farinac. de hæres. quęst. 181. nu. 15. quoties in eis interuenit abusus rei sacræ, vel cultus aliquis Diabolo exhibitus, vti exhibetur in illo puellę virginis cum vocetur sanctus, & sic dulię honor ei impendatur: ergo sine dubio est qualificatum; sicque ante Farinac. cit. tradidit bene Pegna 2. par. direct. comment. 68. & post vtrumque Carena dict. tit. 12. § 4. num.

79 27. vers. Attamen veritas. Idemque ibi cum Riccio tom. 2. decis. Curię Arhiepisc. Neapol. 243. rectè affirmat de vsu speciali ad cognoscendum furtum, cum candela accensa, quę adorationem continet. Vnde conficientes huiusmodi sortilegia qualificata, semper torturę subijciendi.

80 Est item dubium, quale nam sortilegium contineatur in modo illo superstitioso medendi, quo vulnus breuissimo tempore curatur, applicando medicamentum petijs lineis sanguine vulnerati intinctis (non esse effectum naturalem hanc curationem indè patet, quia agens naturale naturali actione transeunte non potest agere in distans) Carena vbi supra nu. 29. tenet contineri sorti-

81 legium simplex. Idemque testatur §. 5. à nu. 31. de quibuscunque alijs sortilegijs ad sanitatem confectis, quod sint simplicia, si fiant absque vlla mixtione rerum sacrarum, aut alterius ex illis, quę supra nu. 67. & 69. diximus sufficere ad constituenda sortilegia

82 qualificata. Vnde si aliqua ex eis sortilegio sanitatis cuiuis immisceatur, hoc haud dubio qualificatum, seù hereticale existit, & eo magis qualificatum, ac superstitiosius, quò rex immixta sanctior erit. Ita Carena, cum Torreblanc. lib. 2. cap. 49. nu. 56. quibus libenter adhęreo. Ratio est, quia res Deo debitę, ac dicatę, in sortilegijs adhibitę, dęmoni eius hosti offeruntur.

83 Refert autem ibid. Torreblanca ex Martino del Rio disquisit. magic. lib. 3. cap. 2. quęst. 4. sect. 7. vers. per Christum; quòd Ipri fuerit damnatus quidam salutator vti necromanticus, eo, quod ad sananda queuis vulnera, verba sacrosanctę consecrationis recitaret, adhibitis nonnullis alijs: Vnde istud sortilegium certò qualificatum, erat, & extitisset similitèr qualificatum si in eo Hostiam consecratam adhibuisset, vt ex mente omnium tradit Carena, loc. cit. nu. 37.

84 Sed quid de hostia non consecrata? sufficiens ne ista ad sortilegium qualificatum conficiendum? Non sine probabilitate respondet affirmanter idem Carena loc. cita. ob eam rationem, quia talis hostia sub tali figura adeo est materia proxima Sacramenti Eucharistię, vt ad hanc tantummodo effi-

85 ciendam sit moraliter destinata, & non sicut aqua, & oleum respectu Baptismi, & Confirmationis, quę de se sunt materię communes tam ad sacra, quam ad profana: ergo sicut forma Eucharistię consistens in vebis consecrationis, vt dictum, reddit sortilegium qualificatum, seù hereticale; ita reddet materia eius proxima, nempè hostia pro Sacramento Eucharistię assigna-

86 ta. Nec obstat, quod aliquandò hostia non consecrata ad literas claudendas inseruiat: nam hoc est merè per accidens, nec tollit quin hostia sub tali figura moralitèr pro Eucharistię Sacramento, sit tantum destinata. Vide eundem Carenam toto §. 8. cum Zanard. per eum citato idem defendente, quidquid dicant alij.

87 De alijs etiam sortilegijs ad sanitatem quę Hispanicè vocantur, Ensalmos, idest Medicamenta, & fiunt recitando super infirmum Psalmos, & orationes, adiunctis alijs, pari modo asserendum est, quod sint qualificata, & in Hispania contra huiusmodi sortilegos, vocatos, Ensalmadores, pro-

procedere solent DD. Inquisitores, testatur Diana 4. par. resol. moral. tractat. 8. resol. 88 121. & tract. 3. resol. 62. vbi tractat illum casum, an dubius, ensalmus operetur nè virtute diuina, vel diabolica, fas sit eo vti? & resoluit bene pro parte negante cum Emmanuele Moura, opusc. de incant. sect. 2. cap. 16. & exemplificat in particulari Ensalmo, quod constat ex verbis, Crux Christi salua me, &c. & adductum fuit, vt fertur, ex partibus Orientalibus à quodam Archiepiscopo Græco sanctæ vitæ, concurrente ad Concilium Trident. & DD. Cardinalibus, ac alijs Patribus in eo congregatis, anno 1546. traditum vti remedium præstantissimum contra pestem, quæ tunc ibi 89 grassabatur. Verum hodie certum est, talem ensalmum esse superstitiosum, & minimè tolerandum, cum sic declarauerit & damnauerit sacra Congregatio S. officij Vrbis, vt patet ex literis Eminentiss. Cardinalis S. Honufrij ad Clementem Aegidium Inquisitorem in Hetruria, relatis per Philibertum Marchinum, citatum ab eodem Diana; atque nouissimè ex alijs literis Eminentiss. Cardinalis Francisci Barberini ad Illustriss. D. Ioan. Baptistam Gorium Pannolinum, nostri Tribunalis S. Officij Inquisitorem; quas ego ipse legi.

90 Sortilegia item cum nominibus, & characteribus, ac signis ignotis confecta, præcisè ex vi ipsorum non sunt hæreticalia, seù qualificata, sed tantum simplicia, nisi misceatur in eis aliquod facramentale, vel aliud ex diuersis supra nu. 67. & 68. per nos expressis, quorum quouis redditur sortilegium qualificatum: nam tunc ratione rei immixtę, talia sortilegia hęreticalia existent. Ita Pegna 2. par. Direct. comment. 68. Azorius, Moral. Instit. lib. 19. cap. 26. quæst. 6. Cum alijs, quos citat Farinac. de hæres. quæst. 181. nu. 30. & Carena, dict. tit. 12. 91 §. 9. per totum. Esse autem intrinsecè malum obseruare huiusmodi nomina, characteres, & signa ignota, patet ex prohibitione eius stricta, a Deo opt. max. populo Hebræo tradita, Leuitici 19. cap. atque addit Symanc. de Cathol. Instit. tit. 63. nu. 33. talem obseruationem esse superstitiosam, & vehementer suspectam, ob pactum præsumptum cum Dæmone, expressum vel tacitum.

92 Audi eius verba equidèm aurea. Omnis inquit, obseruatio, cuius effectus expectatur aliunde, quam ex naturali ratione, vel miraculo vero, vel voluntate diuina, reprobari debet; quia vehementer suspecta est de pacto expresso, vel occulto cum Dæmone; proinde obseruare nomina, signa, characteres, & cætera omnia, quæ natura sua nullam virtutem habent, superstitiosum est, atque adeò vehementèr suspectum.] hæc ille, & citat pro se D. Thom. 22. quæst. 96. & opusc. 25.

93 Pari modo decidendum de sortilegijs, quando præbentur pocula amatoria; quod præcisè ex hoc capite non sint hæreticalia, si absque abusu sacrarum rerum, & absque expresso pacto cum Dæmone, vel inuocatione eius per verba deprecatiua, aut cultum ipsi tribuentia, fiant. Ita Eymeric. 2. par. direct. quæst. 43. ibi Pegna, comment. 69. Farinac. quæst. 20. nu. 80. & cum alijs per ipsum citatis Aloys. Ricc. in praxi fori Episc. tit. de hæres. crim. resol. 424. nu. 11. ostenditur efficaci ratione, quia per talia sortilegia concurrit Dæmon ad tentandum, quod est ipsius proprium, nam Matth. 4. 94 tentator dicitur. Si autem in his sortilegijs cum exhibitione poculi amatorij interuenit abusus rei sacræ, vel expressum pactum cum Dęmone, &c. erunt sine dubio qualificata, iuxta iam supra à nobis tradita, & docet cum diuersis auctoribus Carena dict. tit. 12. §. 7. nu. 49. & 50.

95 Tandem quid de sortilegio, in quo sanctitas alicuius sancti canonizati in dubium reuocatur? vt si ipsum quis inuocet cum conditione dubitatiua. ***Si sanctus es, vel si sancta es.*** Supposita illa doctrina, quòd sit certum de fide, Papam non posse errare in canonizatione sanctorum: quam cum D. Thom. Quolibet. 9. art. vltimo, vti communem, & à Catholicis vbique receptam tradidimus nos, lib. 1. nostri operis cap. 7. Regul. 65. verum quid circa consequenter asserimus ex mente omnium, præcipuè Carenę, dict. tit 12. §. 6. 47. illud sortilegium, in quo de sanctitate alicuius sancti canonizati dubitatur, absque controuersia vlla esse qualificatum, seù hę- 96 reticale: vndè qui ipsum efformat, sicut efformantes alia sortilegia qualificata, imò aliquando simplicia, vt traditum suprà, subijciendi sunt torturę, si adsint sufficientia indicia contra eos de tali ipsorum efformatione.

97 Dixi, si adsint sufficientia, &c. vndè secus, dum non adsunt, iuxta a nobis iam tradita. Hinc discutienda obiter quęstiuncula illa, an depositiones duarum sagarum attestantium, se in conuentu multarum similium vidisse inquisitam, faciant indicium ad eam torquendam? Respondent affirmantèr Binsfeld. de confessionibus sagarum membr. 2. post 6. concl. dub. 2. vers. 7. illatum. Mart. del Rio, magic. disquis. lib. 5. append. 2. quęst. 8. & Gregor. de Valentia 2. 2. disput. 6. qu. 13. pun. 4. §. 3. vers. 2. Regula.

98 Hæc autem responsio, quamuis in puncto iuris, & speculatiuè loquendo, probabilis videatur; in praxi tamen, vt ait Caren. dict. tit. 12. §. 26. apud Tribunalia Santissimę Inquisitionis non seruatur ex vi decreti cuiusdam editi à S. Congregatione supremi Tribunalis S. Officij Vrbis, de cuius vsu, & obseruantia testatur Farinac. tract. de hęres. quęst. 185. nu. 153. vers. aduerte ta- 99 men, quod vera non est. Inde efficaciter ostenditur, quia tametsi sagæ quandoque verè ad ludum corporaliter à Dæmone transferantur, quandoque tamen deci-

decipiuntur, ita vt translatio illa sit tantum imaginaria, vti a nobis alibi traditum: ergo depositiones illarum sagarum contra inquisitam in S. Officio hinc redduntur dubiæ, & consequenter nequeunt esse sufficiens indicium ad illam torquendam; cum indicia ad torturam sufficientia, debeant esse certa absque dubietate, & æquiuocatione: quod cū multis, quos refert, copiosè docet Farinac. de indic. & tortura, quæst. 37. nu. 6. & seqq.

100 Atque hanc partem negantem, quòd ex depositionibus illarum sagarum non sit inquisitæ infligenda tortura, tenent etiam Simanc. de cathol. Instit. tit. 37. nu. 14. & Sigismun. Scaccia, de Iud. ciuil. &c. lib. 1. cap. 82. nu. 10. & ibi refert de quodam ignaro Commissario, quod quandam mulierem ex similibus depositionibus torturæ subiecerit, atque ideo per supremum Tribun. S. Officij almæ Vrbis merito punitus fuerit.

101 Quin etiam ob eandem rationem ijdem Scaccia, & Carena, quibus adhæreo, tenent, dictas sagarum depositiones non sufficere ad capturam sagæ denunciatæ, neque ad inquirendum contra eam. & addunt sic fuisse decisum à S. Congregatione S. Officij Vrbis. Defendit etiam hoc, & a fortiori, quod traditum circa torturam, triplici numero præcedenti Castr. Palaus par. 1. tract. 4. disput. 8. pun. 16. §. 5. num. 2. & confirmat allegans quandam Instruct. Madrilliam editam anno 1612. Occasione,

102 inquit, cuiusdam Actus publici in Ciuitate Logronen. celebrati, in quo plures condemnati sunt; & postea compertum est plures fallacias in condemnatione adfuisse, ob quas bona eorum qui ibidem damnati sunt, fisco addita non fuerunt, neque eorum sententiæ Ecclesijs fuerunt affixæ, & insuper reconciliati, declarati fuerunt habiles cuilibet Inquisitionis officio] hæc ille: præterquam & alios citatos tuentur Diana 4. par. resol. moral tract. 6. resol. Tannerus in 22. D. Thomæ, 4. disp. 4. quæst. 5. dub. 2. & Laiman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. trac. 6. cap. 15. nu. 8. vterque de nostra Societate Iesu.

103 Limitant tamen benè Simanc. Scaccia, & Carena locis citatis, nisi sagæ illę deponerent de his, quæ viderunt antequam ad conuentum irent, vt quod socia vnxit se ad

104 volandum, inuocauit Dæmonem, &c. Quam limitationem Castr. Palaus ibid. admittit, & extendit egregie his verbis. Nisi, inquit, cum illarum depositione constet simul de aliquo actu exteriori, v.g. de nece alicuius hominis, vel aliquorum animalium; vel apud testificatum appareant aliqua vnguenta, & animalia immunda, nempè, bufones, & angues, ex quibus vehemens præsumptio delicti oriatur.] ita ille. Equidem cum huiusmodi adminiculatione depositiones duarum sagarum, quod viderint in conuentu talem inquisitam, faciunt indiciū sufficiens ad eius torturam.

105 Expedit etiam loco citato Carena quæstiunculam illam, an ex assertione Dæmonis, elicita per exorcismos, oriatur indicium sufficiens ad torturam contra nominatum? Responsio negatiua prorsus certa est, quia Diabolus est Pater mendacij. Vndè DD. Inquisitores ex dicto exorcistarum admodū cautè procedere debent; cum isti in similibus materijs sæpè fallantur; nisi appareat signum aliquod efficax. Ita cum Fabro in suo Cod. Fabr. lib. 9. tit. de malef. & mathem. def. 3. & cum Homob. de Bonis, de casib. reseruat par. 2. cap. 2. vers. Maleficium veneficum, ibid. Carena.

106 Circa vltimam partem nostræ Regulæ, omnino certum est, quod non solum inferenda sit tortura sortilego, seu malefico, quando sortilegium, seu maleficium fuit completè exequutioni mandatum; sed etiam vbi tantummodo fieri cœpit, vbi preparatoria, seu instrumenta ad ipsum faciendum, aut aliqua indicia de eius vsu apud aliquem inuenta sunt: & tunc torquendus hic super vsu præcedenti, de quo interrogatus negat. Tradit ex Petr. Binsfeld. per eum citato, & ex mente aliorum, Carena diuersis in locis, vt dict. tit. 12. §. 21 nu. 177. vbi ostendit peculiari exemplo, cuius meminit Genuens. in prax. Arciep. Neapol. cap. 18. nu. 13. nempè, quod cum apud quendam Doctorem, alioquin bonæ famæ, fuisset repertum pentaculum, Sacra Congregatio Romanæ Inquisitionis iussit eum torqueri super vsu; & cum nihil ex tortura emersisset, abiura-

107 uit de leui ob retentionem. Quod si ex hoc solo capite gestandi pentaculum, fuit illi Doctori inflicta tortura; quanto magis infligenda cuicunque, apud quem reperta sunt diuersa indicia, aut instrumenta vt carta vergine, calamita baptizata, parte di veste de' morti &c.; si non sit conuictus de vsu, & ipsum neget?

108 Tam in dicto fin. 177. quam in §. 25. eiusdem, tit. 12. nu. 220. confirmat idem ipse Carena sic a simili; quia iuxta communem doctrinam Iurisperitorum, pręcipuè Farinac. decis. 440. nu. 1. Riccium decis. 43. par. 2. Nouar. collectan. 136. nu. 12. Giurb. cons. decisiuo, 85. nu. 26. cum pluribus, quos more suo refert & sequitur Muta decis. Regni Siculi 40. n. 9. torquendus est super vsu ille, penes quem reperiuntur instrumenta idonea ad cudendam falsam monetam; ergo subijciendi pari modo torturæ super vsu illi apud quos reperiuntur signa, vel instrumenta ad conficienda sortilegia, aut libri in quibus modus facienda ea continetur.

109 Denique idem Carena §. 29. prædicto tit. 12. ex professo tractat de eo, qui cœpit sortilegium facere, sed non perfecit, an possit torqueri? Qui nu. 239. concludit benè pro parte affirmantv, & probat efficaciter, sumpto argumento a fortiori, ex casu illius doctoris vt paulò antè dictum, qui de mandato S. Congregationis Vrbis ob solam pentaculi delationem fuit tortus; ergo magis erit torquendus super vsu totius sortilegij, qui

110 partem tantum sortilegij perfecit. Nam

dé

de vna parte intrinseca vnius totius integralis facilius arguitur ad aliam partem, quam de vna re extrinseca, vt de vno pentaculo, vel libro, seu scriptura continente modum sortilegij, sumatur argumentum ad vsum sortilegij probandum. Atque hactenus de tortura inferenda sortilegis, seu maleficis, vel secus, satis dictum.

Qualiter ob suspicionem hæresis, quibusuis blasphemis, præcipuè Iudæis, alijsque infidelibus tortura ab Inquisitoribus infligenda?

REGVLA CCCLII.

111 CVm secundùm qualitatem blasphemiarum hæreticalium, vel habentium connexionem cum hæresi, & secundum modum, ac tempus, aliasque circumstantias, magis, vel minus suspectus de hæresi reddatur blasphemus, huic, quicunque sit, infligenda semper tortura pro veritate facti habenda, aut super intentione, quoties suspicio de hæresi contra eum extat ve-
112 hemens. Non semper tamen, sed quandoque & leuitèr tantùm torquendus, vbi di-
113 cta suspicio solummodo leuis censetur. Hæc autem peculiariter locum habent in Iudæo, & infideli quouis, qui torturæ ab Inquisitore subijciendus, si contra Deum Opt. Max. aut contra mysteria fidei nostræ blasphemias proferat.

114 SVppositis, ne actum agamus, ijs, quę circa materiam blasphemiæ, & blasphemorum lib. 1. cap. 18. tractauimus, discutimus modo contenta solùm in proposita Regula ad præsens institutum spectantia.
115 Præmittenda autem pauca, vti omnino certa, pro faciliori discussione illorum: nempè quod sicut proferens blasphemias nō hæreticales, nunquam est de hæresi suspectus, ita è contra proferens hæreticales, vel connexionem cum hæresi continentes, regularitèr suspectus de hæresi habetur. Tradunt Locat. in Iudicial. Inquisitor. verb. balsphemia, nu. 3. & Farinac. cum alijs per ipsum relatis, quæst. 20. de delict. & pœn. nu. 4. nec maiori hoc indiget probatione.
116 Quandonam verò dicta suspicio sit vehemens, & quandonam leuis tantum, est aliquantulum difficile; sed adhibita distinctione difficultas aufertur: nam si quis blasphemet pluries, & ex consuetudine, siuè in ludo, & ira, siue extra ludum, & ob iram, atque ob quemcunque leuem animi motum, sic blasphemans vehementer suspectus de hęresi existit, quia frequentia habituata blasphemandi hæreticaliter, vehementem suspicionem erroris in mente illius indicare solet.
117 Vnde ob rationem oppositam, si quis blasphemet non ex habitu, sed raró, & in ludo, aut in ira tantùm, in hoc casu solummodo suspectus leuitèr de hæresi censetur. Ita Eymer. 2. par. direct. quæst. 41. nu. 5. Pegna ibi comm. 66. Locat. verb. blasphemia nu. 5. Zech. in summ. tom. 1. cap. 25. & Lazar. in tract. de blasphem. quæst. 6. nu. 8. & 9.
118 Nec valet excusatio, si quis dicat se protulisse tales blasphemias, ex sola turbatione, ac furia, & non ex mala credulitate: quia hoc est excusare excusationes in peccatis, vt bene ait Carena 2. par. tit. 7. §. 4. nu. 21. & confirmat exemplo, formans argumentum a maiori, ad minus: quia non liberatur a præsumptione apostasiæ formalis Mahumetem adorans, vel quid simile faciens ob timorem mortis: ergo nec liberabitur a præsumptione erroris formalis blasphemans hæreticalitèr ex ira, vel turbatione, cum maior commotio insurgat in mente ex timore mortis, quam ex amissione pecuniæ in ludo, vel alibi. Ita ibid. Eymer. nu. 7. dictā rationem pleniùs explicans, & Locat. loc. cit. nu. 6. vers. nec procedens, translatis omnino Eymerici verbis.
119 His iam sic præmissis, apud Doctores nullum est dubium, posse, & debere torturam infligi quibusuis blasphemantibus hæreticaliter, si sint de hæresi vehementer suspecti; idque vel pro eruenda veritate facti, si de hoc non conuincantur, nec ex ipsorum confessione illud constet, vel saltem super intentione. Docent Molfes. in summ. tract. 11. cap. 3. n. 27. & Carena, dict. tit. 7. §. 12. n. 62. nec est cum in ostendenda magis re adeo certa, amplius immoremur.
120 Quando autem blasphemus hæreticaliter existit leuitèr tantùm suspectus de hæresi, an possit in hoc casu torturę subijci, insurgit non leue dubium, quod Regula pręcedenti in materia sortilegiorum obiter fuit expeditum; nunc ex professo tractandum pro pręsenti casu blasphemi, & de alijs quibuscunque cuiusuis materię pertinentis ad
121 S. Officium. Ratio dubitandi est quia secundùm doctrinam Simanc. de Cathol. Inst. tit. 50. nu. 28. & in Enchir. violatę Relig. tit. 41. nu. 7. Pegnę 2. par. Direct. commen. 12. Farinac. de hęres. quęst. 185. nu. 56. & aliorum, nemo est interrogandus in S. Officio quid sentiat de fide ex leuibus suspicionibus, nisi sit persona vilis & abiectę conditionis, & multo minus ad capturam eius veniendum, ex leuibus indicijs, ob magnum honoris detrimentum, quod capto ex ipsa sola prouenit: ergo cum multò maiora requirantur indicia ad torturam, quam ad inquisitum capiendum, vt cum Martin. del Rio mag. disq. lib. 5. sect. 3. initio, & cum alijs alibi tradidimus, nequaquam infligenda videtur tortura illi, qui leuitèr tantum est suspectus de hæresi.
122 Propter discursum propositum, partē negantem absolutè, & indistinctè tuentur Canpanil. in diuers. Iuris Canon. rubr. 11. cap. 26. nu. 63. & 64. Roder. a Cunha, de confess. sollicit. quęst. 23. nu. 14. vers. Atque de his; & alij: quod scilicet nullo modo sint torquēdi, qui in materia fidei tantum de leui suspecti

specti reperiuntur, siuè agatur de tortura pro eruenda veritate facti, siue de tortura super intentione.

123 Nihilominùs, vt pars affirmans, quę à nobis tenenda est, fundetur, diligenter pręnotare oportet, quod suspicio de hęresi leuis sic dici soleat, respectu habito ad suspicioné vehementem, cum tamen secundùm se considerata iudicio prudentium virorum grauis sit, & in consideratione habeatur talis suspicio leuis, quandoquidem ea affecti ad abiurandum de leui condemnantur, vt patet ex cap. Accusatus de heret. in 6. & cum Freita, ad Roder. à Chuna de confessar. sollicit. q. 5. n. 37. tradit Carena, dict. §. 12. n. 66. Qui

124 à simili egregie idem confirmat, quia etiam percussio Clerici alia dicitur leuis, à qua potest Episcopus absoluere, cap. peruenit, de sententia excommun. & alia enormis, à qua solus Papa absoluit, cap. si quis suadente, 17. q. 4. & tamen percussio leuis talis dicitur respectu habito ad enormem, cum tamen illa semper sit peccatum mortale, & consequenter culpa grauis; vt cum Nauar. Bonacin. & alijs obseruat ibidèm Carena; ergo pari modo in pręsenti casu, &c.

125 Iam hoc sic prænotato, dico primò, si agatur de tortura infligenda pro veritate facti indaganda, & super complicibus inuestigandis, vbi delictum sine eis perpetrari nequit, suspectum tantummodo leuitèr de hęresi, esse sine dubio torquendum. Ita Carena loc. cita. cum Massin. in Praxi S. Officij, par. 8. in forma sententiæ contra reum suspectum de leui. Ostenditur primò ex antiquissimo, & vniuersali vsu Tribunalium omnium Sanctiss. Inquisitionis torquendi similes

126 delinquentes de hæresi leuiter suspectos. Et quidem de huius modi vsu nostri Tribunalis Melitensis constat mihi eius consultori diuturno, spatio scilicet 30. annorum. Secundò ostenditur ex prænotato proposito, quòd suspicio de hæresi leuis, licet talis vocetur in ordine ad vehementem, in se tamē arbitrio prudentum, & Ecclesię, cēsetur grauis; ergo ea affectus torqueri potest, si indicijs sufficientibus vrgeatur.

127 Vnde nihil conuincit ratio dubitandi in contrarium adducta, nempe ex leuibus indicijs nullum esse de fide interrogandum, carcerandum, & multo minus torquendum. Nam hoc concesso, vt concedi debet, asserimus licitum esse agere hæc tria ex legitimis indicijs, inducentibus attenta iuris dispositione, suspicionem hæresis leuem, quæ in se considerata grauis est, vt dictum. Ita Carena ibid. vers. neque obstat, quia aliud est ex leuibus indicijs rèum de fide interrogare, carcerare, & torquere; aliud verò ista præstare ex legitimis indicijs suspicionē hæresis leuem de iure inducētibus, vt per se patet.

128 Secundò dico, si nobis sit sermo de tortura super sola intentione, quod suspecto de hæresi leuitèr nequaquam sit infligenda regulariter loquendo. Tradit loc. citato, vers. si vero loquamur, idem Carena cum Genuen. in prax. Archiepis. Neapol. cap. 84. cuius testimonium est magnæ consideratic nis, quia doctrina ipsius in eo capite, vt in fine idem affirmat, desumpta fuit ex literis S. Con-

129 gregationis Vrbis. Ostenditur indè, quia suspicio de hæresi leuis sufficienter ex natura rei aufertur per abiurationem de leui, quæ ad hunc præcisè effectum dicitur instituta: ergo tunc reus taliter suspectus de hæresi non

130 est torquendus. Quòd si nihilominus torqueatur, in tali casu abstinendum ab iniungenda ei abiuratione, vt docet Pegna 3. par. Direct. comment 39. vers. quare in hoc, ob eam rationem, quia tunc suspicio leuis per torturam aufertur.

131 Addidi consulto in secundo dicto particulam limitatiuam, regularitèr loquendo, sicuti etiam addidit Genuen. citatus, quia cū suspicio de hæresi leuis non consistat in indiuisibili, sed habeat suam latitudinem moraliter, si hæc suspicio leuis in genere suo sit ex suspicionibus, gradum infimum leuis suspicionis excedentibus, posset etiam tunc reus talitèr suspectus torqueri leuitèr super intentione, & vlterius cogi ad abiurādum de leui. Ita Carena ibid. vers. Benè verum est, ferè totidèm verbis, qui citat pro sua sententia Genuen. ob adiunctam particulam,

132 regulariter Atque hæc vtriusque doctrina semper mihi valdè probata fuit: quanquam eam aliquoties iuxta casus occurrentes in Congregatione nostri tribunalis Melitensis propositam, nonnulli ex DD. Consultoribus tāquam singularem, ac nullius Doctoris Classici auctoritàte munitam nequaquàm probare voluerunt; sed en qualiter iam prędictorū grauium Doctorum auctoritate muniatur; quis ergo in posterum ipsam non probabit? aut saltem vt probabilem non admittet?

133 Restant, quæ tradita sunt circa torturam de blasphemis in genere, expendamus de Iudæis, ac infidelibus quibusuis in specie: & cōiungimus vtraque sub eadem regula, tum ne absq; necessitate, Regulæ multiplicentur: tum quod omnia ferè delicta, ratione quorum illi subsunt iurisdictioni Inquisitorum, ad blasphemias dicti, vel facti reducantur, vt patet ex Bulla Greg. PP. XIII. incip. Antiqua Iudæorum, in qua sigillatim continentur, & egregie explicantur à Carena 2. par. tit. 4. per §§. 12. & nos compendiosius tradidimus lib. 1. cap. 11. Reg. 44.

134 Nullum dubium, tam pro habenda veritate facti, quam super intentione, esse Iudæos aut Infideles torturæ subijciendos ab Inquisitore, si blasphemando, vel alitèr committant delicta contra veritates fidei nobis, & ipsis communes: vt si Deum non esse omnipotentem, aut nō esse iustum dixerint &c.

135 & de his blasphemijs &c. legitimis indicijs vrgeantur. Docent Eymer. 2. par. Direct. q. 46. vers. quo Iudæo, Pegna ibi comment. 71. & Zanard. in summ. Diuinorum præcept. tom. cap. 4. vers. si igitur in supradictis. Ratio est, quia Iudæi aut infideles sic blasphemantes sunt, vel præsumuntur veri here-

hæretici, ac essent Christiani baptizati, & vt tales tractari debent ob commissionem huiusmodi delictorum.

136 Si verò Iudæi, aut infideles dicto aut facto blasphement, vel alitèr delinquant contra fidem catholicam in ijs, quæ non ipsis, & nobis communia, sed tantùm Christianorum sunt propria; vt si asserunt non esse verum Deum Christum filium Mariæ, neque hanc esse veram Dei matrem, vel si huius imaginem, aliorumque Sanctorum conspurcare audeant, de istisque delictis non sunt conuicti per testes aut per confessionem propriam, sed tantum sufficienter indiciati, torqueri possunt, pro habenda solummodo veritate, & pro complicibus.

137 Non verò super intentione, quia in his verè ipsi non sunt hæretici, nec præsumuntur, sed qnod grauissimè contra fidem catholicam deliquerint, ideò puniri debent grauissimis pœnis, de quibus in citata Constit. Gregor. XIII. Ita Carena, dict. tit. 14. §. 18. nu. 42. vers. quoad delicta, ex mente omnium. Atque hactenus de tortura blasphemorum à nobis dicta sint satis.

An, & quatenus torquendi in S. Officijo Polygami? Atque abutentes alijs Sacramentis, maximè Confessionis?

REGVLA CCCLIII.

138 TRansiens ad secundas nuptias, vel tentans transire, viuente adhuc priori coniunge, cum inde de hæresi vehementer, vel leuitèr suspectus fiat, vt plurimum torturæ subijciendus super mala credulitate circa abusum Sacramenti matrimonij, non tamen pro eruenda veritate facti, quod in 139 hoc casu supponitur iuridice probatum. Abutens verò quolibet alio Sacramento, precipue confessionis ad turpia, ob eandem suspicionem heresis torqueri solet in S. Officio, vel tantum super intentione, si de tali abusu iam sit conuictus; vel pro habenda etiam eius veritate, si solummodo indiciatus exi- 140 stat. Nequaquã tamen sufficienter indiciatur ad torturam ex depositione vnius fæminæ etiam honestæ, imo nec ad carceratione͂, vt plurimum etiam, neque ad citationem.

141 EGimus lib. 1. c. 20. Regul. 149. de abusu magni Sacramẽti matrimonij, per polygamiam, vel polyuiriam, pro qualificatione præcipuè, seu ad decidendum, qualiter casus duplicis matrimonij spectaret ad S. Officium: nullum ibi verbum de tortura eo abutentibus infligenda: vtique id huc translatum tanquam in proprium locum. Est ita- 142 que dubium, an sint torquendæ personę, quæ committunt crimen vel polygamiæ, idest, contrahendo matrimonium simul cum pluribus mulieribus; vel polyviriæ, idest, contrahendo simul cum pluribus viris?

Ita distinguit inter hæc nomina ex mente Scoti in 4. dist. 33. & aliorum, Didacus Garcia de Trasmiera in Regno Siciliæ fidei Quęsitor dignissimus, & inter recentiores Scriptores præstantissimus, in suo opere valdè erudito de Polygamia, & Polyuiria, l. 1. q. 1. n. 9.

143 Supposito autem, quod personæ sic contrahentes cum pluribus simul, sunt suspectæ de haresi, ratione cuius subiacent iurisdictioni Inquisitorum, vt diximus citata Reg. 149 pro faciliore decisione præsentis dubij de tortura infligenda illis, videndum priùs qualisnam sit dicta hæresis suspicio, an vehe- 144 mens, seu potius tantum leuis. Simanc. cath. Inst. tit. 30. nu. 6. Gutier. practicar. q. l. 2. q. 8. n. 1. Trasmiera l. 2. de Polygam. q. 1. n. 29. & quotquot praxim Tribunalium Hispanicorũ S. Inquisit. sequuntur, ita sentiunt, quòd transiens ad secundas nuptias adhuc viuẽte priori coniuge, sit de hæresi leuitèr tantùm suspectus; inde ducuntur, quia hic ex libidine, & concupiscentia ad tale delictum committendum induci censetur: ergo de mala credulitate erit tantùm suspicio leuis.

145 Nihilominus esse huiusmodi polygamum de hæresi vehementèr suspectum, vti verũ, & omnino certum habetur apud supremum Tribunal S. Rom. Inquisitionis (consequentèr etiam apud alia Italiæ ei subiecta, maximè, apud nostrum Melitense, me teste diuturno eius consultore). Hocque tradunt, & tuentur Farinac. cum alijs per eum citatis, de hæres. q. 178. n. 60. vers. & in supremo Vrbis, Fernand. de Otero, q. iuris par. 3. q. 146 9. n. 4. & Carena 2. par. tit. 5. §. 11. n. 58. Probatur efficacitèr, quia tunc existit suspicio hæresis vehemens, quando ex signis exterioribus operum, aut verborum, frequentèr, & vt plurimùm deducitur, quòd talia agens, aut dicens sit hæreticus, vt ex communi omnium sententia docent Pegna 2. par. direct. comment. 80. vers. 2. suspicio, & Martin. del Rio disquis. magic. l. 1. 5. sect. 12. vers. vehemẽs 147 suspicio. Sed ex abusu Sacramentorum Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis frequentèr, & vt plurimum concludi solet, quod sit hæreticus eis abutens, insurgitque indè vehemens hæresis præsumptio, vt cum Farinac. de hæres. q. 181. n. 25. Martin. del Rio cit. & alijs tradit Carena, vbi supra, vers. At ex abusu, etiam ex praxi recepta in tribunalib. S. Officij Hispanicis; ergo idem erit in abusu Sacramenti matrimonij per polygamiam, cùm non appareat, cur sit dispar ratio de abusu illorum trium Sacramentorum, atque istius.

148 Proposita autem doctrina intelligi debet de polygamia perfecta, seu completa, quãdo scilicet quis, viuente adhuc priori coniuge, contrahit matrimonium ratum cum secnnda per verba de præsenti. Nam si tantum contrahat sponsalia per verba de futuro, ex hoc actu non vehemens, sed leuis solummodo de hæresi suspicio insurgit. Ratio est, quia tunc non reperitur abusus Sacramenti Matrimonij, aperit tamen viam, & disponit ad hunc

hunc abusum sic cōtrahens dicta sponsalitia: ergo aliquo modo est suspectus de hæresi, nempe leuitèr. Ita Carena dict. tit. 5. §. 11. n. 60. secundùm mentem aliorum.

149 His sic resolutis, certum prorsus est, quod polygami, suspecti vehementèr de hæresi, debeant subijci torturę super intentione, seù mala credulitate, nimirum, an plures vxores simul ducere licitum esse crediderint, sicuti erroneè credebant, & tuebantur Anabaptista spurcissimus Mahumetus, ac Luterus. Ita Genuen. in prax. Archiepis. cap. 84. n. 8. in antiqua editione, & cum alijs, quos refert, Farinac. de hæres. q. 179. n. 1. 59. vers.

150 quod si factum. Nequaquam tamen sunt torquendi dicti polygami pro eruenda veritate facti, cum hoc supponatur probatum. Nam omnes DD. concordant circa hoc, quod peculiaritèr in casu polygamiæ, priusquàm Inquisitor accedat ad aliquem actum condenatorium, torturæ &c. debeat constare de corpore delicti, probata iuridicè supráuiuētia primæ vxoris, vel primi viri tempore quo fuit contractum secundum matrimonium: probata item identitate personæ. Ita cum Scaccia l. 1. de iudic. &c. cap. 87. n. 19. Carena, dict. tit. 5. §. 10. num. 55.

151 Prędictæ autem probationes talis supraiuentiæ, & identitatis personæ, vt sint legitimæ, & plenæ, fieri debent à Fisco S. Officij, vel per fidem sumptam ex libris Parochorum, qui in materia ista plenè probant, vt testatur Nicol. à Ianua, de scriptura priuata, l. 5. q. 6. tit. de libris Pleban. & Aloys. Riccius in prax. tit. de matrimonio, resol. 218. vel per testes habiles, omni exceptione maiores, maximè vbi fides Parochi haberi nequit: quia agitur de validitate vnius matrimonij, & de inualiditate alterius ostendenda. Ita tenent ex Genuen. in prax. Archiepis. Neapol. c. 21. n. 24. Transmiera l. 3. de polygamia, quæst. 4. & Carena, dict. tit. 5. §. 9. num. 52.

152 Sed quid, quando quis non transiuit ad secundas nuptias, tentauit tamen transire, cōtrahendo sponsalia de futuro, viua adhuc prima vxore, est ne torturæ subijciendus super intentione? Præmissis pari modo eisdē probationibus supráuiuentię prioris coniugis, & identitatis personę, secundùm Praxim S. Officij lingua vulgari Italica, m. 5. à me alias citatam, cap. 6. vers. *contra quelli poi*. Idest contra illos item, ibi, si fanno pręuia tortura super intentione, abiurar de leui] idest inflicta tortura super intentione (si nihil emerserit) coguntur abiurare de leui; videtur dicendum, quod ille sit torquendus super mala

153 credulitate. Hoc tamē non admittent DD. illi Roderic. Acunha, & Campan. à nobis citati Regula precedēti nu. 21. qui absolutè, & indistinctè tenent torquēdum eum, qui in materia fidei tātum de leui suspectus reperitur.

154 Verùm consequentèr loquendo iuxta resoluta a nobis ibi n. 127. & seq. regularitèr non est torquendus, qui viuente adhuc prima vxore inijt sponsalia de futuro cum secūda, cum ex hoc facto tantùm insurgat contra eum suspicio de hæresi leuis; quia hęc tamen habet moralem latitudinem, si excedat infimum gradum, poterit talia iniens sponsalia leuitèr torqueri, & cum abiuratione de leui expediri, vt dict. num. 127. & seq. diximus in communi, cum Genuen. & Carena ibi citat. quibus nunc addo Praxim illam, memb. 5. quę id absolutè defendit.

155 Tradita autem à nobis nu. pręcedentibus intelligenda sunt non solum de contrahente duo simul matrimonia carnalia, sed de eo etiam, qui contraxit vnum spirituale, & alterum carnale, idest post sacros ordines susceptos, vel post emissam professionem in aliqua Religione approbata, aut post emissa tria vota simplicia Paupertatis, Castitatis, & Obedientię in nostra Societate Iesu, vxorem duxit, vel tentauit ducere; Atque ècontra de eo, qui post contractum matrimonium, sacros ordines suscepit, aut post cōsummatum amplexus fuit statum Religionis absque consensu coniugis, seù absque requisitis, a iure

156 canonico assignatis. Nam in vtroque casu pari modo redditur sic faciens, vehementer suspectus de hęresi: ergo postquam constiterit de corpore delicti, torturę ab Inquisitore super intentione subijciendus est. De his omnibus copiosè agit Trasmeira l. 3. de polygam. q. 12. & 13. resoluitque iuxta doctrinam propositā, quam & auctoritate DD. & efficacitate rationum ostendit: apud ipsum videas.

157 Ex dictis itaque iam patet, qualiter ex abusu Sacramentorum matrimonij, & ordinis sacri insurgat pręsumptio hęresis contra abutentem, & qualitèr hic torquendus; Insurgere etiam similiter ex abusu aliorum Sacramentorum, nullum dubium, attigimus sup. n. 145. circa Baptismum, Eucharistiam, & extremam vnctionem, maximè si ista sortilegijs admi-

158 sceantur. Circa quęuis sacramenta in communi affirmat Transmiera, l. 3. de polygam. q. 2. n. 28. per sequentia verba. Cæterum non nego, inquit, quod si quis aliquid efficeret, quod directè opponitur primario fini cęterorum Sacramentorum, & spiritualem eius vsum ad temporalem peruerteret, quod eodem pacto, ex facto suo suspicionem de hęresi ab Inquisitoribus plectendam exhiberet: vt siquis v. g. Eucharistię Sacramentum, quod in modum cibi, & potus ad refectionem, & nutritionem animarum exhibeatur, quę nutritio est Eucharistię precipuus finis, vt docet Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. & 7. & can. 5. & 11. ad corporalem santitatem adhibe-

159 ret.] hęc ille: ergo quiuis sic abutens Sacramentis, pręcipuè Eucharistia, de hęresi suspectus, super intentione torturę est subijciēdus.

160 Verum missis alijs Sacramentorum abusibus, priusquam de illo valdè frequenti, & enormissimo sollicitandi ad turpia in confessione agamus, expendendus breuitèr duplex, non minoris enormitatis, licet haud ita frequens, vterque cōtentus in Const. Greg. XIII. incip. Officij nostri, & in illa Clementis VIII. incip. Et si alias: nempe si quis, non sacerdos existens, Eucharistiam, conficiat, seù missam cele-

celebret,& si idem Sacramentum pœnitētiæ ministret. Ac primo quod ex istis actibus oriatur suspicio de hæresi in mēte sic eos facientis, nullus dubitat, innotescitq; ex dicta prima constitutione ibi. Nos itaque &c. animaduertētes eos, qui Presbyteratus ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quos solus Presbyteros, &c.]

161 Hinc euidenter concluditur, si aliquis conficiens, & ministrans hæc duo Sacramenta, facto impugnat fidem catholicam, ergo ob id erit etiam suspectus de hæresi, nimirum de ea, quæ viget inter hæreticos huius temporis asserentes æquē secularem, ac sacerdotem esse idoneum ministrum istorum Sacramentorum, vt refert, & simul confutat Card. Bellarmin. controuer. fidei, tom. 2. contr. l. 1. cap. 24. & 25. vide Carenā tit. 11. 2. par. §. 1. n. 2.

162 Qualis item sit dicta suspicio in laico sacramenta Eucharistiæ, & Confessionis conficiente, an vehemens seu potiùs leuis, controuersum inter scriptores pari modo est, atque circa similem suspicionem de hæresi in committente crimē polygamię paulò ante vidimus: Anton. Sousa l. 1. Aphoris. cap. 32. n. 14. Castrus Palao. par. 1. tract. 4. dist. 8. pun. 16. §. 9. n. 2. & alij, iuxsta id quod seruatur in Tribunalibus Hispaniæ Sancti Officij inclinant in suspicionem tantum leuem, ac propterea addunt, quod sic suspectus leuitèr de hæresi ob dictum abusum Sacramentorū Eucharistiæ, & Pœnitentiæ non debeat torqueri, sed cum sola abiuratione de leui expediri, per quam talis suspicio omninò purgatur.

163 Secundum illud tamen, quod practicatur in Tribunalibus S. Officij Italiæ, precipuè in præeminentissimo Almæ Vrbis (cuius vestigia nostrum Melitense perpetuò sequitur) communitèr admittitur, vt certum, ex prædicto abusu Sacramentorum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, insurgere vehementem suspicionem de hæresi contra abutentem. Probatur eadē ratione iam supra adducta, quòd vehemens suspicio illa censeatur, quæ prouenit ex signis exterioribus factorum aut verborum; vndè frequenter, & vt plurimum elici solet, quod talia faciens, vel dicens, sit hæreticus, vt egregiè docent Martin. del rio l. 5. disquis. magic. seu 12. vers. vehemens suspicio, & Ricciull. de iure person. l. 5. c. 11. n. 7. Atque sic elicitur ex celebratione missarum, & ex auditione confessionum in laico: ergo hic erit suspectus vehementèr de hæresi, & consequenter torturæ subijciendus pro eruenda facti veritate,

164 & super intentione. Ex vi propositę rationis, præter Martin. del Rio, & Ricciull. idē ostendunt Pegna 2. par. Direct. comment. 81. vers. ille quoque, & Leon. in Thesau. fori Eccles. par. 3. cap. 37. nu. 35. in abusu aliorum Sacramentorum: sed par est ratio in præsenti, ergo &c.

165 Videtur nihilominus limitanda proposita doctrina à paritate rationis, quia sicut diximus suprà n. 154. quòd contrahens sponsalia de futuro cum secunda, adhuc viuente prima vxore, sit solummodo leuitèr suspectus de hæresi, eo quod tunc non sit abusus Sacramenti, sed via, seu dispositio ad abutendum ipso; ita in præsenti, si laicus non conficeret Sacramentum, sed tantum disponeret ad conficiēdum, fingens se sacerdotem, & sedens in confessionario, iam præsente pœnitente genibus flexis; similiter si non celebraret missam, sed solum prępararet ad celebrandum, se induēs vestibus sacris, & alia requisita disponens, crederem, quod in his casibus talis laicus redderetur tantummodo leuitèr suspectus de dicta hęresi, & quod non esset regulariter torturæ subijciendus, nisi quando huiusmodi suspicio excederet infimum gradum latitudinis, quam moralitèr potest habere, nam tunc deberet leuiter torqueri, & cum abiuratione de leui expediri, vt in simili supra dict. n. 154. & priùs n. 154. & priùs n. 128.

166 tradidimus cum Genuensi, & Carena. Vnde isti duo præter Sousam, & Castr. Palaum citatos, qui à fortiori limitationem a nobis traditam sine dubio admittent, eandem coguntur admittere, maximè Carena, cum hic in casibus dictæ limitationis moderetur pœnas contentas in prædictis Constitu. Gregor. XIII. & Clementis VIII. contra laicos Sacramenta Eucharistiæ, & Pœnitentiæ conficientes: de quo nos Deo bene iuuante lib. 6. ex professo agemus.

167 Decidendum superest de abusu Sacramēti Pœnitentiæ per solicitationem ad turpia, vel ad alia delicta; atque ex decisis a nobis tota hac Regula, & præcedentibus non parum, ex traditisque etiam a nobis lib. 1. nostri operis de Materijs Tribunalium fidei cap. 16. facilè, ac breuitèr decisio rei præsentis circa torturam infligendam confessario inducēti pœnitentem ad rem veneream, aut ad alia peccata, porrigetur.

168 Dixi, aut ad alia peccata: nam vt benè docent Pegna 2. par. Direct. comment 81. vers. ille quoque, Sancius in selectis disp. 11. n. 23. vers. & explicari potest, Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. pun. 6. nu. 2. & Transmiera l. 3. de Polygam. q. 2. n. 46. eadem hęresis suspicione laborat confessarius solicitans pœnitentem ad libidinem, & ad alia delicta, & æque est sub iurisdictione Inquisitoris quoad torturam, qnoties torqueri debet; quamuis non quoad pœnas, quæ in decretis, ac Bullis summorum Pontificum, maximè Gregorij XV. contrà confessarios ad solam libidinem solicitantes continentur.

169 Sed petes, qualinam hæresis suscipione loboret cōfessarius, qui pœnitentem ad turpia, vel ad alia peccata inducit, vt ob eam possit torqueri? Extat circa hoc similiter dissidium non exiguum inter DD. Nam alij vt Ludou. Paramus. lib. 3. de Orig. S. Inquis. quæs. 20. nu. 115. vers. hoc supposito, Roder. Acunha de confess. solicit. quæst. 2. Freitas ib. nu. 45. Diana 4. p. tract. 5. resol. 51. & tract. 7. resol. 7. Castr. Pala. tract. 4. oper. mor. disp. 9. pun. 6. & quotquot praxim Tribunalium S Officij Hispaniæ sequuntur, ita sentiunt, quod

quod per solicitationem pœnitentis in actu confessionis ad turpia, reddatur confessarius suspectus leuiter tantum de hæresi, & consequenter quod non sit torquendus; ea ratione ducti, quia tale crimen solicitationis tunc ex propensione magna Confessarij ad libidinem magis cōmitti ab eo censetur, quam ex voluntate abutēdi Sacramento pœnitentiæ; & quidem iuxta l. 1. Cod. ad l. Corneliam, de sicarijs crimina distinguuntur per voluntatem, & propositum, non autem per exitum: ergo &c.

170 Alij verò, vt Pegna 2. par. Direct. commen. 81. vers. ille quoque, Leonius in Thesau. fori Eccles. par. 3. cap. 37. nu. 35. Bariola in Floribus direct. Inquisit. de confes. sollicit. vers. suspicio, qua vrgetur Carena 2. par. tit. 6. §. 15. n. 35. ac reliqui stylum supremi Tribunalis S. Officij Vrbis, ac cæterorum Italiæ (inter ista enumera nostrum Melitense) approbantes, merito huic parti adherent, quod confessarius, si dum audit confessionem, vel immediatè post, solicitet ad peccandum pœnitentem, fiat suspectus vehementèr de hæresi, ob Sacramenti Pœnitentiæ abusum, ac proindè sit torturæ subijciendus, vel pro eruenda veritate facti, si de eo non sit conuictus, sed tantum indiciatus sufficientèr; vel super mala credulitate, si de solicitationis delicto per plenam probationem constet.

171 Quòd autem in tali solicitatione reperiatur abusus Sacramenti, affirmat Papa Pius IV. in Bulla à se edita contra sic solicitantes, incipit, Cum sicut nupèr, ibi, Nos inquit, in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica rectè sentiunt, sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut

172 illis iniuriam faciant. Ex quibus verbis à contrario sensu pro secunda nostra sententia, sic concluditur: ergò qui abutuntur Sacramementis Ecclesiæ, eisque iniuriam faciunt, de ipsis malè sentiunt, ergo præsu-

173 muntur hæretici vehementer. Confirmatur simul soluendo rationem in oppositum, quia tametsi Confessarius ex propensione ad libidinem, & ingenti appetitu eius committat crimen dictæ solicitationis, illamque primariò intendat, hoc non tollit, quin ille simul, siue secundario, delinquat grauitèr in abusu Sacramenti Pœnitentiæ, & in facienda huic iniuria, hincque suspicio vehemens malæ credulitatis contra ipsum oria-

174 tur. Sicut quamuis quis ex maximo appetitu honoris, & æstimationis apud populum doctrinam hæreticalem tradiderit, sciens, quod Ecclesia teneat contrarium, talemque honorem, & æstimationem in ea tradenda primario intenderet; hoc tamen non auferret, quin simul & secundatio contra fidem peccaret, censereturque hæreticus, seù inde vehementissima suspicio de mala credulitate in mente eius residente insurgeret; sed par est ratio in præsenti, ergo &c.

175 Dixi, si de eo non sit conuictus, sed tantum indiciatus] Circa hæc duo aliquid breuitèr attingendum, vt constet magis quandonam & qualiter dictus Confessarius solicitans sit torquendus, aut secùs: Cùm hoc crimen solicitandi in Sacramento Pœnitentiæ ex se sit difficilis probationis, & aliundè cum ex eo magna pernicies Ecclesiæ Catholicæ inferatur; meritò secundùm omnes sic resoluitur, licet in alijs materijs regulariter testes singulares, etiam singularitate cumulatiua, nunquam plenè probent, aut saltem raró: in præsenti tamen materia solicitationis sæpissime per eos fieri plenam probationem ad condemnandum reum solicitantem, & puniendum pœna ordinaria, maximè accedentibus indicijs, & coniecturis. Ita Ludou. Param. lib. 4. de Orig. S. Inquisitionis quæst. 10. num. 140. Sanctarel. de hæres. cap. 44. dub. vnico, conclu. 3. num. 4. & cum alijs, quos refert Carena, 2. par. tit. 6. §. 7. num. 51. & ostenditur efficaci ratione statim adducenda, & exemplo violationis sigilli confessionis, quæ etiam per testes singulares probatur. Vide Suarez

176 in 3. par. disp. 33. sect. 8. nu. 3. Quamquam sit ne tunc reus sic solicitans, sufficienter conuictus ad effectum talis condemnationis, arbitrio Eminentissimorum DD. Card. supremorum Inquisitorum, Gregorius XV. in sua Bulla, incip. Vniuersi Dominici, &c. reliquit.

177 Ad prædictam autem plenam probationem, nullum dubium, quod possint concurrere, vt testes singulares, quicunque, sicut ad probanda alia crimina enormia admitti solent: quod tradunt copiosè Farinac. de hæres. quæst. 188. nu. 65 Delrius, disq. mag. lib. 5. in 2. append. quæst. 12. Ratio efficax est, quia sumus in casu talis criminis, cuius veritas nequit aliter haberi, cum in Pœnitentię Sacramento, non interueniat alius, nec interuenire possit, nisi

178 confessarius, & pœnitens. Sed quando veritas altèr haberi nequit, ne delicta maneant impunita in perniciem Reip. testes etiam singulares, & alias inhabiles admittuntur. Sic communiter notant Expositores cap. fin. de testib. legen. Rojas in sing. fidei, singul. 3. Param. dict. q. 10. nu. 136. & Sanctarel. loc. cit.

179 Pro dicta item probatione delicti solicitationis plenè facienda, quidquid in contrarium nimis rigorose dicat Paramus ead. quæst. 10. nu. 152. non sufficiunt depositiones duarum mulierum etiam honestarum, sed requiruntur depositiones plurium. Ita Sanctarel. dict. cap. 44. conclu. 4. nu. 6. Roder. Acunha, de confes. solicit. quæst. 23. nu. 4. & cum alijs per ipsum relatis Carena dict. tit. 6. §. 11. n. 19. inde ostenditur, quia ex l. eum qui, de iureiur. qui aggrauatur in vno, in alio releuari debet; sed confessarius solicitans grauatur in hoc, quod possit conuinci per testes singulares: ergo in eo est releuandus, vt non sufficiant duo, sed plures

180 sint requisiti. In casu vero nostro, quot femi-

minę debeant concurrere ad conuincendum relinquitur arbitrio Inquisitoris, qui diligēter aduertere tenetur, an deponentes contra confessarium solicitantem patiatur alias exceptiones præter illas duas sexus, & singularitatis. Ita ijdem Sanctarel. & Carena.

181 Sed quid circa torturam? certum est, quod duæ mulieres honestę deponentes de diuersis solicitationibus facient sufficiens indicium ad torquendum confessarium solicitantem. Nequaqam tamen ad id sufficeret depositio vnius tantum mulieris quantumuis honestissimę, etiam casu quo talis confessarius non 182 esset cognitus probatæ vitæ. Contra Zanard. hoc vltimum negantem in sum. diuin. precept. tom 2. cap. 88. tit. de tortura, vers. item si mulier, tenent communiter DD. precipuè Farinac. de delictis carnis, q. 137. nu. 32. Campanil. in diuers. Iuris canonici, rubr. 21. cap. 32. nu. 6. & Carena dict. tit. 6. §. 12. n. 61. Patet ex eo fundamento, quod bene affert Pegna 2. par. direct. com-183 ment. 110. de quo nos alibi diximus; nempe ad torturam requiri semiplenam delicti probationem, quę insurgit ex depositione vnius testis omni exceptione maioris; at mulier deponens contra confessarium solicitantem habet exceptionem sexus ad minus, ergò ex eius depositione non fiet semiplena probatio, nec sufficiens indicium ad illum torquendum, nisi forte coniungantur alia indicia.

184 Quin, etiam quòd depositio vnius tantum fęminæ non sufficiat ad dictum confessarium citandum, & carcerandum, ob infamiam inde ei resultantem, voluerunt nō sine magna probabilitate Simanch. Cathol. Instit. tit. 16. nu. 1. Rojas de hęret. par. 2. nu. 185 32. & Carena vbi supra nu. 62. Atque Roder. Acunha benè addit quęst. 23. de confess. solic. nu. 10. non posse carcerari confessarium ex depositione duarum mulierum meretricum, eo quod illarum testimonium vix ęquiualet testimonio vnius fęminę honestę.

186 Ad confirmationem verò predictorum extant diuersę literę supremi Tribunalis S. Congregationis, de Vrbe, alię directę ad Vicarium Generalem Archiepiscopi Ianuensis, quas refert Peyrin. ad priuilegia Minim. tom. 3. cap. 11. nu. 3. alię item de anno 1627. mensis Iulij 17. & de anno 1638. mensis Nouemb. ad nostros Illustriss. Inquisitores Meliten. transmisse, quę asseruantur in Archiuio; per priores Iulij iniunguntur Inquisitori pro tempore, ne procedat ad citandum, constituendum, & carcerandum confessarium ob solicitationem ex depositione vnius tantùm fęminę, sed prius certiorem faciat S. Congregationem Vrbis, missa relatione qualitatis personę denunciantis, & denunciatę, ac expectet inde responsum.

187 Per posteriores verò Nouemb. disponitur vt si constet de honestate. & bona fama fęminę denunciantis, ac e contra de mala confessarij denunciati hunc constituat, procedatque contra ipsum, si se aggrauet in constituto; secus si non se aggrauauerit.

188 Sed tunc curandum, vt per Episcopum ab exercitio audiendi confessiones remoueatur.

189 Hactenus de confessario solicitante pœnitentem in actu confessionis, aut ante, vel post eam immediatè; sed quid, si extra actū confessionis in cōfessionario tantum ille solicitet? Certum est, quod possit Inquisitor procedere contra sic abutentem confessionario, & patet, ex Bulla citata Gregorij XV. ibi, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocunque vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, &c. in officio S. Inquisitionis seuerissime, vt infra 190 puniantur.] Item certum est, quod confessarius sic solicitans non sit torturæ subijciendus, cum in tali actu leuissima, aut nulla erroris præsumptio reperiatur, eo quod non adsit ibi abusus Sacramenti pœnitentiæ. Ita ex omnium mente Carena dict. 191 tit. 6. §. 15. num. 76. Addens talem Confessarium esse expediendum absque vlla abiuratione, idque confirmat toto §. 16. contra Dianam, 4. par. tract. 5. resolut. 50. vers. quo verò ad alios, contrarium asserentem, quod debeat ille expediri cum abiuratione de leui. Sed nos de hoc opportunius alibi.

192 Tandem, quæ de confessario in actu sacramentalis confessionis pœnitentem solicitante tradidimus, an pari modo habeant locum respectu personæ pœnitentis, casu quo hæc in confessionis sacramentalis actu confessarium ipsum ad peccandum solicitat, dubitari non sine fundamento potest. Sed 193 dicendum breuitèr, non posse Inquisitorem ex vi vllius Bullæ Pontificiæ contra talem pœnitentem procedere, ipsiuè pœnas infligere in Bullis Pontificijs contra solicitātem assignatas; quia in eis semper est sermo de solis confessarijs solicitantibus, & cum sint materiæ odiosæ non sunt extendendæ. Ita Sanctarel. de hæres. cap. 46. num. 4. conclu. 3. Diana, vbi supra, & cum alijs, quos citat, Carena dict. tit. 6. §. 5. 194 nu. 22. At ex vi Iuris communis, & diuini, quod huiusmodi pœnitens sit sub iurisdictione Inquisitoris, tradidimus ex doctrina Pegnæ, & Castri Palao lib. 1. nostri operis, de Materijs Tribunalium fidei cap. 16. Regul. 190. vers. sed de persona, &c. ibi cita-195 torum. Et nunc addimus ex eorundem mente, quod possit, & debeat eodem pacto torqueri, vel pro eruenda veritate, vel su per intentione ob eam rationem, quia in dicto actu pœnitentis solicitandi confessorem, adest abusus sacramenti pœnitentiæ, ex quo insurgit vehemens suspicio de hæresi, ergo &c. Atque hæc sint satis pro explicatione Regulæ præsentis.

Quid de tortura infligenda, nec ne, retinentibus, &c. libros prohibitos? & insordescentibus in excõmunicatione?

REGVLA CCCLIV.

196 PRo diuersitate librorum prohibitorum, & pro qualitate personarum eos retinentium, ac pro maiori, vel minori mora retentionis, pro alijsque circumstantijs, oritur inde iudicis, arbitrio, aut vehemens, aut leuis, aut nulla suspicio de hæresi contra delinquentem. Si oriatur vehemens, & retinens librum prohibitum ob hæresim, malæ vitæ existat, debet torqueri pro vlteriori veritate habenda, & super intentione: secus verò, si sit bonæ famæ, vel si tantum leuiter suspectus de hæresi censea-
197 tur, regulariter loquendo. Dein insordescens in excommunicatione lata ob hæresim, si trãsacto anno citatus non compareat, tractandus vti hæreticus; si tamen compareat, & non doceat de sua innocentia, est vehementer suspectus de hæresi, & torquendus: minimè verò si insordescat in lata ob aliam causam, quàm hæresis, quamquam oppositum vti admodum probabile etiam admittendum.

---

198 SVppositis per nos copiosè traditis lib. 1. nostri operis, cap. 19. sex Regulis de materia librorum prohibitorum, facilius ac breuiùs tractabimus præsens dubium de subijciendo torturæ, aut secùs, eos retinente, legente, typis mandante, &c. Ac primo expendendum, sicut in præcedentibus seruauimus, an & qualis suspicio de hæresi cõtra delinquentem insurgat, ex his prauis actionibus tales libros retinendi, legendi, typis mandandi, defendendi &c.

199 Circa hoc, vt prius vera a falsis secernamus reijcienda est statim falsa illa sententia Archidiac. in cap. fin. 24. quæst. 2. Ioan. de Anania in cap. si quis Episcopus, de hæret. Rom. sing. 326. incip. Eo ipso. & plurium Iurisperitorum, asserentium sine iure, ac ratione, nimis rigorosè, retentores librorum hæreses continentium habendos esse pro hęreticis, & ex sola retentione induci cõcludentem, & plenam probationem ad eos condemnandos, vt tales.

200 Quod tamen dicti retentores ex sola talium librorum retentione non iudicentur hæretici, sed tantum suspecti de hæresi, patet manifestè ex Bulla Pij 4. edita de anno 1564. incip. Dominici Gregis, ibi, eamque ob causã in eos, vti de hæresi suspectos inquiri &c.] Atque hoc vt prorsus certum tradunt Pegna 2. par. direct. comment. 3. vers. Horum tamen sententia, Decian. in tract. crim. tom. 1. lib. 5. cap. 46. n. 26. Param. de orig. S. Inquisit. lib. 3. q. 9. n. 147. Sãctarel. de hæres. c. 41. dub. n. 5. & cum alijs multis Farinac. q. 180. n. 33.

201 Quamquam negari non potest, casu, quo librum a se cõpositum quis apud se haberet, & in eo ex professo essent hæreses expressæ, catholicæque veritates impugnatę, deberet iste talis vti hæreticus condemnari, vt bene notarunt ijdem Pegna loco citato, & Farinac. cum multis per ipsum relatis dict. q. 180.
202 n. 16. & 17. Qui infra dict. nu. 33. affirmat cum Duard. ad Bullam Cænæ Domini, lib. 2. can. 1. quęst. 51. n. 24. esse etiam vti hæreticum condemnandum eum, contra quem præter retẽtionem, &c. libri prohibiti ob hæresim, concurrerent aliquę vrgentissimę cõiecturę. Ita etiã Carena. 2. p. tit. 10. §. 3. n. 24. cui adhæreo in pręDictis, & in ijs, quę ibi sic addit.
203 Hæc tamen, inquit, limitanda sunt in eo, qui non ex proposito, sed quasi per transennam scripsit hæresim: Præsumitur enim talis hoc ex ignorantia potius scripsisse, presertim si res erat difficilis, & obscura; & ipse habeatur communi opinione vir catholicus, & pius.] hæc ille, quæ desumit ex Castro Palao, tract. 4. disp. 2. pun. 10. §. 4. n. 2. vers. Quod intelligendum est. Excepta itaq; hac limitatione, in pręDictis casibus nõ est locus torturæ (excipe infligendam super complicibus) cum ille sit vti hæreticus condemnandus.

204 Præter casus autem prædictos, in quibus retinens, legens, &c. libros prohibitos condemnandus vti hæreticus in reliquis, ex tali eorum retentione, lectione &c. qualisnam suspicio hæresis insurgit? & vbi nam locus
205 torturæ? Quo ad vtrumque duæ sunt oppositæ sententiæ, altera Deciani, tract. crim. lib. 5. cap. 46. nu. 26. vers. aut vero apparet, & aliorum affirmãtium insurgere solam leuem, ac proinde non esse locum torturæ, etiamsi
206 tales libri ob heresim sint prohibiti. Altera Zanch. de hæret. cap. 7. n. 7. Locati, verb. libri, & repertor. Inquisitorum, eodem verb. defendentium ex huiusmodi actione illos retinendi, legendi, &c. oriri vehementem hęresis suspicionem contra delinquentem ideo hunc torqueri debere.

207 Verum multi ex scriptoribus melioris notæ, vt Pegna 2. par. Direct. comment. 3. vers. vt ergo gradus, Menoch. de præsumpt. lib. 5. pręsump. 6. num. 18. Param de orig. S. Inquis. lib. 8. quęst. 9. num. 148. Genuen. in prax. Archiep. Neapol. cap. 18. num. 12. Sousa, lib. 1. Aphoris. cap. 21. num. 37. & cum alijs, quos copiosè de more citat Farinac. de heres. quęst. 180. num. 9. ita sentiunt, & bene quidem, quòd relinquendum sit totum hoc arbitrio Iudicis, seù Inquisitoris, qui perpensis omnibus circumstantijs, presertim qualitate personarum, penes quas libri reperiuntur, qualitate item librorum repertorum, & diuturnitate retentionis eorum, prudenter statuet quęnam inde pręsumptio hæresis insurgat, an vehemens, an leuis, an vero nulla?

208 Cum Pegna citato benè expendit præ cęteris Carena, dict. tit. 10. §§. 4. 5. & 7. hos tres gradus pręsumptionis de hęresi, exemplificans in vnoquoque, & ostendens, quando ob eam ad torturam inquisiti de-

ue-

ueniendum, & quando ab ista abstinendum. Equidem nulla est hæresis præsumptio in libri prohibiti retentione, lectione, &c. nullusque torturæ locus, vbi reperitur penes aliquem liber continens errores contra fidem, simul cum scripturis, in quibus per ipsum illi refutantur, quia ob id censetur verus Catholicus, puniendus tamen arbitio, vel saltem corripiendus, eo quod sine licentia talem librum legit. Similiter, nullo modo est suspectus de hæresi, nec torturę subijciendus heres ille, pœnes quem reperti fuerunt libri ob hæresim prohibiti, tempore quo nondum omnes angulos domus hereditariæ lustrauerat, neque aliquam illorum notitiam acquisierat: Atque sic de alijs exemplis, in quibus ob ignorantiam retinens similes libros, excusatur. Vide Farinac. dict. quæst. 18. num. 44. & Castrum Palao tract. 4. disp. 2. pun. 10. §. 4. num. 6.

211 Erit autem præsumptio de hæresi, vt optimè ait Carena citatus, tantum leuis, & retinens, legens, &c. librum ob hæresim prohibitum, de ea leuiter suspectus, ac propterea nequaquam torturę subijciendus, regulariter loquendo, quando inconsiderate retinuit aut legit, quando parùm, & semel; si item aduertenti de prohibitione eius statim acquieuit; aut simul atque talem esse audiuit, illico ad Inquisitorem detulit, &c. Dein si pœnes idiotam talis liber repertus fuit, aut si in eo tantummodo sortilegia simplicia contineantur, quę ex se leuem tantùm hæresis suspicionem inducunt; atque pari modo de alijs casibus. Quos a fortiori admittent Decian. citat. num. 203. & reliqui auctores primę sententię, qui attento stylo Tribunalium Hispaniæ, vt notat Diana par. 4. tract. 7. resol. 6. absque tortura esse iniungendam abiurationem de leui retentoribus dictorum librorum, ob leuem tantùm hæresis suspicionem, ex retentione ortam volunt.

213 Sed nos iam supra num. 129. resoluimus cum Genuens. & Carena ibi citatis, propter leuem hæresis suspicionem, si sit supra infimum gradum latitudinis, quam habere solet, posse infligi reo torturam leuem, iniuncta etiam ei abiuratione de leui: quę resolutio in presenti casu locum habet, ac proinde dixi, regularitèr loquendo.

214 Denique retinens, legens, &c. librum ob hæresim prohibitum, redditur suspectus vehementer de hæresi, estque torturę subijciendus, si sit homo malę vitę, & dictum librum studiosè pœnes se retinuerit, si totum, aut pluries legerit, si inquirat vnde tales libros habere possit, & ex remotis regionibus sibi, aut alijs apportari curet, vel si alia concurrant adminicula. Tradunt Homob. de Bonis, de exam. Ecclesiastico, tom. 1. tract. 7. cap. 2. quæst. 13. vers. vndè primi, & Castr. Palao, tract. 3. disp. 1. pun. 14. num. 6. Carena dict. §. 7. nu. 14. & alij.

215 Secundùm quos interrogandus reus in tortura super credulitate contentorum in dicto libro, super complicibus, & an aliquem hæreses in eo co contentas docuerit.

216 Quod si retinens, legens, & huiusmodi librum, sit homo bonæ vitæ, & famæ, nec vnquam alias de hæresi suspectus, ex ea retentione, &c. nequaquam insurgeret præsumptio vehemens de mala credulitate, neque sufficiens indicium ad torturam contra eum. Ita præter citatum Castrum Palao, Arnal. Albertin. de agnoscen. asser. cathol. quæst. 28. nu. 25. & cum alijs, quos refert Farinac. de hæres. quest. 180. num. 48.

217 Vterque probat exemplo rei furtiuæ, quę tametsi alias faciat indicium ad torturam contra illum, penes quem reperta est; si iste tamen sit bonæ vitæ ac famæ, talis inuentio minimè sufficit ad ipsum torquendū.

218 Sed quid, si pœnes aliquem reperiatur liber ob hæresim prohibitus sine nomine auctoris? Ex mente Deciani in tract. crim. lib. 5. cap. 46. num. 26. Farin. dict. quæst. 180. n. 21. Carena, 2. par. tit. 10. §. 7. n. 42. & aliorum, quibus adhæreo, retentor eius interrogandus de auctore, & ad hunc manifestandum, si opus sit, etiam torquendus: quod si in tortura persistens nō nominet auctorem, tunc habebitur ipse pro auctore, & vti hæreticus condemnabitur.

219 Hactenus tradita, solum intelligenda de retinentibus, legentibus &c. libros propter hæresim, aut suspicionem eius prohibitos: quando vero quis retinet, legit &c. librum ob aliam causam, quam hæresis prohibitum, puta quia contra bonos mores inhonesta, seu turpia continet, tunc cum nulla hæresis suspicio inde oriatur, nequaquam retinenti, legenti &c. est infligenda tortura super intentione; nec abiuratio iniungenda illi; puniendus tamen arbitrio ab Inquisitore:

220 Qui est, quo ad hoc delictum, iudex ipsius legitimus, vt patet ex decisione supremæ Congregationis S. Officij Vrbis, expressa in literis Eminentissimi Cardinalis Mellini ad Inquisitorē Cremonę, quas ad verbum adducit Carena, dict. tit. 10. §. 2. n. 19. vers. contrariū tamen. & addit cum Sousa l. 1. Aphoris. c. 21. n. 45. dictā decisionem, esse rationabilē, & congruam omni iuri, & æquitati.

221 Hinc Turrian. select. disp. par. 1. cont. 4. dub. 17. circa prædictos libros, dubitat, & qualificat per sequentia verba. An sit tutum, inquit, in conscientia retinere libros prohibitos ex pręcepto S. Inquisitionis, quando libri non continent doctrinam contrariam fidei, aut sacræ doctrinæ?

222 Respondeo, nullo modo esse tutum, & esse grauissimum peccatum, etiamsi libri non contineant malam doctrinam, quia Senatus S. Inquisitionis nunquam prohibet aliquē librum, nisi ob causam iustam boni communis, & ita præceptum est iustum, & obligans: & oppositum asserere est erroneum, & scādalosum, & sic facientes, vel sentientes contra præceptum S. Inquisitionis, manifestandi sunt inquisitoribus, & seuerè puniendi,

di, & qui certo agnoscunt huiusmodi delinquentes, obligati sunt ad manifestandos illos S. Inquisitioni.] hactenus Turrian. cuius resolutio omnino mihi placet.

223 Quo ad secundã partem Regulæ de insordescentibus in excommunicatione: primo certum est, ad incurrendam insordescentiam requiri, & sufficere, vt patebit ex decisione Triden. adducenda, spatium vnius anni integri, & continuati, & non interrupti. Ita Glos. in cap. cum bonæ, de ætat., & qualit. ibi Abb. n. 7. Hostien. nu. 7. Ioan. Andr. nu. 10. Mar. Alter. de cens. l. 2. disp. 6. cap. 1. vers. de secundo dubio, & præcipuè Eminentissim. D. Card. Bellarm. in suis notis ad Triden. sess. 25. de ref. cap. 3. vbi benè obseruat, quod quanto maior est mora, tanto magis grauatur reus, vt contigit in casu; de quo in dict. cap. cum bonæ, illius, qui per triennium in-

224 sorduerat in excommunicatione. Annus autem ad dictum effectum requisitus incipit à die, quo quis contracta excommunicatione fuit nominatim denunciatus; vt docet Albertin. in Rub. de hæret. in 6. q. 13. n. 35. & cũ alijs, quos citat, Sanctarel. de hæres. cap. 4. n. 6.

225 Certum secũdo est, quod ad insordescentiam requiratur perseuerantia cum pertinacia animi, quæ includat contemptum Clauiũ, concurrẽtibus simul ad hoc alijs tribus: Primo quod excõmunicatus habuerit prius notitiã excommunicationis sibi inflictæ. Secũdo, quod intra annum non curarit de absolutione obtinenda: nam secus haud erit insordescens. Tertiò, quod super insordescentia sequatur sentẽtia illius declaratoria; Cũ Farin. ex decis. 196. Rom. Rot. nu. 2. in impressis post secundum volumen Consiliorum cũ Ricciull. de iure person. extra Ecclesiæ gremium existen. l. 4. cap. 8. n. 3. & cum alijs adducit Carena, 2. p. tit. 8. §. 2. n. 6. & seq. his præmissis vt certis,

226 Decidendum sequitur in hac materia id solum, quod est nostri instituti, nimirum, An, & qualiter insordescens in excõmunicatione fiat de hæresi suspectus, & torturæ subijciendus, nec ne? Circa primum, apud Triden. sess. 25. c. 3. de Refor. in fine sic expressè habetur. Sed si indurato, inquit, animo cẽsuris annexus per annum illis insorduerit, etiam cõtra eum,

227 vti de hæresi suspectũ, procedi possit.] Quæ verba Concilij de excommunicatis, ex quauis causa etiam ciuili intelligi debere tenent Mar. Alter. de cens. tom. 1. l. 2. disp. 8. cap. 3. vers. Tertia propositio, & Salcedo ad Diaz. in prac. crim. citatus à Carenæ vbi supra §. 4. n.

228 15. Atque vniuersaliter loquendo, quod quiuis insordescens in excommunicatione lata ex quacunque causa sit de hæresi suspectus, docent, Eymer. 2. par. Direct. q. 47. n. 6. ibi Pegna, cõmen. 72. Simanc. Cathol. Inst. tit. 27. n. 4. Couarru. in c. Alma mater, p. 1. §. 7. n. 10. vers. 4. est cõsiderandum, Vgolin. de cens. tab. 1. c. 14. §. 4. n. 3. Card. Bellar. loc. cit. & cum multis per ipsum relatis, Farinac. de hæres. q. 192. n. 14.

229 Imò, quod ex quacunque causa insordescentem debeat Inquisitor citare ad respondendum de fide, & cõtra eum possit procedere, adducit citati DD. & præcipue Campanil. in diuersor. Iuris Canon. rubr. 11. c. 15. n. 31. Probatur inde efficaciter, quia eadem militat ratio contemptus Clauium, respectu cu-

230 iusuis insordescentis; Quin etiam maior videtur militare respectu insordescentis ex causa ciuili, cum hæc minus eum retardare debeat ad comparendum coram Iudice, quã causa criminalis, quæ pœnam corporalem respicit, vt benè notauit Picciul. loc. citat. c. 7. n. 18. vers. quin imo maior.

231 Nihilominus, licet attento iure hæc ita se habeant, attenta tamen consuetudine, Tribunalia S. Officij nequaquam solent procedere contra insordescentes in excommunicatione lata ob aliam causam, quam hæresis. Ita idem Pegna, dict. comm. 72. vers. ex recepta, Scacc. lib. 1. de indic. cap. 98. nu. 36. qui ait, quod nunquam viderit, nec audierit cõtra tal ter excõmunicatos ex causa alia, quam hæresis, & insordescentes procedi tanquam de hæresi suspectos. Iac. Graf. in sum. dec. par. 1. lib. 4. c. 14. vers. ex recepta tamen; Lælius Zecchius in sum. par. 1. rubr. de Fide, cap. 11. nu. 13. vers. Hi, si per annũ, affirmans ibi, quod ex consuetudine S. Offi-

232 cium contra hos non procedit. Extant literæ Emin. Card. Aragonij, sub die 30. Septemb. 1602. vt refert Lazzar. de monit. sec. 4. qu. 8. nu. 20. quibus de mandato S. Congr. S. Officij Vrbis iniungitur Vicario Episcopi Placentini, ne procedat sub nomine S. Inquis. contra aliquem taliter insordescentem: idem prius fuerat etiam iniunctum, alijs similibus literis an. 1585. Episcop. Ferrar. de mandato eiusdem Congreg. teste Borg. decis. 33. par. 2. nu. 61. in fine.

233 Cum aliqua vero moderatione dictæ doctrinæ, testatur Carena 2. p. tit. 8. §. 4. n. 18. sub finem his verbis. Ita etiam, inquit, S. Congr. de an. 1627. rescripsit Reueren. P. Inquisit. nostro Cremonæ, ne contra hosce insordescentes procederet, nisi priùs consulto supremo Vrbis Rom. Inquisit. Senatu in omnibus casibus particularibus, Belloch. de casib. reseruat. par. 2. qu. 4. nu. 226. In aliquibus tamen casibus, stante maxime contumacia, scio in Tribunalibus aliquibus S. Officij inquisitos fuisse hosce insordescentes, consulto tamen prius supremo Vrbis Tribunali, vt mihi a viris fide dignis relatum fuit.] hæc

234 ille; ex quibus iam apparet, esse hanc partem valdè probabilem, vt dixi in fine Regulæ, quod possit S. Officium procedere contra tales insordescentes in excommunicatione lata ex alia causa, quam hæresis, vti suspectos de hæresi, & tunc incipiunt esse tales, insurgitque obligatio denunciandi ipsos Inquisitoribus, quando sententia insordescentiæ declaratoria profertur, quæ, vt diximus, ad eam contrahendam necessaria est. Ve-

235 rum, cum ab Ordinarijs locorum vix vnquam proferatur, hinc, credo, suo meliori iudicio, exorta consuetudo apud Tribunalia S. Officij contra istos insordescentes non procedendi.

236 Suspicionis vero de hæresi qualitas in quibusuis insordescentibus sic se habet, vt iam de secundo constet, quandonam infligenda illis tortura, vt gradatim procedamus: primo de insordescente in excommunicatione ob causam hæresis lata; nimirum si indiciatus leuiter de aliqua hæresi, & vocatus ab Inquisit. iudicium eius subterfugiens nolit cōparere, ac propterea in contumaciam declaretur excommunicatus, & sic contumax incipit esse vehementer suspectus de ea, & si in excommunicatione per annum maneat trāsit suspicio vehemens in violentam, quæ dicitur præsumptio Iuris, & de iure, & est sufficiens ad plene probandum crimen hæresis, & ad condemnandum vti hæreticum ita violenter de ea suspectum. Patet ex text. manifestis. c. cum contumacia, de hæret. in 6. ibi Glos. verb. vehementem, & cap. excommunicamus, il 1. de hæret. in 6. ibi Hostien. nu. 2. docentq; late Pegna, 3. p. Direct. com. 49. & Farin. de hær. qu. 192. n. 14. Sed de hac condemnatione, & de requisitis ad eam, nos alibi ex professo.

237 Verum si transacto anno in excommunicatione, Inquis. contra dictum contumacem sententiam declaratoriam insurdescētiæ proferat, vti ab eo proferri debere ad eam contrahendam bene docuerunt Ricciul. in prax. var. resol. to. 3. resol. 214. n. 13. Seraph. decis. 1285. nu. 3. & alij: Ex tunc sic insordescens incipit esse leuiter, ac vehementer, pro qualitate personæ, &c. de alia hæresi, nempe, quod male sentiat de Clauibus Ecclesiæ.

238 Quod si compareat ita insordescens corā Inquisit. antequam ab isto vti hæreticus condemnetur, & de sua innocentia circa primā hæresim, ac de legitimo impedimento, ob quod non potuit prius comparere, puta, ob infirmitatem, vel quia fuit apud hostes, &c. in tali casu venit omnino absoluendus, & declarandus innocens, tam a prima hæresi, quam a secunda insordescētiæ coniuncta, seu ab ipsa insurdescentia. Ita Pegna, vbi sup. ver. tandem addo, Farinac. d. qu. 192. nu. 20. & Card. Bellarm. in suis Notis ad Trid. sess. 25. de refor. cap. 3. nu. [illegible]

239 Quod si compareat, vt dictum, & de neutro doceat, nec de innocentia, neq; de legitimo impedimento; tunc, vt vehementer suspectus de dupplici hæresi subijciendus est torturæ super intentione circa vtramq; Ita Scacc. de Iud. c. 98. & Zanard. in sum. diuin. præcep. to. 1. c. 5. de fide, vers. Primus post annum;

240 Similiter infligenda ei tortura saltem leuis super intentione, si doceat de sua innocentia, non vero de legitimo impedimēto cur prius noluit comparere, ob præsumptionem malæ credulitatis Clauium Ecclesiæ ex insordescentia ortam. Tradunt Simanch. de Cathol. Inst. tit. 27. n. 4. & 5. Scac. ibid. nu. 29. & ex mente aliorum Carena. 3. par. tit. 5. § 8. nu. 40.

241 Denique si quis insordescat in excommunicatione lata ob aliam causam, quam hæresis, fit vt plurimum tantum leuiter suspectus de mala credulitate, circa potestatem Clauium Ecclesiæ, vnde regulariter non est ei infligenda tortura. Primum de suspicione leui sola, tradunt, vt certum, attenta vi Iuris, Symanch. cath. Inst. tit. 27. n. 4. Eymer. 2. p. direct. qu. 47. & ibi Pegna, Couarru. in cap. Alma mater, p. 1. § 7. Mar. Alter. de censu. to. 1. lib. 2. disp. 8. cap. 3. vers. circa hoc decretum, Genuens. in prax. Archiep. Neap. cap. 68. nu. 8. & Farinac. cum alijs multis per ipsum relatis, de hæres. qu. 192. n. 23.

242 Inde ostendi potest, quia taliter insordescens ob timorem carcerationis strictæ, & pœnarum infligendarum magis, quam ex contemptu Clauium, iudicium, & præsentiam Inquisitoris subterfugere videtur; ergo de mala istarum credulitate non vehementer, sed tantum leuiter suspectus, vt plurimū, existet.

243 Secundum, quod sic leuiter suspectus non sit, regulariter loquendo, torquendus, dicimus consequenter, iuxta hactenus sæpe tradita in reliquis materijs sortilegiorum, blasphemiæ, polygamiæ, &c. ex communi DD. sent. nimirum haud esse locum torturæ, vbi tantum adest suspicio de hæresi leuis. Limitauimus tamen per particulam, regulariter, cum Genuen. & Carena affirm. n. 127. & seq. in casu suspicionis de hæresi leuis, si hæc sit supra infimum gradum latitudinis, quam habere solet, sic suspecto posse infligi torturam leuem, & iniungi etiam abiurationem de leui; sed par est ratio in præsenti casu, ergo, &c. Nec aliud pro præsenti Regula addimus.

Est ne locus torturæ in casu edentium cibos prohibitos? & in alijs ad Officium S. Inquisitionis spectantibus?

REGVLA CCCLV.

244 COmedens carnes diebus vetitis fit vehementer suspectus de hæresi, estque torturæ subijciendus, si præter carentiam licentiæ, & defectum causæ edendi concurrant alia adminicula; alias suspicio leuis inde insurgit.

245 Quæ etiam sola in comestione lacticiniorum tempore prohibito quandoque reperitur; vnde taliter de hæresi suspectus, aut nullo modo, aut solum leuiter torquendus.

246 Ex prædictis autem sumenda norma circa diuersos casus ad Officium S. Inquisit. pertinentes, vt circa casum celebrantium conuenticula in materia Religionis, eisque assistentium; circa casum item loquentium de mysterio Concept. B. Mariæ Virg. contra dispositionem Sedis Apostolicæ, & circa alios a nobis sigillatim exprimendos.

---

247 EXtitit olim hæresis, quæ renouata fuit a Sectarijs quibusdam nostri tēporis improbans delectum ciborum in ieiunijs, vti iniungitur ab Ecclesia fidelibus: contra quā præter alia multa, quæ ad eam reprobandam ex Scriptura Sacra, ex antiquis Concilijs, &

ex

ex SS.PP. copiose adducit Script. præcipue Greg.de Valentia,t.3.disp.9.q.2.pun.2.ostẽdẽtes,quod sit de fide certum, Catholicorũ ieiunium cum abstinentia a carnibus, & aliquando ab ouis,& lacticinijs esse vtile,& laudabile. hoc idem confirmatum habemus per Concil.Trident.sess.25. de refor.c. de

248 delectu ciborum,ieiunijs,&c.De dicta itaque hæresi se suspectum reddit quicunque diebus vetitis carnes,oua,& lacticinia absque causa legitima,vel absque dispensatione comedit. Ita Pegna 3.p Direct.com.24. vers.Ecclesiastica Sacramenta, & 2 p.q.55. com.80.v.& ob hanc præsumptionem, Genuen.in prax. Cur.Archiepisc Neapol.c.18. n.11.v.comedentes carnes, & cum multis, quos citat,Farinac.de hæres.q.178.n.8. idque in communi loquendo.

249 Verùm in particulari,qualisnam dicta suspicio? quando item nulla? citati Pegna,& Gen. & alij communiter tenent præsumptionẽ hęresis ex comestione carnium, aut ciborum prohibitorum ortam, regulariter esse vehementem,si absque licentia, & necessitate comedat, licet hoc aliquando ob ingluuiem, & voracitatem contingat,vt fa-

250 ciat. Eorum autem doctrinam libenter approbo,cum additione tamen,de qua benè Carena 2.p.tit.15.§.3.n.8. quod præter defectum causæ comedendi,& carentiam licentiæ concurrant alię circumstantię,nempe quod pluries comederit carnes, quod reprehensus vel parui fecerit reprehensionem,vel impie protulerit verba illa hæreticorum propria, Quod intrat per os non coinquinat animam; & quod inquisitus de dicta comestione sit malæ vitę,& famæ,pręcipuè si ducat originem,& educationem ex ea regione,vbi viget prædicta hæresis. Ratio est,quia his concurrentibus redditur suspectus vehemẽter de hæresi,& poterit torqueri pro facti veritate eruenda, si tantum de eo sit indiciatus, vel super mala credulitate. Ita ille totidem fere verbis.

251 Concludit vero idem Carena,alias solam leuem oriri hæresis suspicionem, etiam ex comestione carnium tempore prohibito,& multo magis ex comestione ouorum,atque lacticiniorum. Et tunc abstinendum regulariter a tortura, vel infligenda reo leuis, iniuncta etiam illi abiuratione de leui, secundum tam sæpius tradita a nobis, præcipue n.213.in alijs materijs cum dict. Gen.

252 & Car. Qui tandem sub finem §.6. eiusdem tit.15.bene aduertit id,quod ex meor. & aliorum DD. Consultorum voto in nostro Tribunali Meliten.S.Inquisit.sępius obseruatum fuit,nimirum delinquentes in hac materia comestionis ciborum prohibitorum, esse expediendos ab Inquisitore cum sola graui correptione, iniuncta pœnitentia salutari,præcipuè ieiunij,quoties attenta qualitate personæ, & alijs circumstantijs nulla appareat hæresis præsumptio.

253 Deìn,quoad celebrãtes conuenticula occulta in materia Religionis,expresse iniungitur in edicto S. Inquisitionis obligatio denunciandi eos Inquisitori, nosque lib.1. nostri operis peculiari c.17. licet breuissimo id expressimus, nec dubium, quin præcipui auctores talium conuenticulorum sint vehementissimè suspecti de hęresi, aut de apostasia a fide, & si adsint sufficiẽtia indicia cõtra eos,torqueri super facto,& super inten-

254 tione. Quamquam leuiter tantum erunt suspecti, si non sint præcipui auctores illorum, sed tantum ipsis curiose intersint,sicut si cum dictis auctoribus,vel cum alijs suspectis secretas familiaritates habeant. Ita Martin.delrio, disq.magic.lib.5.sect.12. cum Springer.p.3.q.19. vt ille citat,atque in hoc casu suspicionis leuis, aut nulla illis tortura infligenda, aut leuis tantum, iuxta tradita paulo ante cum Genuen.& Caren.

255 Circa casum male loquentium de mysterio Conceptionis B.V. Mariæ contra dispositionem sedis Apostolicæ,& contra Bullas, ac decreta summorum Pontificum,cum nota aliqua,seu qualificatione alterutrius partis affirmantis,vel negantis fuisse cõceptam sine peccatio originali, vltra tradita a nobis copiose de tota hac materia lib.1.c.20.Regul. 146. addimus hic, quod taliter delinquentes absq;tortura,& absq;abiuratione

256 regulariter sic expediantur,videlicet.Accepta denunciatione, & informatione contra transgressorem,ad Romanamque Inquisitionem Generalem transmissa per Inquisitorem,vel Ordinariũ loci,hic expectat ab Emin.Card.Inquisitoribus iussa exequẽda: aut enim constat de transgressione, & tunc declaratur per sententiam iuridicam incurrisse pœnas expressas in dictis Bullis,& decretis Pontificum: aut si non constet,sed sit tantum præsumptio, corripitur acriter præsumptus transgressor; & si sit concionator, iuxta qualitatem casus ab exercitio concionandi arbitrio prohibetur. Ita in praxi illa vulgari m.s.alias a me citata,c.9. & cum ea Car.2.p.tit.17.§.11,n.36.vers.Praxis autem.

257 Qui vers.vel denunciatio,bene addit, casu, quo denunciationes commode Romam mitti non possunt (addo,aut ob causam rationabilem mitti haud solent) quod post diligentem perquisitionẽ, & examinationem testium ab Inquisitoribus particularibus, alterutro ex modis dictis debeant huiusmodi causæ expediri.

258. Nullum dubium, quod possint procedere Inquisitores contra falsum in S. Officio testificantes,& contra istorum subornatores, quamuis Bertazzol.lib.1.crimin.consil.73 id falso de subornatoribus neget, ac proinde merito reijcitur ab omnibus scriptoribus præcipue Farin.de hæres.q.188. n.4.Diana p.4. tract.7. resol.16. vers.restat modo,& a Castro Palao to.1.tract.4.disp.8. pun.15.§. 6.n.14.Nullum item est dubium,si dicti falsi testes, & subornatores de suo delicto non sint cõuicti,sed sufficienter indiciati,pro veritate eruenda torqueri possunt, vt patet ex praxi omnino recepta nostrorũ Tribunaliũ

S.In.

S.Inquif.& refert idem Farin.loc.cit.illi subornatori, de quo peculiariter fit mentio in casu proposito ab ipso Bertaz. torturam ab Inquis. fuisse inflictam, & mansisse absolutum, eo quod ex ea nihil emerserit, & ipsam sustinens indicia euacauerit.

260 Quoad deferentes vero arma ad inimicos Christiani nominis, quod contra istos, quicunque sint, indistinctè procedant Inquisitores in Tribunalibus Hispaniæ, ob eam rationem, quia huiusmodi crimen tendit in detrimentum status totius Relig. Christianæ, post alios testatur id Castr. Palao, tr.4. disp.8.pun. 16.§.10.aduertens ibi, quod inquisiti de hoc crimine hodie non abuirēt, cum antea abiu-

261 rare de leui cogerentur. Verum placet modus distinguēdi, attenta qualitate delinquentis, quem tradunt Diana 4.p.tract.7.resol.19. vers.non desinā tamen, & Carena 2.p.tit.17. §.20.n.97. nempe quòd si deferens arma sit persona, vel iam alias de hæresi suspecta, vel de origine Maurorum, aut Turcarum, ex tali delatione armorū oritur manifesta præsumptio fautoriç; at fautor hçreticismi, vel infidelitatis esse torturæ subijciendos super facti veritate, vel super intētione, vidimus iam supra n.30. cum Eymer.2.p. Direct.q.56.n.6. esse item eis iniungendam abiurationē cum communi doctorum dicemus lib.5. ergo dicto delatori armorum vtraque competit, sci-

262 licet tortura, & abiuratio. Quod si è cōtra idem Carena inquit, reus, qui huiusce criminis arguitur, sit mercator alias de fide non suspectus, & appareat eum non fuisse motum nisi lucri, & negotiationis gratia, in hoc casu arbitrarer, cessare omnem suspicionem fautoriæ, & hæresis] ita ille, & consequenter addendum, non esse locum abiurationi, neque torturæ, saltem super intentione.

263 Præterea contra Iudicē laicum se in causis hæresis ingerentem, quoquomodo, S.Officium merito procedit, & præter excommunicationē ipso facto iam a iure ei inflictam c.vt Inquisitionis, §.prohibemus, de hæret.in 6.& Constit.Iulij III.incip. licèt a diuersis, in qua eius absolutio Papæ reseruatur, pœnis arbitrarijs ipsum punire potest. Legendi circa hoc præcipue Farinac. de hæres. quæst. 186. nu. 153.

264 Sanctarel.tract.1.c.40.dub.4.nu.22. Apud quos nulla mentio de præsumptione erroris contra fidem, quia non apparet vnde sit ei locus, & consequenter neque torturæ, maxime super intentione; atque circa hoc pro re prçsenti nullum addam verbum.

265 Rationabilibus itē de causis Sum. Pontiff. reseruarūt sibi facultatē proponendi sanctos Ecclesiæ colēdos, etiamsi olim in vnaquaque Prouincia auctoritate Episc. id fieret. Vnde nunc quicunque hominē mortuum nondum canonizatum, aut beatificatū, publice venerari auderet, cum ritu publico inuocando, altare ei erigendo, campanas die obitus pulsando, imaginem ipsius cum diademate, vel miraculis pingendo, &c.redderetur suspectus de mala credulitate circa potestatem Summi Pontificis, citari posset ab Inquisitoribus, & interrogari, quid sentiat de dicta potestate Romani Pontificis? Ita Zanchin.de hæret.c. 22. n.8. & Pegna in quodam manuscr. post ea impresso apud Turr. select. disp.Theolog.

266 p.1. disp.33. post dub.5. Et patet clarè ex const. seu decreto 13.Martij 1624. a S.Congreg. S.Officij Vrbis edito, incip. Sanct.D.N. solicitè, &c. expressis ibi pœnis transgressori cuiuis infligendis; sed nulla mentio de tortura, vel abiuratione iniungenda, neque apud dictos auctores; ergo neutra in hoc casu habet locum, regulariter loquendo.

267 Sed quid de sacerdote reuelante confessionem, est ne sub iurisdictione Inquis. ita quod suspectus de hæresi factus possit torturæ subijci? Duplex est sententia; altera affirmans, quam tuetur Alphons.de Leone, to.1. de offic. confess. resol.22.n.12. cas.2. vbi absolutè asserit confessarium fractorem sigilli

268 esse denunciandum S.Officio. Altera negans, quæ censetur communiter apud DD. prorsus vera, quia nulla extat Pontificia constitutio circa hoc disponens, vt causæ sacerdotum reuelantium confessiones in Tribunalibus S. Inquisit. tractentur, nec ex tali reuelatione, seu violatione sigilli sequitur hæresis, neque præsumptio eius. Ita Molses.

269 in sum.tripl. Iur. to.1.tract.7. cap.23. Vbi limitans ait, in vno tantum casu violatorem sigilli confessionis esse de foro S. Officij, nempe si crederet, ac diceret, quod sit licitum confessionis sigillum frangere: de quo non potest esse dubium, quia sic credens, & dicens, esset formalis hæreticus.

270 Nihilominus amplector perlibenter responsionem, & modum distinguendi Carenæ 2. par. tit.17. §.23. nu. 94. sic dicentis. Vel sumus, inquit, in confessario omnino alias probatæ vitæ, nec consuetudinario in hoc delicti genere, & tunc arbitrarer nullo modo posse Inquisitores reum hunc citare, nec interrogare de fide circa Sacramentum pœnitentiæ. Ratio est, quia ex vna parte delictum hoc fractionis sigilli ex natura sua non spectat ad S. Officium, vt supra vidimus, & ex alia parte confessarius est integræ vitæ; igitur Inquisitor non poterit

271 confessarium hunc interrogare, &c. Vel sumus in confessario malæ vitæ, & alias de hçresi suspecto, & tunc essem in voto, quod posset Inquisitor eum citare, & interrogare, quid sentiat de hoc Pœnitentiæ Sacramento, quia cum simus in persona alias de hæresi suspecta, & circa hoc pœnitentiæ Sacramentum speciales adsint modernorum hçreticorum hæreses, non sine ratione in hoc casu S. Officium potest dubitare, quod talis confessarius sit de hæresi suspectus.] hæc ille; & egregie quidem.

272 Atque confirmat ipse exemplo practicato per sequentia verba. Et ita in effectu in casu simili video sensisse nostram Congregat. S. Officij Cremonæ, sub die 9. Nouembris

bris 1587. apud Reuerediss. Marcum Antonium Amidanum in eius votis manuscriptis apud me existentibus, voto 34. n. 9. tom. 2. cum enim in S. Officio tunc adesset quidam homo perditæ vitæ, grauatus dehorrendis blasphemijs, de contemptu censurarum, de non seruato delectu ciborum, de non auditione Missarum diebus festis, & etiã de adulterio, & concubinatu ex consuetudine, Congregatio cẽsuit per omnes, attenta eius pessima vita, & alijs delictis, ex quibus alias iste erat de hæresi suspectus, posse eum interrogari in tormẽtis, quid sentiat de Sacramento matrimonij, cuius fidem (cum coniugatus esset) per adulteria violauit.] hæc

273 Carena: ex quibus solum deduco pro re præsenti, quod secundum eius mentẽ, vt argumentum a simili bene applicetur, dictus malæ vitæ confessarius, fractor sigilli possit interrogari ab Inquisitore, etiam in tormẽtis, quid sentiat de Sacramento pœnitentię, quia videtur vehementer suspectus de mala credulitate circa ipsum, sicut fuit ille adulter circa Sacramentum matrimonij, cum ideo fuerit tortus.

274 Verum, vt iam finis præsenti Regulæ, & Cap. v. imponatur, hactenus proposita sint à nobis dicta, saluo semper meliori iudicio, & subijciendo nostrum supremo Tribunali S. Congregationis Vrbis, atque pro alijs casibus, quos breuitatis gratia omitto, & inueniet lector apud Carenam 2. p. tit. 17. vt mature resoluatur, an sit aliqua suspicio de hæresi, & qualis, an vehemens, & consequenter, an sit locus torturæ, conducit valde doctrina illa Pegnæ 2. p. Direct. commen. 18.

275 Postremo, inquit, vnum hoc præ cæteris habeant Inquisitores ante oculos, ne facile credant, hunc, vel illum esse vehementer suspectum, quia in hoc, vel illo reperiant auctore, ex tali, vel tali causa oriri vehementem suspicionem: nam plurimum semper sunt, & personarum, & causarum circumstantiæ considerandæ] vide plura apud illum.

CAPVT VI.

De habentibus potestatem ad infligendam reis torturam, maximè apud Tribunalia S. Inquisitionis: de personis item, quibus infligitur, ac de ijs, quibus ipsa ex aliquo capite infligi nequit.

PROOEMIOLVM.

1 EGimus de causa materiali torturæ, de materia videlicet, circa quam ipsa versatur, seu de casibus singulis, in quibus vsus ipsius reperitur ad eruendam præcipue veritatem delictorum, de quibus Officium S. Inquisitionis cognoscit. Facimus nunc gradum ad causam torturæ efficientem, seu ad habentes potestatem, & iurisdictionem torquendi delinquentes. Di-
2 scutiendum itaque in hoc capite, tum in communi, respectu quorumcumque reorum; tum in particulari, respectu delinquentium contra fidem catholicam, quinam, & qualiter sint illa præditi? quatenus se extendat talis potestas, & iurisdictio? an ad quaslibet personas cuiusuis status, gradus, & conditionis? seu potius aliquæ ex iure priuilegij in iure positiuo expressi, aut ex vi iuris naturalis, attenta corporis debilitate, vel ætate ingrauescente, ab ea eximantur? Quæ paucis Regulis breuissime expendentur.

REGVLA CCCLVI.

Potestas, & iurisdictio infligendi tormenta, quibusnam, & qualiter competit, præcipue Inquisitoribus, & Episcopis in causis fidei?

3 NOn quicumque Iudices possunt, etiam in reos legitimis indicijs oppressos pro eruenda veritate criminum, vel pro punitione eorum tormenta inferre: sed ij tantum, qui habent merum imperium, siue Ecclesiastici, siue sæculares, & ij, qui ab ipsis de-
4 legati fuerint. Vnde Locumtenens Potestatis, & simplex Assessor, omnino carent facultate torquendi delinquentes ex vi officij, quod exercent, nisi Princeps, aut Superior, qui ad id eos promouit, illam eisdem
5 delegauerit. Inquisitori vero, & Episcopo, seu Ordinario loci, dicta facultas competit ex vi iuris, vtriq; simul, & non vni sine altero se-
6 paratim. Quamquam ex dispositione peculiari Sedis Apost. vel ex consuetudine alicubi res aliter se habet, ita vt Inquisitor solus sine Episcopo, seu Ordinario, tormenta delinquentibus contra fidem infligere possit.

7 PRorsus certa, & communiter recepta est huius Regulæ doctrina, & cum pauca valde in iure, & apud auctores circa eã reperiantur, paucis etiã ab ea nos expediemus. Farin. qui in pertractandis quibuscunq; materijs, & in citandis auctoribus admodum copiosus, & prolixus prę cæteris scribentibus esse solet, hanc breuissime attingit, & indicat, in prax. crim. q. 38. n. 109. per hæc verba.
8 [Limita 13. eandem propositam regulam (& hæc sic alia consideratio in tortura per iudicem habenda circa suam iurisdictio-

ctionem) vt torturam inferre non possint omnes Iudices, etiam in reos legitimis indicijs oppressos; sed ij tantum, qui habent merum imperium: quia cum meri imperij sit animaduertere in facinorosos homines, vt dicit text. in l. imperium, ff. de iurisd. omn. iud. & ob id tortura possit dici esse de mero imperio, l. defensores, C. de defensor ciuit. 9 Marsf. in l. pen. nu. 9. ff. de quæst. Idcirco si Iudex tale imperium non habens torturam inferat, male facit, & puniendus est, vt per Brun. de indic. & tort. 2. par. q. 7. n. 3. vbi quod non solum tenetur pari actione iniuriarum; sed etiam potest puniri tanquam exercens priuatum carcerem, per ea, quæ dixi in titulo de carceribus, & carcerat. supra lib. 7. quæst. 27. nu. 18. Foller. in pract. crim. verb. & si confitebuntur, in 3. 10 par. 3. partis num. 79. Vbi propterea infert, quod locũtenens Potestatis, & simplex assessor non habet torquẽdi potestatem.

11 Hactenus Farinac. qui nullum alium citat, præter dictos Marsf. Brun. & Foller. ex quo solo adducit illud de carentia facultatis torquendi, in Locumtenente Potestatis, & in simplice Assessore; ipse vero Foller. vti apud eundem legi, pro doctrina tradita, quod potestas torquendi sit penes iudicem solum habentem merum imperium refert Guillelm. de Cun. in l. imperium, ff. de iurisd. omn. iud. sic tenentem.

12 Verum pro maiori huiusce rei confirmatione, & vt clariùs constet, quinam habeant infligendi tormenta facultatem, seù iurisdictionem ordinariam, aut saltem delegatam, & qualiter vtraque carentes, sint puniendi, si reos torquere audeant, recurramus ad locum, ad quem idemmet Farinac. se remittit, nempe ad titulum de carcerib. & carcerat. quæst. 17. 13 Valde enim coniunctæ sunt istæ duæ facultates assignandi, seu habendi carcerem publicum, & infligendi tormenta delinquentibus, cum ad vtramque, in assignante, & infligente, merum imperium requiratur, sicut è contra istud non habens eadem pœna vltimi supplicij punitur, siue priuatum carcerem exerceat, siue tormenta reo 14 infligat. Et quamuis iam cum ipso Farin. & alijs Doctoribus traditum a nobis to. 1. lib 2. cap. 6. Regul. 189 de facultate prima carcerem publicum habendi, & de carentia eius, seu de exercente carcerem priuatum, deque huius pœna; ob dictam tamen coniunctionem cum secunda torquendi, aliquid denuo hic de illa attingendum.

15 Discutit copiose Farin. tota illa q. 17. qualiter, seu ex quibus capitibus carceratio indebite fieri dicatur, & qua pœna puniendus sic indebite carcerans. Postquam autem n. 6 7. & 8. diuersis conclusionibus resoluit carcerationem delinquentium fieri indebite, & iniuste; si fiat ab eo, qui caret facultate carcerandi, eo quod non habeat merum imperium, aut quod ab habente non fuerit ei delegata, idq; contingere non solum respectu cuiusuis personæ priuatæ; sed respectu etiã officialis publici, nullam prorsus iurisdictionem ad hoc habentis, nec ordinariam, nec 16 delegatam. Nam licet delinquẽtem capere, & carcerare sine iudicis auctoritate, vt patet ex l. neminem, C. de exhib. reis, in text. sic habetur; Neminem in iudicio exhibendum esse pręcipimus, nisi de cuius exhibitione iudex pronunciauerit.] & aduertunt ibi Glos. Ang. Bald. Sal. & alij communiter, vt ait Ant. Gomez de delict. c. 9. tit. de captu. reor. n. 3. estque de mente D. Th. 2. 2. q. 65. art. 3.

17 Postquã item ipse Farin. resoluit esse plectendum capitis pœna, seu vltimi supplicii eum, qui absq; iudicis auctoritate delinquẽtem capit. & priuato carceri detrudit, quia committere crimen læsæ maiestatis censetur, qui priuatum carcerem exercet, iuxta 18 tex. in l. vnic. C. de priuat. carc. Cum carcerem habere, sit meri imperij, & hoc sibi priuatus homo vsurpet lædendo maiestatem Principis, quando priuatum carcerem exercet, vt tradunt præcipue Bald. sup. d. l. vnica, Conrad. in pract. tit. de carcer. n. 4. Gig. de crim. læsæ maiest. q. 22. & alij: his sic resolutis quod ad rem præsentem facit, addit ille n. 19 18. per sequentia verba. Amplia quinto, vt multo magis pœna criminis læsæ maiest. ac mortis esset afficiendus is, qui carcerem priuatum exercet, si vltra detentionem in carcere deuenit etiam ad torquendum dictum detentum: cum enim magis sit torquere, quã detinere, vt per glo. in l. 1. in verb. nec puniri, in fin. C. de cust. reor. ideo si pro sola detentione quis incurrit crimen læsæ maiest. multo magis is incurrere debet, si vltra detentionem interuenit etiam tortura, secundum Bart. in d. l. 1. verb. violatores, C. de priu. carcer. quem refert, & sequitur Gig. in tract. de crim. læsæ maiest. l. 1. tit. qualiter, & à quibus crimen lęsę maiest. committatur, q. 35. in fin. 20 n. 18. Et cum etiam mortis pœna à iure indicta sit iudicibus, qui indebite aliquem torquent, secundum vnam eorum opinionem, quam magis communem dixerunt Marsf. in pract. §. expedita n. 37. Io. Bapt. Villal. in cõ. opin. lit. I. n. 99. Conr. in pract. tit. de sent. diffin. crim. n. 6. prope fin. post vers. debet etiã iudex de sententia, &c. pag. mihi 314 col. 1. in fin. Rol. cons. 12. n. 7. & seqq. vol. 3. & de 21 qua Deo dãte alibi latius disseremus: Multo magis eadem pœna indicta esse debet ei, qui sine vlla prorsus iurisdictione detentum maxime in priuato carcere torquet, quidquid in contrariũ senserit Bald. in d. l. vnica relatus per Claud. Bertazz. in add. ad cons. pract. crim. 416. in lit. B. vol. 2.]

22 Hucusq; Farin. apud quem plura inuenies n. 19. præcipue illud, quod Baldi sententia sit falsa, etiam in casu bãniti, si hic captus in priuato carcere a capiente teneatur, & torqueatur: quia tametsi talis captura aliquãdo sit licita, post eam tamen statim ad iudicem proprium remittendus est, vt ab eo torqueatur, & definitiue condemnetur. l. interdũ §. qui furem, ff. de furt. l. final. C. de malefic. & math.

23 math. l. capite, 5. ff. ad l. Iul. de adult. Atq; hoc multo magis verum habet in hæretico, qui vt hostis Ecclesiæ captus à priuata persona remitti debet ad proprium iudicē, vt ab eo torqueatur, & pro meritis causæ mulctetur.

24 Sed quis nam iste Iudex? à quo nam hæreticus torquendus? exprimuntur ista in cap. per hoc, de hæret. in 6. & in c. Multorū, Clem. 1. de hæret. per quam sic disponitur. Primò quòd tā per Diœcesanos Episcopos, quam per Inquisitores à Sede Apost. deputatos, negotia S. Officij exerceantur. Secundò, quod quilibet ex prędictis sine alio possit exequi ista quinque, nempe inquirere in communi, vel in particulari contra indiciatum, eum citare, arrestare, seu capere, ac tutę custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si iudicauerit expedire, vt iam alibi diximus.

25 Disponitur tertiò in dict. Clem. per hæc verba. Duro tamen tradere carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam, quam ad custodiam videatur, vel tormētis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo Diœcesano, aut eius Officiali, vel Episcopali sede vacante, Capituli super hoc deputato, si sui ad inuicem copiam habere valeant, intra octo dierum spatium, postquam se inuicem requisierint, non valebit: & si secùs pręsumptuarit, nullum sit, &

26 irritum ipso iure. Verum si Episcopus, vel eius Capituli, sede vacante, delegatus cum Inquisitore, aut Inquisitor cum altero eorundem propter præmissa nequeat, aut nolit personaliter conuenire, possit Episcopus, vel eius, seu Capituli sede vacāte, delegatus Inquisitori, & Inquisitor Episcopo, vel eius delegato, seu sedevacante, illi qui ad hoc per Capitulum fuerit deputatus, super illis committere vices suas, vel suū significare per literas consiliū, & consensū] ita habet ibi tex.

27 His autem dispositionibus ex iure Canonico, vt certis, suppositis, varia circa eas dubia excitantur, & discutiuntur a DD. vt an Inquisitor sine Episcopo, seu Ordinario loci vel è contra, gradum abiurationis reo S. Officij iniungere possit? an vnus eorum sine altero sententiam liberatoriam in fauorē dicti rei proferre valeat? an alia, quæ nos infra in

28 proprijs locis resoluemus. Nunc pro præsenti instituto, circa potestatem infligendi torturam vnum resoluendum: nempe, quid, si Inquisitor sine Episcopo, seu Ordinario, aut sine requisitione consensus eius, vel è contra, torqueat reum, & hic in tortura confiteatur delictum; confessio ista erit ne

29 ei nociua? Resolutio negatiua, vti prorsus vera, est tenenda, quia talis confessio fuit extorta contra iuris ordinem; ergo nullius momenti censetur, etiam post eius ratificationem. Ita cum alijs, quos refert Farinac. de hęres. q. 186. n. 71. & Castr. Palao, tract. 4. disp. 8. pun. 13. n. 9. Excipe causas lamiarum, in quibus ex vi Bullæ Alex. VI. incip. Cum acceperimus, soli Inquisitores sine Ordinarijs locorū procedere possunt, illasq; condēnare.

30 Prædicta verò præcedentibus numeris locum habent respectu quorumcumq; Tribunalium S. Officij, in quibus citata Clem. est vsu recepta, & adhuc in viridi obseruantia; Nam secus erit, si, vt traditur in vltima parte nostræ Regulæ, alicubi vel per legitimam consuetudinem, vel per contrariam Sedis Apost. dispositionem magis nouam, in totum, vel in partem reuocata, aut non admissa reperiatur, vti reperitur in omnibus Tribunalibus Hispanicis S. Officij, quoad illa quinq; nimirum contra aliquem inquirere, eum citare, arrestare, seu capere, in tutum carcerem conijcere, ponere etiam in compedibus, vel manicis ferreis: Nam hæc ibi nullo modo ab Episcopo, seu Ordinario loci, sed à solo Inquisitore peraguntur, ad ipsumque tantummodo formatio processus spectat, vt tradunt Mol. tract. 5. de iust. disp. 28. n. 13. vers. hęc autem, & n. 14. in fine, Azor. lib. 8. c. 18. q. 8. & Castr. Palaus tract. 4. disp. 8.

31 pun. 13. n. 6. Qui n. 7. cum Pegna 3. p. Direct. q. 52. com. 101. & cum Molin. dict. n. 14. bene addit, quod conueniat, vt id vbiq; seruetur.

32 Sed quid quoad alia tria, de tradendo reū S. Officij duro, seu arcto carceri, &c. de infligenda ei tortura, & de procedendo ad sententiā contra ipsum, alicubi ne d. Clem. haud exequutioni mandatur? Nescio, quid circa hoc supremum Conc. Hispaniæ, aut illud Lusitaniæ agere soleat, nec quicquam hac de re apud citatos Auctores inuenio; tamen cū in illis Concilijs plures, saltem quinque, habeant votum decisiuum circa causas fidei, vt alibi tradidimus, forte inter eos assignatur Antistes, seu Ordinarius loci. Sed hæc responsio nequaquam satisfacit, pro illis saltē causis fidei, quę ex particularibus Tribunalibus S. Inquis. supremo Concilio subiectis, ad ipsum decidendæ transmittuntur, vt per

33 se patet. Hoc itaq; omisso, & de obseruatione dispositionis d. Clem. respectu cuiussuis alterius particularis Tribunalis S. Inquis. ex ijs, quæ immediate subsunt S. Congr. Vrbis, ne temere diuinando potius quam ex attestatione alicuius scriptoris authētica quicquam à nobis proferatur. (infra exprimetur quod, post hæc scripta, in Tribunali S. Officij Siculo obseruari egomet vidi.)

34 Vltimo loco addimus vnum verbum de stylo, seu vsu nostri Tribunalis Meliten. circa negotia fidei, maxime quoad torturam inferendā; de quo nunc agimus. In Breui Pont. Greg. XIII. in Prolegom. 12. à nobis relato, quo D. Petrus Duzina in hac Insula, locisq; ei adiacentibus, Quęsitor fidei fuit constitu-

35 tus, sic habetur. [Ita tamen, quod vbi contingat procedi contra fratres, & milites prędictos, & eorum Religiosos, seu Confratres, Donatos, familiares, & domesticos, procedas vna cum Episcopo Melitensi, & cum assistentia Magni Magistri, & Prioris Ecclesiæ Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac Vicecancellarij pro tempore existentium,

36 si interuenire voluerint. Quo verò ad alios

alios præfatos, per te ipsum, iuxtà formam Sacrorum Canonum.

37 Ex hac clausula clarè liquet, vsq; ex vi eius receptum videmus, quòd Episcopus in his Insulis nihil participet de ijs, quæ inra citata, nempè cap. per hoc, de hæret. in 6. & Clemen. multorum, de hæret. Episcopis, seu Ordinarijs locorum concedunt circa causas fidei, exceptis illis, quę contra subditos S. Religionis Hierosolymitanæ pertractantur.

38 Atq; id quoad expeditionem tantummodò ipsarum intelligitur, nempè post compilatum processum informatiuum per solum Inquisitorem contra aliquem Religiosum Hierosolymitanum, assistentibus M. Magistro, Priore Ecclesiæ, & Vicecancellario si assistere velint, ex voto Consultorum in Congregatione resoluitur, sit ne torquendus dictus reus Hierosolymitanus, & an, & qualis abiuratio? quænam item pœna ei infligenda? Secundùm quam resolutionē formatur Decretum, & sententia, cui subscribunt tantum DD. Episcopus, & Inquisitor.

39 Ad hoc itaque solum in nostro Tribunali Meliten. circa causam fidei contra Religiosum Hierosolymitanum extenditur Episcopi iurisdictio: quin etiam ista in dies imminuta, seù potius per non vsum omninò sublata videtur: cum iam spatio 37. annorum eam nullo modo exercuerit, nec habita vlla Cōgregatio coram Eminentissimo M. Magistro, 40 vti solebat; Sed toto hoc tempore quoties casus occurrit procedendi contra Religiosū Hierosolymitanum, transmisso processu ad Sacram Congregationem Vrbis, ab ea decisionem causæ expectauimus.

Potestas torquendi circa quas personas exerceri potest, præsertim in S. Officio? circa quas secùs, maximè ratione ætatis, vel corporeæ indispositionis.

REGVLA CCCLVII.

41 Absolutè, & vniuersaliter loquendo, facultatem torquendi habentes, eam exequi solent circa duo genera personarum, nempè circa delinquentes, & circa testes.

42 Præcipuè autem istis infligenda tortura etiā in causis fidei, quando testis est vacillans, aut varius, seu sibi contrarius in suis dictis, si varietas sit, quod substantialia delicti. In-43 habiles verò testes, quamuis apud alia Tribunalia admitti nō consueuerint sine tortura; apud nostra tamen S. Officij regulari-44 ter sine ea admittuntur. Ex delinquentibus tandem diuersi sunt exempti à tortura, ratione ætatis, aut alicuius infirmitatis, vt pueri, senes, obsessi à Dæmone, mulieres prægnantes, &c. prout statim de singulis explicabitur.

45 De primo genere personarum, seù de hominibus delinquentibus, quòd habentes facultatem torquendi possint, & soleant eam circa ipsos exequi, per se patet; & intelligitur de quibuscunq; delinquentibus, exceptis illis, qui iure naturali, vel positiuo à tortura inferenda eximuntur, vt docet Iul. Clar. §. fin. quæst. 64. vers. vbi subsint, &c. & ex dicendis in vltima parte huius Regulæ, & in tota sequenti innotescet.

46 Exceptis item committentibus delicta, ob quæ tortura non est inferenda, iuxtà l. edictum, ff. de q. cùm solùm torqueantur rei propter crimina capitalia, & atrocia (inter ista adnumeratur semper hæresis) vt ibi exprimitur, seù vt interpretantur DD. pro quibus est imposita pœna capitalis, vel corporalis Idem Clar. cit. vers. Præterea debet, Peguer. decis. 16. & Prosper. Farin. cum alijs, quos citat, in prax. crim. q. 42. n. 6.

47 Quoad secundum genus personarum, seù quoad testes, pari modo certum est, quòd habentes potestatem torquendi, eam exercere valeant, & soleant circa testes deponētes in Iudicio. Quamuis enim regulariter liberi homines non torqueantur pro testimonio ferendo, sed tantum serui, & viles personę, secundùm l. ex libero, in principio, ff. de quęst. & ibi Bart. in summ. ac post nu. 1. Glos. in l. in criminib. §. si seruus ad hoc, ff. 48 eod. & communiter DD. Testis tamen, quãtumuis homo liber, si vacillet, aut variet, vel sibi contradicat in ferēdo testimonio, torqueri sine dubio potest. Probatur efficaciter per eandem l. ex libero, in verb. non vacillante, sumpto ibi argumento à contrario sensu, atq; tradunt ibi Glos. 1. Bart. vbi supra. vers. primus est, Mars. in summ. & num. 2. ac 4. Ant. Gomez de delict. cap. 13. num. 29. Foller. in pract. crim. verb. capiat inform. nu. 38. & cum multis ab ipso relatis Farinac. quæst. 79. n. 6.

49 Qui ex mente adductorum Bart. & Mars. & aliorum, addit nu. 8. & 61. id habere locum in homine libero, etiam in dignitate constituto, in caput alterius testimonium vacillando, aut variando proferente.

50 Ad veritatem autem, & exequutionem doctrinæ triplici numero præcedenti traditę diuersæ conditiones concurrere debent pręter vacillationem: nempè, quod pręcedant indicia scientiæ contra dictum testem, & quod constet de corpore delicti. Ita Bart. in l. 1. §. idem Cornelio, nu. 2. & §. quęstionem, nu. 1. ff. de quæst. & præter alios per ipsum adductos Farinac. dict. quæst. 79. n. 70. & 73. ostendit ipse sic à fortiori, quia si absque illis conditionibus tortura reo nequit infligi, vt iam alibi tradidimus, multò minus poterit testi in caput alienum sine eis inferri.

51 Vndè concludit, quod non probent testes, si aliter torqueantur.

52 Debent etiam concurrere ad torquendū testem vacillantem, seù variantem, istæ præsertim conditiones; quod vacillatio, seù variatio

riatio sit circa negotium principale, vel circumstantias substantiales, puta circa locum, & tempus, vt exprimit ibidem Farinac. nu. 14. cum Boss. in tit. de tort. testium, nu. 27.

53 Addens secùs esse si vacillatio fuerit circa non substantiales, puta circa prænomen, co-

54 gnomen, patriam, & similes: Secùs item si testis reddat sufficientem rationem suę variationis, vt affert Anton. Sousa, lib. 2. Aphoris. cap. 16. nu. 2. ex eodem Farinac.

55 Secundùm quem, dict. q. 79. n. 19. & Foller. pract. crim. in verb. capiat informat. nu. 35. & 38. Similiter liberabitur testis à tortura, si alleget aliquã rationabilē causam suæ ignorantiæ circa factum, de quo à iudice interro-

56 gatur. Vndè requiritur præterea ad torquendū reū in caput alienū, vt ipse fateatur saltē extraiudicialiter se tali facto interfuisse, vel id aliundè constet. Nam si tunc dicat se nihil scire, aut nihil vidisse, vel audiuisse, præsumitur occultare veritatem, ac proindè poterit torqueri pro ea eruenda. Docent Bald. in l. nō solùm, vers. vel quòd præsumatur scire, C. de q. Foller. vbi suprà, n. 25. & cum pluribus per eū citatis Farinac. d. q. 79. n. 16.

57 Quando autem testis negat, quòd interfuerit, poterit etiam torqueri si conuincatur de hoc per duos testes deponētes, quòd ibi eum viderint, aut quòd audierint ab ipso interfuisse: imò licet conuincatur de hoc per duos testes deponentes, quòd ibi eum viderint, aut quòd audierint ab ipso interfuisse; imò licet conuincatur per vnum testem, ipsum, qui sit dignior illo. Ita Bart. in l. vnius §. iudex, in princip. & ibi Marsil. §. testes, antè nu. 1. vers. tunc quærit ipse, ff. de quæst. Foller. loc. cit. nu. 38. & Farinac. dict. quæst. 79. nu.

58 21. Sub cuius finem ait cum Bertazz. & Bursat. ab ipso citatis, quòd si sint dignitate pares, testis suspectus, & testis contra eum examinatus, vtrumq; dictum confunditur.

59 Tandem hoc loco circa torturam testium id solum addendum, quòd quoties ex vi iuris testes inhabiles, vt homines criminosi, infames, excommunicati, periuri, &c. ad ferendum testimonium admittuntur, nequaquam debeant admitti sine tortura. Est pro hoc textus manifestus in l. ob carmen §. si ea conditio, ff. de testib. eius verba sunt ista. Si ea rei conditio sit, vbi arenarium testem, vel similem personam admittere cogimur, sine tormentis testimonio eius credendum non est; & ibi Bald. in Summar. Alber. in versic. ad testimonium, Clar. in pract. §. fin. quęst. 45 in princip. & post multos, quos copiosè

60 citat, Farinac. ibid. num 23. 25. & 25. Extendens cum dicto Alber. & cum alijs, adno-

61 tatos non solùm in infamia iuris, sed etiam infamia facti. Limitans tamē addit n. 27. cum Cyrill. in summa crimin. tit. de q. §. 3. nu. 2. quòd admittatur quoad institutionem, & inquisitionem testis, infamis etiam sine tortura.

62 Cùm autem verba text. illius l. ob carmē adducta, sint vniuersalia, & indefinita, videntur intelligenda respectu quorumcunq; Tribunalium, maximè sæcularium. Sed omissis nunc alijs Ecclesiasticis, quid de nostris S. Of-

63 ficij? Non desunt, qui etiam in istis procedere dictum textum velint, & quod in causis fidei sint admittendæ personæ infames ad ferendum testimonium cum tortura, sine arbitrio Iudicis, seù Inquisitoris. Ita Lel. Zecch. in summa, par. 1. tit. de fide, cap. 11.

64 nu. 14. Alij verò, vt Pegna, 3. par. Directorij quęst. 64. commen. 113. vers. Illa est etiam, & Ioan. Rojas, 2. par. de hęret. nu. 153. esse hoc arbitrarium iudicant, quòd possit Inquisitor, absq; tortura homines infames ad testificandum admittere: aut è contra, ea illis inflicta, si iudicauerit expedire. Atque addit Rojas, quòd contraria opinio omni ratione caret.

65 Tenendum tamen, vt certum, non esse torquendos regulariter testes inhabiles, vt criminosos, infames, &c. si testimonium ferant in causis fidei. Ita Vmbert. locat. in Iudicial. Inquisitor. in verb. excommunicati, n. 6. Repertor. Inquisit. verb. testes, vers. An autem huiusmodi, Campeg. ad Zanchin. cap. 9. in verb. Inquisitor, vers. adsunt insuper, Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap 35. num. 12. & cum alijs per ipsum relatis, Farinac. de hæres. quæst. 188. §. 4. nu. 68. & 69. Ratio efficax indè sumi potest, quia valdè expedit sic fieri in fauorem fidei, vt magis, & facilius inducantur homines, etiam infames ad deponendum, & testificandum contra reos S. Of-

66 ficij. Si enim à Concil. Biteren. cap. 2. iudicatum fuit expedire in bonum fidei, vt reus non pręuentus spontè accedens ad S. Officiū ad se deferendum de quibusuis criminibus aduersus se, non carceretur, nec torqueatur neque pœna vlla mulctetur, vti resoluimus in cap. vltimo, lib. 1. quanto magis ita agendum cum testib. licèt infamib. etiam vocatis ad eundem finem?

67 Pro confirmatione huius doctrinæ adducit Farinac. sub finem dict. num. 68. exemplū supremi Tribunalis Romanæ Inquisitionis, quòd ibi infames, & criminosi testificantes regulariter non torqueantur, raròq; contigerit aliquem eorum torqueri. Atq; ego pro eadem confirmatione adduco exemplum nostri Tribunalis Meliten. in quo 38. annorum spatio, per quod munus Consultoris, apud ipsum obiui, nullam vnquam verbum factum de torquendo aliquo teste, quantumuis criminoso, aut infami.

68 Exceptò tamen casu, de quo paulò antè, quando testis, quicunq; sit, vacillat, aut variat, seu sibi contradicit in suis depositionibus, non reddita causa sufficienti talis variationis; maximè si sit periurus, nam non statur secundo eius dicto in fauorem fidei absq; tortura aliqua, secundum Pegnam 3. par. Direct. comment. 114. vers. vt autem, Farinac. dict. quæst. 188. num 99. & Sousa lib. 2. Apho-

69 ris. cap. 9. nu. 6. Excepto item, quando reus S. Officij nominat complicem delicti: cum enim se habeat, vt testem respectu nominati, infligenda est illi moderata tortura ad confirmandam nominationem complicis, vt iam

iam alibi, cum Martino del Rio disquisit. magic. lib. 5. in 2. append. quæst. 11. & cum alijs tradidimus.

70 Sequitur agendũ de ijs, qui eximuntur à tortura ob dispositionẽ ætatis, aut ob malã affectionem animi, vel corporis, seu ob periculũ vitæ propriæ, aut alienæ. Vndè pueris, seù minoribus 14. annorum nequit tortura infligi; patet ex l. de minore, ff. de q. ibi [De minore 14. annis quæstio habenda nõ est. Quã-

71 quam, si pubertati sint proximi, possunt terreri, & habena, vel ferula cędi, text. manifestus in l. 1. §. impuberi, ff. de Syllan. ibi, terreri tantùm solent, & habena, vel ferula cædi. Afferunt pręter alios, quos citat, Farinac. in prax. crimin quæst. 41. nu. 16. Iul. Clar. §. fin. quæst. 64. vers. quæro nunquid, & Care-

72 na 3. par. tit. . §. 19. Qui cum eodem Clar. ait Senatum Mediolanen. iussisse quendam Martinum Magnonum eleuari eculeo, licet esset minor annis 14.

73 Verum quid circa hoc in causis fidei? valdè consonum est iuri, quòd possint impuberes torqueri, si isti sint proximi pubertati, & iudicio medicorum non sit periculum amittendi salutem, seù vires; Sic tenent Ioseph Sesse, decis. 476. nu. 2. volum. 4. Cantera in quæst. tangentib. reum, quęst. 9. nu. 1. vers. vnũ tamen credo, & Castr. Palaus, tract. 4. disp.

74 8. pun. 9. nu. 14. Ostenditur efficaciter ex citata l. de minore, vbi cum dixisset legislator minorem 14. annis non torqueri, in §. subdit. [Sed omnes omninò in maiestatis crimine, quoad personas principum attinet, si ad testimonium prouocątur cum res exigit (nempè vbi testis vacillat, aut variat, vt dictum paulò antè) torquentur. Secundum cõmunem interpretũ expositionẽ, nullũ dubiũ ex vi dictionis aduersatiuæ, sed, quòd sub particulis illis vniuersalibus, & indefinitis, omnes, omninò, comprehendantur minores.

75 Vndè si isti ad ferendum testimonium torquentur in crimine læsæ maiestatis humanæ, à fortiori torquendi censentur, quando sunt rei, & in crimine læsæ maiestatis diuinę, nèpè in hęresi. Ita etiam Caren. loc. cit. nu. 140.

76 Quoad senes verò, si sint decrepiti, nimirum 70. annorum, nequaquam torquentur. Facit pro hoc text. in l. si quis in graui, §. ignoscitur, ff. ad Syllan. Ignoscitur, inquit, his, qui ætate defecti sunt. Ita tuentur Angel. de malef. in verb. quod fama publica pręcedent. nu. 102. Carrer. in pract. in 2. tract. de indic. & tortu §. circa tertium, quæ personæ nu. 36. Marsil. in pract. §. expedita, nu. 41. Anton. Gomez variarum resol. tom. 3. cap. 13. n. 13. vers. item reperitur, & cum multis per ipsum citatis, Farinac. dict. quæst. 41. nu. 24.

77 Qui benè propè finem huius numeri sic ait; Et ex ea secundum communem mẽtem omnium præcitatorum Doctorũ infertur, quòd si aliquis senex fateatur in tortura sibi indebitè illata, talis confessio sibi non præiudicat & de hoc non est dubitandum. hæc ille, & verè quidem.

78 Verùm si senex non sit decrepitus, sed potius robustus, & sanus, licet ætatem vltrà sexagenariam agat, torqueri sine dubio potest, adhibito tormento tali ętati proportionato. Secus autem erit in sene, qui existit, aut valetudinarius, aut valdè debilis complexionis. Vtrumq; vti rationi valde consonum, & magis in praxi receptũ tradunt diuersi scriptores, quos citat, & sequitur idem Farinac.

79 dict. quæst. 41. nu. 25. & seqq. Primum duplici exemplo confirmat Clar. §. fin. quæst. 64. vers. non etiam debet, referens, quòd Mediolani iusserit Senatus infligi torturã cuidã seni sexagenario, imò & alteri iam annum 66. attingenti, quia vterque robustus erat.

80 Secundùm verò indè ostenditur, quia multi ob corporis imbecillitatem multò citiùs, quàm alij senescunt, atq; isti etiamsi septuagenarij non sint, haud possunt torqueri, nè indè eos mori contingat, vti aliquando cõtigisse refert idem Farin. n. 27. ex Franc. Cason. per eum relato.

81 An autem senes, qui propter decrepitam ætatem, aut corporis imbecillitatem non sunt torquendi, terreri possint, aut alitèr vexari pro eruenda veritate delicti? Dubium est inter DD. Iul. Clar. vbi supra, in partem affirmantem inclinare videtur, cùm pro cõfirmatione eius adducat, quòd quidam de-

82 crepitus iussu Senatus Mediolanensis fuerit sub eculeo, ad terrendum ipsum. At negantem sequitur Præses Abacco apud Carenam dict. tit. 10. §. 19. nu. 142. asserens decrepito non esse tormentorum terrorem, nisi perrarò inijciendum, & ex graui causa, vt in Senatu Sabaudien. fuit deliberatum, & merito, adiungens.

83 Verùm tutiùs incedunt alij remittentes id totum arbitrio prudentis Iudicis, seù Inquisitoris in causis fidei, vti remittunt Menoch. de arbitr. quæst. lib. 2. casu 59. nu. 1. Baiard. ad Clar. quæst. 64. nu. 69. & Farinacc. dict. quæst. 41. nu. 27. quibus addo Dianam 4. part. resol. moral. tract. 6. resol. 29. vers. nota etiam. Qui peculiariter loquitur in materia nostra S. Officij, quòd ex arbitrio DD. Inquisitorum

84 pendeat, quando nam senectus excuset à tortura, vel potius debeat aliqualis seni inijci, aut saltem terror eius, attentis valetudine, robore, & qualitate delinquentis, & delicti: non enim potest assignari communis resolutio pro quibuscunque casibus.

85 De muliere item prægnante omninò certum est, quòd non possit torqueri; neq; vllo modo terreri, etiam in tribunali S. Inquisitionis, ob periculum manifestum abortus, Ita Pęgna 3. par. Direct. comment. 39. nu. 157. vers. si quis autem, Anton. Gomez tom. 3. variar. cap. 13. nu. 3. Binsfel. in comment. de malef. legen. 7. quæst. 2. conclus. 7. Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 39. nu. 32. & communiter omnes, meritò affirmantes esse falsam sententiã Michaelis Zanardi, malè asserentis in Direct. Theol. par. 3. cap. 88. posse prægnantes terreri

86 Aduertunt autem benè Cantera in q. crim. q. 10. de reo, n. 1. & cum alijs, quos adducit Diana, loc. cit. quod mulier post partũ possit tor-

87 queri, transactis 40. diebus. Quamquam hoc esse relinquendum arbitrio Iudicis, seu Inquisitoris addit idem Diana cum Antonio Gomezio citato; nec ab his dissentio, cum eis par sit dispositio in vna, atque in altera muliere post partum.

88 Quid de laborante febri quartana, potestne torqueri eo die, quo non laborat? Affirmatiuè respondent, de tortura saltem leui sine squassibus, Baiard. in addit. ad Clar. qu. 64. n. 73. & Caualcan. de brachio Regio par. 3. n. 117. quibus adhæret Anton. Queuedo de in-
89 dic. par. 2. cap. 12. n. 23. Placet tamen responsio Dianæ citati, quod in casibus occurrentibus debeant Inquisitores adhibere Medicorum iudicium practicum.

90 Circa laborantes morbo Gallico, brachio debilitato, patientes crudationem venæ, vel difficultatem anhelitus, nullũ dubium, quod non sint torquendi. Ita Decian. respon. 93. Guazzin. tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 1. n. 1. & alij, quos adducit, & sequitur Diana ibid.

91 Tandem liberi sunt à tortura quicunque à Dæmone obsessi, cum isti animo, & corpore simul malè habeant. Tradit Carena dict. §. 19. n. 146. cum Ruginell. pract. q. cap. 38. ex cuius relatione addit ille, apud oppidum Sessenæ quendam à Dæmone obsessum in eculeo positum iussu Iudicis, ab ipso Dæmone fuisse suffocatum. Ex dicendis Regula sequenti magis innotescent aliqua, quę in præsenti dicta sunt.

Qualiter potestas torquendi exequi nequeat circa diuersas personas ratione status, professionis, dignitatis, &c. qualiter id secus in S. Officio?

REGVLA CCCLVIII.

92 HAbens facultatem torquendi haud potest eam regulariter exequutioni mãdare ex dispositione, seu priuilegio Iuris positiui circa multiplices personas, ratione dignitatis, vel status, aut professionis cuiusmodi sunt Episcopi, Doctores, Feudatarij, Decu-
93 riones, Nobiles, Militiam profitentes, &c. De singulis autem eorum à nobis statim sermo peculiariter habẽdus, & indè innotescet, qui nam casus à doctrina generali tradita exci-
94 piantur. Hæc tamen esto iam certa, & communis exceptio, quod prędicti omnes qualicunque dignitate, statu, aut professione fulgentes, apud Sancti Officij Tribunalia semper torturæ subijciantur.

---

95 GEneraliter loquẽdo, quod potestas torquẽdi non se extẽdat ad diuersas personas propter professionẽ, aut statum, vel dignitatem, quibus presulgent, innotescit clarè in cõmuni, cum ex alijs legibus citandis, tum ex l. Miles, C. de qu. ibi, si inuestigandę veritatis gratia ad tormenta putauerint esse veniendum: tunc id demum facere debebunt, si personarum conditio patiatur. ex cuius textus vltimis verbis hęc explorata consequentia sequitur; ergo non est locus torturæ, in
96 persona, cuius cõditio eam minimè fert. Sed hoc nequaquam extendendum ad quamcũque personam liberam; quasi soli serui sint torquendi, & nullo modo homines liberi, vti tenuerunt aliqui, teste Iul. Clar. in pract. §. fin. quæst. 64. vers. Vbi subsint, Cum tortura secundum communem Doctorum, præcipuè Angeli de Malefic. in verb. quod fama publica, n. 102. Anton. Gomez variar. resol. to. 3. c. 13. n. 3. & Farinac. cum pluribus per eum citatis in prax. qu. 41. nu. 1. infligi possit ex vi iuris, & generalis consuetudinis, quibusuis hominibus, siue sint liberi siue serui, siuè etiam li-
97 berti. Extenditur itaq. priuilegium solummodo ad personas, quarum conditio nõ patitur inferri ipsis torturam ratione status, vel professionis, aut dignitatis, vt statim in specie patebit.

98 Primo, exempti sunt à tortura omnes cõstituti in dignitate aliqua adeò magna, vt ob eam possint Illustrissimi, seu clarissimi vocari, siue vti rei, siue vti testes in aliquo Tribunali examinentur. Patet text. in l. nullis, C. de dign. lib. 12. vbi sic. Seueram indagationem per tormenta à clarissimo homine summo-
99 uemus. Qui text. idem conuincit de existentibus in aliquo magno Magistratu, dum iste durat, quòd non possint torqueri; & confirmatur ex l. Diuo Marco, C. de quæst. Tradit Angel. Aret. loc. cit. Gomez ibid. cap. 14. n. 13. & præter alios, quos copiosè refert, Farinac. dict. qu. 41. nu. 70. & seqq.

100 A fortiori per adductum text. l. seueram, meritò idem docent de Episcopis, quod nequeat ipsis infligi tortura, Paulus de Eleazar. & Brunus, quos citat, & sequitur Fari-
101 nac. nu. 92. Qui bene addit esse hoc verum quia Episcopi tenent culmen dignitatũ, cap. venerabili, de præbendis; ac propterea etiam si indicia contra eos fuerint vrgentissima, &
102 grauissima, non esse torturæ subijciendos: Sed ex talibus indicijs, ac præsumptionibus ad pœnam extraordinariam condemnãdos. Ita ille cum Gomez, vbi supra, nu. 28.

103 Sed quid de Clericis, & Religiosis, maximè si sint sacerdotes, possuntne torqueri? Circa hoc valde diuisi sunt DD. inter se: alij, vt Carrer in pract. crim. & torm. sub. nu. 35. & Angel. Aret. de malef. in verb quòd fama publica, nu. 102. partem negantem sequuntur, & videtur fauere text. ex dict. l. seueram, cum homo Ecclesiasticus præsertim Sacerdos, in preexcellenti dignitate sit constitutus. Item ostenditur, quia si professores militiæ temporalis, vt statim dicetur, sunt liberi à tortura, cur non etiã id concedetur profitenti-
104 bus militiam cęlestem? Alij verò partem affirmantem tenent, vt Abb. in cap. cum in contemplatione, post nu. 6. de reg. iur. Foller. in pra. crim. cap. 31. in verb. tormẽtis mox subijciantur nu. 6. Alciat. in cap. 1. nu. 43. vers. Aduertas tamen, de offic. ordinar. & Boss. in tit. de indic. & consider. ante tortu. nu. 103.

prob.

probatur ex c.1.de deposito, & ex ca. si constiterit, de accusat.

105 Hanc partem affirmantem,nimirum Religiosos,& Sacerdotes posse torqueri,tuentur plures cum ista moderatione,quod ad torturam Sacer dotispręter indicia iuridica,requiratur fama de tali crimine contra ipsũ vel quòd iam in cõmuni diffamatus existat. Ita Felin.in c.vniuersitati, post n.1. de sentēt.excommunic. Deci.in c.at si Clerici, nu.19.extra de indic.Marsil.sing.55.incip.Aduertas, Alex.in apostil.ad Bar.in l. fin.sub nu.5. in verb. specialia, ff.de q. ac reliqui, quos abundè adducit Farin.dict.q.41. nu.6.Qui nu.7.

106 cum Simanc.de Cathol.instit. tit.65. nu.48. & cum Iul.Clar.in pract.§. fin.q.64.Sed an Clerici, dictam moderationem reijcit, affirmans quod

107 non sit in vsu. Admittit tamen bene illã? cum Bos.cit.Paulo Granut. & Salicet per eum relatis, quod ad torturam Religiosi, aut Clerici, maximè Sacerdotis,debeant præcedere grauiora, & vrgentiora indicia, quam ea, quæ à iure requiruntur ad torquendos laicos,ob specialem bonitatis præsumptionem,quam ratione status, Clerici, & Religiosi pro se habent.

108 Concluditur itaque, quod possint torqueri Religiosi, ac Clerici etiam sacerdotes: tortura tamen non est eis inferenza à ministro laico,sed ab Ecclesiastico, attento iure, cap.illi, qui ibi, per clericos &c.5. q.5.& c.in summa, 43.dist.vt citat Farin. ibid. n.14. & coufirmat auctoritate

109 Abb. &aliorum. Nihilominus ex vi legitimæ consuetudinis contrarium esse vsu receptum testatur benè idem Farinac. nu.15. post Folier. in pra.crim.ca.31.vers.tormentis mox subijciantur n.11.Clar.§.fin.q.64.vers.sed hic quæro,&alios, quos ipse refert,& assignat efficacem rationem

110 sic.Si aliter, inquit,diceremus,sequeretur absurdum,quod delicta Clericorũ remanerent impunita, cum prout considerarunt Foller.&Clar. in locis præcit.clerici non reperiantnr, qui birroariorum munus exercere velint. ita ille.

111 Difficultas non exigua est circa Doctores, & Aduocatos, an possint torturæ subijci? At facile soluitur sub eadem distinctione, vel de iure,vel de consuetudine; nã ex vi iuris nõ sunt torquendi,argumento text.in l.milites C.de quæst.&in-

112 de ostēditur,quia Doctores,& aduocati quasi radij solis in Rep.Christiana censentur,c.si quis 1.q.7.& velut luminaria splendere dicuntur,c.1 de reliq.& vener. sanctorum Atq; hinc nobiles reputantur,ex mente Bald. in l. prouidēdum C. de postula.&Doctoratus est dignitas secundum Bar.in l.finali C de Iudæ.Abb. & Dec. in c. proposuisti,extrà de probat. ergo non debent Doctores, & Aduocati torturæ subicij.Ita Marsil.in l.edictũ,n.8.& seqq.ff.de quæst. Paris. de Puteo de Syndic.in verb.Doctor,c.2.incip. an Doctor, seu Aduocatus,n.1.Boss.tit.de indic. & cõsider. ante tortu.nu.111.& plures alij, quos citat Fa-

113 rinac.dict.q.41.n.39.Qui cum præcitatis auctorib. extēdit meritò hoc priuilegiũ n.40.ad quoscunq;Doctores,& Aduocatos,etiãsi actu non legant,aut munus aduocãdi minimè profiteatur.

114 Verum,quidquid sit de iure,attenta consuetudine in multis locis,de facto Doctores,& Aduocati torturæ subijciūtur.Ita Decian.lib.2.cõs. 93.n.135.Marc.Ant Eug.cons.63.n.89.Flaminius Cartar. in pract. interrogan.reor.lib.4.c.1.n.49. & præter alios,quos adducit Farin.vbi supra nu. 54.& 56. vbi ait,quod in vrbe, & in statu Ecclesiastico Doctores de consuetudine indistinctè

115 torqueantur.Attenda itaq; est consuetudo cuiusq; loci,nam teste eodē Farin.ibid.n.39.apertè affirmant Iul.Clar.in pract.§.fin.q.64.vers.quæro an,& Iacob.Beluis.in pract.crim. rub.de q.n.17. quod Mediolani contraria vigeat cõsuetudo,nõ torquendi scilicet Doctores, & Aduocatos.

116 Quoad Feudatarios,quod isti torqueri nequeant,nisi priuilegio suo renũcient,paucis benè exprimit Carena,par.3.tit.10. §.9. n. 128. & exēplificat referens ex Iul.Clar. dict.h.64.vers.item

117 quęro; Quod Senatus Mediolanensis die 24. Febr.1599. literis Prætori Cremonæ datis iusserit Ferdinandum Siccũ Feudatarium reum cõstitutum de delatione sclopi rotati,eo renunciante priuilegio suo, torqueri; quod si recusasset nũciare, loco torturæ dãnari in aureis quinquagita. ita ille.

118 Neq.item possunt subijci torturæ decuriones, iuxta iuris dispositionem,patet per text.in l.fin. C. de Decurionib. lib. 10.& in l.Diuo Marco,vers.fin.C.de q.&in l. Decuriones.C.eod.Tradunt Ant.Gomez.variar.resol.to.3. cap.13. post n.3.vers.itē reperitur,Carrer.in prac.crim. tract. 2.de indic. & tort. §. circa tertium.n.15. & 17.

119 Cõrad. tit. deDecurion.n.1.&seqq.Vbi benè declarat,quinã nomine decurionum intelligantur, nēpe qui hodie CiuitatisConsiliarij,Priores,seu Antiani dicuntur,& in Vrbe Rom.Cõseruatores teste Farin.dict.quæst.41.n.58.

120 Qui n.59. cum Brun.in tract.de indic.& tortu.p.2.q.4.n.21.vers.item parentes,&cũ alijs extendit dict. priuilegium exemptionis à tortura ad Decurionum parentes,filios,&nepotes. Re-

121 stringit verò ipsũ ad solos Decuriones Ciuitatum, secus in decurionibus castrorum, & oppidorum;quod cum moderatione aliqua intelligi debet,cum in nostra Hispania diuersa sint oppida, quæ honorificentius ducunt nominari Villas, quàm Ciuitates,hincq;titulum Ciuitatis à Rege tributũ noluerunt admittere;ergo Decuriones taliũ oppidorum, seu villarum,dicto priuilegio gaudent,iuxta iuris dispositionem.

122 At iuxta consuetudinem, multis in locis iam ab antiquo legitimè introductam, quidquid sit de iure,Decuriones,eorumq; parētes,filij,ac nepotes torturæ subijciuntur. Ita Alber.& Salic.in citata l.DiuoMarco,C.de q.Boss.in tit. de indic. tit.112.& Clar.in pract.§. fin.q.94.vers.præterea

123 quæro,& quamquam non desunt,qui tueantur vt Marsil.in verb.edictum,post n.7.ff.talem consuetudinē esse reijciendam, eo quod de iure nõ valeat:Cõcludit tamenverè Farin.per sequentia

124 verba.Tu dicas,inquit quod siue consuetudo valeat,siue non valeat de iure; de facto tamen Decuriones,Priores,& consiliarij Ciuitatũ quotidiè indistinctè capiuntur, & torquentur, non solum finito decurionatus officio, sed etiam eo durante,si delicti qualitas id patiatur, & mora in expectando finem officij, in populo scandalum oriatur, aut aliashsco præiudiciũ aliquod paretur; & ita apud nos seruatur. hæc ille.

125 Prćterea vniuersaliter loquendo,quod personæ nobiles de iure non possint torquere,tuentur

tur Carrer. in pract.crim.tract.2.de indic.& tor tu.§.circa tertiũ,n.13.& 14.Tiraq.de nobil.c.20. n.233. Ant. Gomez,variar resol.to.3. cap.13.n. 3.vers. item hodie in nostro Regno, vbi ait ita apud suum Regnum communiter esse in vsu, vigore legum illius,respectu nobilis,qui vulgò dicitur Hidalgo;pari modo Couar.lib. 2.variar resol,cap.9.n.4. affirmat quod in Hispania tales nobiles non torqueantur.

126 Nihilominus contrarium de consuetudine seruari,& diuersis in locis torturam nobilibus infligi,graues scriptores testantur:Ita seruari in Ducatu Mediolani testatur Clar.in pract. §. fin. q.64.versic vlterius quero; ita in Regnis Franciæ Guillelm.de Bene d. citat.à Clar.ibid.ita in Vrbe,& in statu Ecclesiastico Farinacc.dict.q.41.

127 n.75.quamquam in fauorẽ nobilium benè aduertit n.76.ob magnã præsumptionem delicti exclusiuam,quam specialiter pro se illi habent, iuxta glos.in cap.illud,distin.4.&.Carrer.sing.30. pro nobilib.ad torturam ipsorum grauiora, & vrgẽtiora requiri indicia, quam adtorquendos eos, qui non sunt nobiles. Sed pespiciendum

128 à iudice diligenter quinam sint verè nobiles; nam,vt ibidem his verbis idem Iul.Clar.affirmat hodiernis temporibus adeò,propter indigna, & vilia nobilium matrimonia, videtur corruptus flos nobilitatis, vt vix alicubi dici possit aliquem verè esse nobilem.

129 Quid tãdem de militibus?quod isti ex vi iuris torturæ subijci nequeant,habemus text. expressum,in l.milites,C.de quæst.Milites,inquit, text.nec tormentis, nec plebeiorũ pœnis in causis criminalibus subijci concedimus, etiamsi non emeritis stipendij suis videantur esse dimissi, quod priuilegiũ in quibus militibus habeat locum, controuertitur inter Doctores sup

130 ponentes,vt certum,vti supponit Iul. Clar. in pract.§.fin. qu. 64. vers. Quero etiam nunquid milites, nullam esse difficultatem circa milites antiqui temporis, quod omnes eo fruerentur.

131 Quoad milites nostri tẽporis, ipse Clar. post Iodochiũ in pract.crim. cap.41.n. 2. distinguit de milit,priuatis, qui modo sub vno præfecto stipendia accipiunt,modò sub alio,ac de equitibus,& capitaneis;atq;hos aut gaudere dicto priuilegio; non verò illos.

132 Cæterũ quosuis nostri temporis milites posse subijci torturæ tuentur præter Dyn. & Cyn. quos ipse citat,Angel.de malef.in verb. Quod fama publica,n.102.vers.milites nostri temporis,Carrer.in pract.tract.2.de indic.& tort.§.circa tertium,n.19.& alij,quos abũdè refert Farin. dict.qu.41.n.31.& 35.vbi cum eis affirmat ita

133 esse saltem de consuetudine quod hoc tempore quicunq;profitentes militiam torqueri possint, addens cum Franc.Cason.in tract.de tormen.c.10.rubr. Quę personę torqueri possint, &c.num.14.ita seruari apud Venetos,& per totam Italiam, vt indiscriminatim hodie quicũq. milites etiã equites, & capitanei torqueantur.

134 Dein vniuersaliter restringẽdum est priuilegium exẽptionis à tortura prædictis personis, militibus,decurionibus,nobilibus, Doctoribus, &c.à iure concessum,quod non habeat locũ in diuersis criminibus exceptis ex dispositione eiusdem iuris. De crimine læsæ Maiestatis est textus expressus in l.de minore,ff.de qu.& in l.si quis alicui,& in l.nullus, C.ad leg.Iul.Maiest.De

135 crimin. item proditionis,& transfugæ est text. in l.proditores,ff.de re milit.Pari modo de criminib.falsi, priuati carceris, simoniæ,ingẽtis assassinij, homicidij personę sacræ,vel magni Principis(de crimine hęresis,& sortilegij statim dicetur) ac de similib. atrocibus quòd nullus ex dictis priuilegiatis possit eximi à tortura, defendunt cõmuniter Doctores,vt Angel.de malef.in verb.quod fama publica,n.102.vers.aduertas Simanc.de Cathol.Instit.tit.65.n.44.Ant.Gomez tom.3.variarum resolut.c.13.nu.3.& alij relati à Farinac.dict. qu.41.n.100.

136 Quid,quòd ex cita.l.de minore clarè deduci videtur,in crimine læsę Maiestatis posse senes & minores torqueri etiam in caput alterius,ibi omnes omninò, si ad testimoniũ prouocentur cum res exegerit,torqueantur.Particulę,omnes

137 omninò, adeo vniuersales,& indefinitę sunt, vt personas quascunq. includant, etiã minores, & senes.Ita indè deducunt,& firmant Carrer.in pract.crim.tract.2.de indic.& tortu.§.circa tertiũ,n.35.Franc.Cason.de torm.cap.10.n.10.Foller.in pract.crim.verb.item quod commisit crimen læsæ Maiest.n.104.& verb.Rei indurati torqueantur in fine, ac alij similiter tenentes in reliquis criminib.exceptis,relati à Farinac.dict. quęst.41.n.102.

138 Qui n.103.benè affirmat prædictã doctrinam esse magis communem,& receptam, sed in praxi non habere locum,vbi ex tortura senis, vel minoris aut infirmi sequitur periculũ mortis.

139 Vnde standũ est iudicio Medicorũ & peritorum circa hoc.Et posito quod nõ sequeretur tale periculum,adhuc tortura senis, vel minoris in d. crimine vel alio excepto,debet esse valdè moderata.Ita addit idem Farin.cum Simanc.de

140 Cath.instit.tit.65.n.45.Restringendo item magis dictũ priuilegiũ exemptionis à tortura,dicendũ est cum Carrer. vbi supra, nu.24. in fine; & cum Farinac.ibid.n. 110.quod prædictæ personæ omnes, quæ de iure nõ subijciuntur torturę,possint cõsultò Principe torqueri. Probatur per tex.in l.nullus,ibi in cõsultis, ac nescientibus nobis, sumpto ex his verbis argumento à

141 contrario sensu,C.ad l.Iul.Maiest.Atq; hinc egregiè ait Brun.de indic.& tort.2.p. q.4.nu.25. vers.item adde, quòd de scientia Principis, & Principe consulto, nulla dignitas, seu priuilegium excuset à tortura.

142 Manet adhuc vnum circa personas, quas,expressimus in hac,& præcedenti Regula frui de iure priuilegio exemptionis à tortura, an quando nequeunt torqueri, possint saltẽ terreri? Pro legitima resolutione rectè distinguunt Ant.Gomez variar.resol.tom.3.c.13.n.4. & Farin.ibid.n.106. de duplici genere territionis, nempè de verbali,leui,& remota, cõminando tantum verbis ipsam torturam; vel de reali, ac proxima,quæ fit per spoliationẽ, conductionẽ ad locum torturę,& funi applicationem. Hac

143 supposita distinctione sic legitimè resoluunt isti duo auctores, discurrendo per dictas personas

144 priuilegiatas. Primo,mulieres prægnãtes neutro genere territionis affici queunt ob periculũ

145 abortus, vt patet. Senes item,& minores non solum

solum verbali,& remotę,sed etiã reali,&proximè territioni subesse possunt, argumento textus in l.1.§.impuberi. ff.ad Syllan. Deniq; 146 prohibiti torqueri propter priuilegiũ personæ, & dignitatis, vt sunt Doctores,milites Decuriones, Magistratus, & positi in aliqua dignitate, licet terreri possint verbali territione, nequaquam tamen reali, & proxima, quia cum sit eadem dignitatis ratio in territione reali,quę in ipsa tortura, sicuti nõ possunt torqueri, sic etiam nec realiter terreri. Ita Gomez, & Farin.quib.omninò adhæreo.

147 Sed quid in crimine hæresis, vel alio spectante ad S.Officium? est nè locus alicui aliquãdo exemptionis à tortura? nequaquàm sanè, excepto casu periculi vitæ propriæ, vel alienę,vt in muliere prægnante,aut alia persona languente: nam reliquæ personę quantumurs priuilegiatæ in quauis dignitate, vel gubernatione,aut gradu honoris existentes, si reperiantur indiciatæ,quòd deliquerint cõtra fidem,pro qualitate,& grauitate indicio-148 rum torqueri possunt. Patet ex textu, in l. etsi excepta, C.de malef. & mathem. sumiturq; efficax argumentum à fortiori; quia si quæuis priuilegia, & exemptiones à tortura cessant in crimine læsę maiestatis humanæ, l. 4.C.ad l.Iul.Maiest. quantò magis cessare debent in crimine læsæ maiestatis diuinæ. Tra-149 dunt, vt certum communiter DD. præcipuè Simanch.Cathol.Inst.tit.65.n.44.& seqq. ac in Enchir.violatę Religionis tit. 52. rubr. de tormentis, nu.20. Angel. tract. de malef. verb.fama publica, Couarr.lib.2. variar. resol. cap.9.n.4. Pegna in direct. par.3.q.61. comment.110.vers.His constitutis, Delrius disquis.magic.lib.6.sect.9.vers.quoad personas, & Farinacius de hæresi, q.185.n.125.

150 Moderatur tamen suam sententiam nonnulli ex dictis auctoribus circa aliquas personas priuilegiatas, quod istæ possint in crimine hæresis torqueri leuiter tantum, & cum moderatione,affirmat id benè Pegna loc.cit. de senibus, & minoribus,quod approbat Farinac.ibid.attenta personarum, & corporum 151 qualitate. Idem testatur Delrius d.lib.5. in 2.append.q.33.de sequentib. sic;Nobiles,inquit, & in dignitate constituti leuius, quàm alij torquendi sunt. Quod non carere difficultate apud se, ait Farin. in fine d.n. 125. & quidem apud me etiam non caret. Audiamus vltimo loco Pegnam in fauorem Clericorũ, & Religiosorum ità moderatè loquentem.

152 De Clericis, inquit, monachis, & cæteris religiosis personis idem iudicium est; dummodo meminerimus, & ob periculum excommunicationis, si grauius torquerentur, & læderentur, & ob dignitatem, qua decorantur, leuius,& mitius torqueri debere;nisi delicti enormitas, & indiciorum grauitas, acriorem torturam infligendam suaderent. hæc ille, quib. finis imponitur.

CAPVT VII.

De aduertendis, & seruandis à Iudice, vel Inquisitore antè torturam, & dum ea infligitur, ac post ipsam inflictam, deq; eiusdem reiteratione.

PROOEMIOLVM.

1 QVAE aliquantulum remotè actum torturę pręcedunt,pro nostro instituto præcedentibus capitibus tradidimus, in præsenti iam magis propè ad exequutionem eius accedentes praxim ipsam in hac materia expendemus, & quæ à Iudicibus quibusuis, præcipuè ab Inquisitoribus, antè quàm reus torqueatur, & dum torturę subijcitur, ac post eam ipsi illatam obseruari, & exequi debeant, vt sit legitimè, & validè illata, suumq; consequatur effectum eruendi veritatem, 2 opportunè summa, qua poterit, breuitate explicabimus. Sub finem adiungetur verbum de reiteratione torturæ, vt constet, an aliquoties iterari possit, vel secus; nè Iudex, vel Inquisitor in ea reo inferenda excedat;aut vbi est locus eiusdẽ iterationis,hanc omittat;ac propterea in Syndicatu postea ob talem excessum,vel omissionẽ à Iudice Superiore condẽnetur.

Quatenus Iudici, aut Inquisitori prospiciendum,an constet de corpore delicti,vt ad torturam delinquentis possit procedere?

REGVLA CCCLIX.

3 ANtequam Iudex incipiat contra aliquẽ in particulari procedere,& maximè ad inferendam reo torturam deuenire, debet ipsi in actis constare de corpore delicti. Et 4 quidem plenè, ac concludenter, si illud sit publicum,& facilè probari valeat; secus si sit occultum,& difficilis probationis, tunc sufficit,si quoquomodò constet de corpore delicti iuxtà naturam vniuscuiusque. Dein in 5 criminibus ad S. Officium spectantibus, cum intus in meutus in mente compleantur, non debet Inquisitori constare,vt plurimum de corpore delicti, sed ex solis indicijs, vel cõfessione delinquentis etiam extraiudiciali,cõtra hunc potest ille procedere, excepto vbi crimen esset ex illis,quæ relinquant vestigiũ post se, quo casu aliqualiter probandum est prius corpus delicti.

6 Circa rem istam de probando corpore delicti, vt benè ait Iul. Clar. in pract. §. fin. q. 4. ante vers. scias tamen, confusè, & indistinctè loquuntur DD. nec sine æquiuocatione aliquandò, quoad hæc duo, constare scilicet de corpore delicti, & constare de delicto, cùm valdè inter se differant, & in primo sit locus torturæ, non verò in secundo, vt
7 patebit ex dicendis regula sequenti. Vndè pro maiori facilitate, & perspicuitate in probanda per partes doctrina præsentis Regulę præmittenda cum dict. Clar. Farinac. & alijs citandis multiplex delictorũ diuersitas. Alia enim sunt merè interna, quæ consummantur in mente, vt hęresis, apostasia à fide, fautoria earum &c. alia verò sunt, simul interna,
8 & externa. Ex istis item quædam licet facto externo patrentur, nullum tamen post se vestigiũ relinquunt, vt adulteriũ, blasphemia hęreticalis, lamias ire ad ludos Dæmonũ, & habere rem cũ ipsis &c. quædã post se vestigiũ aliquod relinquũt, vt homicidium, veneficium, polygamia &c. Tertio, ex delictis
9 alia sunt difficilis probationis, quòd secretò, & clã soleant cõmitti; alia è cõtra facilè probantur ob causam oppositã. his sic pręmissis.
10 Nullum dubiũ, quod antè omnia debeat in actis constare Iudici de corpore delicti quoties hoc est simul internum, & externum: ac ex illis, quæ relinquunt vestigium post se, deciditur clarè in l. 1. §. item illud ff. ad Syllan. per hæc verba. Item illud sciendum est, nisi constet aliquem esse occisum, non haberi de familia quæstionem, liquere igitur debet scelere interemptum, vt senatus consulto locus sit. Atq; ibi cõmuniter Doctores, Bart. Ang. Rom. & alij, quos citat Farin. in prax. crim.
11 qu. 2. n. 1. Qui propositæ doctrinæ cum Boss. in tit. de delict. nu. 26. & Anton. Gom. tit. de captu. reor. n. 1. hanc reddit rationem, quia regulare est in quauis materia, quod vbi lex aliquid disponit respectu certæ rei, debet prius de re illa constare, l. diuus ff. de testam. milit. Glos. in c. ad dissoluendum, verb. accusare, de desponsat. impuber. & qui vult probare qualitatem debet prius probare substantiam, in qua illa qualitas fundatur. Glos. in l. si arbiter, ff. de probat. ita ille cõcludens cum Brun. à sole per ipsum relato, adeo certam esse dictam doctrinam, vt etiamsi Princeps motu proprio iuberet contra aliquem procedere, adhuc tamen intelligi debet, si constet de corpore delicti, & non alias, &c.
12 Dixi in Regula, & maximè ad inferendam torturam, de quo etiam loquitur tantũmodo adductus text. d. l. 1. sed intelligitur etiã de Inquisitione speciali contra aliquẽ particularem, & magis de eius carceratione, ex mente omnium scribentium; nec contrarium sentit Iul. Clar. dict. qu. 4. in princ. quia licet ibi dicat ad inquirendum sufficere solam querelã, intelligit tamen de delictis, quæ nõ relinquũt vestigium post se, vel vbi non potest constare de corpore delicti, vt infra declarat se ipsũ; & aduertit benè loco citato Farin.
13 Qui in confirmationem eius, quod dictũ de carceratione, adducit sententiam Ioann. Andr. in cap. si clericos, in verb. commissos, de sent. excom. in 6. Corn. lib. 4. in cons. 325. Clar. §. fin. q. 28. sub vers. quæro, nunquid, & aliorũ affirmantium, quod incidat iudex in excommunicationem (haud exprimunt de qua nã iuris excommunicatione loquantur) si capiat, & carceret clericum, antequam illi constet de corpore delicti. Ita ille dict. q. 2. n. 2. vers. & in clerico, & q. 27. n. 74. vbi non cõtradicit præcitatis auctoribus; nec ego inuenio, vndè contradicam; cum videatur fieri contra Canonem, si quis suadente diabolo, manus violentas, &c. 17. q. 4.
14 Nihilominus casu quo reus, quicunq. existat suspectus est de fuga & multo magis, vbi est iam in fuga, si de tali suspicione, & fuga fũdatã notitiã habeat Iudex, seu Inquisitor, eũ capere, & carcerare potest absq; eo quod constet prius de corpore delicti, imò absque indicijs de iure antecedenter requisitis, ex aliquali tantum informatione, idq. propter periculum in mora, argumento ex text. in l. ait Prætor. § si debitorem, ff. de ijs, quæ in fraud. credito. Tradunt Marsil. in pract. § constante n. 5. vers. scias etiam, Blanch. in l. fin. n. 8. ff. de quæst. Paris. de puteo in tract. de syndicatu, verb. captura n. 12. & Far. q. 27. n. 125. cum alijs ab eo citatis, maximè cum Paul. de Castr. asserente quod propter fugæ suspicionem permittitur id quod alias de iure non permitteretur.
15 Hinc practicatũ sæpius vidi in nostro Tribunali Meliten. S. Inquisitionis, nempè polygamum capi & carcerari, ob dictum periculũ fugæ, aut discessionis ab hac insula, priusquam constaret de corpore delicti, probata superuiuentia primę vxoris tempore quo contraxit
16 cum secunda. Semper tamen in quouis Tribunali S. Officij consultò, & non sine firmo rationis fundamento exequenda est captura, & carceratio, præsertim personæ honestæ, nobilis, & Ecclesiasticæ, eo quod huic per ipsam infamia irrogetur, vt idem alibi diximus.
17 Dixi, & quidem plenè, & concludenter. Patet ex eodem textu supra adducto ex dict. ff. ad Syllan. ibi, liquere igitur debet scelere interemptum: dicitur autem plenè, ac liquidè constare de corpore delicti non per coniecturas, & præsumptiones, sed per testes legitimos, aut per euidentiam facti, adhibita quãdoq; inspectione oculari: Sicque debere probari corpus delicti ostenditur etiam ex l. si quando, C. vnde vi, in verb. patefacta, & ibi Bald. n. 2. & Ias. n. 12. in 4. notab. Ang. l. certũ ff. de confess. Foller. in pract. crim. verb. capiat informationẽ, n. 181. & cũ alijs per ipsũ rela-
18 tis Farin. d. q. 2. n. 3. Qui n. 1. benè aduertit ad Boss. in tit. de delictis, n. 3. quod non solum debeat constare, delictum esse commissum scelere seu dolo; & patet ex particula illa, scelere interemptum, propositi texus, d. l. 1.
19 Prædictus autẽ modus probandi plenè, & liquidè corpus delicti, tũc solũ requiritur quãdo delictũ est publicũ, & facile põt probari, si eius si fuerit occultũ, & difficilis probationis; nã in tali casu sufficiẽs erit multò minor probatio

batio corporis delicti per cōiecturas & indicia: Ita Boss. in tit. de delict. d. n. 20. Menochi. lib. 1. de præsump. q. 58. n. 2. Foller. verb. capiat informationem n. 78. vers. fallit tamen, Clar. § fin. q. 66. in princ. & Farin. d. qu. 2. nu. 12. & 13.

20. Addens benè cū citato Boss. id præsertim verū esse in delictis, quorū post factū nulla remanent vestigia, atq; in ijs porrecta querela cōtra aliquem ex indicijs absq; eo, quod magis cōstet de corpore delicti, possit iudex inquirere, eumq; carcerare, ac torquere, & elicita cōfessione delicti ipsum pro modo culpę condemnare.

21 Exēplificando itaq; circa delicta particularia quādo fuit occisus certus homo, cuius cadauer nō reperitur; sufficit probari corpus delicti per famā. Ita Ciurba cons. decisiuo crim. 43. n. 29. & Farin. cons. 227. n. 4. lib. 3. & in prax. 22 crim. q. 2. Vbi affirmat, quod fama sufficiat ad procedendum contra eum, & ipsum cōdemnandum, qui confessus est se hominem necasse, 23 & in mare proiecisse. Si autē præter famā adsit aliud indiciū, & quod occisus visus fuit cum homicida, vel quod huius minæ præcesserint contra illum, aut quod guttæ sanguinis in domo diffamati visæ, seu reperæ fuerint, absq; alia corporis delicti probatione, multò certius est, posse Iudicem contra sic diffamatam, & indiciatū simul procedere, ac torturæ eum subijcere. Ita Carena p. 3. tit. 1. §. 4. n. 27. & seqq. cum Port. in Addit. ad Ambros. lib. 1. c. 1. n. 1. & Farin. d. q. 2. n. 16. & seqq. Vbi benè addit in delicto furti etiam ex solis indicijs procedi posse, imò ex sola querela partis, si fiat furtum sine fractura ait ibi Carena.

24 Sed quid, si nec diffamatio, nec indicia adsint contra aliquem, sed tantum mera suspicio de homicidio patrato? Pro responsione legitima audi Carenam d. tit. 1. n. 32. sic dicētē. Senatus noster Mediolani, qui nullos indebitè, & contra iuris ordine grauat, nec tamen delicta, quantū fieri potest, relinquit impunita, solet cogere suspectos ad fideiubēdum de se consignando toties, quoties, sub graui pœna, Clar. dict. q. 4. vers. quando vero. 25 ita Ille, adiungitq; casum cū eodē Claro cuiusdā Andreę Boleoni, qui ex sola suspicione querelatus de homicidio commisso, iussu dicti Senatus Mediolanen. adstrictu fideiussione aureorum quingētorum fuit retentus.

26 Quando item est dubiū, an fuerit homo occisus veneno propinato, seu potius obierit ex veneno ingenito, cū signa, quæ solent apparere, vt spuma ex ore, vomitus, liuor, totius corporis, &c. sint ęquiuoca, & cōmunia vtriq; veneno, standum est iudicio medicorū peritorū: quod si hi Iuramento restricti inclinent in partē veneni propinati, hoc modo sufficienter probatur corpus delicti, vt possit procedi cōtra præsumptum homicidam. Ita Zachias in qq. medico legalibus lib. 2. tit. 2. q. 7. & Carena vbi supra, n. 33. & seqq. ex cuius 27 mente, & Clari d. q. 4. in fin. tutius tunc faciet iudex, si prius Principē, aut Senatū Supremū vel Inquisit. Sac. Congreg. S. Officij Vrbis consulat: hic n. casus de propinato veneno sicut & reliqui supra expressi de homicidio illato cōtingere possūt circa personas affectas Tribunali S. Inquisit. & cōprehenduntur in cōstitut. Pij V. sanctiss. mem. incip. si de protegēdis.

28 Deniq; in delictis adulterij, stupri, falsi percussionis factę manu vacua, & similibus, quę cōmittuntur per modum facti transeuntis, & nullum vestigium relinquunt post se, nullum dubium, quòd ex solis coniecturis, aut indicijs, licet non constet aliter de corpore delicti possit iudex cōtra indiciatū procedere, ipsumq; torturæ subijcere. Tenent vt certum Guazzin. de defen. reor. defens. 4. c. 6. Farin. loco cit. cum multis per ipsum relatis, & Carē. 29 d. tit. 1. §. 4. n. 40. Indè ostēditur, quia cum talia delicta sint facti trāseunctis, nec relinquāt vestigium post se, nihil superest vndè cōstare possit de corpore delicti; ergò, nè maneāt impunita, ex solis coiecturis, aut indicijs iudex contra indiciatos inquirere, valet, & ipsos torquere, si ad hoc adsint sufficiētia indicia.

30 Quoad delicta verò ad Tribunal S. Officij per se spectantia, vt hæresis, apostasiæ à fide, fautoriæ, vtriusq; & similia, prorsus indubitatum est, quod non requiratur in eis, vt constet de corpore delicti, si sint ex illis, in quibus post factum nulla remanent vestigia, vt in blasphemia hæreticali, in prolatione propositionis hæreticæ, in crimine lamiarum eundi ad ludos Dæmonum, & coram ipsis apostatandi à fide, ac similibus, in quibus DD. Inquisitores ex solis indicijs, vel ex confessionibus reorum etiam extraiudicialibus, ad actus iudiciales inquirendi contra eos, torturandi, ac condemnandi ipsos deuenire pos- 31 sunt. Ita testantur communiter DD. præcipuè Arnal. Albertin. de agnoscen. assert. cathol. & heret q. 25. n. 1. Iul. Clar. d. q. 4. vers. scias tamen, Ludouicus Param. lib. 3. de Orig. S. Inquis. q. 6. de inquis. in causis fidei, n. 28. & seqq. Farin. d. q. 2. nu. 25. & 26. Gregor. de Valentia 2. 2. disp. 6. q. 13. pun. 4. vers. Porrò tūc, Martin. del Rio disq. magic. lib. 5. sect. 16. & Carena 2. p. tit. 12. §. 20. n. 172. & 3. p. tit. 1. §. 4. n. 42.

32 Ratio efficax est, quia cū talia delicta, quoad essentiam, & substantiam suam in animo, seu in errore mentis perficiantur, & quoad actus externos sint facti transeuntis, & post hoc nulla vestigia relinquant nihil superest, vndè corpus delicti probetur, ergo non potest vllo modo probari, ne dum de eo constare.

33 Verū quod tunc ex solis cōiecturis, seu indicijs, aut ex confessionibus, etiam extraiudicialib. possit inquisitio specialis reorum fieri & tortura, ac condemnatio eorundem subsequi, tenent peculiariter, præter citatos Delrium, Farin. n. 14. & Caren. d. §. 20. n. 174. Ang. in l. 1. n. 6. vers. & vbi delictū, ff. de cōfess. Foller. in rubri. & si confitebuntur, n. 179. Mancin. de extraiudiciali confess. cap. 3. & alij. Probatur hoc modo, quia cū huiusmodi delicta contra fidē catholicā sint difficilis probationis, & vt plurimùm, occultè, & clā fiant, iniquū esset (vt ait Delrius) aliā in eis maiorē certitudinē exigi, quàm quę ex natura ipsorū haberi potest, & manerent impunita, si ex dictis

ctis indicijs,& cōfessionibus nequirēt puniri.

35 At in delictis ad S. Officium pertinentibus, quę post se aliquod vestigium relinquere solēt, vt accidit in crimine fractionis Crucifixi & vulneratæ Sacræ Imaginis, in delicto polygamiæ, &c. nequeunt Inquisitores contra quemquam in particulari procedere, & ad carcerationem eius deuenire (excepto quādo esset periculum fugæ, vt dictum supra) nisi prius in processu constet de corpore delicti.

36 Si non plenè semper, & liquidè, saltem ea ratione, qua constare potest iuxta naturā, seu qualitatem talium criminum, quæ, vt plurimum, clam, & occultè cōmittuntur, ac proindè sunt difficilis probationis. Ita iidem auctores citati, præcipuè Farinacc. dict. q. 2. n. 11. Delrius eadem sect. 16. & Carena p. 2. tit. 12. §. 20. n. 174. vbi benè cum ipso Delrio exemplificat in criminibus sortilegiorum.

37 Vltimo loco ex prædictis deduco, quòd Cōgregatio nostra S. Officij Meliten. rectè, ac iustè processerit, & in parte potius mitem, & benignā, quā in rigorosā nimis inclinauerit, quando cōtra N. Græcū Capitaneū parui nauigij, vulgò dicti Bergantino, à D. Profiscali denunciatum, maximè de præstita fautoria ad manendum in Mahometismo, ab hinc tribus ferè mensibus censuit, vt torqueretur super intentione, & si nihil emergeret, cū abiuratione de leui, & pœna arbitrio Illustriss. Domini Inquisitoris expediretur.

38 Nam cum per eū piraticam exercentē, captus fuisset in Insula vocata, del Sasso, quidam homo indutus vestibus Turcicis, & hic statim manifestando dixisset se esse Christianū Græcum de Limino, Ioannem nomine, apostatasseq; à fide Catholica in minori ętate, ac turcicè vocari Brahym, vti deposuerūt iuridicè in nostro Tribunali S. Inquisitionis plusquā septem ex socijs in exercitio piraticæ dicti Capitanei; nihilominus iste in regressu ex partibus orientalibus dictum apostatā Brahym vti Turcam vendidit Castellano Castri Leui, nè ipsum denunciaret, & consignaret in S. Officio, prout tenebatur ex vi bullarum Apostolicarum; & ex vi edicti S. Inquisitionis.

39 Atq; hac intētione fuisse factā ab eo talē vēditionē, tres ex illis socijs Theodorus, Simeō & Nicolaus ex ore ipsiusmet Capitanei audierūt, ac similiter in d. Tribunali deposuerūt.

40 Quod si quis opponat non fuisse rectā, sed potius iniustam resolutionē nostrę Congreg. ex duplici capite, nempè quod illæ præsumptiones, fuisse Brahym repertum circumcisū ac vestibus Turcicis indutum, adeò sint in fauorem Capitanei, vt assertionem illius de apostasia in minori ætate excludant, & esse Turcam originarium ostendant. Item quòd fuerit idem Capitaneus condemnatus, non constito priùs de corpore delicti, sicuti constare debebat.

41 Neutrum tamen caput releuat contra resolutionē nostræ Congreg. nec de rectitudine, ac iustitia, quidquā ei detrahit. Non primū, quia dictæ præsumptiones ęquè militāt pro apostasia, quàm pro descensione ex genere Turcico, cū pari modo apostatæ, ac Turcæ, & circūcidi, & eisdē vestibus indui soleant; ergò per dictas præsumptiones non excluditur assertio Brahym, affirmantis se esse apostatam.

42 Neq; item secūdū, quia ex tribus delictis cōtentis in præsenti casu, nullū est, de cuius corpore cōstare debeat: nō delictū apostasiæ cōmissū à dicto Brahym, nam hoc in mente cōsūmatur, quoad suā essentiā, & quoad actus externos apostaticos, qui sunt de eius substātia, nēpè erectio digiti, & prolatio peculiarium verborū in recognitionē, & adorationē Mahometis

43 (haud spectat ad substantiā eius circūcisio, cū hæc sæpius ob aliquā causā, tā in apostatis, quam in Turcis omittatur, vt experiētia ferè quotidiana patet, & sine ipsa ex mēte omniū certò quis verus apostata existat) nullū post se vestigiū relinquūt, ergò nō pōt, nec debet cōstare de corpore delicti apostasiæ.

44 Non itē crimen fautoriæ exhibitæ d. Brahym ad manendū in Mahometismo cōmissū ab N. Capitaneo per vēditionē illius: quia similiter hoc quoad substātiā perficitur in animo.

45 Et quāuis ante cōdēnationē curādū videbatur, vt constaret de effectu fautoriæ, seu vēditionis, nēpè de remansione Brahym in

46 Mahometismo, vsq; modo (meū votū prius in Congregatione nostra ad hoc propendebat, vt sic impinguaretur processus) iudicatū tamen meritò fuit à DD. Consultoribus socijs meis id nō esse necessariū; quia cū Brahym vēditus fuerit vt Turca, vt patet ex pluribus sociorū in piratica attestationibus, & ex confessione ipsius Capitanei, extra iudicium, & in eo facta, satis superque constat de venditione, & de dicto effectu eius.

47 Nō deniq; tertiū delictū grauissimū à Capitaneo. N. patratū, vēdēdo Brahymū ea intentione, ne scilicet denūciaret, & cōsignaret eū S. Officio, vt ipsemet cōfessus est extraiudicialiter corā tribus socijs Theodoro, Simeone, & Nicolao, qui deponunt se ex eius ore audiuisse. Ratio est, quia hoc etiā delictū in mēte cōsūmatur, vt per se patet, & verba, quibus prauā suā intentionē Capitaneus dictis testibus indicauit, fuerūt facti trāseuntis, nec vllū post se vestigiū reliquerūt; ergo nō poterat, neq; debebat de corpore delicti constare.

48 Vndè sufficiētes fuerunt ad eū persequēdū, & cōdēnādū, depositiones triū de dicta ipsius cōfessione extraiudiciali. Maximè adiūcto

49 indicio inde sūpto, quòd vēdiderit Brahym Castellano Castri Lecci vili pretio, nēpè 50. circiter scutis, cū in hoc loco potuisset vendere

50 plus 100. Dixi esse grauissimum hoc delictum, quia præter violationem strictissimi præcepti obligantis sub pœna excōmunicationis ipso facto denunciare, vt patet ex Cōstitutionib. Apost. & ex edicto S. Inquisitionis quod benè obseruarunt alij socij in exercitio piraticæ, ipse Capitaneus N. sic vendendo Brahym apostatam præsumptum, quasi iudicem se constituit duplicis causæ maximi

51 momenti, propriæ S. Officij, Altera est spiritualitatis, in qua discutiendum erat, an Brahym declarandus Turca, seu potius aposta-

ta,

tæ, & qualiter Ecclesię Catholicæ reconciliã-
52 dus. Altera verò libertatis, in qua declarandũ veniebat, supposito, quod esset apostata, an cõpeteret ei libertas, eo quod apostatasset in minori ætate; vel secus, si hanc qualitatẽ ipse Brahym probare non potuisset: en vnde delictum illud grauissimum iudico.

53 Verum grauitas maxima totius facti criminosi Capitanei N. & iustitia Decreti nostrę Congreg. innotescit clarè ex decisione alterius casus ferè similis, qui anno 1637. in nostro Tribunali Meliten. S. Inquisit. occurrit; tunc enim compilato processu contra Capitaneum Claudium Granier Gallum, quod piraticam exercens in partibus orientalibus, duos homines captos, qui se apostatas manifestauerant, Turcis ibi vendidisset, & per Illustrissimum D. Inquisitorem Fabium Chiggium Episcopum Neritonensem ad S. Congr. Vrbis transmisso; indè decisionem habuimus peculiaribus literis, quas ex Italico idiomate in latinum translatas operæ pretium duxi hic apponere: sic habent.

Admodum Illustris, & admodum Reu. Dom.

54 GRauissimum est delictũ fratris Claudij Granier, quandoquidem ipse ansam præbuit ruinę animarum illorum apostatarũ, hos vendens Turcis, seu ab istis sinens ipsos pecunia redimi; & quidem concupijsset S.D.N. rigorosam, & exemplarem pœnam ei infligere, ne ipse, ac alij imposterum vnquã au-
55 deant similem errorem contrahere. Voluit tamen hac vice magna cum eodem pietate vti; vnde ex voto meorum Eminentiss. Card. idem Sanctiss. tibi iniungit, vt postquã dictũ Granier acriter reprehenderis ipsum expedias, vti esset spontè comparẽs, iniunctis eidẽ grauissimis pœnitentijs, salutaribus, iniũctoq; præcepto sub pœnis arbitrarijs, etiam corporis afflictiuis, abstinendi in posterum à delicto
56 adeo graui. Hæc tamen à te exequutioni taliter mandari debent, vt ad notitiam Eminẽtiss. Magni Magistri, & aliorũ Equitum Hierosolymitanorum perueniãt, quò omnes capiant crimen à Fr. Claudio Garnier perpetratum esse grauissimum, & dignũ prorsus maximo supplicio. Deus Opt. max. te feliciter prosperet. Romæ 22. Ianuarij 1639. Dominationis vestræ, vti frater. Card. Barberinus.

57 Hactenus exemplar literarum, in quibus vt vides, multoties repetitur fuisse grauissimũ crimen commissum à Graniero, & dignum maxima pœna, tametsi non constaret de corpore delicti: ergo pari modo in pręsenti crimen Capitanei N. rectè censetur admodum graue, ac dignum non leui punitione.

58 Differentia autem illa inter hos duos casus, quod vẽditio apostatæ Brahym facta fuerit homini Christiano, illorum vero apostatarum facta Turcis, nõ multum releuat, nec detrahit quidquam de dicta grauitate criminis patrati à Capitaneo N. licet enim quoad perniciem animarum maior reperiatur in vendendis duobus apostatis, cùm isti manserint inter Turcas, & vix vlla sit spes eos vnquam ad viã salutis reducendi, & non desit aliqua reducendi Brahym, maximè si mittantur literæ, & copia processus ad inquisitorem, qui exercet iurisdictionem in partibus Ca-
59 stri Lecci, vt tractet causam apostasiæ eius (hoc debere fieri iudico) At quoad intentionem, & factum ex parte delinquentium, seu vendentium, apud me vt certum statuo, grauius deliquisse Capitaneum N. quã fr. Claudium Granier. Nam iste vendidit Turcis apostatas, iam tales ab eis cognitos; ille verò finxit se vendere Castellano Castri Lecci Turcam originarium, sciens, quod venderet eum, qui se prius in Oriente coram eo
60 apostatam propalauerat. Et sicut iuxtà doctrinam S. Gregorij Papæ, ad verba illa cap. 1. Iob, Vir erat in terra Hus, &c. multò laudabilius, & perfectius est bonum esse inter malos quam esse inter bonos bonum; ita è contra peruersius, & iniquius est inter fideles esse clam infidelem eum, qui ab illis ducit originem, quam hunc eundem esse inter infideles infidelem: ergò grauius delinquit, qui cooperatur, seu fautoriam præbet alicui apostatæ, vt in Mahometismo maneat, & sit infidelis inter fideles, quam ille, qui eãdem cooperationem, & fautoriam exhibet alteri apostatæ, vt perseueret in eodem Mahometismo & sit Turca inter ipsos Turcas.

61 Libuit hæc omnia sic per extẽsum ex præcedentibus doctrinis deducere, ad demonstrandum rectum, ac iustum sensum nostræ Congreg. eundemq; magis rationum pondere stabiliendum, eo quod audiam non deesse aliquem, qui iniustè, & nimis rigorosè Capitaneum N. prosequutum, & condemnatum fuisse teneat, debereq; innocentem declarari
62 affirmet. Sed absit tantus error, huiuscemodi declarationem exequi: iubilarent vtiq; piratæ omnes, si exequutam audirent, & quotquot caperent apostatas, nunquam huc reconciliãdos adducerẽt, sed pro libito securi de impunitate, vti Turcas quibuscunq; venditarent. Atq. hæc satis pro pręsenti, & pro tota Reg.

Quomodo inspiciendum Iudici, vel Inquisitori, an constet de delicto, vt abstineat à tortura? & quid si nihilominus eam infligat?

REGVLA CCCLX.

63 COmpilato iam processu informatiuo, ante quemcunq. actum iudicialem cõdemnatorium, tenetur Iudex, vel Inquisitor diligenter perscrutari, an in illo constet de
64 delicto in totum, aut in partẽ. Quod si reus in totum plenè conuictus reperiatur, nullo modo est torturæ subijciendus: si verò in partem, solum quoad eam torqueri debet, de qua non conuincitur, & respectu alterius partis de qua constat, in sententia decreti de torquendo reo apponenda est clausula pro-
65 testatiua, *sine præiudicio probatorũ*. Dato tamen casu, quod reus indebitè torqueatur pro eo, circa quod conuictus existit, tunc non ad pœnam ordinariam, aut sine tortura ei debitam, sed ad minorem venit condemnandus

Omnia

66 OMnia contenta in hac Regula æquè procedũt in causis S.Officij, ac in alijs criminalibus quorũlibet Tribunalium: Vndè non est cur de spectantibus ad reliqua prius, vt seruatum est Regula præcedenti, & post de spectãtibus ad nostra S.Inquisitionis aga- 67 mus. Circa primum itaq; de obligatione, qua post compilationem integram processus informatiui, antequam ad decretandum de tortura præcipuè infligenda deueniatur, astringitur quiuis Iudex, vel Inquisitor perspiciendi magna diligentia, an ex deductis in illo reus sit conuictus de delicto per testes contestes omni exceptione maiores, vel per aliam plenam & legitimam probationem, vt abstineat à tortura infligẽda, inde ostenditur 68 quia, vt iam supra hoc eodem libro à nobis traditum ex mente omnium scribentiũ, præcipuè Iul.Clar.§.fin.qu.64.vers.debet etiam Gotofred.in suis notis, ad l.1.ff.de qu.& Zanger.de qu.& tort.cap.2.nu.2.nunquam est inferenda tortura, nisi in subsidiũ aliarum probationum; ergò quando plenè constat de delicto, frustra illa refertur, imò vt benè aiunt Farin.in prax.q.40.nu.4.& Caren.3.par.tit.10 §.24.n.179.vers.quæstio hæc, fatuus est iudex qui reum sic conuictum torquet.

69 Hanc autem doctrinam, quod nõ sit tortura inferenda delinquenti, contra quem adsunt legitimæ, ac plenæ probationes de crimine commisso, vti prorsus certã, prẹter citat.Clar. Farinac.& Caren.adducunt Angel. de malef. in verb.fama publica, nu.94.Brun. in tract.de indic.à tort.par.2.qu.5.n.15.Mars.in pract.§. nunc videndum, num.... Conrad. in pract.tit. de nega.crim.& torm.nu.1. Aymo cons. 178. nu.10. Anto.Gomez tom.3.variar.resolu.to. 3.cap.13.rubr.de tortu.reor.nu.20.& alij re- 70 lati ab eod.Farinac. Qui DD.ferè omnes addunt, quod iudex torquens reum conuictũ plenis probationibus, teneatur de tali tortura in Syndicatu, & sit puniendus.

71 Nihilominus est aliquale dubium, an in aliquo casu, reo, licet plenè conuicto, possit licitè, & validè tortura infligi? & potest procedere vel attento iure communi, vel municipali alicuius Regni, seu Reip. Equidem si ibi extet lex disponens, quod nullus reus etiam cõuictus de delicto occulto, puta homicidio per plenam probationem vltimo supplicio possit affici, nisi ipsum proprio ore confitea- 72 tur. Vti extat in regno Siculo, & consequenter in his insulis Principatus Meliten.(qui illius leges in tractatione & expeditione cau- 73 sarum, vt plurimum sequitur) Motiuum verò iustissimum ferendi talem legẽ audio fuisse, quod ibi tunc abundaret iniquitas falsorum testium, & non raro innocentes suspenderentur. Lata itaq; hac lege, extra cõtrouersiam est, quòd dictus reus quantumuis plenè conuictus, ad eruendam veritatem delicti ex ore ipsius, iustè possit, & debeat torturẹ subijci, sicque practicari quotidie videmus, neque hoc maiori probatione indiget.

74 At iure communi attento, quid? Originalis, & celeberrima olim fuit Baldi sententia, quod possit iudex licitè inferre torturam reo etiam plenè conuicto, præsertim in casu criminis atrocissimi, ad effectum, vt per eã cõfessus nequeat appellare, apposita tamẽ cautela, & protestatione in decreto torturæ, ne plenæ probationes vllo modo elidantur, & per eas ille etiam tortus adhuc negatiuus existens condemnetur. Ita ille in l.1.n.9.C.de iuram.calum.in l.obseruare curabis, C.quorũ appellat.n.6.vers.& nota per hanc legem, & 75 in consil 364.n.3.lib.3. Hanc Baldi sententiã vti plausibilem, ob eam rationẽ, quia obuiat nè appelletur per calumniam, approbarunt alij autorẹs melioris notæ, vt Foller.in pract. crim.cap.31.in verb.tormentis mox subijciatur, Anto.de Alex.in addit.ad Bart.in l.1.§. si quis vltro, ff.de quẹst.Couar.pract. qu. cap. 23.nu.5.vers.huic sanè iudices, vbi perpendit textum in dict.l.obseruare curabis, & infra eod.n.5.vers.tertium itidem, &c.ex Martino Nauarro.in cap.inter verba, 11. q. 3.corollar. 64.affirmat Baldi opinionem ẹquam esse, maxime in sceleribus grauissimis, & valde enormibus; vbi reus plenè conuictus per calumniam ad effugiendam delicti punitionẽ iniquè non vult fateri. similiter etiam Matth. de Afflict.& alij, quos refert Farin.dict.q.40. num.19.

76 Nihilominus idem Farinac. n. 10. & ante ipsum, plures magnæ auctoritatis DD.vt Angel.in l.& si percussor, nu.1.vers.malè ergo faciunt, ff.ad Syllan.Marsil. in l.1.n. 16. & 17.ff. de quæst.Clar.§.fin.q.64.vers.veritas est, Frãc. Personal.in tract.de indic.& tort.nu.2.in fine Carrer.in tract.de appell, nu.45. & seqq Ant. Gomez variar.resol.to.3.cap. 13.nu.20.& 25. vers.quintò infero, ac reliqui citati ibid.à Farin.meritò opinionem Baldi non admittunt:

77 Imò aliqui ex eis, vti falsam, periculosam, & iniquam, ipsam reprobant, & aliqui asserunt illam iamdiu ab aula recessisse & quod derideretur sine dubio apud omnes, *vti iurisperitiæ ignarus*, si aliquis iudex dictam opinionẽ in casu particulari occurrẽte vsui applicaret.

78 Vndè pro confirmatione huius sufficit respondere ad rationem pro parte contraria adductã. Negat Ant. Gomez loc.citat quod obuiet iudex sic torquendo reum plenè conuictum, nè appellet per calumniam, quia si per torturam confiteatur delictum, adhuc poterit appellare: quod etiam videtur fuisse de mente Baldi in dict.l. obseruare curabis, C.quorum appella.nu.6.quod an ita sit, videbimus cap. sequenti, vbi de appellationibus 79 ex professo nobis agendum. Nunc pro legitima responsione dico, quod nullo modo sit admittenda appellatio, si apponatur per calumniam, & ea non obstãte, absq; tortura reus conuictus venit condemnandus: si verò appellatio non est calumniosa, sed iusta, quando respectu delinquentis conuicti sit admittenda, vel secus, cap. etiam sequenti dicemus.

80 Dixi in Regula, si sit plenè conuictus in totum, vel in partem, quod multipliciter potest intelligi: primò si eidẽ reo duo, vel plura objciantur crimina, & de vtroq. reperiatur plenè

plenè conuictus, quo casu nequaquam vllo modo torqueri debet; vel sunt plenæ probationes de vno, & ad altero secus; ac tūc pro huius vlteriori veritate habenda, ille torquēd. est, apposita protestatione, quod non infligatur tortura pro delicto de quo iam plenè constat. Ita Boss. in tit. de indic. nu. 130. Cyrill. in summa crim. in 2. partic. rubr. 29. de quæst. §. 11. nu. 15. Clar. §. fin. q. 64. vers. veritas est, in princ. & Farin. d. qu. 40.
81 n. 16. Hinc aliquandò in nostro Tribunali Meliten. habuimus reum Caluinismo, & Mahometismo affectū de primo conuictum plenè, & non de secundo, quoad intentionem, & ideo pro hac torturatum.

82 Potest secundò intelligi, si reus sit prosequutus pro vno tantum crimine, & reperiatur plenè conuictus quoad vnam partem, & non quoad aliam, vel non quoad circumstantias aggrauantes; tunc torquendus pro ea tantum parte, vel pro dictis circunstantijs, de quibus non liquidè cōstat, adiuncta protestatione, & clausula in decrero torturæ, sine præiudicio probatorum. Ita idem Farin. n. 17. cum Cyrill. vbi suprà cū Gram.
83 & Vulpell ab illo citatis. Occurrit sæpiùs in nostro Tribunali Meliten. reum esse cōuictum plenè de apostasia, quoad actus eius externos substantiales, nempè erectionem digiti, & prolationem verborū in recognitionem, & adorationē, Mahometis, nō verò quoad intentionē seu adhęsionē corde eius sectę, ac propterea solum fuisse pro ea torturatum, præmissa dicta protestatione.

84 Tertiò, potest intelligi, quod non sit cōuictus in totum, sed tantum in parte, quandò constat quidem plenè de crimine delinquentis non tamen de complicibus, mandatoribus, consultoribus fautoribus, & alijs particibus; & cum sint indicia, vel clarè appareat nō potuisse sine eis crimen committi, vbi reus non vult manifestare, torquendus est pro ipsorem manifestatione, facta eadem protestatione, seu apposita clausula,
85 sine præiudicio probatorū. Facit pro hoc text. l. etsi percussor certus, ff. ad Syllan. & ibi Angel. Couar. tract. 9. cap. 23. post n. 5. Clar. §. fin. qu. 64. versic. veritas est, Franc. Person. tract. de indic. & tort. n. 9. & cum alijs, quos citat Far. d. q. 40. n. 18.

86 Verùm quisnam effectus torturæ, si ea nihilominus infligatur reo pro delicto, de quo est planè conuictus? vel si dumtorquetur pro ea parte de qua non constat, interrogetur etiam de alia, quæ iam extat in processu plenè probata? Duæ sunt omninò opoositæ Doctorum sententię, altera Marsil. Boss. Boër. Carrer. Aym. & plurium apud Farin. dict. qu. 40. nu. 6. affirmantium, euod tunc sit absoluendus, & relaxandus reus, quandò torquetur super delicto, de quo repeitur plenè cōuictus, si persistat in negatiua, licèt pręmiserit iudex, seu Inquisitor protestationem, & clausulam in decreto de illo torquendo, sine
87 præiudicio probatorum. Ratio indè sumitur, quia talis protestatio est contraria facto, & per torturam in eo casu non solùm vrgentissima indicia, sed plenę etiam probationes purgari cen-
88 sentur. Tanta enim est vis torturæ, vt in hac persistens negando, aut non persistens confitēdo, quidquid dixerit, puram veritatem dixisse pręsumatur: quod testatur Cicero in Topicis ad Trebatium, & approbant Glos. in l. edictū, verb. efficacissima, ff. de quæst. Alber. ibi n. 3. Couarr. pract. qq. cap. 23. n. 5. vers. nam & verberib. Clar. §. fin. q. 64. vers. illa verò tortura, & Gram. decis. 8.
89 post n. 1. & decis. 96. n. 3. Vbi hinc deducit, quod homo persistens in tortura, sit melior reputandus, quam ante accusationem reputabatur.

90 Altera sententia opposita est eiusdem Marsil. sibi contradicentis, seu moderantis suum dictū in singul. 108. incip. alias fui interrogatus, Bald. in cap ad nostram, versi. & nota, extrà de probat. Carrer. in pract. 2. tract. de indic. & tort. §. viso igitur, n. 31. Ant. Gomez variar. resol. tom. 3. c. 13. n. 20. vers. sed aduertēdum, Foller. in pract. crim. verb. etsi confitebuntur, par. 3. n. 110. & reliquorū quos copiosè citat Farin. ibid. n. 7. asserentium nequaquam purgatas manere per torturā probationes criminis, ac propterea ea non obstante, posse reum condemnari non aliter, ac si tor-
91 tus minimè fuisset. Adducitur in probationem text. ex l. qui sententiā, C. de pœnis, & ratio efficax inde videtur sumi, quia aliter dicendo sequeretur absurdum quod iudex per indirectū torquendo reum plenè conuictum liberaret ipsum à condigna pœna, contra text. in l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. & in cap. cum quid vna via, de reg. iur. in 6. atq. hinc manerent delicta, etiam enormissima, impunita in præiudicium Reipub.

92 Pro legitima tamen resolutione huius grauis difficultatis, declinandum ab vtroq; extremo, & media via incedendum, vti incedunt Boss. in tit. de inquis. n. 30. Paris de Puteol. in tract. de synd in verb. textus. cap. 10. Clar. §. fin. q. 64. vers. illa verò tortura, Franc. Personal. in tract. de indic. & tortu. n. 4. & cū alijs per eum citatis, Farin. ibid n. 11. & seqq. docentes talem reum plenę conuictum, & nihilominus à Iudice imprudenter tortum, aut interrogatū in tortura circa eam partem, de qua sūt plene probationes, neq; esse absoluendum, ac prorsus liberandum, neq; puniendum pœna ordinaria, sed tātum extraordinaria.
93 Probatur inde, quia tortura debet aliquid prodesse reò, cum sit species probationis, vt ait Cranett. consil. 35. n. 20. & loco testium succedat, teste Farin. cons. 6. n. 28. sed non est æquum, vt liberet reum ab omni pœna, ergò saltem debet liberare à pœna delicti ordinaria.

94 Clausula autem illa, *sine præiudicio probatorū*, nequaquam obstat: nam si reo conuicto infligatur tortura, & in ea parte, in qua est conuictus interrogetur; talis protestatio vti contraria facto nequit prodesse fisco, vt cum Mario Giurba cons. crim. decis. 42. n. 9. & cum alijs Doctoribus benè aduertit Caren. 3. par. tit. 10. §. 24. nu. 180.
95 Qui n. 181. ait ex Symanch. de Cathol. instit. tit. 63. n. 56. & Cantera de reo, q. 12. n. 13. adeo mirabilem esse vim torturę, vt purget indicia, & causet effectū elidēdi modo d. plenas probationes, etiamsi reus fuerit tortus à iudice incompetente; & addit ibi Canter. se vidisse sic practicari in Concilio supremæ Inquisitionis Hispaniarum, atq; hanc praxim vbiq; à iudicibus, vel Inquisitoribus iudico esse admittendam.

96 Quandò item reus non conuincitur plenis probationibus, sed solum grauatur indicijs val-

dè vrgentibus, & indubitatis, aut præsumptionibus, & coniecturis euidentibus, ac violentis, ex quibus poterat forsan dici conuictus de iure, ob difficilem criminis probationem, si iudex omissa via condemnationis, aliam torturæ sumat, torqueatq; illum acriter, iuxtà qualitatem, & grauitatem indiciorum, tunc abstinere debet ab infligenda pœna non solum ordinaria, sed etiam extraordinaria corporis afflictiua, vt triremium, &
97 iniunget ei minorem, vt exilij, &c. Ita post Boss. in tit. de sent. nu. 70. Francis. Personal. in tract. de indic. & tort. n. 5. in fin. Cep. in cons. 31. n. 18. & alios per ipsum relatos Farin. d. q. 40. n. 13. & seqq. Qui probat ex praxi, & stylo Vrbis: & quoniam in dicto casu reus taliter indiciatus, absque tortura non potuisset
98 condemnari, nisi ad pœnam extraordinariã corporis afflictiuam, vt ex mente plurium docet Farin. ibid. n. 15. ergò cum tortura debeat aliquid operari in fauorem delinquentis, hic ad pœnam minorem, vt exilij, condemnaudus est. Sed de his nos Deo dante opportunius acturi infra lib. 6. nostri operis.

99 Tandem protestatio non iuuat, & est contraria facto, censeturq; reus in tortura interrogari de delicto iam plenè probato, quando non specificato per Notarium interrogatorio, tantum dicitur, & ad opportunam interrogationem Domini, respondit, &c. Nam tunc, cum reus persistendo in negatiua dicti criminis plenè probati respondeat, præsumitur, quod à iudice de eo fuerit interrogatus; nam subsequens responsio indicat qualitatem præcedentis interrogationis, & huic semper iudicatur conformis responsio. Ita cum Natta lib. 1. cons. 98. n. 22. Baiar. in addit. ad Clat. q. 64. n. 26. & cum alijs, quos citat, Fa
100 rin. d. q. 40. n. 23. & 24. Qui benè n. 25. addit ex Bursatt. cons. 346. n. 3. lib. 4. idem prorsus esse, si iudex, aut Inquisitor interroget, seù moneat reum in communi ad dicendam veritatem dum torquetur pro ijs, de quibus nõ est conuictus, & ipse respondeat negando delictum principale, quod iam plenè probatum extat; quia super hoc tunc præsumitur facta interrogatio, seu monitio, nec iuuat ptotestatio præmissa, siue clausula apposita, sine præiudicio probatorum. Atq; de ijs satis.

Quænam alia à Iudice, vel Inquisitore seruanda antè torturam immediatè, vt hæc sit iusta, ac valida?

REGVLA CCCLXI.

101 ANtequam Iudex, seu Inquisitor ad infligendum torturam deueniat, vt iustè, ac validè id præstet, tenetur defensiones vna cum copia indiciorum dare reo, non verò, vt plurimùm testi torquendo. Prospice-
102 re item debet, sint ne per illas purgata indicia, seù potiùs adsint adhuc sufficientia in casu particulari pro inferenda reo tortura.
103 Debet præterea proferre interloquutoriã de torquendo illum, & in decreto eius apponere solitam clausulam, citrà præiudicium probatorũ, &c. vt præseruetur ius Fisci. Reus
104 deniq; pluries à Iudice, vel Inquisitore monendus, ante torturam ad veritatem fatendam, cui adhuc neganti decretum de infligenda ipsi tortura notificandum.

---

105 DE obligatione, qua astringitur iudex vel Inquisitor dãdi reo defensiones maximè antè torturam, actum à nobis ex professo c. 2. huius 4. lib. n. 11. & ostensum ex l. vnius, §. cogniturum, ff. de quæst. & ex l. defensionis facultas, C. de iure Fisci, estq; com-
106 mune, ac certum apud DD. Additum etiã à nobis ibid. n. 75. & seqq. qualiter testi torquendo ob variationem, vel mendacium in sua depositione, si de his constet, negari semper possint defensiones, vt docet eruditè Farin. in prax. crim. q. 39. à n. 116. cum limitatione tamen, quam cum eo d. c. 2. n. 77. expressi-
107 mus, quò lectorem remittimus. Nunc obiter hæc attingere opportunum duximus, vt de praxi tota, & de seruandis à Iudice, aut Inquisitore ante torturam simul tibi innotescat, vide Carenam d. tit. 10. §. 21. n. 159.

108 Quoad secundum, quod sequitur in nostra Regula, etiam traditum pro magis exprimẽda praxi circa hoc punctum de torquẽdo legitimè reo, & pro indicando discrimine inter ista duo, quæ inter se omninò differunt: primum, scilicet, quænam indicia, seu præsumptiones, in communi loquendo, sufficiãt ad inferendam reo torturam, & de hoc copiosè tractauimus toto c. 4. & 5. huius lib. 4. discussis quibuscunq; materijs ad S. Officium spectantibus pro tali sufficieutia indaganda.
109 Alterum est, an hic, & nunc, in casu particulari occurrente adsint sufficientia indicia ad torquendum reum, seù potius per exceptiones, & defensiones ab eo exhibitas elisa maneant? & de hoc secundo in præsenti loquimur, & doctrinaliter asserimus cum Carena d. §. 21. n. 158. & cum alijs ad id perpendẽdum teneri iudicẽ, aut inquisitorẽ, neq; hoc doctrinale assertum alia indiget probatione.
110 Circa obligationem proferendi sententiã interloquutoriã de reo torquendo, nullus auctorũ dubitat; & ad id teneri, vt certũ testantur Brun. in tract. de indic. & tort. p. 2. q. 9. n. 19. vers. sed si non eunt, & q. 5. nu. 13. vers. & plus ibi dicit, vbi allegat Bart. in quodam suo Cõs. incip. pũctus questionis, Foller. in pract. crim. verb. & si confitebuntur, in 3. p. 3. partis, n. 74. Ant. Gomez var. resol. tom. 2. c. 13. n. 21. vers. & subdit, ff. pe q. Francis. Personal. in tract. de indic. & tort. post, n. 1. & Farin. in prax. crim. q. 38 n. 7. qui vbi plures citat, pręcipuè Arnen. sing. 39. incip. multi sunt Iudices; Addẽs ex eo per
111 sequentia verba. Vbi, inquit, reprehendit illos Iudices, qui sitientes sanguinem humanũ potius, quã iustitiã, & cupientes haberi iusti, cũ nõ sint, nolunt pronunciare reũ esse torquendũ, vt euitent appellationẽ à dicta interloquutoria interponẽdam. Hæc ille: an, & qualiter sit locus appellationis à decreto torturæ inferendę, explicabitur c. sequenti.

De

112 De modo autem proferendi interloquutoriam potest esse dubium; nam, vt patet ex Iure, cap. sicut, & cap. Bertoldus, extra de re iudicata, in sententia non debet exprimi causa eius: estq; hoc commune proloquiũ iurisperitorum, atq; censeretur fatuus teste Farin. cit. n. 8. Iudex, qui eam exprimeret, ergò cum interloquutoria de reo torquendo sit vera sententia, in ipsa non videtur facienda talis expressio.

113 Nihilominus in praxi communiter seruatur, vt iudex quiuis interloquens de reo torquendo, summatim recenseat omnia indicia, & omnes pręsumptiones, quibus inducitur ad torturam ei inferendam, quod est exprimere causam in huiusmodi sententia. Ita idem Farin. cũ Alber. in l. properandum, §. illo, n. 34. & seqq. C. de Iud. August. ad Ang. de malef. in verb. & quia nobis, n. 4. & cum Iul. Clar. §. fin. q. 93. vers. 114 fuit aliquando dubitatum. Vbi tamen affirmat apud ipsum in sententijs criminalib. definitiuis non inseri causam, nisi quando reus in contumaciam condemnatur, vt idem met Clar. docuerat in q. 44. vers. videamus.

115 Quod item sit obligatio apponendi in decreto de torquendo reo, clausula solita, citra praeiudicium probatorum, vel confessi, & conuicti, inde constat, quia ex ea apposita praeseruatur ius fisci, & sequitur, quod plenè probata non elidantur per torturam; dummodo super eis in specie reus non interrogetur. Tradũt Boss. de indic. ante tort. n. 130. Binsfeld. lib. 7. q. 1. concl. 3. C. de malef. & mathem. Diana 4. par. tract. 6. resol. 32. Carena d. tit. 19. §. 21. nu. 159. & alij communiter.

116 Ante torturam deniq; quòd reus sit multoties benignè monendus, & excitandus ad veritatem fatendam, aequitas ipsa postulat; cum per illam damnum irreparabile ipsi reo inferatur: ergò dictae monitiones, & excitationes pro eruẽda veritate pręcedere debent, suntq; exequendę hoc modo, vt in vnum breuissimè colligantur omnia indicia contra reum militantia, ac ei objiciantur. Docent praeter alios, praecipuè Gilhaus. p. 7. sect. 3. n. 30. Cartar. in prax. interrog. reor. lib. 4. c. 1. n. 59. & 60. atq; Carena vbi 117 supra, n. 163. Qui cum eodem Cartar. ibid. addit benè, quod dum monetur, & excitatur reus dicto modo, debeat fieri ei comminatoria, aliàs deuenietur ad remedia iuris, & facti; ita etiã 118 Farin. d. q. 38. n. 7. in fin. Vbi aduertit esse legẽdum Flam. Cartar. in primis circa formam decreti de torquendo reo, quo persistente in negatiua, ad ipsum formandum, & ad proferendũ sententiam interlocutoriam procedendum est. Atq; his tota doctrina praesentis Regulę probata manet.

Ab initio inferendae reis torturae vsq; ad finem quaenam à Iudice vel Inquisitore seruanda?

REGVLA CCCLXII.

119 VBi plures ratione eiusdem delicti sunt torquendi, ab illo regulariter inchoandum, à quo verisimilius est veritatem facilius 120 erui posse. Item dum ligatur ad tormentum funis subeundum, aut initio dum alteri tormẽto vsitato subijci incipit, à Iudice, vel Inquisitore benignè moneri debet, vt veritatem fateatur; quę benigna monitio bis, vel ter, aut pluries iudicis arbitrio est iteranda, quandiù sub tormẽto funis, vel alterius speciei reus manet. 121 Quod si hic tunc aliquod impedimentum opponat, ratione cuius appareat non posse torqueri, supersedendum est à tortura, & cum peritis iuramento astrictis, an ita sit, examinan-122 dum. Reus tamen in tortura iam eleuatus, nõ facilè sub aliquo praetextu est deponendus, nisi prius veritatem saltem quoad substantiam confessus fuerit.

---

123 FAcilia, & communiter à DD. recepta sũt omnia, quae in hac Regula continentur ac proinde per partes breuiter declaranda. Primam vt certam, & rationi consonam docent Binsfeld. l. si excepta, q. 1. 1. cõcl. 9. C. de malef. & & mathem. qui vult inchoandam esse torturam ab eo, qui timidior est, & tenerae aetatis. Simi-124 liter Gilhaus. p. 7. sect. 3. n 36. asserens super l. 1 §. idem Hadr. ff. de quaest. quòd ob veritatem facilius eruendam, prius foemina torquenda sit quàm masculus, priùs vxor, quàm maritus, & fi-125 lius, quàm pater. Ac Carena, 3. p. tit. 10. §. 21. n. 162. addens cum Praes. Abauo, quem citat, inter masculos incipiendum esse à minori, & vi-126 liori. Ratio est, quia Iudex, seu Inquisitor, sic inchoando torturam ab illo reo, à quo verisimilius iudicat posse veritatem facilius erui, prudenter, ac iustè operatur, nullamque ei iniuriam infert; ergò licitè id praestat, ac pro obligatione sui muneris praestare debet.

127 Secundam, quod reus dum ligatur, aut alteri tormento vsitato subijcitur, sit statim initio benignè monendus, vt veritatem fateri non vltra differat, testantur omnes, praecipuè Cartar. in praxi, lib. 4. c. 1. n. 80. & Caren. loc. cit. n. 166. Qui 128 cum Iul. Clar. §. fin. q. 64. vers. item debet, & cũ Gilhaus. in arb. iud. crim. c. 6. p. 7. sect. 3. n. 22 aduertit benè, quod iudex, vel Inquisitor debeat vti tormentis vsitatis, non inusitatis: quod nos attingimus in Regula, & alibi ex professo tractauimus.

129 De benigna item monitione bis, aut ter, vel arbitrio Iudicis, saepius, ad veritatem fatendam iteranda, agit idem Caren. d. tit. 8. §. 6. n. 35. & 36. cum Cartar. vbi supra, n. 81. neq; de hoc ali-130 quis dubitat. Potest tamen esse dubium circa modum iterandi hanc monitionem pluries, an semper sint reo objicienda indicia, quę contra eum militant, quoties denuo monetur. Cartar. 131 ibid. in partem affirmantem inclinat. Sed bene Farin. in prax. q. 83. n. 88. quem sequitur Carena relatus, negantem tenet, asserens, quod sufficiat, si in vltimo constituto ante torturam fuerint illi obiecta, & postea, dum torquetur, tantum in genere moneatur ad fatendam veritatem, de qua alias fuit interrogatus ob praesumptiones ipsi obiectas.

132 Addit etiam optimè idem Farin. n. 36. faciendam esse à Iudice, aut Inquisitore talem monitio-

nitionem animo sedato, non insolenter, nec importunè; & multò magis abstinendũ esse ei à minis, nempè quod sit vsurus grauioribus tormẽtis, nisi veritatẽ fateatur: Atq; hoc etiã docet Iodoch. in praxi crim. c. 37. de q. n. 9. & ex vtroq; adducit Caren. d. tit. 8. §. 6. n. 34.

133 Contingit item aliquando, quod delinquẽtes, dũ sunt in actu torturæ, opponant de aliquibus impedimentis, propter quæ nõ possint vlterius torqueri, vt de magna debilitate, aut infirmitate, de periculo graui mutilationis membri, vel etiam vitæ, &c. Eo casu occurrente, cum aliqua probabilitate, seu verisimilitudine, supersedendum est à tortura, & quamprimum vocandi sunt periti, qui cum iuramento decernant, & asserant, an possit reus eo tormenti genere torqueri, absque vllo simili periculo: iniungitur etiam eis in Tribunali S. Inquisitionis iuramẽtum silentij: Ita cum Præside Abauo de reatib. q. 19. nu. 94. Caren. vbi supra n. 167.

134 Nihilominus quãdiù rei manent eleuati in tortura, & decurrit tempus vnius horæ, aut dimidiæ, vel breuius, per quod iudicatum fuit torquendos esse, non facilè deponendi sunt sub prætextu, quòd nimis pati asserant, vel quod depositi veritatem statim fateri offerant, nisi prius in ipsa tortura eam substan-

135 tialiter saltem manifestẽt. Ratio est, quia in huiusmodi depositione per quantumuis breue tempus exequuta, reos assumere vires, ac difficilius ab eis postea veritatem erui, constat ex varijs casibus, qui occurrerunt, præci-

136 puè ex illo, cuius meminit Frãc. Ber. Porrus, in addit. ad Ambrosin. lib. 1. c. 6. n. 42. quod quidam reus de crimine nefando imputatus, cũ sub prætextu veritatis manifestandæ fuisset à tortura depositus, denuò ad eam eleuatus adeò obstinatus manserit, vt nequaquam ab eo veritas haberi potuerit; & quod ipse postea beneficiũ suę liberationis ab vltimo supplicio, ob nõ confessũ delictũ illi depositioni tribueret. Tradit vt certũ Caren. lo. cit. n. 170.

137 Dixi, & decurrit tempus vnius horæ, quia regulariter nõ est torquendus reus vltra horam, vt testatur ex communi praxi adductus Porrus, in addit. ad Ambrosin. lib. 4. cap. 3. addens ibi, quod nullum vnquam viderit iudicem vltra horam torquentem reos. Testatur etiam cum eo Carena ibid. n. 171. Qui n. 168

138 benè ex Gilhaus. supra adducto sect. 3. n. 50 aduertit torturam debere esse moderatam, iuxta qualitatem indiciorum, & in hoc non posse dari regulam certam, atq; ad hunc effectũ adhibendũ esse horologiũ. Dictis itaq; iam plenè satisfactum præsenti instituto.

Post torturam reo inflictam, quænam à Iudice, aut Inquisitore seruanda, maximè quoad ratificandam eius confessionem?

REGVLA CCCLXIII.

139 PEr tempus præscriptum reus sufficienter tortus, iussu Iudicis, vel Inquisitoris, à tortura depositus, statim dissoluendus, & brachijs adaptatis reuestiendus, ac in locũ

140 suum reportandus. Quod si in tortura crimen fateatur, nulla est habenda ratio talis cõfessionis, nisi hanc trãsacto interuallo vnius saltem diei, in loco, vbi tormentorum instrumenta videre non possit, coram iudice

141 ratificet. Quæ ratificatio etiam requiritur in confessione emanata ex comminatione, & metu torturæ proximo. vt si fiat in loco torturæ dum ligatur; secus in emanata ex metu, & comminatione solùm verbali.

142 Pari modo ratificatio necessaria in confessione habita per torturam, licet præcesserit cõfessio delicti extraiudicialis plenè probata.

---

143 CErtum prorsus est, quod in hac Regula primo loco traditur: nempè, quocunq; modo se habeat reus in tortura, siue confitendo veritatem, siue eam negando, postquam fuit sufficienter tortus per tẽpus assignatum in decreto sententiæ interloqutoriæ de eo torquendo, debere Iudicem aut Inquisitorem iniungere officialibus, vt quamprimum à tortura depositum ipsum dissoluant, & brachijs adaptatis reuestiant, ac

144 in locum suum reducant. Interim à Notario ista in processu scribuntur, adiuncta clausula solita, Animo tamen illum torturæ iterũ subijciẽdi, quatenus opus fuerit. Ita Iul. Clar. §. fin. q. 64. vers. vltimo videndum, Cartar. in prax. lib. 4. c. 1. n. 116. & Caren. vbi infra.

145 De secundo item nullum dubium apud auctores, quòd nullius sit momenti confessio criminis à reo facta in tortura, nisi per eum post tormenta, transacto interuallo vnius diei, in loco vbi ipse instrumenta torquendi videre nequeat, coram Iudice ratificetur. Docet Glos. in l. seruos, C. ad l. Iul. de vi public. Symanch. in cathol. instit. tit. 65. nu 67. Clar. loc. cit. vers. cęterum si reus, Cantera in quæst. crim. cap. 2. de probat. per testes, q. 1. n. 29. Farinac. de hæres. q. 185. n. 150. post Eymer. 3. p. Direct. rubr. de tertio modo terminandi processum, n. 157. vers. si autem in quæst. & præter alios Castr. Palao, in Opere morali, tract.

146 4. disp. 8. pun 9. n. 15. vbi sic ait: Et in primis aduerto, confessionem factam in tormentis debere ratificari; alias ex illa condemnari non potest, & paulo post exprimit modũ, quo inducendus est reus ad id faciendũ dicens: Vt autẽ ad ratificationẽ inducatur reus cautè Inquisitor procedat, primò, interrogãdo eum in genere, an confessionẽ factam approbet: deindè eam in particulari proponat, & per extensum legat, & perquirat, an quæ lecta sunt, sint ea, quæ fassus est. hæc ille.

147 Verum prædicta doctrina de ratificatione cõfessionis post torturã, intelligitur respectu reorũ tantũ, & nõ respectu testiũ; nã ratificatio nullo modo est necessaria ad corroborãdã cõfessionẽ, seu depositionẽ cuiusuis testis factã in tortura, vt patet ex praxi vniuersali quorũlibet Tribunaliũ, in quibus sic obseruatur. Adducunt cũ alijs Farin. in prax. crim. q. 39. n. 136 & Carena d. tit. 10. §. 23. n. 179. meritò reijciens Baiardum oppositum tenẽtem.

Quin

148 Quin etiam respectu reorum intelligi debet pro prima vice solum; quippè si reus ductus ad ratificandam suam confessionem in tortura factam, nolit ratificare, sed eam reuocet, iterum torquendus est, etiamsi indicia, quæ erant contra ipsum fuerint omninò euacuata per primam torturam acrem, vt confessio in tortura denuò ab eo eruta valeat, & sufficiens sit, non obstante illa reuocatione præcedente. Ita Cantera dict. cap. 2. q. 1. n. 66. & Carena ibid. n. 195. vbi cum illo ait, sic fuisse determinatum à supremo Concilio 149 S. Inquisitionis. Ratio efficax huius doctrinæ indè sumitur, quia ex dicta reuocatione confessionis habita in tortura insurgit nouum indiciũ sufficiens ad torquẽdum reum, teste Farin. cum alijs citandis: ergò debet denuò torqueri, vt cõfessio per torturam ab eo eruta, & postea extra illam reuocata, denuò ab ipso reo torto eruatur & valida fit, ac sufficiens; sed de hoc iterum Regula sequenti.

150 Sed quid, si sit confessio à reo per comminationem tormentorum extorta? indiget ne ratificatione dicta? Huic quæsito respondetur sub distinctione, quòd duplex sit comminatio; alia realis, & proxima inijciendo metum reo in loco torturæ dum ligatur, &c. tunc si confiteatur delictum, hęc confessio debet ab illo ratificari, vt valeat. Ratio est, quia in hoc casu metus torturæ idem operatur ac ipsa tortura. Ita Pegna 3. par. direct. comment. 39. Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 39. n. 42. Diana resol. moral. tract. 6. resol. 22. vers. notandum est tamen, & Caren. 3. par. tit. 10. 151 §. 23. n. 176. Alia verò comminatio est verbalis tantum, & remota à tormentis, per quam si à reo delicti confessio extorqueatur, hęc absq; vlla ratificatione valebit, & sufficiet ad eum condẽnandum. Ostenditur ex opposita ratione, quia cum metus iniectus per talem comminationẽ sit remotus à tortura, & leuis, non potest actuali torturæ æquiparari. Ita ijdem Sousa, & Carena locis citatis.

152 Vltimo loco exprimitur in nostra Regula illud, quod cõmuniter à Doctoribus admittitur præcipuè à Pegna 3. par. Direct. commen. 110. à Symanc. Cathol. instit. tit. 65. n. 70. à Farinac. q. 83. & 81. & à Diana, dict. tract. 6. resol. 12. vers. nota 2. quod, nempè debere ratificari modo dicto cõfessionem in torturã emanatam, licet præcedat confessio extraiudicialis delicti plenè probata. 153 Ratio est, quia confessio per torturam extorta nullum affert reo præiudicium absq. ratificatione, & habetur ac si non esset facta, vt iam diximus, extraiudicialis autem confessio licet sufficiat ad torquendum, non tamen ad condẽnandum; ergò illa ratificari debet, vt sit sufficiens ad 154 condemnationem. Quidquid dicant in contrarium alij, vt Mascard. de probat. lib. 1. conclus. 353. nu. 24. & fuerit sic decisum per Senatum Sabaudiæ, quod non requiratur dicta ratificatio, vt refert Fabr. in suo Cod. lib. 9. tit. 21. de q. deff. 22. extra illum tamen Senatum, teste Farin. cit. nullibi eius decisio seruatur.

155 Quoad circumstantiam temporis dixi, debere fieri rationem transacto ad minus spatio 24. horarum. Atq; hanc esse praxim in omnibus Tribunalibus S. Inquisitionis Hispaniarum, testatur Anto. Gomez tom. 3. var. cap. 13. nu. 24. & patet ex Toletana instruct. anno 1561. n. 53. licet Bart. in l. 1 §. Decius Seuerus ff. de qu. id arbitrio iudicis, aut Inquisitoris esse remittendum sentire videatur, cui alij adhærent, vt ait citatus Diana, 156 cum nihil in iure circa hoc sit dispositum. Verum bene asserunt Pegna 3. par. direct. commen. 39. n. 158. & Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 39. n. 43. benignius esse, vt talis ratificatio exequutioni mãdetur transactis duobus, vel tribus diebus post inflictam reo torturam, ne adhuc tormentorũ dolor, & vehemens animi perturbatio durare videatur. Atque his præsens Regula clauditur.

Quando, & quoties possit à iudice, vel Inquisitore iterari tortura, maximè si adsint noua indicia.

REGVLA CCCLXIV.

157 SI iudex sit dubius, habeatnè iustam causam repetendi torturam, ab eius repetitione abstinere debet: similiter si dubitet fore, attenta qualitate personę, vt reus secundo, vel tertio 158 tortus enormiter lædatur, aut moriatur. Excepta hac duplici limitatione, repeti potest tortura vsq; ad tertiam vicem (sed regulariter non vltra eam) quando indicia, eo quod reus fuerit prima, & secunda vice leuiter tortus, non manẽt prorsus euacuata; vel quando noua adsunt specie 159 seù substantialiter à prioribus distincta. Probabile item est, quòd reus, si bis tortus fateatur, & suam confessionem reuocet, possit tertio torqueri; probabilius tamen oppositum.

---

160 PRo prima limitatione faciunt textus in l. si de interpretatione, & in l. si præses, ff. de pœnis: pro secunda verò text. in l. vnius §. 1. ff. de quæst. ex quibus desumitur ratio conuincens, quia vbi iudex, aut inquisitor dubitat, an adsit causa sufficiens repetendi torturam, vel an per eam repetitam, sit reo illaturus enormem lęsionem, aut mortem, ob debilitatem ipsius, in partem leniorem, & mgis fauorabilem illi propendere debet, iuxtà regulã tritam, & communiter receptam, In dubio pro reo; ergo à repetitione torturę tunc abstinere tenetur. Ita Martin. de Rio lib. 5. disquis. magic. in 2. Append. q. 31. vers sed quæritur cum Iul. Clar. §. fin. q. 64. nu 35. vers hæc autem omnia, cum Gandin. de qu. nu 4. & cum Farin. q. 38. n. 89. vbi breuiter exprimit primam limitationem.

161 Copiosius autem secundam n. 82. per sequẽtia verba: Etiã quod indicia essent multum vrgentia, & multum manifesta, non per hoc reus est semper torturæ repetendus: sed ita demum si fuerit persona robusta, & quæ animo, & corpore duratura primæ torturæ resistentiam fecerit; alias secus, etiam quod sit grauatus pluribus indicijs multum vrgentibus, & multum manifestis. Ratio est in promptu, quia tortura dicitur grauis, & leuis, sufficiens, & insufficiens, non tantũ respectu tẽporis, sed etiam respectu qualita- 162 tis personę. hactenus ille. Adducitq; pluracir-

ca idem,& probat per text.ex d.ſ.1.in l. vnius, ibi,in illis maximè,ſi in tormentis animus, corpuſq;durauerit : ac citat pro ſe diuerſos,præcipuè Parid.de Puteo de Syndi.verb.tortura, c.4. n.5.Foller.in prac.crim.verb.etſi confitebuntur, n.28.& Carrer.tract.2. de indic.& tort. §.circa ſextum,de repetit.n.7.

163 Quod item excepto duplici caſu dicto,poſſit reus ſecundo,& tertio torqueri,quando per primam torturam indicia multum vrgentia, & grauia non eliduntur,eo quod fuerit leuis,& inſufficiens ad hunc effectum elidendi ea,patet ex text in dict.l.vnius ſ.1.docentq;ibi Bart. in prima oppoſitione,& in l.repeti,ff. de qu. Ang.in pract. verb. quod fama publica nu.95. Boſſ.tit. de tort.nu.42. Clar.ſ.fin.q.64.nu.45. Farin. dict. q.38.n.47.cum ſeqq. & Mart.del Rio,loc.cita.

164 Qui ibi,verſ.quod ſi ſint,benè aduertit,ſolere prudentes iudices à leuiori tortura inchoare nimirum,ſi reo indicijs grauato,iuxta decretum ſententiæ inteloquutoriæ per ſpatium vnius horæ torquendo,prima vice infligatur tortura per medietatem quadrantis; ſecunda per quadrantem,& dimidium: tertia verò per reliquum horæ,ſic exemplificat idem Farin.vbi ſupra, nu.83. variatis aliquantulum terminis quoad temporis partitionem,quam eſſe arbitrariam Iudici,vel Inquiſitori,quod hoc,aut illo modo fiat, cum

165 eodem Farin.ibid. adiungo. Quamquam ipſe n.87. relatis diuerſis auctoribus,vt Baldo, Carrer.Pari.de Puteo.Marſil.aſſerentib. abſolutè repetitionem torturæ eſſe relinquendam arbitrio Iudicis,n.88.prorſus contradicit affirmans,quod cum eius arbitrium debeat regulari à iure,iuxta veram doctrinam omnium, non poſſit eam repetere,niſi caſu à iure expreſſo,nempe,vel quãdo reus non fuit ſufficienter tortus, vel quando indicia erant multum vrgentia, & multum ma-

166 nifeſta: verba ſunt ipſius Farin. Qui addit ſic. Benè verum eſt, (& in hoc conſiſtit arbitrium) quod an reus fuerit leuiter, an verò ſufficienter tortus,& an indicia ſint multum vrgẽtia,& multum manifeſta,eius diſcretioni remittitur. ita ille, nullum pro ſe citans.

167 Verum per dictum additamentum nõ videtur recedere Farinac.à ſententia illorum auctorum, qui iuxta illud poſſunt interpretari; ſicuti in ſimili loquutione interpretandi ſunt alij, vt Foller.in pract.crim.verb.etſi cõfitebuntur n.78. verſ.ſic erit arbitrariũ,Clar.ſ.fin.q.64.verſ.vltimo videndum eſt, & Menoch.de arbitr.q.lib.2. caſ.

168 172.n.2.Aut melior fortè eorum mẽtis interpretatio,quod loquantur iuxtà doctrinam, quã vt certam hoc eod.lib.cap.4.Regul....nu.298.cũ Pegna & Souſa ibi relatis tradidimus: nimirum eſſe arbitrarium Iudici,vel Inquiſitori,procedere contra reum indiciatum,vel abſq;tortura vlla iuxtà qualitatem indiciorum perpenſis omnibus ad condignam pœnam,& abiurationem,ſi cauſa ſit fidei,condemnando; vel è contra inflicta acri tortura,vna, vel duplici, aut triplici vice,modo dicto, per quam omninò purgentur indicia, ſi in negatiua perſiſtat,eum liberum relinquendo; vel illata ei tortura leui, ſeù non ſufficienti ad euacuanda indicia,cum pœna aliquali, & abiuratione, in cauſa S.Officij, ipſum expediendo.

169 Conſtat item ex iure, l.repeti ff.de queſt.& l. vnius § 1.ff.eod.poſſe ſecundo, & tertio reum torqueri,ſi inſurgant noua indicia contra eum, diſtincta tamen à prioribus ſpecie,ſeu ſubſtantia, licet euacuata per precedentem torturam iſta maneant. Ita Martin.del Rio,vbi ſupra cum Iul. Clar.dict.q.64.nu.35.verſ. vltimo videndum, &

170 Farin.in prax.crim.q.38.nu. 77. Qui citatis ibi multis auctorib.idem affirmãtibus,vt Boſſ.Carrer.Marſ.Menoch.Franc.Perſonal & alijs,ſic proponit exemplum,cum Ang.de malef.verb.quod fama publica,n.98.Verbi gratia, prima indicia reſpiciebant malã famam inquiſiti, vel eius inimicitiam cum occiſo, & ex illis ipſe reus fuit tortus, & nihil falſus eſt; ſuperueniat poſtea vnus teſtis,qui deponat ſe vidiſſe eundem reum vulnerare, vel eundem vidit cum gladio euaginato:talia, inquit, dicuntur noua indicia, quia differunt à primis ſpecie,vel ſubſtantia,&ex illis poteſt reus etiam ſemel tortus,iterum torqueri.

171 Verum, ſi primus reus habuit contra ſe indicium famę probatę per aliquos teſtes, & ex illis tortus perſtiterit,non poteſt amplius repeti,etiã quod ſuperueniant alij teſtes,non inducunt nouum indicium,ſed nouam probationem veteris indicij, quæ ad repetendum torturam non ſufficit. hactenus ille.

172 Alio exemplo clarè oſtenditur eadem pars negatiua, quod non ſit iteranda tortura, vbi indicia, quæ de nouo inſurgunt, ſunt eiuſdem ſpeciei cum prioribus: vt ſi quis, ob patratum ſortilegium ex depoſitione vnius ſocij criminis cum alijs adminiculis fuit tortus, licet poſtea duo alij ſocij criminis contra eum deponant, nequaquam eſt denuo torquendus, ob rationẽ dictam,quia iſti ſic deponentes non faciunt indicium ſpecie, & ſubſtantia diſtinctum, ab illo

173 priore. Ita Carena.par.3.tit.10.ſ.20. Qui cum Farin.Baldaſſ.de Angel.Didac. de Mari, & cum alijs per ipſum citatis optimè aduertit in caſu propoſito,per duas poſteriores depoſitiones ſociorum criminis non cenſeri conuictum de ſortilegio confecto eum,qui prius fuerat tortus,ex alterius complicis depoſitione, quia hæc iam per priorem torturam eliſa manſerat,& indiciũ ex ipſa reſultans purgatum: vndè non poterit eidem infligi pœna ordinaria,benè tamen aliqua extraordinaria, cum abiuratione.

174 Sed dubitatur,an prædicta indicia ſpecie diſtincta à priorib.ad repetitionem torturę requiſita, debeant eſſe fortiora, & clariora illis? In partem affirmantem videtur inclinare Iul. Clar.

175 ſ.fin.q.64.verſ.vltimo videndum, & alij. Verum totum hoc relinquendum eſt iuſto iudicare debentis arbitrio, teſte Carena cita.nu.153. ibi ſic aſſerente, quod ſi reus ex indicio famæ fuit tortus iunctis, adminiculis, poterit iterum torqueri ex indicio confeſſionis extraiudicialis, iunctis alijs adminiculis,vt rectè ſenſit Queued. de indic. & tortur. par.2. cap. 7. num. 6. quia indicia famæ, & confeſſionis extraiudicialis differunt ſpecie, & ſubſtantia, licet ſint ſub eodẽ genere indicij remoti. hactenus Carena.

176 Reſtat vltima Regulæ noſtræ pars diſcutienda, quæ valdè controuerſa eſt apud auctores, an ſi reus bis tortus bis confiteatur, & poſt tortu-

turam suam reuocet confessionem, sit tertio à Iudice, vel Inquisitore torquendus? Affirmanter resoluunt multi ex scriptorib. melioris notę vt Clar. in prax. §. fin. Ant. Gomez tom. 3. variar. c. 13. n. 8. Peguer. in pract. crim. c. 12. §. 12. Castr. Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 4. disput. 8. pun. 9. n. 17. ac reliqui, quos citat Diana p. 4. tra. 6. resol. 24. Potest indè ostendi, quia iudex habet ius fundandi suam intentionem, & inquirendi veritatem delicti commissi: ergò cum nulli iuri repugnet, quod tertia vice tortura infligatur, poterit ille, ne delictum maneat impunitum, in dicto casu tertio torqueri: atq; ista resolutio probabilis est.

177

178 Verum opposita negatiua probabilior, & vti benignior magis amplectenda, quam tuentur Pegna 3. p. direct. comment. 39. Simanc. cathol. instit. tit. 65. n. 81. Canter. in q. crim. cap. 2. de probat. per testes q. 1. n. 67. Vmbert. Locatus in prax. verb. tort. §. sed pone, reus positus ad torturam Sousa lib. 2. Aphoris. c. 39. nu. 39. Sanchez tom. 2. Opusc. lib. 6. c. 3. dub. 15. n. 14. Farinac. d. q. 38. n. 106. & cum alijs per ipsum relatis Diana ibid.

179 Probatur hac ratione, quia indicia prouenientia ex secunda confessione in tortura, & ex reuocatione eius non differunt specie, vel substantia à prouenientibus ex prima confessione, & ipsius reuocatione; ergo ratione illorum nō est tertio reus torquendus: item quia indicia prioris confessionis per pœnam secundæ torturæ satis purgata manent.

180 Aduertunt autem Simanch. Pegna, & Sousa citati, tunc dictam resolutionem affirmantem posse habere locum, quando reus prima, & secunda vice fuisset leuissimè tortus; sed hoc iam est recurrere ad causam paulò antè explicatam repetendi reum torturæ, eo quod priora contra eum indicia non fuerint euacuata, & dubiū controuersum inter DD. an sit tertio torquendus reus indè sumebatur, quia bis tortus bis reuocasset confessionem in tortura factam, & ex hoc capite, vt probabilius tradidimus, non esse tertio torquendum.

181 Dixi per parentesim in Regula, nunquam regulariter esse torquendum reum vltra tertiam vicem; de quo agit Martin. del Rio, vbi supra q. 32. & ibi inquirit, an in iure, & legibus hoc fundetur? & benè respondet his verbis: non scio quicquam in iure scriptum, vt id receptum sit, sed ex cōmuni Doctorum opinione in praxim id arbitror, vt æquitati consentaneum, desumptum. ita ille, & statim ex Doctoribus citat multos pro hac doctrina, vt Castrens. Marsil. Cirill. Clar. Farin. & Binsfeld. Ostenditq; à simili,

182 quia sic tria onera tutelarum excusant tutorē l. tria onera, ff. de excus. tut. Hinc Boss. de tort. n. 40. ait se à nullis bonis iudicibus, sed à solis carnificibus vidisse hunc numerum transgredi.

183 Addit tamen idem Martin. del Rio, si post tertiam torturam iudex aliquis reperiat noua indicia vrgentissima, posse eum vlterius progredi in torquendo reo; hoc Martini assertum singulare est, & rarissimè continget ita fieri: vide plura apud ipsum: nos dictis iam & Regulam, & Caput claudamus.

CAPVT VIII.

De appellationibus à quacunq; sententia; de causis item legitimis appellandi, aut secus reijciendi appellationem, ac de reliquis huc spectantibus, maximè ad Tribunalia Sancti Officij.

PROOEMIOLVM.

1 HOC tantum superest sub finem totius lib. 3. expendendum: nec quisquam iudicet esse extra rem, seu extra ordinem ezecutionis, quod de hac materia hoc loco agamus. Licet enim in libro sequenti, vbi de sententijs definitiuis Tribunalium S. Inquisitionis erit nobis sermo, potuisset opportunè tractari, opportunior tamen locus ipsam discutiendi censetur præsens, cum à Decreto, seu ab interlocutoria sententia torquendi reum in dictis Tribunalibus concedatur appellatio; non verò a sententia definitiua, vt cum communi Doctorum infra videbimus. Vnde dicta hactenus de exequutione, seu praxi torturæ, seu de seruandis a Iudice, vel Inquisitore antequam infligatur, & dum infligitur, ac post ipsam inflictam, intelligi debent, si dictus reus haud appellauerit à Decreto torturæ, & hæc appellatio non fuerit admissa.

2 Hanc uatem appellationum materiam, quæ vt ex se patet, valdè recepta est vsu quotidiano, pręter ea, quæ in vtroque Iure varijs, & longissimis titulis de ipsa habentur, prolixè admodum pertractatam inuenio apud Auctores, pręcipuè apud Guidonem Papam in volum. 8. Tractatuum: multò prolixius ibid. apud Ioan. Federicum Montanum, innumeris penè quæstionibus. Sed Robertus Maranta in suo speculo aureo, rubr. & quandoq; appellatur, ad octo tantum ingeniosè reduxit. Post Marantam prodijt in lucem Iul. Cæsar Ruginellus, de hac eadem re copiosè agens, editis locupletissimis commentarijs super constitution. Ducatus Mediolani circa hanc materiam. Pro appellationi-

lationibus in causa quacunque fidei admittendis, vel reijciendis, diuersa discutit Prosper. Farinac. de hæres.q.185.& 194. quo cum, atque cum prædictis scriptoribus, & cum alijs tum omnia in specie, quæ ae S. Officium, tum nonnulla in communi, quę ad alia Tribunalia, quoad rem istam spectant, communibus circumstantijs, vt nonnunquam a nobis factum, quid, quis, vbi, cur, quomodo, & quando, aliquantulum perpensis, totidem Regulis perstringemus.

Quid appellatio? qualiter eius diuisio in varias species? quænam item ex his natura cuiusque, & differentia?

REGVLA CCCLXV.

3 SIc communiter definitur. Appellatio est prouocatio ad maiorem Iudicem, ratione 4 grauaminis illati, vel inferendi. Ex hoc autem duplici grauamine insurgit duplex appellationis species; altera dicitur iudicialis, quia iudicium causæ, siue ciuilis, siue criminalis inceptum supponit; altera verò extraiudicialis, quia ante inchoationem dicti iudicij fit.

5 Diuiditur etiam appellatio in tres species: in causā, quæ interponitur ab interloquutoria, & in eam, quæ a definitiua sententia, atque in eā quæ a mixta; inter quas multiplex existit differentia, vt statim explicabitur. Rursus du6 plex est appellationis species, legitimæ scilicet ac validæ, ob causam iustam factę; atque illegitimæ, & inualidæ, ob causam oppositam intentæ. De vtraq; ex dicendis infra magis constabit.

---

7 PRopositam appellationis definitionem, vti meliorem approbat Ruginellus, tit. de appellat. num. 3. & ex Barthol. l. 1. in princip. ff. de appellat. & Abbat. in rubr. extra de appellat. ex Bald. rubr. C. eod. tit. & ex mente aliorum, vt magis congruam præ cæteris adducit Maranta loc. cit. & singulas eius particulas eruditè, & copiosè discutit; nos breui idem cum eo præstabimus, vt indè innotescat de speciebus, ac differentijs appellationum. Par8 ticula, prouocatio, ponitur loco generis, cum eius significatum latiùs pateat, quam appellationis; nam per illam exprimitur omnis actus, quo iudicis officium, seu auxilium imploratur: secus per istam; vndè ait benè Abb. in cap. final. in 1. not. de seq. possess. quod appellatio possit dici prouocatio, sed non è contra; ergo in definitione appellationis meritò loco generis ponitur prouocatio, quia attento iure verè est genus, l. inter agnatos, ff. vnde leg. & l. si quid eorum, §. interemptum, ff. de leg. & affert idem Maranta.

9 Sequitur particula definitionis, ad maiorem iudicem, quæ ex ipsa innotescit; cum de natura appellationis sit, vt fiat de minori ad maiorem, & non conforme æquitati reputetur, vt à minori corrigatur error maioris iudicis, sed potius è contra. Quod benè aduertit Glos. in cap. de consuet. lib. 6. docens ibi, nulla consuetudine induci posse, vt fiat appellatio à maiori ad minorem, vel ad parem; traduntq; hoc communiter DD. in rubr. de appellat. & nos infrà magis explicabimus.

10 Vltima particula definitionis est, ratione grauaminis illati, vel inferendi, quæ manifestè ostenditur, quòd secundum omnium scriptorum sententiam, in cap. vt debitus, de appell. possit quis appellare non solùm ab illato, sed etiā à futuro grauamine; vide Marantam citat. n. 4.

11 Qui ibi notat, quod in iure plures sint termini causarum suspensiui, videlicet appellatio, prouocatio, relatio, reclamatio, recusatio, restitutio querela, reductio, & declaratio; vniuscuiusque completam, & iuridicam expositionem inuenies apud illum, nos pro nostro instituto in sola appellatione sistamus.

12 Duplex autem appellationis species assignatur ex duplici dicto grauamine, iudicialis scilicet, & extraiudicialis; vtramq; optimè declarat Ferrar. Monta tract. de appell. c. 3. nu. 16. & seqq. Vocatur iudicialis appellatio, quæ interponitur in causa quauis ad iudicium perducta ob grauamen iam illatum, vel ob aliud comminatione iniecta, aut aliundè notitia eius habita, illico inferendum. Ita ille cum Panor. in cap. bonę memorię, de appell. & Car. in Clem sicut, de appellat. atq. hæc à DD. propriè appellatio censetur.

13 Altera vocatur appellatio extraiudicialis, quia vt nomen ipsum sonat, fit in negotio quod non fuit adhuc in iudicium perductum (hæc potiùs prouocatio ad causam vocanda, iuxtà cap. cum sit Romana de appell.) & fit solū à futuro grauamine, vel ab eo, quod iam imminet, iniectum à parte, vel à iudice: cum hac tamen differentia quod quando inijcitur à parte seu ab actore, sit exprimenda causa appellandi; nequaquam verò vbi inijcitur iudice: sed tūc sufficit, si fiat verbis generalibus. Ita cum Inno. in cap. consuluit, de appell. & in cap. delicti de maiorit. & obed. cum Bart. in l. ei ff. de appell. recip. & cum Glos. in cap. cum causam de appell. tradia idem Fer14 rar. dict. cap. 3. n. 17. Addens n. 18. quòd attenta natura appellationis extraiudicialis factæ, per hanc constituatur appellans sub protectione iudicis, ne contra iuris ordinem grauetur, aut molestetur; ac proindè conseruandi iuris gratia fieri dicitur, iuxta dict. cap. cum sit Romana.

15 Post interpositam verò huiusmodi appellationem extraiudicialem, quęcunque per aduersarium, vel per iudicem inferiorem gesta, aut innouata fuerint, maior iudex, ad quem prouocatum est, reuocare debet, & reducere ex officio in eum statum, in quo ante prouocationem fuerunt; idque appellans implorando eius officium petiturus est, cap. consideranimus, de election. cap. dilecti, & cap. dilectis de appellat. vbi Doctor; Abb. in cap 1. & cap. consu16 luit de appell. Prædicta autem reuocatio innouatorum, seu attentatorum, regulariter facienda

da est à maiori iudice, probata causa grauaminis: quod si hæc non ostendatur vera, nequaquam prouocatio iusta præsumitur, & cō-
17 sequenter nullius tunc erit effectus. Quamquàm in eo casu appellationis desertæ potest grauatus etiam per viam querelę iudicis officium implorare ad ea reuocanda, quæ præter iuris rationem gesta sunt; quia extra iudicium facta in rem iudicatam transire non solent. Ita idem Ferrar. n. 20. & 21. citans cap. cum sit Romana, de appell. & Abb. ibi, & cap. concertationi, 1. eod. tit. ac Inno. in cap. venerabili, de cens. & communiter DD. in cap. cum inter de elect.
18 Ex prædictis tandem deducit ipse Ferrar. num. 22. secundum mentem eiusd. Innoc. in cap. cum à nobis, de elect. & Bald. in sua Margarita, quod per appellationem extraiudicialem non suspendatur negotium, sed ea non obstante, vel aduersarius, vel iudex progredi possit quousq; post productionē grauaminis, seu probationē causę eius reuocatio actorū fiat idq; simpliciter, circa ord. iudiciarij angustias.
19 Celebris item est diuisio appellationis, in eam, quæ fit à sententia interloquutoria, & in eam, quæ fit à definitiua: huic diuisioni tertium membrum appellationis à sententia mixta meritò addunt aliqui, præcipuè Rugi-
20 nell. §. 1. cap. 2. ibi num. 1. ipse certum supponit ex iure, rubr. de re iud. & de appell. extra, cum Guid. Papa, vbi supra q. 12. n. 6. & cum alijs, tria esse genera sententiarum: nimirū definitiuam, sic vocatam quod negotium principale definiat, l. dicere ff. de arb. Clem. 1. & ibi
21 Glos. de re iud. Item interloquutoriam, ita dictam, quod feratur super aliquo emergenti, vel incidenti inter principium, & finem causæ, iuxta Glos. in l. generaliter in princ. C. de reb.
22 cred. Denique mixtam, hoc modo nuncupatam, quia de vtraque definitiua, & interloquutoria participat, ac finem imponit alicui negotio non principali in controuersiam adducto, circa quod non expectatur alia sententia definitiua; exēplificat Bald. in l. dicere ff. de arb. in sententia, quæ decernit, quē esse iudicē.
23 Citat Ruginell. à nu. 40. vsque ad 217. ex iure, & ex mente DD. ordine alphabetico, dictarum sententiarum definitiuę, interloquutoriæ & mixtæ, quamplurima affert, & discutit exempla quæ si lubet, apud ipsum videas; nobis sufficiat eas quoquomodo indicasse, vt triplici ipsarum genere tres esse species appellationum deducamus inter se multipliciter differentes, sicut & illæ pari ratione inter se
24 differunt. Quas differentias potius ex effectibus, quam ex notionib. earundem innotescere, benè testantur Bald. in l. minorib. C. de his, quibus vt indign. & Præposit. Mediol. in cap. cum cessante, nu. 18. de appellat. nos aliquas earum hic explicemus; aliæ postea ex dicendis constabunt.
25 Prima differentia, quod appellatio ab interlocutoria siue in continenti, siue ex interuallo fiat, nunquam viua voce, sed in scriptis semper fieri debet, vt sit valida; patet ex text. in cap. cordi nobis, de appell. in 6. & afferunt Guid. Papa decis. 16. circa finem, Ioan. Ferrar. in tract. de appell. n. 31. & Ruginell. §. 1. cap. 2.
26 n. 13 Nec sufficit, si appellans compareat in iudicio, & dicat notario, Scribe, qualiter ego appello à tali sentētia in tali casu &c. sed porrigendus est libellus scriptus appellationis, vt
27 hæc fieri in scriptis dicatur. At appellatio à sententia definitiua sortitur effectū, vtrolibet fiat modo, vel in instanti post latam setentiā, si grauatus comparens coram iudice, viua voce dicat, appello ad iudicem competentem, seù solum appello, faciatq; hoc scribi in actis
28 per Notarium: vel ex interuallo post latam sententiam, & tunc debet fieri in scriptis, alias non valet appellatio. est de hoc text. expressus l. 1. in fin. & l. seq. ff. de appell. & l. litigatorib. ac ibi Glos. Bart. & Bald. C. de appell. assertq. Ma-
29 ranta par 6. specu. n. 136. Qui n. 137. benè expendit cum Spi. in tit. de appell. §. qualiter, & cum alijs, quandonam dicatur appellatio fieri in continenti? nempè dum iudex post latam sententiā, sedet adhuc pro tribunali, & non di-
30 uertit ad actus extraneos. Secus esset, si ipse iudex, aut appellans iret ad prandium, vel ad alium actum extraneum à iudicio, nam tunc iam fieret ex interuallo, & deberet porrigi libellus scriptus appellationis.
31 Verum, si appellatio fiat ab interloquutoria habente vim definitiuæ, seu à sententia mixta, erit valida etiam facta ininstanti, seù in continenti, viua voce, sicut si fieret à definitiua me-
32 ra. Imo quæcunq; solemnitates in appellatione ab ista definitiua seruari solitæ, pari modo seruandæ sunt in appellatione ab interloquutoria habente vim definitiuæ, seu à sententia mixta. Ita ex mente Lud. Rom. in cons. 41. & aliorum tradit ibid. Marant. n. 142. limitando ea, quæ supra cum ipso diximus de appellatione à sententia interloquutoria.
33 Attingendum hic obiter, illud dubiū, quod mouet Bart. in l. cum procurator, §. si dominus ff de ope. no. nūc. num si aliquis appellet viua voce à definitiua, cum reseruatione appellandi in scriptis, sicq; postea appellauerit, eritne valida prima appellatio an potius secunda? Quidquid dicant Alex. in dic. §. si Dominus, & alij, tenendum est cum citato Bart. cum. Ioan. de Imo. in eod. § si Dominus, cū Paul. de Castr. cons. 7. & cons. 27. prim. vol. ac cum alijs DD. solam primam appellationem viua voce factā extare validam, & ab ea incipere, & currere
34 tempus prosequendi. Nam secunda tunc videtur frustratoria, & ad hoc tantum inseruire, quod per ipsam prima reducatur in scriptis, ergo ad hanc illa trahitur, seu est vna, & eadē; ergò meritò incipiet currere tempus prosequendi appellationem tunc, quando quis appellat viua voce a sententia definitiua, licèt ista appellatio redigatur in scriptis.
35 Secunda differentia inter appellationes ab inteloquutoria, & à definitiua sententia, assignatur, quod non sit necessarium, vt appellans à definitiua exprimat grauamen, aut causam grauaminis, & iniustæ sententiæ in specie: sed sufficiat, vt in genere indicet, se grauatum, & sententiam iniustam esse. Deciditur expressè per text. in l. 1. ff. de appel. ibi Glos. & Abb. Bart.

in

in ead.l.1.fin.Glos.etiam in cap.quod ad consultationem,in vers.non exprimens,de re iud.

36 Appellans verò ab interloquutoria debet exprimere in specie grauamen, & causam grauaminis,alioquin non valet talis appellatio.Habemus text.in cap.cordi nobis,de appel.in 6. & ibi Gemin. tradunt & Abb.in cap. Cum in Ecclesia,de appell.Bart.in l.eius qui,eod.tit.vbi pari modo est text. faciens pro hoc, & alij quos citat,& sequitur Marant.in dict.6.p.specu. 37 n.153.vbi benè addit ex mente Card.in Clem. appellanti,&c.de appel.Bald.in l.minor, C. de his,qui vt ind.& ex mente aliorum,quod vbi plures sunt causæ grauaminis, debeant omnes nominatim exprimi in libello appellationis, & quod non sufficiat grauatum dicere in scriptis,appello ex tali causa,& ex alijs suo loco, & tempore proponendis, cum hæc generalia verba nihil operentur.

38 Tertia extat differentia inter appellationē à sentētia definitiua & appellationē ab interloquutoria,quod illa possit iustificari ex nouis probationibus,quia appellans ait,non probatum probabo, & non producta producam, l. per hanc, C.de temp. appel. & ibi Bart. ac alij DD.cap.fraternitatis,extra de testib. facit etiā 39 text.in l.eos,§.siquid autem, C. de appel. At appellatio ab interloquutoria regulariter nequit iustificari, nisi ex eisdem causis antiquis, & in appellatione expressis,nec quidquam de nouo produci potest.Text.est in Clem.appellanti,tit.de appell.& ita Bart.in l.ait prætor, ff. 40 de minor.Vbi ipse assignat egregiè rationem disparitatis ex eo,quia potest quis appellare à definitiua, quamuis iustè lata fuerit,& quāuis iudex nequaquam iniustitiam commiserit;talis enim appellans sperat ex nouis rationibus vincere in causa appellationis, ac propterea si de iure fiat appellatio, etiam à iusta sententia, conceditur appellanti nouas probationes adducere ; nam alias ex eisdem actis vincere 41 non posset. Ab interloquutoria tamen non fit appellatio,nisi facta per iudicem iniuria,vndè ista non potest detegi,nisi ex eisdem actis, & ex causis corā iudice à quo,prius iam productis,cū nequeat iudici à quo, imputari dicta iniuria, si hæc per appellantem ex nouis causis detegatur. Pertractat hoc benè Marant. par.6.à n.159.vsq;ad 170. expressis ibi aliquibus limitationibus. vide apud ipsum.

42 Differunt quartò appellatio à sententia definitiua,& appellatio ab interlocutoria, quod illa,vt plurimum, statim atq; fuit interposita, liget manus iudicis à quo,ita vt nō possit procedere ad aliquem actum vlterius in ea causa. Adsunt pro hoc manifesti text. in l. appellatione,C.de appell.l.1.in princ.ff. nil inn.appel. pen.& in cap.non solum in princ.de appell. in 6.ex quo cap. patet quod idem fit ante inter-43 positam appellationem infra decem dies.Dixi vt plurimùm, quia oppositum seruatur in 22. casibus,quos totidem limitutionib. ex iure,& ex cōmuni DD.adducit,& expendit Marant. dict.par.6.à n.174.vsq.ad 206.apud quem videas, nobis indicasse sit satis.

44 At appellatio ab interloquutoria nequaquam ligat manus iudicis à quo, sed potest hic procedere ad vlteriora, vsque ad definitionem inclusiuè,donec per iudicem appellationis fuerit illi inhibitum.Patet ex d.c.nō solum,circa fin.de appel.&deducunt Bald.in 45 l.eius,, qui, eod.tit.& l.intra vtile,col.2.ff.de min.ang.in cons.217. & alij. Imò, non obstan. appellat.potest per iudicem à quo proferri sententia definitiua, etiam parte nō citata,quia ex quo appellauit, videtur se facere contumacem, & indicare mentem suam, quod nolit comparere.Facit pro hoc text.in c.eū,qui,de dolo,& cont.lib.6.&Clem.1.eod. tit.ac cum Bart.in d.l.intra vtile.& tradit Ma-46 ran.loc.cit.n.172.Addens ibi ex mente eiusdem Bart.per eum citati,quod vbi primū iudex appellationis pronunciat,benè appellatum fuisse, omnia attentata reuocentur.

47 Sed quid si fiat per te appellatio ab interloquutoria, & iudex, à quo adhuc non inhibitus progrediatur,vsq; ad sententiam definitiuam ferendam? poterisnè tunc ab ista etiam appellare ? Responsio affirmans est prorsus vera,si id facias cum protestatione,quod per hanc non intendas à priori appellatione discedere;nam non repugnat,appellationes geminari, & conceditur tibi optio,quā volueris, prosequi,cum vtraque nequeas. Ita Ioan. Ferra.in d.tract.de appell.c.4.n.42.cum Bald. in l.generaliter.§.sed iuramēto,C.de reb.credit.Card.in Clem.n.§.similiter de re iudicata,& cum Alex.in l.eius,qui ff.de appell.

48 Dixi,adhuc non inhibitus,quia vbi primum inhibetur,manus ei ligantur, & non valet ad vlteriora progredi; dummodo tamen inhibitio sit legitimè interposita, cum causæ cogni-49 tione, & parte citata. Nam iudex appellationis non potest inhibere casu, quo nō erat appellandum, aut quia causa est iniusta, aut appellatio est friuola, & frustratoria; ac proinde debet præcedere causæ cognitio, & citatio partis; ijs autem præcedentibus, si inhibitio legitimè interponatur,manus iudicis à quo ligatæ manent. Ex tex. in c. Romana, §.si verò,& §.si autem, de appell.lib.6. & ex mēte Fely.in c.dilectus,el 2.de rescrip. Alex. in cons.91.vol.2.Abb. in cap.cum venissent, de restit.in integr.& ex mente aliorum docet egregiè Maran.vbi supra,nu.207.

50 Pari modo ligantur manus iudicis à quo, & nō potest hic vltrà progredi ad vllū actum iuridicum, vbi primum legitimè appellatur ab interloquutoria,si huic appellationi,corā eo interpositæ,ipse deferat, quia deferendo,seu admittēdo eā,ipsem et sibi inhibet,& sibi ipsi manus ligat,ac propterea nequit vlterius in causa procedere. Facit pro hoc manifestè text.in c.cū appellationib.& ibi Gemin.de appell.lib.6.&cum Bart.in l.intra vtile,de mino & in l.eius, qui, de appel.recip. traditq; Ma-51 ran.loc.cit.n.209. Qui n.210. rectè addit ex tex.in c.de priore,de appel.&in l.quoniā iud. C. de appel.quod teneatur Iudex,à quo, deferre appellationi,vbi hanc ex causa iusta interpositā fuisse constat, alias puniendus venit, sed quanam pœna, videas, si lubet,apud illum

illam, nè nos immoremur.

52 Tandem ligantur manus iudicis à quo, & impeditur, nè vltra progrediatur, per appellationem ab interloquutoria sententia, quoties hæc grauamen irreparabile, & exequutionem similiter irreparabilem continet: vt si quis pro eruenda veritate delicti interloquutoria sententia cōdemnetur ad torturā: quia tunc iudex, sic eum condemnans interposita, seù pendente appellatione, etiam ante inhibitionem, nihil exequi potest. Est certa, & cōmunis omnium doctrina, notanda pro dicēdis infra spectantibus ad S. Officium, quā cū Bald in l. generaliter, §. sed iuram. C. de reb. cred. cum Par. in tract. synd. in verb. tort. & cū alijs per ipsum citatis adducit Maran. ibid. n.

53 213. Addens quod circa hoc sit hodie prouisum in Regno (scilicet Neapolitano) per capitulum Regni, quod incipit, Si iustè, quo cautur recipiendam esse appellationē à tortura, & si iudex noluerit admittere, sed processit ad torturam post appellationē, si quidem tortus fuit mortuus, vel in tormentis, vel per condemnationem ad mortem, tunc iudex debet vltimo supplicio damnari: hęc ille totidem ferè verbis: vide plura apud ipsum: atq; hactenus de diuisione appellationū à definitiua, & ab interloquutoria, ac de differentijs inter ipsas.

54 Sequitur diuisio appellationum, legitimæ, scilicet, & validæ, ex motiuo iusto; atq; illegitimæ, & inualidæ ex motiuo contrario, quæ ex terminis ipsis innotescit, & magis ex dicendis infra constabit. Verba autem illa

55 nostræ Regulæ (iudicium causæ, siuè ciuilis siuè criminalis) indicant aliā diuisionem bimembrem appellationis valdè genericam, & vniuersalem, nempè in eam, quæ fit in causis ciuilib. & eam, quæ interponitur in causis criminalib. vtraq; per se iam patet, & ex sequētibus clarius patebit; de secunda in causis criminalibus præcipuè est futurus nobis sermo, vti magis spectāte ad S. Officiū: attingetur etiā infra in criminalib. subdiuisio appellationum à sententiis condēnatorijs, aut absolutorijs.

Quis appellare potest? à quonam iudice, & ad quem appellatio qualibet interponenda, præsertim in S. Officio?

REGVLA CCCLXVI.

56 QVilibet, cuia interest, si attento iure, aut condicto partium, haud sit inhabilis, ad detensionē appellationis recurrere valet, per seipsum immediatè, vel per aliam personam eadem inhabilitate carentem. Vltrà litigantes idē præstare potest quiuis tertius similiter interesse quoquomodo in causa habens.

57 Est autem locus appellandi regulariter à quibuscunq; iudicibus tam delegatis, quam ordinarijs superiorē recognoscentibus; nequaquam tamen ab illis, qui talem non recognoscunt, excepto quadruplici casu. Appellatio

58 item, vt sit valida, ad iudicem competentē fieri debet, & attentis substantialibus semper ad maiorem à Principe, vel Magistratu iā assignatum, aut assignandum. In causis autem fidei, vt plurimum, appellatio ad Papā faciēda.

59 TRiplex genus personarum circūstantia, Quis, in præsenti loco indicat: nempè personę appellantis, & iudicis à quo, ac iudicis ad quem, vt communiter vocātur; & quāuis ex doctrina earum potuissent sine dubio tres Regulæ completæ formari; visum est tamen conuenientius, breuitatis gratia, sub vna tantum tripartita eam comprehēdere. Prima

60 pars, cuicunq; esse licitum ad appellationis auxilium confugere, duplici conditione concurrente, & quod sit habilis, & quod habeat interesse in causa, vt certa prorsus traditur ab omnibus, præcipuè à Glos. in c. cū super de re iud. in l. Imperator, ff. de appel. in l. si quis pro uocatione, C. eod. neq; hoc maiori indiget probatione, sed tantum, vtraq; conditio qualiter requiratur, indicandum.

61 Quoad primā patet ex c. nō solet, 2. q. 6. & affert Lancell de atten. appel. pend. limit. 50. n. 14. quod appellatio per inhabilem personam interposita sit nulla, nulliusque effectus. Pro quo facit principiū illud generale, quod cum Osasc. Masuer. Alex. & cū alijs, quos refert, adducit Ruginell. §. 2. c. 1. n. 2. spectare scilicet ad officium iudicis diligentē inquisitionem super legitimitate personarū, & esse hoc pręcipuū cuiusq; iudicij fundamentum, adeò, vt etiam post tres cōformes possit produci ista exceptio inhabilitatis personæ, licet coram Principe, aut corā alio super. magistr. agatur.

62 Dixi, attēto iure, aut cōdicto partiū, quia ex alterutro istorū capitū prouenit esse aliquem inhabilē ad appellandū. De posteriore constat ex text. in l. 1. ff. à quibus appellare nō licet, secundū quē non potest vti beneficio appellationis, qui pacto aliquo expresè iure appellādi renunciauit: excepto vbi fuit enormissimè læsus. Ita cum Angel Aret. in d. l. 1. §. 1. n. 6. & cum Guid. Pap. per ipsum cit. idē Ru

63 ginell. d. c. 1. n. 136. Qui multa limitando proponit exēpla in isto c. 1. & multò plura in c. 3 ac alibi, quibus patet, quinam ex dispositione iuris sint inhabiles ad appellationē interponendam. Attingā vnū, vel alterū, reliqua vi-

64 deas apud illum. Ex dispositione iuris c. cum specialis, §. porrò, de appel. quicunq; religiosi quando secundùm regularem obseruantiam aliquid fit inhabiles existunt ad appellādum à suo superiore, nisi in modo excedatur.

65 Laborant etiā eadē inhabilitate appellandi ex testib. in l. cōstitution. ff de appel. l. 1. C. de rap. virg. c. cū sit Romana, c. peruenit, & c. cōsuluit, de appel. & c. 1, de homicidio. in 6. omnes condemnati ob atrocitatem alicuius criminis, cuiusmodi sunt raptores virginum, falsificantes monetam, latrones insignes, duces factionum, assassini, criminosi læsæ maiestatis & alij, de quibus Maran. p. 6. specul. à nu. 294.

66 vsq; ad 298. Præsertim sunt huiusmodi, hæretici, quibus non licet appellare, iuxta c. vt inquisitionis, de hæret. in 6. vt afferunt Symanc. de cathol. inst. tit. 7. Rojas cum multis, singul.

19. n.

19.n.4.& Pegna in direct.Inquisit. p.3. commen.20. de hoc tamē ex professo infra, quia etiam hæretici quandoq; appellare possunt.

67 Deniq; ob inhabilitatem reijcitur ab appellatione quicunq; de delicto simul est confessus, & conuictus, ex l.2.C.quod appel.non recip. non verò qui diuisim, vel confessus tantum, vel tantum conuictus,|vt latè ostendit ibid. Maran. num.292.Addens num.293.

68 quod sit inhabilis etiam ad appellandū quilibet criminosus in facto notorio, vt patet ex c.cū sit,c.peruenit,& c.cōsuluit,el.1.de appel.

69 E contra verò legitimæ, & habiles censentur ad inferendam appellationem quælibet personæ, quibus à iure inhabilitas ad id non inducitur; & quidem multò magis, si tales expresſè ab ipso iure declaratæ fuerunt. Docet ex mente omnium Ruginell.vbi supra, n.5.affertq; varia exempla nu.seqq.dictæ de-

70 clarationis in diuersis personis. Vt in defensore rerum publicarum, l. tutores, ff. quan. appel.in compromissario,l.ex consensu, ff.de appel.in curatote,& negotiorum gestore,l.1. ff eod.in princ.ff.nil nou. in vno ex plurib. si defensio est communis,l.1.C.si vn.ex plur.in milite,l.qui suspectum, ff.de appel.in eo, cui vt indigno bona vacantia auferuntur,l.1.lata sententia, C.de appel.in ciue excusationem manifestam habente, C.eod.aç in alijs similiter habilibus à iure ad appellandum declaratis, vt vdere est apud Ruginellum citatum.

71 De secunda item conditione habendi interesse in causa,patet ex text.in c.cum inter,de elect.& in l.1.initio, ff.de appell. recip. quòd cuilibet, cuia interest, licitum sit appellare, aliàs secùs,Affert cum Hostien.in summ.vers. quis possit,rubr.de appel.& cū Bart.in l.quoties,C.si plur.vna sent.idem Ruginell.nu.22.

72 Qui nu.23. resoluit benè ex mente Angel. Aret.in l.à sententia,num.6.ff. de appel. & ex mente aliorum, esse relinquendum arbitrio prudentis iudicis, & consideratis instrumentis, actis, & iuribus,factiq; veritate diligenter perpensa,decernat, an interſit illi, qui ad defensionem appellationis recurrit.

73 Notandùm tamen,quod ista secunda cōditio non ita strictè sit sumenda, sicut illa prima,cum ob quoduis minimum interesse, & ex quocunq; leui motiuo,quis in causa illud habens appellare valeat,etiam in secunda instantia.Ita ex l.si perlusorio nomine,ff.quan. appel.& l.à sententia cum §. suis,ff. de appel. Alber.cons.92.nu.5.lib.1.vt ipsum citat,& sequitur Ruginel.d.c.1.n.25.

74 Hinc deducitur (& innotescit indè illud in Regula positum,posse scilicet grauatum appellare non solum per seipsum, sed mediatè etiam per alium habilem) quod habeat locū appellandi pro alio ille, cuia interest, solum pietatis, aut miserationis causa, quod præcipuè in criminalibus verum est, l. non tantū ff.de appel.recip.cuilibet.n.pro condemnatò appellare conceditur; secundum l.addictos, C.eod.& secūdum l.obseruare,C.quor. appel.

75 non recip. Similiter licitum est appellare pro alio illi, cuius tantum interest coniunctionis causa, vt matri pro filio, l.1.ff.de appell. re-

76 cip.l.fœminas, ff.de procur. & filius pro patre damnato, nomine patris pro bonis, quæ per eum acquiri possunt,non reijcitur ab appellatione interponenda, l. ex consensu, §. filium, ff. de appel. ita Guid. Papa citatus à Ruginell. ibid. num. 75.

77 Quid quod tam in ciuilibus, quam in criminalibus pro alio interesse habente aliquis extraneus appellare potest, etiamsi huic nullo modo intersit? In criminalibus facit l. vnica, in fin. ff. nil. nou. appell. pend. vt pro Clerico degradando, & iudici sæculari tradendo, vel pro eodem, si venit membro mutilandus,cum hoc damnum morti æquiparetur, l. 2. C. de offic. eius, qui vic. alter gerit, auth. de collation. §. ad hoc prohibemus, & tradit Ioan. Ferra. tract. de

78 appel. cap. 5. num. 66. Item in ciuilib. pariter secundum text. in cap. non solum 2. qu. 6. & in l. 1. ff. de appell. recip. Ostenditur etiam per statutum Mediolan. in cap. 151. lib. 1. cuius meminit Ruginell. dict. cap. 1. num. 82. pro re præsenti his verbis: Vbi, inquit, permissum est cuilibet pro alio appellare, dum tempore, quo appellat, vel infra octo dies à die appellationis interpositæ inclusiuè satisdet idoneè, quòd ille, pro quo, vel cuius nomine appellauerit, vel appellat, ratum, & firmum habebit, & in iudicio perseuerabit. ita ille, quem videas circa omnia prædicta copiosius disserentem.

80 Superest discutiendum circa hanc primam partem Regulæ, qualiter nullo ex duobus præcipuè litigantibus appellante, vel quòd non habeat interesse in causa, vel quòd nō curet de iure appellandi, valeat etiam tertius, cuia interest, in eadem causa appellationem nomine proprio interponere.

81 Posse hoc fieri, supponimus omninò certum ex l. ab executore, §. alio, & ex l. à sententia, ff. de appell. afferuntq; Glos. in cap. non solent, 2. quæst. 6. Rom. consil. 343. Felin. in cap. cum super, num. 11. de re iudic. Rot. decis. 4. alias 390. & Couar. pract.qu. cap.15.in princ.

82 Hoc supposito, sciendum primo, quòd tertius dicatur ille, qui præcedente citatione, aut sine ea comparet ad causam agitatam inter alios,pro suo interesse,secundum l.si suspecta, & ibi Bald. ac alij, ff. de appel.

83 Notanda particula, ad causam agitatam inter alios, quia si ipse tertius fuisset in causa, nequaquam admitteretur,neq;in possessorio Ita cum citato Feli.in d.cap. cum super, & cum alijs per ipsum citatis Ruginel.vbi supra

84 num.36.Pari modo non est admittendus tertius, tam in prima,quam in secunda instantia si prius sciuisset causam agitari. Ex mente citati Feli.Bal.in d.l.à sententia, de appell.n. 8. & aliorum, affert idem Ruginell n.37.

85 Ad certificandum autem sufficienter iudicis animum, quod tertius nesciuerit causam agitari, adhibenda est cautela in praxi recepta, nempè vt iste dicat: Iuro ad Sancta Dei Euangelia (iuxta dispositionem. cap. pacto, de exception.) me nuper, & infra de-

decem dies sciuisse, & ad meam notitiam deuenisse talem sententiam, pro tali, contra talem, in hac, vel simili forma latam, quæ mihi præiudicium facit, saltem quale qualc, & me grauat, vndè appello. Ita cum Angel. Aret. in dict. l. à sententia, num. 57. & cum Felin. in dict. cap. cum super, num. 12. circa prin. de re iud. idem Rugin. n. 38. totidem verbis.

86 Dein, vt dictus tertius admittatur ad appellandum, statim initio suæ comparitionis debet docere saltem summariè de suo interesse in ea causa, aut promittere se illud incontinenti probaturum. Tradunt post Bald. in l. fin. C. de edic. Diu. Adr. toll. Marsil. in rub. C. de probat. & Angel. Aret. ibid. nu. 5.

87 Quod autem sufficiat summariè sic de dicto interesse docere, tenent vt certum, & communiter receptum idem Feli. nu. 16. & in cap. veniens, num. 13. de testib. Tiraquel. de constit. par. 3. limit. 13. nu 14. & Couar. pract. qu. cap. 16. nu. 1.

88 Taliter probato suo interesse, procedit dictus tertius ad interponendam appellationem, idque præstare debet non verbis conditionalibus, vt, à tali sententia appello, quatenùs contra me facit, vel similibus, sed purè, & absolutè absque conditione. Ita Lancellot. de atten. appellat. penden. ampli. 14.

89 num. 23. Tenetur enim exprimere causam in ipsa appellatione, ex text. in cap. cum super, de re iud. secundùm Glos. l. 2. in verb. iudicio, ff. de appell. recip. Bald. & Salic. in authen. hodiè, C. de appel. & secundùm alios, quos citat, & sequitur Rugin. §. 2. cap. 1. nu. 44. apud quem multò plura inuenies de personis quibuslibet, quæ appellare possunt. Nobis tradita sint satis.

90 Quoad secundam partem nostræ Regulæ, de personis, seù de iudicibus, à quibus appellandi est locus, patet ex text. in cap. omnis, & cap. ad Romanam, 2. quæst. 6. l. iudicium soluitur, ff. de iudic. & l. proconsulib. C. de appel. quòd, regulariter loquendo, licitum sit appellare ab omnib. iudicib. tàm delegatis, quàm ordinarijs superiorem recognoscentib. (vndè ab Inquisitorib. inferioribus licitum erit appellare, vt infrà videbimus) Ita Specul. in tit. de appellat. §. videndum, in princ. Brun. à Sole, qu. 24. num. vlt. Maran. in specu. par. 6. nu. 246. & communiter alij. Ratio est, quia non facit iniuriam

91 iudici, qui ab eius sententia appellat. l. & in maiorib. C. de appel. cumque appellatio sit quædam defensio, quæ à iure datur oppressis contra grauamen per iudicem illatum, l. 1. ff. de appel. & dict. cap. ad Romanam; censetur cuiuis ipsa concedi, per quemcumque iudicem illud inferatur: ergo grauatus à sententia cuiuslibet iudicis, potest

92 appellationem interponere. Atque quòd hæc sit defensio, constat per text. in cap. cum spirituali, §. porrò, de appel. traduntq. Soc. in cons. 195. vol. 2. & Maranta vbi suprà, num. 247.

93 Dixi, regulariter loquendo, quia diuersi casus excipiuntur. I. in Episcopo, cuius iurisdictio fuit prorogata, nam ab eius sententia non datur appellatio. Casus est singularis in l. Episcopale, C. de Episc. aud. Secùs tamen

94 est in alio iudice prorogato, vel dato de consensu communi partium, à quo appellari potest, l. ex consensu, initio, & ibi Bart. ff. de app. assertq. Maranta ibid. 255. & 256. Secun-

95 do in iudice mero executore, quia ab executione facti non admittitur appellatio, ergo nec à sententia iudicis meri executoris, text. est in l. ab exequutore, & ibi Bart. ff. de appel. & in l. ab exequutore, C. quor. appel.

96 non recip. Quamquàm hoc est intelligendum cum limitatione, nisi talis iudex in modo excedat, tunc enim ab eo appellari potest; debet tamen exprimi causa in appellatione. Ita cum Bart. cit. idem Maran. nu. 259. qui plures limitationes apud Spec. vi-

97 dendas esse affirmat. Tertio in iudice arbitro, à quo non appellatur, sed eius sententia exequutioni mãdari debet metu pœnæ, se-

98 cundùm l. diem proferre §. stari, ff. de arb. & l. 1. C. de arb. Similiter quando pœna adiecta erit compromisso; secùs, si non sit adiecta, quia tunc agitur de interesse, secundum eandem l. diem proferre, §. fin. Ita cum Abb. in cap. per tuas, de arb. & cum alijs Maran. lo. cit. n. 261. quem legas circa hoc, & circa reliqua hùc spectantia.

99 Tandem, quoòd non sit locus appellandi à iudicib. haud recognoscentib. superiorem, habetur expressè decisum in l. 1. ff. à quib. appel. nõ lic. & in cap. cuncta per modum, 9. qu. 3. vbi peculiariter est sermo de sententia Papæ, à qua non est licitum appellare; sed idem est de quouis Principe, seù iudice superiorem non habente, intra confines sui status, seù suæ potestatis, & iurisdictionis.

100 Hinc à sententia Ducis Venetiarum non datur appellatio & cum Cyn. per eum cita. docet Maran. dict. par. 6. n. 254. ob eam rationem, quia non recognoscit superiorem.

101 Neque item est locus appellandi à S. Regio Consistorio, quia sententia per eum lata habet vim legis, cùm proferatur sub nomine Regiæ Maiestatis, ac proindè censetur sententia ipsius Regis. Tradit idem Maran. nu. 251. & 252. allegans praxim Regni Nea-

102 pol. Similiter nõ habet locum appellatio à Præfecto Prætorio; est expressum in iure, l. præfecti, ff. de minor. & l. 1. §. his cunabulis, ff. de offic. præf. præt. ac l. 1. C. de sent. præf. præt. Ita ibid. Maran. nu. 250. quem legas, sicut & Ruginell. pluribus de hoc puncto, agentem, §. 2. cap. 2.

103 Nihilominus quatuor casus excipiuntur, in quibus licitum est appellare à iudice, seu Principe absoluto non recognoscente superiorem. Primo cõceditur appellatio à Principe malè informato, ad eundem benè informatum, quicunque iste sit, siuè Rex, siuè Imperator, l. 1. §. quæsitum, ff. de appel. & l. 1. C. de relat. Ita cum Bald. in cap. sententiam

35.qu.9.cum Matt.de Laude,tract.de Princi-
pe, art. 42.& cum alijs ipſe Ruginel.loco ci-
tato, nu.5.

104 Pari modo eſt locus appellandi à dicto
iudice,ſeù Principe, quando iſte ſentẽtiã tulit
ad relationẽ, vel ſecundùm conſiliũ alterius,
l.1.in princ.ff.quan.appel.atq;ex mente Dec.
in c.intimaſti, nu.10.verſ.indè,de appel.Rom.
cõſ.521. Ang.copiosè,cõſ.36.& aliorũ affert
105 idem Ruginel.n.2.E cõtra tertio datur ap-
pellatio à iudice, qui ſecundùm reſponſio-
nẽ Principis ſententiã profert. Quãquã tunc
106 nõ obligatur Princeps appellationi deferre.
Tradit ipſe Ruginel.nu.3.& 4. ex Dec.nu. 11.
& ex Galer.lib.2.de ſenten.concl. 1.n.6.

107 Tandem admittitur appellatio à Principis
abſoluti ſententia, ſi hæc manifeſtam conti-
neat iniquitatem. Ita cum Viu.in ſuis comm.
in verb. appellans, verſ. imo concludo, lib.1.
ibid.Ruginell n.5.Eſtq; per ſe notum attento
iure naturali.

109 Reſtat diſcutienda tertia pars Regulæ no-
ſtræ, ſeù duplex reſolutio ibi tradita, pro illo
quæſito, ad quemnam iudicem ſit appellatio
interponenda? Prima eſt valdè communis,&
generica, eſſe, ſcilicet interponendam ad iu-
dicem competentem,ſi tam ſubſtantialia,quã
accidentalia appellationis attendantur, cum
Gloſ.in cap.2.de conſuet in 6. & in c.Roma-
na, de appel.in 6. ac cum alijs,vt certum tra-
dit Ruginel.§.5.gloſ.vnica, n.1. nec eſt cur in
hoc oſtendendo amplius immoremur, cum
non ſit huius loci agere de competentia
iudicis.

110 De ſecunda reſolutione, quod debeat fie-
ri appellatio ad iudicem maiorem, à Princi-
pe, vel Magiſtratu aſſignatum iam,vel aſſignã
dum; ijs,quæ tradidimus ſupra n.9.declaran-
do definitionem appellationis, addimus mo
do ex Ruginell. citat. num.4. per ſequentia
verba.

111 Et in tantum,inquit,conſuetudo contra ſub
ſtantialia non valet, vt neq; Papa diſpenſare
poſſit de maiori ad minorem illo adhuc exi-
ſtente minori, appellari poſſe. Bero in d.rub.
n.23. Nam etſi Papa ſubſtantialia tollere, &
mutare poſſit, Gloſ.in cap.cum ad monaſter
de ſtatu Monachor.& cap.quanto de transla-
tione Epiſcopi, non tamen facere poteſt,
quin rationi naturali ſubiectus ſit, vt multis
probat id. Bero. d.n.13.& ſeqq. ita ille.

112 Addit tamen bene ipſe n.5.cum eod.Bero
n.25.& cum alijs, fieri poſſe, vt ille, qui erat
minor, vel par, quoad actum appellandi, &
cognitionem cauſæ appellationis, cenſeatur
maior; imo eo ipſo, quòd quis à Principe,vel
Magiſtratu aſſignatur iudex ad quem,ſeu ap-
pellationum, vti communiter aſſignari ſolet
aliquis, illicò exiſtit maior,ſeù ſuperior reſpe
ctu cuiuſuis Iudicis à quo,per eundem Prin-
cipem, aut magiſtratum conſtituti.

113 Dixi aſſignatum,vel aſſignandum;quia cõ-
tingere poteſt aliquando,vt is, qui iudex ap-
pellationum conſtitutus reperitur, ob legi-
timam cauſam à valẽte appellare recuſandus
veniat;tunc ratio poſtulat, vt ei alter aſſigne
tur, niſi fortè iam antea aſſignati fuiſſent duo
vel plures inſolidũ, ſine depẽdentia vnius ab
114 altero.Quæ aſſignatio pluriũ,quod fieri poſ
ſit,&quod ad aliquẽ ex eis ſit appellãdũ,&nõ
ad alium(quidquid dixerit Præpoſ.in rub.de
appell. nu.49.(certum eſſe defendit Ruginel.
d.gloſ.vnic.num.9. cum Ruin.conſ. 83. lib.5.
nec video, cur non poſſint aſſignari duo, vel
115 plures,cum hoc de iure aliquando in Vica
rijs generalibus habeat locum, & quidem in
hoc Meliten. Epiſcopatu per tempus pluriũ
annorum duos ſimul, & inſolidum Vicarios
generales vidi. Dato autem, quod duo ap-
pellationum iudices aſſignati exiſtant, eſſet
nimis diſſonum,ad alium, quam ad alteru-
trum ipſorum appellationem interponere.

116 Sed quid, ſi ad vnum ex duobus aſſignatis
quis iam appellauit,poteritnè poſtea, eo o-
miſſo, ad alterum pro eadem appellatione
recurrere? Pars affirmans vera eſt, ſeruatis ali
quibus conditionibus,vt ex communi ſentẽ-
tia affert Ruginel.loc.cit.n.10.& ſeqq. Prima,
117 vt fiat intra 10. dies appellandi, & non vl-
tra. Ita Oſaſch.deciſ.131.n.13. & Franc. in c.
interpoſita,§.ille denique,n.12.de appel.Se-
118 cunda,dummodo appellatio non ſit adhuc
in actis præſentata, nam poſt præſentationẽ
eius,cum appellans ipſam proſequi poſſit,ta-
lis variatio iudicis non eſt licita.Franc.ibid.n.
119 11. Tertia, vt nõ agatur de præiudicio par
tis,aut huic non ſit iam quæſitum ius,l.fin.C.
quan.prouoc.non eſt nece.c. mutare, de reg.
iur.in 6.ita cum Bal.in conſ. 344. lib.3. idem
Ruginell.n.13.& 14.

120 Nota, quod prædicta variatio iudicis ad
quem, ſemel tantum poſſit licitè fieri,ſecun-
dum text.in l.fideicommiſſa, §.ſi quis ff. de
leg.3.ibi. non amplius quam ſemel, atq; in
iure ſit diſpoſitum, ne lites fiant immortales
cap.finem litib. de dol.& contum. Affert cum
Bal. & Alex.per eum relatis ipſe Ruginel.nu.
17. ad quem,in diuerſis locis remitto lecto-
rem plura ſcire cupientem circa hanc partẽ
circumſtantiæ, quis, ſeu iudicis ad quem, vt
nos circa eandem in cauſis fidei vnum ver-
bum proferamus.

121 Vbi eſt locus apud Tribunalia S. Officij à
ſententijs contra hæreticos,ſeu de hæreſi ſu-
ſpectos appellandi (quod Regula ſequẽti ex
pendemus)certum eſt appellationem inter-
poni debere à minoribus, ſeu particularibus
Prouinciarum Inquiſitoribus ad maiorem,
ſeù ſupremum Inquiſitorem, nempè ſummũ
Pontificem, vt tradit Farin.de hæreſ.q.18.§.
122 15.n.240.Exprimens ibi cum Vmbert.Lo-
cat. in Iudicial.Inquiſ.verb.appellare, & cum
alijs, caſu, quo in cauſa fidei per ſententiam
Epiſcopi aliquis ex non exemptis fuit graua
tus,poſſe hunc ad Metropolitanum,aut etiã
iſto omiſſo, ad Papam appellando recurrere
c.ſi duob.de appel.c.quoties,& c.ad Rom.2.
quæſt.6.

123 Verum bene ait Pegna,3.p.Direct. cõmen.
31.n.126. verſ. hæc poſtrema, quòd prædictũ
aſſer-

assertum de interponenda appellatione ad Metropolit. etiam in causa fidei contra non exemptum, haud facilè videatur admittendū sed quod semper debeat appellari ad Sedem Apostolicam, seù ad S.Congregationem Ro-124 manæ Inquisitionis. Ratio est, quia causæ maioris momenti, quales censentur, quæ fidei negotia discutiunt, ad sedem Apostolicam deferendæ sunt, iuxta cap. maiores, de baptism. & eius effect. & iniungit sic facere Anacletus Papa epist. 1. ergo appellatio in causa fidei ad Sedem Apostolicam interponenda.

125 Pro confirmatione huius doctrinæ de appellatione interponenda ad Sedem Apostolicam in causis fidei, non grauabor adiungere, quæ loc. cit. adducit idem Pegna, sic. Atque in hanc, inquit, sententiam prudentissimè inclinauit paucis antea diebus, quàm hęc scriberemus, Petrus Dusina S. Romanę, & Generalis Inquisitionis Assessor, vir insigni eruditione, & prudentia singulari: qui cum à me rogatus esset de hac re sententiam dicere, humanissimè respondit in hæc verba.

126 Magna subest causa, quod Sanctitas sua moueri possit ad statuendum, quòd in causis fidei ad Papam semper appellari debeat, vel ad supremum Tribunal Vniuersalis Inquisitionis Romanæ, tum propter rei grauitatem tum etiam propter multa inconuenientia euitanda; & quia etiam ipsi Metropolitani in arduis tenentur consulere Sedem Apostolicam: quare circuitus inutiles essent euitandi, quibus rei fatigantur, negotia fidei publicantur, nec cura, & dignitate tractantur, sicut tractari debent. Hactenus vir ille. Cu-127 ius hic libenter memini tanquam valdè benemeriti de nostro S.Officio Inquisitionis, & de hoc Episcopatu Melitensi, cùm vtrique iussu Gregorij XIII laudabiliter pręfuerit, vt traditum à nobis in Prolegomenis nostri operis.

128 Sed quid circa appellationem in Tribunalibus fidei Hispaniarum? Audi eundem Pegnam, sub finem d.n.126. In Hispania, inquit, vt paulo antea dicebamus, ab inferioribus Inquisitoribus ad Generalem eorum Regnorum Inquisitorem, seu Inquisitionis Præsidem prouocatur, qui cum Consiliarius eius Senatus de appellatione cognoscunt. Ita 129 ille, addens statim rectè pro alijs Tribunalibus sic. In cæteris, inquit, prouincijs longè distātibus à Romana Curia, ne causæ fidei protraherentur, & delinquentes ipsa longa tēporis mora, & expectatione fatigarentur; saluberrimum esset constituere vnum aliquē insignem pietate, & eruditione virum, veluti Metropolitanum, vel Summi Pontificis Nuncium. aut à latere Legatum, si adesset, instar Generalis Inquisitoris Hispaniæ, ad quem in hac causa prouocaretur, cum appellatur ab Inquisitoribus inferioribus, aut 130 Episcopis. Interim, vt paulo antea diximus, Sedes Apostolica consulatur. Hæc Pegna, quibus totam Regulam tripartitam pro exprimenda in materia appellationum circumstantia, quis, absolutimus, vt iam ad circumstantiam, vbi, gradum faciamus, quæ locum, & casum indicant, ac secundum vtraque à nobis nunc expendenda.

Vbi, ac in quibus casibus concedenda appellatio? in quibus secus, præsertim apud Tribunalia S. Officij?

REGVLA CCCLXVII.

131 Debet appellatio fieri, vt sit valida, coram eo, à quo grauari prætenditur: ob metum tamen ab isto illatum, aut si copia ipsius nullibi haberi potest, sufficit, appelletur coram notario, vel corā iudice, aut solum coram honestis personis. Quocun-132 que autem modo, siue iudicialiter, siue extraiudicialiter procedatur, conceditur appellatio in quibusuis casibus, & causis maioribus, & minoribus, à quibusuis sententijs tàm definitiuis, quàm interloquutorijs, vbi ex eis grauamen aliquod insurgit; secus vbi nullum, aut vbi à iure ipso appellatio denegatur; exemplis infrà innotescet. Denique 133 apud S. Officium in causa fidei non admittitur appellatio à definitiua, benè tamen ab interloquutoria.

134 Ad validitatem appellationis vti conditio substantialis, & necessaria communiter assignatur, quod fiat coram iudice à quo, seu coram eo, à quo appellans 135 grauamen accepisse prætendit. Non tamen est necessariò facienda, quidquid aliqui dicant, in loco iudicij, seu coram dicto iudice sedente pro tribunali: sed sufficit, si fiat in quouis loco, seu vbicunq; ipse præsens reperitur. Ita ex mente aliorum Maranta par. 6. 136 speculi num. 134. Et ostenditur peculiari, & efficaci ratione, cur requiratur hoc modo præsentia iudicis à quo ad valorem appellationis, quia per istam peculiariter de illius facto rescindendo, ac de ipsius iniquitate manifestanda agitur, ergo &c. Tradit cum Franc. in cap. appellatio, de appell. in 6. nu. 3. Ruginellus in præfatione sui operis, de appell. num. 35. Qui post allatas ibi alias 137 conditiones in facienda appellatione seruandas, de quibus partim iam per nos dictum, & partim dicetur, sic nu. 51. concludit.

138 Prædicta, inquit, omnia à nobis superius allata, in appellationibus interponentis, sunt ad vnguem obseruanda, alias si victi non appellauerint, & solemnia non fecerint, post non audiuntur, inquit, textus in l. qui suspectum, in fine, ff. de appell. & qui legitimè non appellat, habetur pro

non appellante; text. in cap. 1. §. vltimo, de appell. in 6. vbi Franc. & Doct. not. hactenus ille, ergo, &c.

139 Nihilominus ex duplici capite appellans excusari potest à facienda appellatione coram iudice appellato: vel quia timet non sine fundamento aspectum eius; vel quia non ita facilè potest ipsum habere præsentẽ. Patet ex iuribus citandis, & est commune inter Doctores.

140 Ex quibus Bart. in l. de pupillo, §. si quis ipsi prætori, in sexta quæst. de oper. nou. nunc. Franc. in cap. appellatio, num. 3. in fine, de appell. in 6. Alex. de Neuo, in cap. suggestum, de appellat. num. 13. & alij benè notant circa secundum caput ex duobus, quod non teneatur appellans requirere iudicem à quo in horto, aut in villa suburbana,

141 imò nec in domo sua, nisi fortè solitus fuisset ille in domo sua, aut in eius camera audire partes, secundum Bart. in l. 1. §. dies, ff. quando appellandum sit, & secundum alios in dicto cap. suggestum.) Sed sufficiat illum quærere in loco publico, & ibi eo non reperto, dicatur verè, non haberi copia ipsius, & excusari à facienda appellatione coram tali iudice.

142 Tunc autem, sicut quando timet appellans aspectum illius, recurrere debet ad remedium à iure assignatum, nempè vt appellet, vel coram notario, vel coram iudice ad quem; Adsunt textus in l. cum quidam, ff. de appellat. in toto tit. C. qui per met. iud. non appellarunt, in capit. vlt. de appellat. propè finem, & in capit. pastoralis, §. præterea, in fine, de offic. ordinar. Affert cum Guidone Papa quæst. 56. nu. 43. cum Franc. in cap. appellatio, num. 3. de appellat. Ruginellus in dicta præfatione sui operis, num. 43.

143 De appellatione facienda coram notario peculiariter docent Abb. in cap. finali, de appellat. Maranta dicta par. 6. speculi, num. 122. & alij, quod vt sit iuridica, & valida debeat exhiberi coram tabellione proprio ipsius iudicis à quo, apud quem sunt acta causæ, & sententiæ, à qua appellatur; alioquin si coram extraneo fiat, & exhibeatur, censebitur clandestina appellatio, & non releuans, iuxta decis. 290. Rot. & tradit Ruginell. vbi supra n. 50.

144 Circa appellationem item coram uiris probis, seù personis honestis, tria, vt certa, testantur Doctores. Primum, hanc appellationem coram eis factam non esse licitam, nec validam, nisi casu quo appellans non potuit habere copiam iudicis à quo, aut iudicis ad quem: atq; hanc carentiam iudicis ab ipso appellante probari debere. Ita cum Alex. de Neuo, in dicto cap. suggestum num. 21. & 23. cum Hercul. de probat. negat. num. 26. vers. decimo infertur, & cum alijs ibidem Ruginellus nu. 43. & 48.

145 Secundum, quinam sint viri probi, aut personæ honestæ, esse relinquendum arbitrio eiusdem iudicis, qui decernit, an appellatio sit legitima, & admittenda, Ita ex Menoch. de arbitr. iud. casu 69. Ruginellus

146 num. 46. Tertium, dictam appellationem coram viris probis fieri pro duplici effectu, nempè ad impediendum, nè laudum, seù sententia transeat in iudicatum. Item ad hoc, vt sit locus priuilegio attentatorum; sed tunc appellatio iudici à quo intimari debet; illud cum August. Ber. hoc cum Surdo per ipsum relatis affert idem Ruginell. num. 45. & 49.

148 Peculiariter verò, quod ob dictam carentiam copiæ iudicis à quo, vel ob metum appellanti iniectum, possit fieri appellatio coram Iudice ad quem, patet ex l. 2. §. quid ergo, ff. quando appellat. traditque Glosa in

149 Clemen. 1. de appellat. Metus tamen, vt benè aduertit Ioan. Ferrar. in tract. de appellat. cap. 5. num. 149. & 150. debet esse fundatus, & releuans, non inanis, seu imaginarius.

150 Porrò, inquit ille, qui sic vmbram quasi propriam metuentes, appellationem non interponunt, à reuocanda lite repelluntur, l. 1. & l. ab exordio, C. de ijs, qui per metum. ita ille. Debet ergo esse metus cadens in cõstantem virum, vt ipsemet Ferra. addit. Imo tali metu affectus adhuc si

151 compareat coram iudice a quo, & dicat ei, his, & alijs de causis, exprimendo ipsas, grauastis me, licet non vtatur verbo appello vel simili, sola causarum expressio in isto casu habetur pro appellatione. Ita cum Angel. Aret. in l. cum quidam, ff. de appellat. num. 1. Ruginellus in dicta Præfatione sui, num. 44.

152 Sed quid, si taliter timens non audeat comparere coram iudice à quo, & iudex ad quem longè distet, est aliud remedium præter appellationem coram notario, aut viris probis, si fortè etiam alterutro ex his modis ipsa impediatur? Audi eundem Ruginellum, num. 45. ex eodem Angelo Aretino num. 2. illud tibi benè assignantem. Remedium, inquit, est, vt timens intra decem dies datos ad appellandum iter arripiat versus iudicem ad quem, quia talis arreptio itineris in quocunque casu timor cadat, ha-

153 bet vim appellationis. Et statim addit cum Osasch. decis. 7. Pedem. num. 5. cessante metu arreptio itineris, vel missio nuncij non habetur pro appellatione. Hactenus il-

154 le; Atque vtrumque hoc vltimum sine dubio verum est; illud verò primum de arreptione itineris ob metum &c. nullus auctorum, quod sciam, hucusquè reprobauit, nec ego reprobo, sed tantum, vt probabile admitto.

155 Expendendum nunc sequitur, vbi, seu in quibus casibus concedi debeat appellatio. Videtur quidem paucis verbis satis expensum, si in communi dicatur, esse regulariter concedendam vbicunque grauamen aliquod parti infertur, siue iudicialiter, siue extraiudicialiter, per quamcunque sententiam

tiam definitiuam, aut interloquutoriam in quibusuis casibus maioris, aut minoris momenti; l. & in maioribus, C. de appellat. l. non tantum, §. iussus, ff. eodem Tradunt; Specul. tit. de appellat. §. in quibus, Franc. in rubr. de appellat Diaz. regul. 35. appel-

156 lare, & alij. Pro casu grauaminis extraiudicialiter illati, est singularis textus in ca. bon. memor. de appel. per quem in eo dari appellationem ostendit Maranta dicta 6.

157 parte speculi, num. 278. Probatur etiam vniuersaliter in quibuslibet casibus grauaminis præsentis, aut futuri (exceptis aliquibus attingendis) quòd sit locus appellationis per definitionem ipsius supra à nobis traditam, & declaratam, in qua opportunè particula grauaminis futuri exprimitur.

158 Verum vt magis constet de hoc puncto visum est aliquos casus hic proponere ex multis à Ruginello citando adductis, in quibus ratione grauaminis futuri concedi-

159 tur appellatio, licet alicubi secus. Primo si iudex tentet procedere, non obstante exceptione recusationis eiusdem, licitum est statim ab ipso appellare, cap. cum speciali, de appellat. & tradit Socc. regul. 37.

160 Secundo est locus appellandi ante sententiam, vbi appellans timet, nè res sua indebitè occupetur, l. 3. C. qui bon. ced.

161 poss. Tertio, casu quo quis timet, nè excommunicatio infligatur, iuxtà textum in capit. dilecti, & ibi Doctores de appellat.

162 Quarto appellatur à futuro grauamine, vbi pars ait iudici, appello, nè molestes me super tali facto: si grauamen futurum ex probabilibus coniecturis colligatur, cap.

163 bonæ, de appell. Quinto conceditur appellatio in beneficialibus, cap. qui contra certam, de elect. & affert Diaz in regul. 42

164 appellari. Sexto concessum est appellare illi, qui dubitat fore, vt condemnetur ad torturam, eique subijciatur, l. si quis prouocatione, C. de appellat. & cap. 1. de di-

165 lat. Septimo, vbi quis nominatur ad officium publicum, licet adhuc non electus sit, si coniectet futurum grauamen ex electione, ante ipsam, licitum ei appellare, l. ait prætor, §. quia tamen, ff. de minor. l. ad scribam, & l. 2. ff. qui admittit.

166 Vide alios casus apud Ruginellum, §. 2. cap. 2. à num. 411. in quibus ob grauamen futurum est locus appellationis, maximè ex vi iuris canonici, cap. cum sit Romana, & cap. super eo, de appell.

167 At attento iure ciuili non conceditur regulariter appellatio ratione grauaminis inferendi, sed iam illati tantum, l. 1. §. si quis tutor, ibi, cæterum antè frustra appellare, ff. quand. appellat. & l. 2. C. de Episcop. aud. omnesque Doctores in capit.

168 cum nobis, de elect. Præsertim id verum vbi res celeritatem requirit, & non patitur dilationem, iuxta textum in l. fin. C. de appellat. recip. vbi Bart. & alij auctores, qui ponunt exemplum in venditione pignorum post denunciationem, nam ab ea, ne venditio fiat, non est locus appellandi.

169 Quin etiam attento iure canonico aliquando non datur appellatio in casu grauaminis futuri, vt circa causas quasdam vertentes coram Episcopo, aut eius Vicario, verbi gratia, visitationis, correctionis, habilitatis, vel inhabilitatis: similiter circa criminales, secundum Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 1. prope finem de reform.

170 Plures casus in specie non admittentes appellationem ob grauamen futurum inuenies apud Ruginellum dicto §. 2. cap. 3. num. 433. qui exprimit num. 439. pe-

171 culiarem sic. Sexto, vbi opponitur, inquit, aliqua exceptio etiam coram exequutore beneficiali, qui pariter extraiudicialiter procederet, non poterit appellari, dicendo, si non admiseris, appello, Bald. in cap. dilecto, per illum textum, quem in isto casu aureum dicit, de appell. & eum refert, & sequitur Præpos. ibidem num. 10. subdens, quòd licet ab exequutore beneficiali possit appellari, quoad effectum deuolutiuum, propter exceptionem non admissam; tamen ex quo non assumit partes iudicis, quoad effectum suspensiuum talis appellatio non operabitur; cum expendente poterit exequutionem facere, idque speciale sit in exequutione beneficiali. Hactenus ille; sed de duplici effectu appellationis, deuolutiuo, & suspensiuo, nobis infra sermo erit, cum de circumstantia, cur, agetur.

172 E contra vero, nullo modo est locus appellationi, vbi nequaquam adest vllum grauaminis illati, aut inferendi vestigium. patet ex iure, 2. quęstion. 6. per totam. Vndè cum non grauet iudex, si in his, quæ ab ipsius voluntate pendent, aliquid facere omittat, ita tunc non conceditur appellatio. Ita Specul. rubric. de offic. iudicis, §. impedit, post princ. vbi ait iudicem non grauare, si non faciat illud, quod ex officio suo supplere poterat, vt si non repellat actorem, qui nondum suam intentionem fundauit. Ita etiam Franc. in cap. ad hæc, il 2. num. 2. in fine, de appellat. quibus adhæret Ruginellus dicto §. 2. capit. 2. num. 73. & capit. 3. num. 408.

173 Similiter non est locus appellationi, vbi licet adsit grauamen, ei tamen pars grauata consentit. Tradit vt certum ex regula, scienti, & volenti, &c. cum Menoch. consil. 217. numer. 24. lib. 3. idem Ruginellus.

274 Denique non est locus appellationi, vbi leges quælibet, decreta, statuta, & pacta partium eam repellunt; debent tamen intelligi, nisi quis indebitè grauetur, nam tali grauamine dato, ad auxilium appellationis, saltem ex vi iuris naturalis veniens, semper auditur, maximè si sit notorium. Docent Alexand. consil. 106. numer. 27.

Bal-

Bald. in l. 1. C. de momen. possess. & l. 3. C. ne lic. tertio prouocat. Roman. in l. de pupillo, §. qui opus, ff. de oper. non. nunc. & cum pluribus alijs per ipsum relatis Ruginellus, d. §. 2. cap. 3. num. 74. & §. 5. cap. 2. num. 64.

175 Prædicta autem omnia sufficere videntur ad satis indicandum in genere, vbi, seù in quibus casibus concedatur appellatio, aut secùs. Verùm, cum non omne, quod tractatur, in genera possit diuidi, teste Iurisconsulto, in l. cognitionum numerus, ff. de var. & extraordinar. cognit. neque omnes articuli, ob varietarem casuum, singulatim, aut certo sub genere recenseri possint, l. non possunt, & l. neque leges, ff. de legibus, peropportunum, quis fortè iudicabit, si particulares omnes, seù singuli hic exprimantur. Sed nè nimis mate-176 riam istam appellationum præter nostrum institutum extendamus, cum innumeri sint casus, in quibus à iure appellatio expresè, vel tacitè admittitur, aut repellitur, visum est conuenientius remittere lectores, eorum cognitionis cupidos, ad Cæsarem Ruginellum, qui ipsos abundantissimè, & completissimè ordine alphabetico collegit, dicto §. 2. toto cap. 3.

177 Nobis satis erit, si iuxta species appellationis suprà declaratas, varios casus, in quibus concessum est appellare, vel non, præter iam dictos breuiter attigerimus.

178 Quoad causas criminales, conceditur appellatio non solum à sententijs condemnatorijs, supposito grauamine (quod vt plurimum fit, & non est, cur ostendatur exemplis) sed etiam aliquando à sententijs ababsolutorijs, ut est in sententia absolutionis ab obseruatione iudicij, quæ appellationem recipit. Ita Abbas in cap. ad dissoluendum, de despons. impuber. Angel. Aret. in l. 1. §. libelli, ff. de appellat. & alij, quos refert, & sequitur Ruginellus dict. §. 2 179 cap. 3. num. 5. Qui è contra ait num. 6. cum Guidone Papa, Lancell. & alijs per ipsum citatis, quod non appelletur ab absolutione excommunicationis, iuxtà textum in cap. ab excommunicato, de rescript.

180 Diuisimus suprà appellationes iuxta varietatem sententiarum iudicialium, & extraiudicialium, ac varijs exemplis indicauimus, vbi, seù in quibus casibus sit locus appellandi ab eis, vel secus. Adiungamus nonnulla alia exempla, vt de appellatione admittenda, vel neganda à sententijs extraiudicialibus, magis innotescat. Primus 181 casus sit, quod Clericus, aut Canonicus habeat locum appellandi à mandato de residendo, per Ordinarium sibi iniuncto, in cap. peruenit, il 2. de appell. modò causa appellandi sit iusta, & non friuola, alioquin erit inualida appellatio, vt benè no-182 tauit ibi Præpos. Mediolan. num. 1. Secundus, vbi consanguinei, vel maior pars erogatoriorum sunt discordes circa puellam coniugio tradendam: tunc ob iustam causam conceditur appellatio, l. 1. C. de nupt. & ibi Bart. Felin. in rubric. de treg. & pact. ac alij. Tertius, datur appel-183 latio à reuocatione locationis facta per aliquos Canonicos sine consensu Capituli. Textus est in cap. ad audientiam, de reb. Eccles. non alien. Ita Ruginellus dict. cap. 3. 184 num. 39. Quartus, licitum est appellare à solo grauamine verbali illato, sicut & à reali futuro, ex l. 1. ff. de præf. Vrb. vbi Bart. & Bellam. in cap. cum cessante, de appell. 185 Quintus, conceditur patrono appellatio à mandato ipsi facto, nè alium præsentet, secundum Abb. Lancell. & Marantam citatos à Ruginello ibid. num. 22. apud quem plura exempla.

186 Negatur è contra appellatio in casibus extraiudicialibus. Primo ab eo, quod maior pars Capituli decernit, aut facit; est textus expressus in cap. 1. extra de his, 187 quæ à maiore parte Cauituli. Secundo ab exactione decimarum non datur appellatio, iuxta cap. tua nobis, ibi, appellatione remota, de decim. vbi Abbas, num. cum limitatione ait, quod laicus tunc solum appellare possit, quando allegat compositionem, aut exemptionem legitimam; non verò, si consuetudinē, aut præscriptio-188 nem. Tertio, si interponatur appellatio à contractu quouis, nullius est valoris, nec admittitur vllo modo, l. 1. C. de arb. Quar-189 to in casu quocunque extraiudiciali, dum Episcopus visitat, non est locus appellationis per textum in c. ad nostram, & in cap. 190 reprehensibilis, de appellat. Secundum Lancellot. de atten. appell. penden. limit. 18. num. 6. intelligitur, dummodo visitatus non sit exemptus priuilegio, aut præscriptione. Ita etiam Franc. in cap. significantibus, de appell. in vlt. notab. Sed ad-191 dit benè Ruginellus dict. cap. 3. num. 46. quod hoc non videatur admittere Concilium Tridentinum, sess. 15. circa fin. Lege plura apud ipsum de appell. negata in casibus extraiudicialibus.

192 Quoad diuisionem item appellationum trimembrem à nobis supra declaratam, nempè à sententia interloquutoria, à definitiua, & à mixta, non immoror in proponendis exemplis pro completa singularum declaratione, cum passim occurrant: sed vnum tantum verbum de primo membro proferendum, eo quod circa ipsum sit maior difficultas. Non concedi appellationem de iure ciuili ab interloquutoria, communiter tenent Doctores in l. 1. & in l. ante sententiam, ff de appellat. ac in l. ante sententiæ tempus, C. quorum appell. Ita cum Guidone Papa, & cum alijs per ipsum relatis Ruginellus dict. cap. 3. num. 475. 193 Qui num. 489. reddit rationem huius communis doctrinæ sic: Quia nondum est læsio consumata, cum victus poterit victorem superare in definitiua, & si succumbat in

in definitiua potest ab ea appellare, & grauamen omne per appellationem ab ipsa repellere; vnde appellans ab interloquutoria, potius differendi causa censetur facere; secundum Iason. in l. 3. C. de Episcop. aud. ita ille totidem fere verbis.

194 Verùm pręter quàm quod de iure canonico, ex mente omnium scriptorum, est locus appellandi ab interloquutoria, in aliquibus casibus, idem concedi debet etiam attento iure ciuili. Primo, vbi damnum irreparabile ex interloquutoria sequitur, l. 2. ff. de appellat. recip. Dec. in capit. super 195 eo, de appellat. Secundo, si interloquutoria contineat grauamen notorium, vel illicitum, Marf. singul. 64. num. 27. Bald. in l. post sententiam, C. de interloquutor. om-196 ni. iudic. Tertio, quando interloquutoria habet vim definitiuæ, tangitque negotium principale, aut substantiam eius, vel non expectatur alia sententia, Duen. reg. 52. appellari, in 3. fallen. Asin. in prax. §. 31. cap. 2. limit. 3. & cap. 18. limit. 2. ac alij. 197 Quarto, appellare conceditur ab omnibus interloquutorijs, quæ insurgunt, dum tractatur causa alicuius delicti pro inquirenda huius veritate. Ita Bald. conclus. 464. cent. 198 5. & cum eo Ruginellus d. c. 3. n. 485. Quintò, licita est Scholari facultas appellandi à quauis interloquutoria. Auth. habita, ab 199 omni iniura. C. ne fil. pro patr. vbi Bald. n. 14. Sextò, appellare quis potest à decreto, seù mandato carcerationis, imò post hanc exequutam, etiam transactis iam decem diebus, idque ob damnum irreparabile. Ita in cap. super eo, il 2. de appell. Præpos. num. 9. & alij.

200 Vtendum tamen rarò appellatione ab interloquutorijs, vt benè monent Contar. in l. vnic. C. si de mom. poss. ad 5. limitation. & Abbas, consil. 48. lib. 1. quia si quis tali appellatione frustratoriè, aut friuolè, vel nimis vtatur, priuabitur facultate appellandi à definitiua, cùm certum sit per tex. in clem. vnic. de dolo, & contumac. quòd succumbens in tribus interloquutorijs priuetur beneficio appellandi à definiua sententia. Tradunt Card. in cons. 32. in 1. dubio, & post alios Ruginellus dict. cap. 3. num. 493. quem videas.

201 Separatim vltimo loco discutiendum, vbi, seù in quibus casibus apud Tribunal Sanctæ Inquisitionis concedatur appellatio vel non. Certi iuris est, tum canonici, tum ciuilis, quòd in causis fidei à sententia contra hæreticos lata non possit admitti appellatio: patet ex textu, in cap. Vt Inquisitionis officiũ, vers. vtque de hæresi, de hereticis 202 in 6. Vbi dicitur, Non obstantibus appellationibus, seù proclamationibus prædictorum nequitiæ filiorum, cum tàm secundùm ordinationem prædecessorum nostrorum, quam secundùm legem Imperialem, appellationis, & proclamationis beneficium expressè sit hæreticis, & credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defensoribus interdictum. hactenus verba tex-203 tus, cum extensione ad credentes, receptatores, fautores, & defensores hæreticorum. Atquè à fortiori extenditur prædicta decisio ad relapsos, secundùm Glos. in cap. Ad abolendam, vers. item lapsis in hæresim extrà de hæreticis, perpensis verbis illis textus, sine ulla penitus audientia, & affert ex mente omnium Farinac. de hæres. qu. 185. nu. 231.

204 Dein, sicut hæretico, ita & eius hæredibus, pro ipso appellare non conceditur. Facit pro hoc idem textus dict. cap. vt Inquisitionis, & docent vt certum Simanc. cathol. Instit. tit. 6. rubr. de appell. num. 7. Ruginellus §. 2. cap. 3. num. 447. & præter alios Farinacius vbi supra num. 230. & quidem hoc semper verum est, quoties hæreticus iam mortuus, vel absens fuit condemnatus, quia confessus iudicialiter proprio 205 ore, vel quia conuictus. Secus si ex solis præsumptionibus, aut indicijs post ipsius mortem; nam in hoc casu videtur admittenda appellatio, si ex causa probabili à dictis hæredibus interponeretur. Ita ijdem Simanch. & Farinac. post Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 58. num. 4.

206 A decreto tamen purgationis indictæ, & à termino ad se purgandum præfixo, datur appellatio. Ita Pegna 3. part. Direct. comment. 38. & cum alijs per eum relatis Farinac. de hæres. quæst. 194. num. 63. Ostẽdi inde potest, quia purgatio canonica est res difficilis exequutionis, & periculo succumbendi exposita; Vnde hodie etiam in Sancto Officio vix vsu recepta, vt alibi dicemus.

207 Ab interloquutoria verò sententia, ratione grauaminis cuiusuis illati, aut inferendi, conceditur hæreticis appellare. Docent communiter Auctores, Felyn. in cap. ad abolendam, num. 3. vers. sed aduerte, de hæreticis. Simanch. citatus num. 3. Rojas, singul. 19. num. 4. Zanchin. in tract. de hæret. cap. 29. num 2. & ibi Campeg. in additionibus, litera B. Eymeric. in Direct. par. 3. num. 121. & ibi Pegna commentar. 31. Param. lib. 3. de orig. Sanctæ Inquisitionis, num. 60. & alij, quos adducit, & sequitur Farinac. dict. quæst. 185. num. 232. 208 Qui omnes interpretantur textum à nobis propositum supra, ex dict. cap. vt Inquisitionis officium, de appellatione à sententia definitiua tantum, ob fidei fauorem & odium hæreticorum, & non de appellatione ab interloquutoria, per quam vbi senserint illi se indebitè grauari, licitum erit ipsis ab ea appellare, nec est cur tunc appellatio denegetur.

209 Peculiariter est locus appellandi in crimine hæresis, à decreto torturæ. Ita ex auctoribus citatis Simanch. in Enchirid viol. Religion. tit. 52. rubric. de tormentis, num. 11. Eymeric. loco citato, ibi Pegna, & preter

ter alios Glos. in Clementin. 1. verb. ipso iure, de hereticis, assignatque ibi hanc rationem, quia nimirum grauamen torturæ auferri non potest per appellationem à de-210 finitiua. Atque idem erit de similis grauaminis decreto, quòd licitum sit ab eo appellare, vt à decreto carcerandi aliquem in Sancto Officio, iuxta dicta à nobis paulo antè num. 199. Quamquam nullus, quod sciam, exemplificat de carceratione hæretici, cum tamen par ratio videatur.

211 Nihilominus, si dicta appellatio appareat aliquo modo friuola, & frustratoria, nequaquam est admittenda, sed ea non obstante potest iudex in causa fidei ad exequutionem torturæ, vel carcerationis deuenire. Ita Pegna dicto commentar. 31. littera A. referens ibi verba instructionis Madrilianæ anno 1561. editæ, capit. 50. quam vti æquissimam, & tutissimam vbique seruandam esse ait, idemquè affirmat Farinac. dicta quæstion. 185. numer. 235. versicul. verum, quod non; quia 212 tunc in tali appellatione adest calumnia, ergo, &c. Atque hactenus de circumstantia, vbi, aut in quibus casibus sit concedenda, vel neganda appellatio. Sequitur agendum de circumstantia, cur, motiuum, & effectus, seù causam finalem appellandi indicante, & secundum vtrunque à nobis expendenda.

Cur, & ad quosnam fines, & effectus inuenta, & interponenda appellatio, maximè in Sancto Officio?

REGVLA CCCLXVIII.

213 FVit olim adinuenta, & introducta appellatio aduersus iniquitatem, vel imperitiam inferiorum Iudicum, aut ad supplendum, quod incautè in priori 214 iudicio fuerat omissum. Finis autem, seu effectus vsus interponendi appellationem plures sunt, statim explicandi; præcipui tamen duo, nempè sententiæ rescissio, vel 215 suspensio, & causę deuolutio. Ex istis .n. casibus plus 40. solum effectum deuolutiuum ex triplici capite. Appellatio etiam à definitiua sententia inducit; in alijs verò tam suspensiuum, quàm deuolutiuum, ma-216 ximè post iniunctam inhibitionem. Atque hoc in causis Sancti Officij locum quoquomodo habet; vbicumq; apud ipsum appellatio conceditur.

217 ANtequam ex iure, & ex communi auctorum doctrina ostendamus, cur appellatio fuerit inuenta, ac vsu quotidiano recepta, non erit abs re de eius inuentione, & prima origine aliquid hic bre-218 uissimè attingere. Ex mente Afflict. super constit. in prælud. quæst. 10. in princ. & Ruginell. in Præfat. comment. de appell. nu. 6. illi soli adherentis (quippè secundum ipsum, nullus alius Doctorum huiusce rei mentionem fecit) Deus Optimus Maxim. primus auctor, & institutor appellationum extitisse videtur, quando Moysi Hebræorum Duci, & Gubernatori iniunxit, vt eligeret septuaginta de senibus Israel, qui iudicarent de causis Populi, & si quid difficile, & grauius occurreret ad eum refer-219 rent. Patet clarè ex illis eius verbis Deuteronom. cap. 1. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.

220 Sed clarius ex alijs eiusdem, Deuter. capit. 18. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari, surget, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit *illo* tempore, &c. ex quibus, vt ait Nicol. de Lyra, origo appellationis deducitur.

221 Postea vero, vti cuiuis Reipublicæ omninò necessaria omnium ora legislatorum, qui dein sequuti sunt, Mercurij Trismegisti apud Aegyptios, Minojs apud Cretenses, Zoroastris apud Persas, & Bractianos, Lycurgi apud *Lacedæmonios*, Solonis apud Athenienses, Romuli, seù Numæ Pompilij, apud Romanos, ac reliquorum apud quascunque nationes orbis, ipsa appellatio peruasit, vt quisquis à iudice su-222 periorem appellet. Quippè quæ consuetudo prouocandi ad superiores Magistratus, vt testatur Vlpianus in leg. 1. §. si quis ff. de appell. vbiquè introducta, & recepta est pro retundenda impietate, aut imperitia inferiorum iudicum, & habentur in cap. cum specialis, §. porrò, de appellation. capit. omnis oppressus, 2. quæstion. 1. & in Clemen pastoralis, versic. quia 223 verum, de re iudic. Seu, vt moderatius contra inferiores iudices loquamur, vsus appellandi inductus pro supplendo eo, quod inaduertenter, seu incautè in priori iudicio fuerat omissum. l. per hanc, C. de tempor. appell. & cap. cum Ioannes extra de fide instrumen. assertq; cum Bart. in l. omnes popul. ff. de iustit. & cum alijs adducit Ruginellus partim in dict. Præfat. num. 4. partim §. 12. glos. 2. capit. 2. num. 3.

Hinc

224 Hinc iura ipsa, & scribentes de hac materia tribuunt appellationi plurima quasi epitheta, & encomia, quibus excellentiam, & efficacitatem eius declarant. Hermog. in l. Præfecti, ff. de minor. vocat eam querelam 225 iniquitatis: Marcellinus in l. serui, ff de appell. iustum auxilium: Papinianus verò commune auxilium, in l. 3. §. falsus, eodem tit. facitque pro hoc textus in l. 1. & 2. C. quando prou. non est neces. & in Clemen. causa, ibi, & appellanti & appellato, de caus. pos. & propr. iuxta interpretationem Zabar. ibi, num. 2. quòd iustitiæ appellatio innitatur, cap. cum specialis, §. porrò, de 226 offic. deleg. Dicitur etiam appellatio remedium fauorabile, l. 2. ff. rem rat. habe. tradit Alexan. consil. 47. in princip. lib. 6. item remedium æquitatem præ se ferens, l. non tantum & l. serui, ff. de appell. cap. ad nostram, eodem tit. Rojas singul. 19. nu. 227 3. Tandem appellatio dicitur defensio de iure naturali secundum Abb. in cap. 2. de rescrip. & Fel. in cap. si diligenti, num. 7. de foro comp. imo secundum Bero. in cap. cum sit Rom. n. 45. de appell. naturalis merè defensio & non ciuilis, nec iuris positiui.

228 Prędicta autem appellationis attributa, licet multum indicent eius effectus, expedit tamen istos magis in specie exprimere, iuxta dispositionem iuris, & communem doctrinam auctorum, præcipuè Ruginelli, tit. de appell. argumen. quid sit appellatio, & quos effectus producat, fol. 11. & illorum, quos ipse citat.

229 Primus est, quòd deuoluat causam ad superiorem, 2. quæst. 6. cap. anteriorum, præsertim si appellatur à definitiua, ex mẽte Bart. in l. si expressim, ff. de appell. quęst. 4. & dicitur communiter effectus deuolutiuus, per quem constituitur appellans sub protectione iudicis ad quẽ; Ita Guid. Papa, tract. de appell. num. 1.

230 Cum extensione intelligi debet dictus effectus, quod habeat locum, etiam quando sententia est nulla, ita vt de eius nullitate iudex, ad quem appellatur, cognoscere possit, adsit, nec nè, l. quędam nulliter, ff famil. excis. Roma, consil. 360. & Oldra. consil. 12. in princip. sicut de reliquis contingentibus, & accessorijs in causa, cap. dilectus, cap. so-231 licitudinem, & cap. dilecti, de appell. Imò de ipsa deuolutione, an sit causa deuoluta, vel secus, cognoscit solus iudex ad quem, & non alius inferior. cap. dilectus filius, il 2, de rescrip. l. eos, C. de appell. cap. cur nostrum, & cap. literis, de rescript. vide Ruginellum vbi suprà num. 5.

232 Secundus appellationis effectus est, quòd à iudicis appellati iurisdictione appellantem eximat, cap. pręterea, ibi, se fecit exemptum, de appell. cap. non solum, eodem tit. in 6. l. appellatione C. de appell. & l. 1. in fine ff. nil nouari appell. penden. ita ibidem Gido Papa. quem effectum causat 233 appellatio, etiam si adhuc non sit superiori præsentata, aut causa commissa, ob eam rationem quia statim ligat manus iudicis appellati, respectu definitiuæ, l. appellatione, C. de appell. & cap. non solum, de appell. in 6. non verò respectu interloquutoriæ, quousque inhibeatur ei per iudicem ad quem, eodem cap. non solum, vt diximus 234 supra. Et quidem tunc ligatio manuum non solum in iudice à quo, sed etiam in quouis subdelegato, & subdelegante, facta, debet intelligi, vt benè notauit August. Bero. in consil. 20 num. 44. lib. 2. & cum eo Ruginellus loco citato num. 5.

235 Tertius effectus est, quòd sententiæ vires appellatio suspendat, & vocatur communiter effectus suspensiuus, cap. ad sedẽ, de restit. spol. cap. venientes, ibi, sententias appellatione suspensas, de iur. iura. & cap. 1. 236 ibi, appellatione suspensa, de iur. iudic. Intelligitur autem cum ampliatione, iuxta dict. cap. venientes, nempe omnia in prima instantia producta ita suspendi, vt non obstent in secunda, nisi reproducatur. Brun. à sole, quæst. 24. num. 12. & alij. Item suspendi expensas, damna, & pœnam in sententia reseruatam; Ita Soc. l. Iulianus, nu. 11. ff de cond. & demonst. idem Brun. nu. 13. & cum alijs, quos citat, & sequitur Ruginellus vbi supra, num. 7. E contra intelli-237 gitur cum limitatione, nimirum non suspendi tunc effectus iam consummatos, & in facto esse productos; & multo magis, si appellatio friuola sit, aut irrationabilis. Ita Paris. cons. 49. num. 1. lib. 4. Lancell. de atten. app. pend. lim. 6. & Ruginel. loc. citat. num. 8.

238 Quartus est, quòd extinguat pronunciatum. l. fin circa fin. ff. ad Turpil. cap. pastoralis, §. præterea, de offic. deleg. cap. venientes, de iureiuran. similiter pręsumptionem ex sententia prouenientem, dict. cap. venientes, & cap. 1. de re iudic. docetque vtrumque Lancellot. in *præfat.* de atten. 239 num. 108 & 114. Qui duo addit bene nu. 115. & nu 117. Primum, quòd appellatio adeo sententiam extinguat, vt eam nullam reddat, & nullum effectum operetur. cap. cum ad sedem, de restit. spoliat. Secundum 240 quòd præcipue ad sententias cẽsurarum, quarum effectus per appellationem nullo modo suspendũtur, se extendat dicta extinctio. Ita etiam Innoc. in cap. ad reprimendum, de offic. ord. & affert Ruginel. ibid. num. 9.

241 Est autem valdè controuersum inter Doctores, qualiter sumi debeat iste quartus effectus, quia videtur prorsus contrarius præcedenti, cum aliud sit aliquid suspendi, & aliud in totum extingui, vel rescindi, vt ex mente omnium affert Lancell. dict. pręfat. num. 114. Pro solutione controuersiæ, varios illi excogitarunt modos respondendi, quos videas apud *Ruginellum* vltimò citatum num. 10 *vers.* verum iste ef-242 fectus. Facilior tamen & inter ipsos concordiam inducens insurgit ex illa distinctione, quòd appellatio sententiam extin-

guat, quatenus præterita respicit, si vero futura respiciat, vires, & præsumptiones sententiæ tantum suspendat. Ita præter Lancell. citatum, & alios ab ipso relatos, tenent Felyn. in cap. pastoralis, nu. 14 de offic. deleg. Afflict. in constit. lib. 2. rubric. de appell. tempor. nu. 1. Castrens. in l. tale pactum, §. qui prouocauit, num. 5. & Ru-

243 ginellus ibidem, num 11. Qui benè statim addit, quod fallat in excommunicatione, suspensione, & interdicto, l. is, cui, de senten. excommunica. Item in statuto agente de causis pendentibus, scilicet in prędictis appellatio non suspendit.

244 Quintus effectus est, quod tametsi appellatio mutet forum, non tamen variet naturam causę; nam si prima erat summaria, secunda pari modo summaria esse debet; l. 1. §. final. & ibi Angel. ff. an per aliũ caus. appell. quia idem negotium dicitur, & eadem causa, licet mutetur instantia. Ioann. Andr. in cap. fin. de testibus in 6. quem refert, & sequitur Præpos. in capit. postremò, num. 3. de appell. Roma consil. 8. Mill. in repert. vers. appellationis causa, fol. 8. Hæc Ruginellus loco citato, num. 15. totidem ferè verbis, nec quicquam addendum.

245 Sextus appellationis effectus assignatur per eam conseruari appellantem in statu, in quo erat ante sententiam latam, iuxta l. sciendum, ibi, omnia in eodem statu, ff. de appell. recip. & l. appellatione, C. de appell. Atque hoc verum est etiam quando sumus in criminalibus, vel quando agitur contra fiscum. Ita Lancellot. de atten. appell. penden. ampliat 4. nu. 2. cum seq. & Ruginellus

246 ibid. num. 13. Qui exemplificat in diuersis, vt in Episcopo, aut quouis alio, qui licet deponatur, si appellet à sententia depositionis, pendente appellatione, potest excommunicare, & in reliquis officium suum exercere, & in hoc exercitio non est ei obedientia deneganda. Paris. consil. 28. nu. 3. lib. 4. Abb. in cap. 2. num 6. vt lit. pend. & Dec. in consil. 214. at in cap. dilecti, nu. 5. de appell. vide alia exempla apud Ruginell.

247 Septimus effectus, per appellationem præcludi ius innouandi tam in voluntario, quam in contentioso iudicio. Docent vt certum Guid. Papa in singul. 32. num. 5. & cum Lancell. per eum citato Ruginell. vbi suprà, num. 15.

248 Octauus est, quod appellatio reuocet causam in pristinum statum, secũdum l. ita demum, C. de procur. & l. furti, ff. de his, qui not. infam. Quin etiam, quod omissum in causa principali, in causa appellationis possit deduci, l. per hanc, C. de tempor. appell. & docent auctores in cap. fraternitatis, de testibus, & cum Afflict. & Gabri. ab ipso relatis Ruginellus ibidem.

249 Nonus, quod per eadem statuta, per quæ tractatur, & deciditur prima sententia, tractanda, & decidenda sit secunda appellationis. Ita Bald. in cap. ad nostram, de

appellat Iason. in l. inuitus, C. de procur. Natta, cons. 553. nu. 10. & alij. Ratio est, quia appellatio censetur de appendicijs illius instantię, cuius est instantia, à qua in-

250 terponitur. Vnde Iudex appellationis in decisiuis semper debet seruare forũ rei, & statuta illius loci, vbi primo sit iudicatũ. Iason. ibid. & cum Achill. Machab. & alijs per eum adductis Ruginellus loco citato,

251 num. 16. Qui exemplificat in Senatu etiã superiore, quod hic si non comittat, sed cõstituat se Iudicem appellationis, tenetur seruare legẽ, & decreta primi iudicis, Surd. cons. 266. num. 14. lib. 2.

252 Verum id respectu instantiæ non ita se habet, nam locus iudicij agitandi quoad instantiam attendi debet, secundum doctrinam Bart. ab omnibus approbatam, in l. cunctos populos, num. 16. C. de Summ. Trin. & Fid. Cathol. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de const. & aliorum, quos loco citato num. 17. adducit Ruginell.

253 Qui num. 18. decimum effectum orientem ex appellatione sic adducit. Vt cautio, inquit, de iudicio sisti finiatur finita instantia prima, l. Grecè, §. si post litem, ff. de fideiuss. idquè procedit etiam in cautione de rato, l. 3. §. falsus, ff. rem rat. hab. ideo de nouo caueri debet; Bald. in rubric. de appell. vide tamen Gabr. cons. 3. de procur. & infra. Ita ille.

254 Vndecimus effectus est, quod quamuis qui negat debitum, non possit cedere bonis, iuxtà doctrinam Bart. in l. qui cedit, ff. de cess. bon. in causa tamen appellationis si confiteatur debitum, cedere bonis sic cõfitenti conceditur, ex mente Bart. loco citato, Afflict. decis. 188. num. 5. Bald. Iason. & alij in l. ita demum, vbi textus peculiaris, C. de procur.

255 Duodecimus, & vltimus effectus appellationis est, quod tametsi per eam corrigatur imperitia primi iudicis, hic tamen iniuriarum nota non afficitur, cum iudici iniuriam nequaquam inferat, qui à sententia illius appellat, ex l. in maioribus, C. de appell. & cum Aret. cons. 20 vers. circa secundum, & cum Rol. Vall. consil. 77. num. 24. lib. 2. tradit Ruginellus ibidem, num. 20.

256 Quod verum est, quamuis appellans affirmet, sententiam fuisse nullam, iniquam, iniustam, & similia, l. 1. ff. de appellat. recip. Clem. pastoralis, vers. quia verum, de re iudic. vide plura apud ipsum Ruginell.

257 Ex prædictis omnibus appellationis effectibus, primus, & tertius sunt præcipui, vt cum Roma consil. 41. num. 4. affirmat bene

258 Ruginellus §. 6. glos. 7. cap. 2. nu. 1. Atque vtrumque simul operatur appellatio, quando sententia apparet euidenter iniusta, vt rectè docet Menoch. adipiscen. poss. remed

259 4. nu. 850. Addens nu. 855. idem esse, si sententia fuerit lata omnino sine causæ co-

260 gnitione. Similiter idem erit, si interfuit pactum de non retardando exequutionem per appellationem, nam tunc tale pactum seruari

seruari debet, maxime si sit iuratum. Ita cum Albens. consi.281. lib. 2. Ruginell. vbi 261 supra, nu.59. Qui nu.60. ait cum Bero. quæst.91. quoad vtrumque effectum maximè esse admittendam appellationem, si sit generaliter permissa, licet aliquo respectu prohibita.

262 Nihilominus ex concessione, seu dispositione iuris, ob aliquam causam ex assignādis infra, in pluribus casibus insurgit tantū ex appellatione effectus deuolutiuus, non verò suspensiuus; quia ea conceditur, & interponitur cum limitatione, scilicet, non retardata executione per Iudicem à quo, vt ait Ruginell. citatus, qui prædictos casus vsque ad quinquagesimum percurrit, & ante eum multo plures Rebuff. in tract. de senten. præiudicial. siue prouis. Nos etiam vtriusq; vestigia sequendo præcipuos quosque magis in iure expressos breuissime percurremus.

263 Primò, Appellatio operatur solummodo deuolutiuum effectum in causis alimentorum, maximè futurorum, siue in prima instantia, siue in secūda appellationis, quia ab alimentis pendet vita hominis, l. de alimentis, vbi Bald. & Iason. C. de transact. & denegans alimenta hominem necare dicitur, l. necare, vbi Bart. ff. de lib. agnosc. & 264 cap. 1. 83. dist. Vnde idem erit in causa pensionis, vbi hęc reseruata est pro alimentis. Pari modo in materia charitatiui subsidij impositi ab Episcopo pro eius sustentatione. Ita Hier. Gig. in tract. de pension. quæst. 95. nu. 3. & 4. ac Ruginellus vbi su-265 prà, nu.2. & §. 2. cap. 2. verb. dilatio. Qui dict. nu. 2. bene exemplificat in causa dotis, quod Iudex debeat assignare alimēta vxori, vbi contra hanc appellatum fuit.

266 Secundo, vbi sententia est de condemnato ad collectas, quia licet appellet, hęc appellatio tantū habet deuolutiuū effectū & incipi tunc potest à præcepto executiuo, l. missi opinatores, & l. fin. C. de exact. trib. lib. 10. ita Bald. consi. 449. licet iudex, lib. 3. Lancellot. de atten. pend. appell. lim. 43. num. 11. ac alij.

267 Tertio, In casu contento in cap. peruenit, ibi, interim verò alicui honestę personæ vices eius in Ecclesia, &c. de appell. iuxta quem textum, si canonicus cogatur ad residendum, & ipse appellet, tunc poterit alius eligi ad interim deseruiendum, & de fructibus beneficij substentari Ita Bellamer. in 3. quęst. super cap. peruenit, cuius textum vocat ipse multum singularem, atq; specialem. Rebuff. de Senten. prouis. nu. 37. & Lancell. loc cita. lim. 6. num. 11.

268 Quarto, quando aliquis captus, vel carceratus iam existit, si tunc appellet, in carceribus interim detineri debet, l. ab exequutore, vbi Bart. num. 3. & Ang. Aret. C. quorum appel. & per textum in cap. dilectus, de app. Lancell. citatus limit. 33. & 269 Ruginellus ibid. num. 17. Qui cum Math. in consil. 43. docet rectè dictam detentionē esse exercendam in carcerib. iudicis à quo, donec iudex ad quem reuocauerit, ea ratione, vt ad ipsum tota causa deuoluatur.

270 Quinto. Si declaretur iuridicè ab Episcopo, vel Abbate, aut alio superiore, quòd sit faciēda correctio, executio tunc non impeditur, etiam si subditus corrigendus siuè regularis, siuè sæcularis, ad maiorem superiorem appellet. cap. ad nostram, cap. reprehensibilis, & cap. irrefragabili, de offic. ordin. traditque optimè Lancellot. limit. 6. num. 13.

271 Sextò, in sententia condemnante hæredes ad expensas funeris soluendas; quia non obstante appellatione, statim eas soluere tenētur, salua tamē repetitione, l. si quis, §. hęc actio ff. de relig. & sumpt. fun. & l. si quis sepulchrum, ibidem, & affert Rebuff. de senten. prior. num. 38.

272 Septimo, Causat solum effectum deuolutiuū appellatio à sententijs latis per exequutorē, vel à sententia lata de exequendo instrumento; nam talis appallatio admittitur non retardata exequutione, secundum l. si ab executore, C. quorum appell. Ita Anton. à Canar. de exequut. instrum. quæst. 273 47. Atque idem erit si appelletur ab ipsa exequutione, Lancellot. limit. vltima, num. 8.

274 Octauo, Quando fertur sententia absolutionis ab excommunicatione, quæ per appellationem non impeditur cap. quà fronte, de appell. vbi Franc. & in cap. pastoralis, §. verum, eodem tit. nu 4. Vnde qui erat excommunicatus non obstante appellatione absolutus manet, cap. ex parte, de 275 verbor. significat. & c. 1. de raptor. Exēplum sit in Clerico excommunicato propter debitum, si petat absolui, attenta eius inopia, secundum textum in cap. Odoardus, de solut, & fuerit absolutus cum cautione soluendi, quando ad pinguiorem fortunam peruenerit, appellatio per creditorem interposita non impedit, quin maneat absolutus, cum sit actio inanis, & per debitoris inopiam impediatur quoad effectum saltem suspensiuum, l. nam is ff. de dolo, & cap. olim, de restit. spol.

276 Nono, In electione facta, aut in eius confirmatione; nam appellatio non impedit exequutionem electionis, vel confirmationis ipsius, & tantum habebit effectum deuolutiuū. Patet ex textu in cap. 3. de his, quæ fiunt à maiori par. Capituli, & ex textu in cap. constitutus, vbi Franc. de appell. & tradit Ruginell. ibid. num. 26.

277 Decimò, Quando aliquis, etiamsi sit Clericus, condemnatur ad fortificationem vel ad excubias, licet appellet, exequutioni mandatur sententia, & appellatio solum habet effectum deuolutiuum; cap. fortitudo, cap. si quis, & cap. non inferenda, 23. quæst. 3. Rebuff. lib. 1. de senten. prouis. nu. 97 & Ruginellus ibidem, num. 29. qui ibi benè limitat cum ipso Rebuff. nisi statim ostendat priuilegium.

279 Vndecimò, Respectu liberti in iudicio conuenti per dominum ad operas sibi præstandas; nam si condemnetur ad id, & ipse appellet, sententia, non obstante appellatione, debet exequutioni mandari, secundum l. fin. ff. si liber. ingen. se dic. tradit ibid. Ruginellus, num 30.

280 Duodecimò, Operatur effectum solummodò deuolutiuum appellatio à quauis sententia, vel decreto disponente ædificia refici debere per modũ prouisionis, l. ait prætor, §. fin. ff. de iure delib. l. fin. ff. de appell. recip. l. de pupillo, § si quis riuos, ff. de nou. oper. nunc. ita Rebuff. vbi suprà, & 281 Ruginell. ibid. nu. 33. & 34. Qui idem esse affirmant de ordinatione facta circa instructiones itinerum, & pontium, quæ per appellationem non impeditur, sed executioni mandatur. Atque hoc confirmatum videtur per Decretum in Nou. Constitut. tit. de oneribus.

282 Decimotertiò, Ex vi iuris municipalis Neapol. appellatio solum habet effectum deuolutiuum in sententijs, seu decretis tam ciuilibus, quam criminalibus, aut in præceptis quibuscunque, & mandatis cõdemnatorijs, vel absolutorijs per Magnum Cõcil. Neapol. aut per Magnã Curiam factis, iuxtà formam tit. 256. vt in præcepto debitori confesso iniũcto, iuxta terminos l. si debitori, ff. de iudic. Ita Carau. in rit. Magn. Cur Vicar. rit. 259. num. 5. & 16. & cum eo Ruginell. loc. cit. nu. 36.

283 Decimoquartò, Pari modo sequitur tãtum effectus deuolutiuus ex appellatione à sequestri sententia, quæ nullo modo per eã retardatur, sed statim exequutioni mandãda, l. Imperatores, ff. de appell. Tradunt Abb. in cap. 2. de sequ. poss. & fructuum, Rebuff. de sent. execut. Glos. 4 in fin. art. 8. & Ruginell. num. 43.

284 Decimoquintò, Adducit idem Ruginel. num. 44. casum peculiarem per hęc verba. Cum quis, inquit, ob inopiam, inuito creditore, admissus est ad cessionem bonorũ, iuxtà l. fin. C. qui bon. ced. poss. & ab ipsa cessione appellatum sit, certè ipsa cessio nõ impedietur, quia qui nihil habet actione conuentus, nihil dare potest, l. si vniuersæ, C. de leg. cap. Daibertũ, 1 q. 6. hactenus ille.

285 Decimosextò, Condẽnatus ad Solutionẽ decimarũ, licet appellet, eas nõ retardata exequutione soluere tenetur, ad idq; cogi potest; Vndè ex tali appell. solus effectus deuolutiuus insurgit, cap. sua nobis, vbi Abb. nu. 5. de decim. & in cap. Parochianos, nu. 1. eod. tit. ac tradit Feder. de Sen cons. 81. nu. 5. & cum eo Ruginell. ibid. nu. 55.

286 Decimoseptimò, Deniq; in Hispania, secundũ l. 9. recop. tit. de las apelaciones, quãdo fertur sentẽtia super victualiũ quacunq; causa, exequutio illius non retardatur per appell. ergo hæc soli effectũ deuolutiuũ sortitur, & nullo modo suspẽsiuũ. Ita Ruginell. n. 54 aduertẽs ex Marsil. singul. 258. id verũ esse, quoties res est tẽpore peritura. Atq; hactenus de casib in iure expresse cõtẽtis, prèter quos si sint alij, in ipso iure, perpẽdãt iu-287 ris periti. Casus autẽ reliquos, effectus tãtũ deuolutiui ex appell. qui secũdũ sentẽtiã DD. certã, aut saltẽ probabilẽ nõ sine fundamento iuris, & rationis circũferuntur, nè nimis prolixi simus, apud Rebuff. & Rugin. cit tibi, si libuerit, videndos omisimus.

288 Triplex autem est ratio, cur in prædictis casibus non retardatur executio sententiæ, & appellatio admittitur quoad effectũ deuolutiuum, & non quoad suspensiuum.

289 Prima, Quia præsumptio valde stat pro iustitia, & rectitudine ipsius sententiæ latę, tametsi appellatio pendeat, vndè nõ fit retardatio exequutionis eius, nè ius partis, in cuius fauorẽ Iudex ipsam protulit, interim opprimatur, contra l. per hanc, C. de appell. & cap. cum sit Romana, eod. tit.

290 Secunda, Quia propter Reipublicæ vtilitatem, & bonum priuatum singulorum de ea, ita censetur expedire, nè per appellationem negotia quasi in infinitum protrahantur, l. constitutiones, ff. de appell. Vtramq; prædictã rationem ex Didac. in pract. quęst. cap. 6. n. 5. affert Ruginell. vbi supra, n. 56.

291 Tertia, Quia natura diuersarum causarum celeritatem requirit, & dilationem nõ patitur; ergo appellatio tantum habebit effectum deuolutiuum; Ita cum Menoch. adipiscen. possess. remed. 4. num. 826. & seq. Ruginell. dict. num. 56.

292 Qui tandem nu. 61. benè aduertit sic. Prædictis in casibus, inquit, licet exequutio non retardetur, non debet tamen, exequutor, vel alius distractionem rerũ derobatarum, & exequutarũ, pendente ipsa appellatione, permittere. Aufred. dec. Tholos. 430. Benedict. in cap. Raynutius, in verb. mortuo 293 primo, nu. 212. de testament. Nisi tales res essent tempore peritur ę *Soc. reg. 38. bona* restitutioni, Glos. & Doctores, in l. 1. §. fuit quæsitum, ff. ad Trebellianum. Hęc ille. nec restat quicquam addendum.

294 Sed quid in causis S. Officij quoad dictos effectus suspensiuum, & deuolutiuum? Quibusuis in casibus est locus appellandi apud Tribunal Sanctæ Inquisitionis, vtrumque effectum appellatio operatur, maximè si reus, condemnatus ad tortu-ram, ab eius decreto, vel à simili inter-295 loquutoria appellet. Ratio efficax pro suspensiuo sic formatur, quia per torturam, vel simile infertur reo damnum irreparabile: ergo post interpositam iustè appellationem, & acceptatam, dum ea pendet, iudex à quo, seu Inquisitor abstinere debet ab exequutione talis interloquutoriæ: ergo dicta appellatio sortitur effectum suspensiuum: de altero deuolutiuo iam per se patet, nec probatio vlla requiritur.

296 Nihilominus de vtroque ostenditur ex textu, in cap cum appellationibus, §. si vero Iudex, de appell. lib 6. secundum quẽ Iudex, seu Inquisitor deferens appellationi, seu eam admittẽs, statim desinit esse iudex in

in causa, circa quam appellatio fuit interposita; ergò tunc non potest Inquisitor vlterius in ea procedere, sed expectare debet responsum Sacræ Congregationis, vel Superioris Tribunalis, ad quod fuit appellatũ. Ita Eymeric. in Direct. par. 3 rubric. de appell. num. 127. ibi Pegna comment. 31. num. eod. Castrus Palaus, tom. 1. tract. 4. disp. 8. punc. 7. num. 7. Carena 3. par. tit. 14. num. 5. & alij communiter, & specificè loquuntur citati auctores in causis Sancti Officij.

297 Quod si quis objiciat prædictum textũ videri contrarium alteri textui, in cap. ad aures, extrà de appellat vbi deciditur, eum, qui appellauit, si intrà terminum non prosequatur appellationem, nequaquam liberari à iurisdictione Iudicis à quo, qui detulit appellationi; ergò hîc non desinit esse Iu-298 dex, quando appellationem admittit. Pro concordia dictorum textuum benè respondet Pegna loc. citato ex Geminiano in dict. cap. cum appellationibus, §. si verò Iudex, vers. an iudex, attenta dispositione eius, iurisdictionem iudicis à quo, aut Inquisitoris nõ suspendi post admissam appellationem, quoad ea, quæ concernunt faciliorẽ, & breuiorem exitum causę appellationis; vndè si intra terminum ab eo assignatum eam appellans non fuerit prosequutus, merito iuxta dict. cap. ad aures, manet sub iudicis, à 299 quo, iurisdictione. Hanc tamen suspẽdi, & ipsum desinere esse iudicem quoad prosequutionem causæ, seu quoad exequutionẽ sententiæ interloquutoriæ, à qua appellatum; ergo talis appellatio habet vtrumque effectum. ita Pegna, cui adhæret Carena citatus, num. 6.

300 Debet nihilominus intelligi cum limitatione, maximè in causis S. Officij, de qua Eymer. vbi suprà sic. Si autem, inquit, Inquisitor habet causam aliam, &c. In ipsa illa causa Inquisitor iudex remanet, prout 301 antea. Et commentans ait Pegna ibidẽ, per sequentia verba. Hanc Eymer. doctrinam probat textus, in cap. ad hęc, il primo, de appell. vbi statuitur posse reum conueniri coram iudice, à quo appellauit, in alia causa, nisi eum velut suspectum velit recusare. Addo tamen, quod si crimen fuerit manifestum, in quo non potest commoda afferri excusatio, aut suspicionis iusta ratio, ob quam possit iudex recusari, tunc locum nõ habet suspecti recusatio, cap. proposuit, 302 de appell. Ex quibus iuribus videtur hoc loco verissima esse Eymerici doctrina, & diligenter notanda, cum possit quandoque 303 occurrere vsus eius. Nam si quis, ver. gr. in causa hæresis appellauit eo modo, quo hactenus dictum est, & post appellationem admissam de alijs hæresibus Inquisitori denuncietur, re vera in illis adhuc subiectus remanet Inquisitori, & appellatione non obstante poterit procedere contra eũ. Hæc ille, quæ quia aurea, & ad nostrum institutũ cõducẽtia visũ est pe extẽsũ tibi porrigere.

304 Sed non grauabor eodem modo, & ex eodem motiuo, quæ apud ipsum Pegnam immediatè sequuntur, tibi tradere. Et quãquam, inquit, Eymericus hoc loco vera asserat, in tali casu, finita prima causa, eum posse procedere liberè in secunda, probabilius esse crederem, quod si crimen, de quo postea denunciatur, est grauius, vel horribilius, quam prius, cuius punitio si omitteretur, populus fortassis, aut multi scandalizarentur; tunc omissa causa appellationis, posset Inquisitor in alia causa reum iudicare, quamuis prima appellationis causa non esset expedita, per textum singularem, in 305 cap. proposuit, de appell. ibi. Iudex tamẽ, à quo appellatur, quia illi omnino suspectus est, eum non debet ad respondendum super alijs compellere, nisi pro crimine adeo graui, & manifesto, quo ipse actu meritò sit dãnandus: hæc ibi. Nam tali casu nec suspecti recusatio, nec iurisdictio iudicis, ad quem est appellatum, impediunt iurisdictionem iudicis à quo, cum hic tunc in graui, & manifesto crimine nihil fere faciat aliud, quam iuris pœnam ei delicto debitam, & assigna-306 tam declarare. His tamen cessantibus, tutius videtur nõ procedere, & superioris re-307 sponsum expectare. Hæc ille. Quibus pręsenti Regulæ finem imponimus, & prædictis omnibus circumstantiam, Cur, satis discussem relinquimus, vt iam ad circumstantiam Quomodo, transitum faciamus.

Quomodo, seu quibus concurrentibus apud Tribunalia, præsertim S. Officij interponenda appellatio, ad effectus prædictos sortiendos?

REGVLA CCCLXIX.

308 NOn extat in iure, neq; vix apud Auctores particulariter, & determinatè, quali nã forma, seu modo appellatio interponẽda; sed variè secundũ facti varietatẽ 309 fieri solet. Verùm vt eius libellus ritè, ac rectè formetur, ad sex præcipuè per appellantem attendi debet.

Primò, ad verba, quibus appellatio concipienda.

Secundò, ad tempus, quo interponitur.

Tertiò, ad causam, ob quam appellatur, vbi de nullitate dicendum.

Quartò, ad nomina appellantis, & appellati, ac iudicum à quo, & ad quem.

Quintò, ad sententiam, à qua grauatus appellat.

Sextò, ad solemnia requisita in ipso actu appellandi, vbi de instantissima apostolorum petitione: atque de vnoquoque istorũ sex expressius statim in probatione Regulæ.

310 At in Sancto Officio diuersus est stylus: nõ conceduntur apostoli; sed Inquisitor secretò Sacram Congregationem, seù Maiorem Inquisitorem de interposita appellatione informat, & indè responsum expectat.

311 QValiter olim soleret appellatio interponi, ex Festo, Varone, & ex alijs optimè refert in Præfat. sui Operis, num. 31. Ruginellus sic. Forma, inquit, & modus, quo antiqui vtebantur, hæc fuit; appellatio interponebatur coram illo Iudice, qui grauamen intulerat, vtebanturq; grauati verbo appello, vel prouoco, vt patet ex suprà relatis, & tunc, teste Festo, Varone, vel certa deposita pecunia prouocabant, cum spōsionem faciebant, ni iustè prouocassent, vi-

312 ctoris lucro cessura. Vel si deponere nihil vellet appellator, saltē de certa aeris pœna ex die acceptorum apostolorum intrà diem quintum idoneè cauere, datis fideius-

313 soribus, cogebatur. Idque Paulus lib. 5. sententiarum, tit. 33. firmat inquiens. Cum à pluribus sententijs prouocatur, singulæ cautiones exigendæ sunt, & de singulis pœ-

314 nis spondendū. Quæ cautionum, & sponsionum antiqua obseruantia sublata fuit à Dioclet. & Maxim. lib. in fin. C. de appell. & eorum loco multa imposita à Valent. & Theodosio. Hactenus ille; atque hæc de vsu, & modo antiquo appellandi attigisse libuit.

315 Circa modum verò, & formam appellationis posteriorum temporum vsq; ad præsens, videndi præcipuè textus in l. cum quidam, ff. de appell. & l. omnem honorem, C. quando prou. non est necess. In Iure Canonico, cap. suggestum, & cap. vt videbimus, eodem tit. ac cap. non solet, §. formam, 2.

316 quæst. 6. Legendi item Hostien. in summ. tit de appell. vers. appellatio qualiter sit facienda, Innoc in cap. cum super, de re iud. Abb. in cap. dilecti, nu. 5. de appell. & Præpos. in eod. cap. nu. 12.

317 In re autem ista (vt iam ostensio nostræ Regulæ sigillatim per partes incipiat) hoc vnum certum est, quod neque à Iure vllibi, neque ab auctoribus de ea scribentibus assignetur forma aliqua determinata appellandi, quæ inseruiat in quibuscunque casibus occurrentibus, sed quod varietur, vt testatur Ruginellus §. 2. cap. 4. nu. 1. pro va-

318 rietate factorum. Et quamuis Rainaldus Corsus, lib. 2. indagationum iuris, cap. 20. apud eundem Ruginellum hanc formā tradat, Coram, &c. ex parte Seij appellatur, & de nullitate dicitur à sententia contra se pro Sempronio lata, ad talem iudicem, petendo literas dimissorias cum omnibus similibus clausulis opportunis, & solitis, atq;

319 omni meliori modo, &c. Ita ille. Hæc tamen appellationis forma nimis restricta cēsetur, & sufficienter exprimens ea, quæ in actu ipso appellationis exprimenda sunt, iuxta diuersa, ad quæ appellans attendat, oportet, præsertim ad sex, de quibus in Regula, & sunt veluti sex conditiones, quibus concurrentibus, ex mente omnium, libellus appellationis ritè, ac rectè formatur; secus, si aliqua ex eis desit; singulas breuiter expendamus.

320 Primò, attendat oportet appellans ad verba, quibus concipienda est appellatio, loquēdo præcipuè de illa, quæ fit in scriptis vt distinguitur ab ea, quę fit viua voce sola, iuxta iam tradita in superioribus. Verba, appello, & prouoco, sicut & nomina appellatio, & prouocatio, quoad rem præsentem, synonima sunt, vt ait Alex. de Neuo, in

321 rubric. de appell. num. 5. Alterutrum ex eis requiritur, & sufficit ad validitatem appellationis ex mente Ang. in l. errore, C de testib. Lanfran. in praxi, verb. interlocutoria, vers. vnum tamen, & ex communi a-

322 liorum. Quanquam verbum, appello, magis est in vsu; & secundum Ang. Aret. in l. 1. §. si quis, nu. 2 ff. de appell. salubre consilium est, vt appellans eo vtatur.

323 De reliquis verbis non est, cur ita sollicitus sit appellans, cum sufficiant quæcunque, quibus actus appellandi concipi possit, intentionique deseruire; alias pari modo vitiarent, cap. secundo requiris, de appell. Bal. in cap. 1. de test. & Grat. cons. 110. nu.

324 38. Nec est inconueniens, si forma appellationis quoad verba varietur, & ex alijs æquipollentibus componatur. Ita Francus in cap. ad audiendum, de appellat. in 6. & Ruginell. dict. cap 4. num. 5.

325 Verum appellans in tali forma abstinere debet à verbis notam iniuriarum continentibus. Nam secundum textum in l. illud, 1. ff. de appell. non est licitum conui-

326 tiari ei, à quo quis appellat. Quin etiam ex dispositione eiusdem textus, & alterius in l. pen. §. in refutatorijs, C. eod. sic appellantes notantur infamia, & adducit Ve-

327 str. in cap. 3. lib. 7. Hinc quisquis appellans affirmat, quod sententia fuerit lata per sordes, vel per pecuniam, si id non probet, statim lata sententia per Iudicem, ad quē, actione iniuriarum, vel per eundem deserta declarata prima, conueniri poterit. Cum Guid. Papa in tract. de appell. num. 71. tradit Ruginell. ibid. nu. 8.

328 Abstinendum item appellanti non solū à verbis maledicis, sed etiam à temeraria appellatione; nam iniuriam facit iudici, qui temerariè, & iniustè appellat, cum eius officium impediat, & iustitiam, quantum potest, perturbet, vt docet S. Thomas, 2. 2.

329 quæst. 69. art. 3. Et D. Bernardus lib. 3. de consideratione, ad Eugenium, per hæc verba. Qui non grauatus, inquit, appellat, liquet, quod aut grauare intendit, aut tempus redimere; non est autem suffugium ap-

330 pellatio, sed refugium. Ita ille. Et facit ad hoc cap. cum appellationibus friuolis, de appell. in 6. venitque puniendus in expensis saltē, qui temerè, & iniustè appellat; per textum in cap. vt debitus, in fine, de appell. in 6. l. eum, qui, ff. de iud. & in §. hęc

331 autem, instit. de pœn. temer. litig. Imò pœna arbitraria, secūdum Menoch. de arb. iudic. casu 445. cum actio ipsa iniuriarum contra sic appellantem detur. Dec. & alij in cap. inter cætera, num. 2. de appell. & Lancell. de offic. præt. tit. de app. nu. 4.

332 Se-

332 Secundo, Attendendum est appellanti ad tempus, vel diem, qui exprimi debet in appellatione, quo innotescere possit, an intra præfinitum, & statutum spatium iure communi, aut municipali fuerit appellatio 333 interposita. Imò exprimenda in libello appellationis hora, in qua appellatum; quia ab ea tempus appellationis currit à momēto ad momentum, vt notatur in l. per hanc C. de temp. appell. ita affirmat se solitum practicare Ang. Aret. in dict. l. §. dies autem nu. 9. ff. quando appell. sed de hac conditione temporis, vel horæ, vti valdè essentiali ad validitatem appellationis, ex professo. nobis agendum tota Regula sequenti.

334 Nunc solum aduertendū, quòd tametsi respectu iudicis, vel Principis interponi, & offerri possit appellatio die festo, seu feriato in honorem Dei, per text. in l. miles, §. sexaginta, ff. de adul. & cum Lanfranc. per eum citato tradit dict. cap. 4. num. 16. Ru-335 ginellus. Secus tamen est respectu partis, cum huic, si appellatio intimatur, fieri id debeat die iuridica, iuxta textum, in cap. preterea, de dilat. & affert cum Aegid. per ipsum relato idem Ruginel. num. eod.

336 Tertio, Attendendum appellanti, vt in libello expresse ponat causam appellandi, idest grauamen sibi illatum, (tactum iam supra) aut causam grauaminis, præcipuè circa casus, in quibus appellatio manifestè, vel tacite prohibita reperitur, l. scio. in fin. ff. de appell. Dec. in cap. bonæ. de apell. num. 12. Franc. ibidem, nu. 23. Couar. pract. quæst. cap 15. num. 1. & seqq. & alij communiter, maximè postquam id, quod circa rem istam iure antiquo disponitur, per consiliū Tridentinum, sess. 21. cap. 7. & sess. 24. cap. 337 vniuerse fuit confirmatum. Quæ expressio causę & grauaminis ideo fit, vt iudex percipere valeat, an sit locus appellationi concedendus, iuxta cap. cordi, de appell. in 6. & cum Maran per eum relato affert Ruginellus ibidem, num. 18.

338 Nihilominus quando de iniustitia sententiæ, seu de grauamine illato, seu inferendo manifestè apparet, tunc non requiri expressionem causæ appellandi in libello appellationis, & hanc non vitiari defectu talis expressionis, docent bene Lancellot. de atten. appell. penden. limit. vltima, num. 339 4. & Ruginellus, vbi suprà, num. 19. Qui addit num. 20. cum Menoch. de præsumpt. quæst. 45. num. 11. lib. 1. neque requiri dictam expressionem casu, quo causa appellandi præsumptiuè colligi potest; atque eorum placitū vt probabile admitto ob hanc rationem, quia iudex hic præsumens, quòd adsit causa appellationis, iustè ac merito huic locum concedit; præsertim id approbo quoties appellatio nullibi prohibetur.

340 Dixi, in quibus manifestè, vel tacitè prohibita reperitur: multi enim sunt casus, in quibus quòd appellatio vtroque modo per Principem, vel statutum prohiberi possit supponimus omninò certum ex cap. vt Inquisitionis, de hæret. in 6. ex l. 1. ff. de offic. præfec. & ex alijs iuribus, estque communis 341 sensus Doctorum. Et quidem priori modo, nempè expressè, fit tunc maximè, quando apponitur clausula ista, omni appellatione remota, ex vi alicuius statuti, vel Rescri-342 pti. Et quòd possit apponi, nullum est dubium, cum pateat ex vsu quotidiano apponendi, & ex argumento deducto à minori ad maius, vt benè deducit cum Couar. pract. quęstion. cap. 23. num. 6. & cum alijs Ruginellus §. 12. glos. 2. cap. 2. num. 1. vers. mouentur autem, quia si ex solo pacto priuatorum, adiuncta ea clausula, licitum est appellationem tollere, secundum l. 1. ff. à quibus appell. non licet; quantò magis id licitum erit ex populi statuto, seu lege communi, iuxta authen. multò magis, C. de sa-343 crosanct. Eccles. cum potentius sit statutum populi, quam pactum priuatorum; patet ex textu in l. generaliter, C. de fideiuss. nec responsio vlla contra dictum argumentum quicquam valet.

434 Vim autem, & efficacitatem prædictę clausulæ *omni appellatione remota*, perpendit multis idem Ruginellus, §. 6. glos. 2. toto cap. 8. & vera conclusio est ex mente Abb. Franc. Præpos. Felin. & aliorum in cap. pastoralis, de appell. quòd, quando scienter, & cum maturo consilio apponitur, tollat quamcunq; appellationem non solum friuolam, & delusoriam, sed etiam veram, & validam, adhoc, vt verba aliquid operentur, & quòd tanto efficacius id præstabit dicta 345 clausula, quanto persona eam apponens fuerit maioris dignitatis, & præeminentiæ, vt Papa, Cardinalis, Imperator, Magistratus non recognoscens superiorem, &c. ita Bald. in l. 1. § his cunabulis, vers. item ex hac ff. de offic. præfec. prætor. & alij communiter.

346 *Tacitè* item prohibetur appellatio varijs modis pro varietate verborum, quibus prohibitio iniungitur; eos copiosè tractat dubitando circa vnumquemque ipse Ruginellus §. 9. glos. 2 cap. vnico per totum, ex 347 eis aliquot breuissimè attingamus. Primò extat prohibitio appellationis in illis verbis vbicunque reperiantur, siuè in lege aliqua, siuè in statuto, siuè in rescripto, *sententia firma remaneat, & exequutioni mittatur*. similiter in illis: *sententia suum sortiatur effectum*, iuxta text. in cap. post electionem de concess. pręben. & in l. vnica, C. de mom 348 poss. Secundo eundem præstant effectum prohibitionis verba, *sine aliqua contradictione*, cap. personas de appell. ibi, iudicio tuo super his, quæ in quęstione vertuntur, sine contradictione aliqua stare compellas. 349 Idem cap. 2. de testibus, in 6. Tollitur tacitè appellatio per ista verba, *ad satisfactionem condignam facias obseruari*. Pro quo facit decis. 87. par. 3. lib. 3. & tenet Ruginellus ibidem, num. 17. vers. decimam quę-350 stionem. Quarto, prohibita censetur appella-

pellatio per hunc modum loquendi, *non possit querelare &c*. Ita Dec. in cap. personas num. 4. de appell. sequutus Bald. in l. 1. §. 1. vers. sed an remota, de offic. prefec. prætor. & idem Ruginellus, num. 8. Quinto, eandem prohibitionem appellandi continent verba, *Non possit se defendere. &c.* quia appellatio est quædam defensio, vt statim dicemus; ergo sublata ista tollitur etiam illa, iuxta not. in l. planè, ff. de petit. her. apud Ruginellum citatum inuenies, ac plura alia, & reliquos modos prohibendi tacitè appellationē, quos, ne longius abeam, hic omitto.

352 Quocunque tamen modo appellatio prohibeatur, siuè expressè siuè tacitè, siuè per legem, aut statutum, siuè per solum respectum Principis, semper intelligitur cum hac limitatione, quòd non habeat locum prohibitio, quotiescunque manifestè apparet, in sententia, à qua appellandum, grauamen, & iniustitiam contineri. Atque iuxta hanc limitationem debere interpretari eiusmodi leges, statuta, & rescripta, quibus appellatio prohibetur, tenent Alex. cons. 106. num. 27. Lancellot. de atten. appell. pend. limit. 8. nu. 24. & seqq. Natta cons. 172. Dec. cons. 49. num. 3. Menoch. de Arb. iud. lib. 2. cent. 2. casu 197. num. 3 Marsil. in l. 1. num. 158. de rap. virg. & alij multi, quos citat, & sequitur Ruginellus, §. 2. cap. 2. nu. 410. & §. 2. glos. 2. cap. 3. n. 11. & 12. Qui c. 2. discutit illud dubiū, quando Princeps, & statutum possint appellationē prohibere, & resoluit in hūc modū.

355 Firmandum igitur, inquit, ex prædictis erit, & per Principem, & per statutum appellationem tolli posse in casibus, & ex causa, ea adducta consideratione, quam Couar. pract. quest. cap. 23. circa finē refert, scilicet citationem, & appellationem necessariam esse ad innocentis defensionem; tum, vt ius suum vnicuique reddatur; tum, vt iustitia suum consequatur effectum, quæ iure naturali ministranda est à quocunque Principe, quamuis supremo; alias tyrannidem ipse exercebit, qui ius suum vnicuiq; non reddiderit. Ideò quoties appellatio sit necessaria perpensis negotijs & litis circunstātijs, & qualitatibus, ad ius suum vnicuique reddendum, vtique etiam ratione naturali non erit deneganda, nec remitti ab eo vllo modo poterit, non secus ac si citatio ipsa esset in illa parte necessaria. Hactenus ille.

357 Concludimus itaque, quod tametsi attenta formalitate, quam appellatio habet à iure positiuo circa diuersa, vt quòd in scriptis fiat ab inter loquutoria, quod intra certum tempus interponenda, introducenda, prosequenda, & finienda sit, quod instantissime petendi apostoli, &c. per Principem, vel per statutum prohiberi possit: Abb. Butr. & Franc. in cap. pastoralis, de appell. Rip. in cap. 1. num. 2 de rescri. Menoch. cons. 100. num. 102 lib. 1. & alij. At substantia ipsius attenta, quam à iure naturali habet, nempe quod sit defensio, seu præsidium innocentiæ, nequaquam appellatio prohiberi valet (saltem recursus, qui non suspendit exequutionem, vt alibi à nobis traditur; si ex dolo, vel lata culpa iudex à quo in sententia grauamen intulit; & tunc expedit, vt appellans ipsum grauamen, seu causā appellandi in libello exprimat. Bart. & Bald. in l. vt vim, ff. de iust. & Iur. Bero. in cap. sicut Romana, 1. num. 17. de rescript. estque communis omnium recepta sententia, vt ait Ruginell. dict. §. 12. glo. 2. cap. 2. num. 4.

359 Cum causa appellandi coniuncta est nullitas sententiæ, exprimenda etiam in libello appellationis vltra causam, vt monet idem Ruginellus. §. 4. ac triplici cap. in illo, & duplici in isto. Præmissa longiuscula nullitatis descriptione ex Hypp. Rimin. cons. 804. num. 30. quod sit iuris remedium, legum tutamen, pœna temerariorū, auxilium cōmune, & vera defensio oppressorum, ob publicam vtilitatem introductū &c. Discutit primo loco ipse Ruginellus cum Vantio, qui vtilissimum de nullitatib. tractatū edidit, dubium peculiare huc spectans, nimirum, quando, & à quibus nullitas in iudicio deduci possit? vel secus?

362 Pro resolutione partis negantis diuersi ab eo cum dicto Vantio, in tit. qual. sent. & procels. assignantur casus, in quibus nequit vllus appellans, (quippe loquimur præcipue de nullitate, quæ est coniuncta cū appellatione) aut alius quicunque nullitatem, in iudicio deducere. Primo, si, quis intendat dicere de nullitate sententiæ in Consistorio Principis latę, vbi ordo iudiciarius, ac solemnitas iuris positiui non attenduntur, aut sententię, ac processus per eundem confirmantur. Secundo, si dicenti de nullitate, sua non intersit. Tertio, si pacto aliquo quis promisit nullitatem haud deducere, maximè quando promissio fuit iuramēto firmata. Quartò, si tempore debito appellans nō proposuit nullitatē. Quinto si hæc ineptè, aut calumniosè deducitur, cum simpliciter, & indistinctè, nulla expressa causa deducendi informis dicatur. Sexto si proposita ad impediendum decretum, seu relaxationem sequestri, quā iuris periti relaxum vocant. Ita Ruginellus de his casibus, alios videas apud ipsum ex dict. Vant. ex Crau. & ex Præpos. Mediol. quos ipse citat.

369 Nihilominus exceptis prædictis casibus nullum dubium quòd possit appellans dicere de nullitate, & expediens esse, vt ita faciat, his verbis vtendo. Dico sententiā nullā, & si qua est, appello, ac de nullitate, & iniquitate dico, sicque suam appellationē defendet; l. scio, in fin. ff. de appell. & tradunt Præposit. in cap. dilecto, num. 12. de appel. ibid etiam Innoc. & alij communiter. Inde ostenditur, quia licet attento iure hæc duo appellare, & de nullitate dicere videantur contraria, aut saltem valde diuersa, cum sentētia nulla nō subsistat, nec sit locus appel-

pellandi ab ea; tamen secundùm glos. in l. 1. C. quan. prou. non est necesse, diuersitas, & contrarietas in ista non impedit, quin inuicem compatibilia sint, & simul copulari possint, quia appellatio interponitur sub conditione, quatenus, scilicet, sententia aliqua sit, & hoc sufficit, vt coniungi possit. Ita post Bart. & alios, in l. si expressim, ff. de appell. Vestor. in prax. lib. 8. cap. 1. num. 5. vbi dict. glos. citat.

371 Prædicto autem modo coniuncta appellatio cum nullitate, appellanti valde vtilis est. I. quia sic appellando habet annum, & ex causa biennium ad prosequendum appellationé, vt eum auth. ei, qui, C. de temp. appell. videbimus Regula sequenti: secus esset, si absquè appellatione tantùm diceret grauatus de nullitate; & quidem succumbet sic dicens de sola nullitate, si de ipsa in continenti, & euidenter non docuerit. Ita Ang. Aret. in l. cum prolata, n. 1. ff.

372 de re iud. & alij. II. appellatio coniuncta cum nullitate efficaciùs operatur suos effectus iam supra expositos, & alios, qui ex tal coniunctione ei competunt. Videas ipsos apud Ruginel. §. 3. toto cap. 2.

373 Sed quid, si per statutum, vel legem sit prohibitum de nullitate dicere? Inter casus adductos paulò ante, in quibus est licitum dicere de nullitate, hunc proposuit obiter Ruginellus, ibi, §. 3. cap. 1. atque eum ex professo expendit §. 12. glos. 2. cap. 4. per totum. Resoluit autèm sic, quòd huiusmodi leges, & statuta, quibus prohibetur allegare nullitatem, cum multiplici limitatione debeant interpretari; attingo vnam, vel alteram ex ijs limitationibus, vt

374 sint in exemplum. Primo, quòd non intelligantur de nullitate prouenìente ex defectu iuris naturalis, vt in omissione citationis, l. de vnoquoque, ff. de re iud. Mars. num. 13. Clem. pastoralis, eodem tit. & alij.

375 Secundo, non obstante prohibitione cuiusuis legis, vel statuti, dici potest de nullitate ab interloquutoria quauis post recusatum legitimè iudicem lata. Ita Anchar. quæst. 43. num. 211. & Ruginellus dict. cap. 4. num. 14. apud quem reliqua, si lubet, legas.

376 Quarto, Attendendum est appellanti, vt rite, ac rectè formet libellum appellationis, ad expressionem nominum appellantis, & appellati, ac vtriusque iudicis, à quo, & ad quem, cum magna tamen differentia. Nam appellantis nomen necessariò exprimi debet, l. 1. & ibi Bart. ac reliqui, ff. de appell. Ang. Aret. in l. scio, nu. 2. ff. de appell.

377 & Ruginellus dict. §. 2. cap. 4. num. 22. Qui benè aduertit cum eodem Aret. & Bart. per ipsum citatis, quòd tàm procurator, quàm fideiussor quando appellant, Proprium nomen, & non eorum, quibus officio procuratoris, aut fideiussoris inseruiunt, in libello appellationis expressuri sunt.

378 Non est necessarium, vt apponatur in appellatione nomen appellati, seù eius, in cuius fauorem lata fuit sententia, secundùm

379 l. scio, ff. de appell. Quod adeò verùm est, vt non vitietur appellatio, etiam si ex errore, aut inaduertentia sit appositum nomen alterius tertij, si iam de persona appellati per coniecturas, vel circustantias, aut alio modo innotescat. Ita cum Alex. de Neuo in rubric. de appell. num. 32. cum Put. decis. 46. lib. 1. & cum alijs Ruginellus, vbi suprà, num 26. quamquàm benè faciet appellans, si exprimat nomen appellati.

380 Dubium autem insurgit, an si fauore plurium lata sit sententia contra plures, nomina omnium consortium litis tàm appellantium, quàm illorum, in quorum fauorem sententiatum fuit, in appellatione sint exprimenda? Ex textu, in dict. l. scio, pars negans manifesta apparet, scilicèt quòd appellatio vnius, & expressio nominis ipsius solius possit omnibus consortibus etiam in appellationis libello non nominatis in causa defensionis omnibus competat, & inter vincentes sit communis causa, & ratio vincendi. Ita cum communi omnium interpretum Ruin. cons. 26. num. 3. lib. 4. Verùm

381 si appellans fuit condemnatus respectu omnium ex diuersa, & separata causa, quæ singulas aduersariorum partes respiciat, quandoquidem defensionis causa extra diuersa quo ad nominatos solummodò appellatio proderit. Ita post glos. in dict. l. scio

382 & post alios tenet Paris. cons. 66. lib hanc reddens rationem, quia quoad alios non nominatos in appellatione, transiuit sententia in iudicatum.

383 Dein nomen iudicis, à quo fuit appellatum, necessario in libello appellationis exprimendum, tradit ex communi Doctorum mente Franc. in rubric. de appell. nu. 3. dato etiam, quòd solus esset iudex appel-

384 lationis, secundum Oldra. cons. 313. Aut saltem exprimendum nomen dignitatis ipsius iudicis à quo, vt docent Bart. in l. 1. § libelli, ff. de appell. & l. demonstratio, ff. de cond. & demon. Franc. in dict. rubri. n. 4. & Alex. de Neuo, eadem rubri. de appell.

385 num. 27. Cum limitatione admittit hoc Ruginellus, dict. cap. 4. num. 30. nimirùm quòd credat sic procedere, vbi dubitari posset de qualitate iudicis, ad effectum dignoscendi, an sit deferendum appellationi, vel secùs, secundùm l. 1. ff. de offic. præt. & l. præfecti, ff. de minor. & tradit Deci. in cap.

386 oblatæ, in prin. de appell. Addit tandem circa hoc Ruginellus, num 31. cum Franc. & Alex. de Neuo vbi supra, quòd in commissione appellationis, seù in rescripto, tametsi nomen iudicis à quo, non exprimatur, censenda sit valida appellatio; nam sufficit, vt de ipsa appellatione, & de personis constet, inter quas lata fuit sententia.

387 Circa expressionem verò nominis iudicis ad quem, est aliqualis difficultas; nam de iure ciuili sufficit appellare ad iudicem competentem absque eo, quòd huius nomen necessariò exprimatur. Docent communi-

muniter auctores in l.1.§ fin.ff.de appellat. præcipuè Ang.Aret.in l.ad Principem, n.1. 388 eodem tit.At iure canonico attento, videtur necessaria nominatio iudicis ad quē, vt cum alijs tenet Lancellot. de offic. præt. 389 tit.de appell.num.3.& seqq.Qui ibi diuersos assignat modos appellationem proponendi. Primo si appellans simpliciter absq; alio addito dicat appello: secundo si dicat appello ad iudicem competentem: 3.alternatiuè dicendo, appello ad Archiepiscopū, vel ad Legatum, vel ad Patriarcham, vel Summum Pontificem, vel ad quemlibet alium iudicem competentem. Ita etiam 390 Præposit.in cap.dilecti, de appell. Vbi alium modum addit, nempè, appello ad omnes iudices superiores. Inuenies plura circa hoc apud Alex.de Neuo, in cap.inter cætera, num. 19. de appell. & apud Ruginellum dict.§.2.cap.4.num.33. & seqq. quæ omitto,cū non tanti momēti esse videātur.

391 Quinto, Debet appellans attendere ad inserendum in appellatione tenorem sententiæ, quod necessario requiri ad rectitudinem eius, tenent communiter Doctores in l.scio, §. sed illud, & in l.qui separatim ff. de appell. probatque textus in l.fin. C.de precibus imper.offer., & in l.2. C. de appell. 392 affert Ruginellus ibid. num. 38. Addit tamèn, deduci ex eadem l. 2. secundùm vnā lecturam,& ex l.1.§.fin. ff. de appell. quòd sufficiat dicere, latam fuisse sententiam in tali actione, à qua cùm sentiat se læsum & grauatum, appellat. ita ille.

393 Aduertit autem benè ipse Ruginellus cum Angel. Aret. dict. l.1.in 2.notab.& cum Paris.cons.66 si totus sententiæ tenor inseratur, fore aliquandò, vt appellatio vnius iuuet etiam consorti; quòd si pars eius, quæ commodum, vel fauorem alterius tāgat, proderit tantùm respectu illius, in cuius fauorem fuit appellatum, & non respe-394 ctu reliquorum. Tractat copiosè de hoc idem Ruginellus, §.6.glos.1.toto c.1.nempè, Appellatio quando dicatur communis, & quis alterius appellationi adhærere possit; videas apud ipsum, si lubet, nobis ad fontem digitos intendisse sit satis.

395 Sed quid si appellans dicat latam contra se sententiam, cùm sint duæ? Respondent optimè Ioan.Andr.in reg.pluralis locutio, in 6.& Alex.cons.2.lib.4. videri interpositam appellationem ab vna sententia tantùm, quandoquidem in numero singu-396 lari fuit ille loquutus. Hinc meritò deducit Ruginellus dict.§.2.cap.4. num.42. si in eodem iudicio duplex feratur sententia, vt vna sortis, & altera vsurarum, vtriusque facienda est mentio in appellatione, intra tempus primæ appellando, secundùm tex-397 tum in l. cum in vna, ff.de appell. Idem peculiariter seruādum, quando duplex feratur sententia, & secunda est exequutio primæ, ab vtraque debet appellari intra tempus primæ. Ita cum Boer.& Bellam. per eum citatis Ruginell. vbi supra.

398 Quid item, vbi quis diuersis libellis conueniatur diuersis super rebus, & iudex fert duas sententias, licet vno contextu? ex mente Franc.in rubri de appell.nu.6. quidquid dicant alij, verum existimat Ruginellus ibidem num.43. si appelletur simpliciter à sententia, & rescriptum detur in forma, quod talis appellatio nō comprehendat vtramq; sententiam: vndè vt fiat vtriusque compre-399 hensio, vtraque in illa exprimi debet. Secus erit casu, quo iudex vnam tantum fert sententiam, sub qua plures continentur, seu plura capita; nam tunc appellans simpliciter ab ea sententia, ab omnibus appellasse censetur l. appellandi ff. de appell.cap. super eo, eodem tit.& affert Alex. de Neuo rubr. de appell. num.39. ob eam rationem, quia appellatio de sui natura non requirit, vt exprimatur à qua parte sententiæ fiat, secundum dict. l. appellanti, & affert Alex. in l. §. libelli, ff. de app.

400 Quamquam si ex pluribus capitibus in sentētia contentis, grauamen per vnū tantum inferatur, ab isto solo cum peculiari ipsius expressione debet appellatio interponi, & tunc quoad alia capita transit sententia in iudicatum. Facit pro hoc textus in cap. consuluit, de appell.&Rot.decis.2. in nouissimis,& 44. in antiquis, de appell. tra-401 ditque Parisius dict.cons. 66. lib.1. Atque hoc habet locum, quando constat de tenore sententiæ, & de peculiari eius capite inferente grauamen; verum si dictus tenor ignoretur, aut incertus sit, benè faciet appellans, si formet appellationem sub verbis conditionalibus, vt appell. à tali sententia, vel à talibus capitibus, quatenus tamen contra me faciant, & similibus. Hunc au-402 tem modum appellandi esse vtilem, & bonum, deducitur ex cap. Raynaldus, de testib. & ex cap. cum Ioannes, de fide instrumen. ac cum Franc.Alex.de Neuo, Lancellot. Vestr. & cum alijs per ipsum relatis, tuetur Ruginellus, dict. cap.4.num 52. Ad-403 dit tamen num.53.limitationem ex mente Lancell. de atten. appell. pend. ampliat. 14. num. 23. nimirum, quòd nequeat tertius, qui appellat pro suo iure, & interesse, maximè si velit exequutionem sententiæ impedire, tali forma appellationis conditionali vti, sed quòd purè, & non conditionaliter appellare teneatur.

404 Atq; hactenus de quinto debito appellātis attendendi ad sententiam; si quę supersunt circa hoc, videas apud Ruginell.citatū

405 Sextò, & vltimo attendere debet appellans ad solemnia requisita in praxi, seu in actu appellandi; item ad requisita. Ex vtrisque iam plura in decursu huius tractationis Appellationum à nobis sunt exposita; aliqua ex non traditis hic breuissimè indicabimus; reliqua patebunt per Regulam 406 sequentem. Et quidem quoad posteriora negatiua: Primò, non requiritur, vt libellus appellationis, quando hæc interponitur in scriptis, ab aliquo legatur, per text. cum

ibi

ibi notatis, in cap. appellatio, de appell. in 6. & affert Ruginellus, dict. §. 2. c. 4. n. 59.

407 II. errant notarij, qui dicunt, se rogatos de appellatione, cum eam non receperint, dictabis eam, & mihi dabis; quod id non debeant facere, eò quòd non requiratur, vt notauit Bart. in l. contractus, C. de fide instrumen. cui adhæret Ang. Aret. in l. 1. §. libell. num. 10. ff. de app.

408 E contra verò requiritur quoties de iure appellatur in scriptis, iuxta iam alibi per nos traditum, vt appellatio sit dictata, & prorsus finita, antequam à notario acceptetur, ex mente dictorum Bart. & Aret. ac aliorum tradit Ruginellus, dict. §. 2. cap. 4. num. 58.

409 Dein requiritur, vt appellans statim in actu petitionis, seù in libello appellatorio præstet cum iuramento fideiussionem, maximè si à parte opposita petatur, de resti tuendo ei omnia damna, & interesse, & expensas litis, quæ passa fuerit, & quæ iudex taxauerit, si in causa appellationis, aut nullitatis succubuerit, vel si ipsam appellationem non fuerit prosequutus. Ita cū Ang. in consil. 249. & cum alijs Ruginellus, §. 8.

410 glos. 4. vbi ex professo de hac re tractat; & licet proponat titulum admodum vniuersalem, nempè, Quæ necessaria sint in libello appellatorio? hoc tamen solummodo punctū tota glossa resoluit de præstanda per appellantem dicta fideiussione.

411 Declarat præcipuè circumstantias modi, & temporis, seu qualiter, & quando facienda, nempè intra tres dies, & in ipso libello appellationis, antequam intimetur, debetque intimari intra ipsum triduum: Ratio est quia traditur pro forma, quæ tēpore actus seruanda est ad valorem eius, iuxta authen. hoc ius porrectum, C. de sacrosanc. Eccles. versic. aliter enim, cum Ioan. Andr. in nouell. cap. vt certa de electi. lib. 6. & cum alijs adducit ibidem Ruginellus n. 5.

412 & 6. Limitat tamen num 11. cum Ias. in authen. qui rem, versic decimo addo, C. de sacrosan. Eccles. & cum Contard. ad l. vnic. C. si de mom. poss. quæst. 23. quòd pauper non teneatur dictam fideiussionē præstare, quia ex vi iuris naturalis nemo ad impossibile adstringi debet.

413 Sequitur tandem exprimenda petitio apostolorum, seu literarum dimissoriarum ad solemnitatem, & valorem appellationis requisita. Et primò, quoad nominis deriuationem, sic eam declarat Pegna in Direct. 3. par. commen. 31. num. 124. dicti autem, inquit, sunt Apostoli ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν quod mittere significat, l. dimissoriæ, 106. ff.

414 de verbor. significat. Sed clarius cū Card. in Clem. quamuis, in 2. quæst. de appell. Maran. in specul. par. 6. num. 226. Vndè, inquit, dicantur apostoli, dic. ab, *apo*, quod est supra, &, *stoli*, id est missio, quasi literæ missæ ad superiorem.

415 Apostolorum verò species plures assignantur, vt patet ex Speculatore, lib. 4. tit. de apostolis, seu libellis dimissorijs, num. 1. & ex Hostien. in summ. tit. de appell. §. qualiter, vers. dicuntur autem: Nam alij sunt apostoli conuentionales, alij testimoniales, alij dimissorij, alij negatiui, seu refutatorij,

416 alij affirmatiui, alij reuerentiales. Pro præsenti materia benè Maranta loco citato num. 225. ex iure esse tantum tres species ostendit (quidquid Pegna citatus ad duas tantum conetur adducere) nempè dimissoriorum, vbi iudex à quo, admissa appellatione, scribit litteras dimissorias, ac cum eis mittit appellantem iudici ad quem, istæ literæ, quibus significat admisisse appellationem, vocantur apostoli dimissorij, de quibus est sermo in l. 1. ff. de libellis dimiss. &

417 cap. ab eo, 2. quæst. 6. Item apostolorum refuta toriorum, seu negatiuorum, quando iudex à quo, renuit admittere appellationem atque istis apostolis, seu literis refutatorijs significat, qualiter refutauerit, & nullo modo admiserit appellationem: de ipsisque habemus expressum textum l. fin. §. in refuta-

418 torijs, C. de appell. Denique apostolorum reuerentialium, quibus iudex à quo, denotat, quod licet appellatio non fuerit admittenda, eam tamen admiserit ob reuerentiā iudicis superioris; ac de istis agitur in l. eos §. superbis C. de appell. & in cap. cordi, de appell. in 6. quibus sic præmissis,

419 Certum prorsus est tam ex dispositione iuris positiui, quàm ex communi Doctorū mēte, quòd instanter, & sæpiùs sint petendi apostoli, vt constat ex toto tit. de libell. dimiss. & ex Clem. quamuis rigor, de appell. vbi peculiariter agitur de apostolis dicto modo petendis, siuè dimissorijs, siuè negatiuis: traduntque Afflict. in const. sub rubr. appell. tempora, num. 21. & seqq. Osasch. decis. Pedem. 12. Vestr. in praxi, cap. 3. n. 32 lib. 7. & Ruginellus in Præfat. num. 41.

420 Excitat tamen dubium Maranta loco citato num. 227. post alios, an dicta dispositio iuris se extendat ad casum appellationis extraiudicialis? debeant ne tunc etiam apostoli peti? duas refert circa hoc sententias: alteram glos. in cap. cordi, in verb. vel extra, de appell. in 6. absolutè affirmantem, quòd sint petendi. Alteram etiam glos. diuersæ, in cap. vt super, in verb. ille iudex, de appell. lib. 6. similiter affirmantem, quòd debeant sub conditione peti, si adsit, qui il-

421 los dare possit. Ipse autem Maranta rectè præsens dubium resoluit per sequentia verba. Super hoc, inquit, concludo; quod quādo appellatur à iudice extra iudicialiter procedente, semper debeant peti apostoli, quia est, qui illos dare possit, scillicet iudex: sed quando appellatur à parte, non puto, quòd sit necessarium illos petere, quia non est, qui illos det. Tutius tamē est, quòd tunc petantur sub illa conditione, vt dicit glos. in dict. cap. cū super, & ita tenet Phi. in cap. bonæ, col. 6. in fin. vers. 6. requiritur, de appell. & ibi etiam sentit Abb. in 12. col. in 4. & 5 differentia. Ita ille.

422 Di-

422 Dixi, ex dispositione iuris positiui; & intelligitur de iure communi; nam attento iure particulari, seu municipali, peculiariū locorum, nullum dubium, quod alicubi sit aliter dispositum & quod nequaquam apostoli ab appellantibus peti soleant. Ita affir-
423 mat Ruginellus in dict. præfat. sui Operis num 52. & seqq. de Ducatu Mediolanensi, vbi & petitio apostolorum non est in vsu, & stylus interponendi appellationem seruatur quoad alia solemnia valdè diuersus Sed ipsummet Ruginellum de hoc egregiè lo-
424 quentem audiamus. Grauatus namque, inquit, breuiter format preces, & ponendo, latam fuisse contra eum sententiam in tali actione, vel causa per talem iudicem, à qua cum sentiat se lęsum, & grauatum, per ipsas preces prouocat, & appellat, de nullitateq; dicit, aut dicit de nullitate, & si qua est appellat. Quas preces postmodum offert alicui ex Senatoribus deputato, qui illas subsignat in forma, cum appositione diei, qua fuerunt porrectæ. Et rescriptum dat tenoris sequentis.

RESCRIPTVM EXCELLENTISSIMI SENATVS MEDIOLANI.

425 Si causa est appellabilis, cuius meminit occlusa supplicatio, N. vel in ea de nullitate dici potest, debitoq; tempore appellatū, vel de nullitate dictum fuit: mandamus vobis, vt illam termino dierum decem admittatis; quam deinde committatis vni ex Iuris peritis de Collegio eius vrbis confidenti partium, vel vnius in contumaciam, vel renitentiam alterius, qui de eius viribus co-
426 gnoscat, & iustitiā faciat: vel dubio emergente articulum eodem termino dierum decē cōmittatis, vt supra, decidendū intra decem dies, omni appellatione remota. Pro-
427 uidendo etiam, ne quid noui contra ius in præiudicium *dictæ appellationis*, vel dictionis nulitatis fiat; &, siquid factum fuit, in pristinum iure medio restituatur; decernentes præsentem supplicationem die N. nobis porrectam habere vim appellationis, vel dictionis nullitatis, modo tempore debito porrecta sit. Mediolani, die &c.

428 Hactenus cum proposito rescripto doctrina Ruginelli circa modū & vsum appellandi in Ducatu Mediolani, quem addit ipse num. 54. esse valdè conformem ijs, quæ habentur in textu, l. præcepimus, 32. C. de appell. fuisseque approbatum, & commendatum à Menoch. in consil. 466. num. 33.
429 lib. 5. Solet autem Princeps, vel Magistratus, siuè Ecclesiasticus, siuè sæcularis, qui pluribus est intentus, appellationes ad ipsū deuolutas committere vni, aliquando pluribus, secundum glos. in l. 1. §. si quis in appellatione, ff. de appell. quam sequuntur ibi communiter Doctores, præcipuè Bald. con-
430 sil. 455. si appellatur, cent. 5. Quæ tenet posse appellari ad superiorem, omisso medio, non vt ipse de appellationis viribus, & iustitia cognoscat, sed vt appellationis cognitionem ad iudicem competentem me-
431 diatum deuoluat. Vel secundum aliam glos. in authen. sed & lis, C. de temp. appellat. approbatam communiter, vt ait Alex. in consil. 164. num. 5. quæ agit de committenda per Principem, vel Magistratum aut aliū superiorem causa appellationis alicui, vel in totum, vt videat, an habeat locum appellatio, & dictio de nullitate, & prouideat de iustitia, quoad causam principalem; Vel di-
432 uisim, vt vni committatur primum, & alteri secundum, vti fit in statu Mediolani, iuxta rescriptum propositum; cuius copiosam interpretationem vide apud Ruginellū in diuersis partibus sui operis; nos aliquid ex ea, Regula sequenti attingemus.

433 De forma, siue modo appellandi in Tribunalibus S. Officij, nunc superest breuissimè dicendum. Seruanda videntur in eis, quæ pro alijs Tribunalibus tradita à nobis sunt, cum par censeatur ratio vtrorumque maximè ex parte inquisiti appellātis; quòd hic, si in causis fidei ab interloquutoria, aut à decreto torturæ appellare velit, pro formando ritè & rectè libello appellationis attendere debeat ad illa sex hactenus à nobis
434 exposita, &, vt vidimus, requisita. Et quidem quoad sextum, maximè quoad petitionem apostolorum, Eymericus 3. part. Direct. in rubr. de appellatione, quæ fit ab Inquisitore, copiose tractat de hoc argumēto à num. 121. vsque ad 127. & explicat varias formas, quibus apostoli siuè negatiui, siuè affirmatiui ab Inquisitore concedendi
435 sunt. Atque in hanc partem manifestè inclinat, quod reo S. Officij appellanti, & petenti apostolos necessariò sit ille concessurus, saltem negatiuos, si ita iudicauerit expedire.

436 Nihilominus sicut in multis alijs, ita in hoc de concessione *apostolorum stylus* Nostri Tribunalis Sanctæ Inquisitionis est valdè diuersus ab stylo reliquorum Tribunalium, siuè sęcularium, siuè Ecclesiasticorum; & licet forte olim tempore Eymerici trecentis ferè ab hinc annis concedi consueuerint, nostris tamen temporibus meri-
437 tò nullus est vsus talis concessionis. Sed vt optimè docet Pegna in 3. part. Direct. commen. 31. iuxtà instructionem quandam Madrilianam, de anno 1561. capite 51. Inquisitores inferiores admissa sui delinquētis appellatione, vbi nec iniusta, nec friuola apparet, statim secretò scribunt, illo inscio, ad supremum maioris Inquisitionis, aut Sacræ Congregationis Vrbis Tribunal, & transmisso processu, seu breui eius transumpto, completè ipsum informant, & indè resolutionem expectant, an, & qualiter vl-
438 terius procedendum in causa: An verò dictus delinquens illuc mittēdus cum cautela, & custodia sufficienti, nè fugiat; ad quod faciendum, vt tutius, & conuenientius etiam Eymericus loco citato propendit, cui Pegna libenter adhæret: atque hęc de modo appellandi in S. Officio.

438 Vlti.

439 Vltimo loco illud aduerto, quod etiam prædicto modo rarissimè contingat in Tribunalibus S. Inquisitionis appellari: & quidem in nostro Melitensi per spatium 38. annorum, quibus apud ipsum munus Consultoris exercui, nunquam vllum reum appellasse audiui, nec in processibus antiquioribus, quos occasione nostri operis pro elaborandis Prolegomenis euolui, aliquam ap-
440 pellationē vllius inquisiti reperi. Atque indè existimo prouenire, quòd DD. Inquisitores nunquā sine sufficientibus indicijs, & probationibus, ac legitimis præsumptionibus deueniant ad prolationem sententiæ interloquutoriæ, præsertim pro reo torquē-do, à qua, vt vidimus, concessum est appel-
441 lare. A definitiua autem nullatenus ipsi conceditur, iuxta cap. vt Inquisitionis, de hæreticis in 6. quod traditum etiam à nobis suprà, & est prorsus certū apud omnes.
442 Quamquam non desinam hic notare, quod ex sententia grauissimorum Doctorū vt Felini, in cap. ad abolendam, de hæreticis in 6. Ioann. Rojas singul. 19. num. 5. Castri Palai in opere morali tom. 1. tract. 4. disp. 8. punc. 7. nu. 3. & aliorum (quidquid in contrarium teneat Diana resolut. moral. par. 4. tract. 8. resolut. 32) interdicta in causa hæresis appellatione non sit interdictus recursus, per viam querelæ, ad Sacram Cōgregationem, vel ad Supremum Tribunal,
443 vel ad Summū Pontificē. Ratio est, quia similiter in alijs casibus, in quibus interdicitur appellatio, habet locum huiusmodi querela, seu recursus, secundum Glos. in cap. ex literis, de integrum restitu. Decium in consil 533. & alios, cur non etiam habebit in casu hæresis, cum talis recursus cen-
444 seatur de iure naturali? Carena 3. part. tit. 14. nu. 7. adducit alium proprium modum, qui non omnino, mihi displicet, respondēs sic Ego tamen, inquit, si Inquisitor essem, ob reuerentiam Sacræ Cōgregationis supersederem, habita scientia, quod hereticus recursum fecerit ad Sacram Congregationem, eius tamen recursum positiuè non approbarem. Ita ille. Atque his absoluta manet præsens Regula de circumstātia, Quomodo; superest vltima de circunstātia Quando.

Quando, seu intra quod tempus interponenda, maximè in S. Officio, appellatio, ne transeat in iudicatum? & quandò prosequenda, ne ipsa sit deserta?

REGVLA CCCLXX.

445 SEcundum Ius commune, tam Canonicum, quam Ciuile, intra decem dies interponenda appellatio; & intra triginta petendi, & recipiendi apostoli; alioquin sententia transit in iudicatum, excepto si non stet per appellantem, quin illa
446 fiant. Ad prosequendam vero, & terminandam appellationis causam, annus integer ab eodem iure communi assignatur, & ex causa iusta adiungitur secundus, imò quandoque tertius; nisi ex vi iuris municipalis alicubi isti termini abbreuientur, vel è contra: prorogationes tamen ob eandē
447 causam aliquando conceduntur. At trāsacto termino, & non expedita causa appellationis, hæc manet deserta, & sententia
448 iudicis à quo, venit exequenda. Quæ autem dicta de tempore interponendi appellationem, possunt habere locum, vbi appellatur in causis fidei; secùs, saltem ex parte quæ dicta de tempore eam prosequendi, & terminandi.

---

449 REquisita omnia pro recta, & valida appellatione formanda ad duo tātum reducūtur vniuersaliter loquendo, iuxtà Constitutiones Mediolan. vt ait Rugincllus §. 4. cap. 1. quas ipse de hac materia toto suo opere per §§. commentandas suscepit.

Primum, Quòd interponatur illa à sententia, à qua de iure licitum est appellare.
450 Secundum, Quòd interpositio eius, & prosecutio vsq; ad finem, exequutioni mādetur intra tempus legitimum; & est conforme textui, in l. hi qui ad ciuilia, C. de appell. nam ille dicitur iustè appellasse, qui ritè, & intra tempus debitum appellauit, vt ostendit copiose Mascard. de probat. conclus. 114. num. 2. lib. 1. actum à nobis de primo iam satis supra; in præsenti agimus de secundo.
451 Attento iure antiquo, l. 1. §. dies, cum seq. & l. 5. ff. de quand. appellan. sit ad interponendam appellationem fuit concessū biduum appellare volenti in propria causa, & triduum in aliena, atque intra hoc tempus debebat offerri iudici à quo, libellus appellatorius, iuxtà dict. l. 5. in fin. tuncque primo erat facultas adeundi iudicem, vt ait
452 Vlpianus in dict. §. dies, Verum secundum ius nouum, authen. hodie, C. de appell. decem dies assignati sunt pro dicta interpositione appellationis; quos etiam ius canonicum admisit, cap. cum dilecti, in fin. de elect. cap. significauerunt, de testibus. cap. quoad consultationem, de re iudic. &
453 cap. anteriorum 2. quæ. 6. Incipiunt autem isti decem dies numerari à die latæ sētentiæ, & currunt de momento ad momentum; ac intra ipsos iudici, à quo appellatum est, debet præsentari appellatio. Ita communiter DD. Specul. de appell. §. qualiter autem; Roman. consil. 49. Millius in repert. vers. appellatio debet, & alij.
454 Ex dispositione tamē iuris municipalis intra pauciores dies solet alicubi appellatio interponi, vt in Ducatu Mediolani intra quatuor dies, vti disponit peculiaris constitutio eius, teste Ruginello §. 4. cap. 1. n. 4.
455 cum permittat ius commune sic abbreuiari, vt lites, & causæ citius finiantur in vti-

vtilitatem Reipublicæ, & particularium, secundùm glossam singularem in l. præscriptione C. contra ius, vel vtil. public. Franc. in cap. Romana, num. 7. de appell. Alex. in consil. 105. num. 9. & Rebuff. in constit. de appell. art. 4 glos. 1. nu. 11. lib. 3.

456 Terminus autem decem, vel quatuor dierum prædictorum, intelligitur incipere à die, quo appellans sciuit latam esse sententiam contra se, & non antea; nàm etiàm per mensem, vel annum, & vltra maneat in ignorantia latæ sententiæ, potest semper appellare, nec illa interim transit in iudicatum, cùm à die scientiæ currant sibi decem dies, iuxtà text. in l. 1. ff. quan. appell. sit, & in cap. concertationi, de appell. in 6. & cum glossa, ac Bar. in authen. hodie, C. appell. & cum glossa in cap. ab eo, de appell. in 6. affert Maranta in specul. par. 6. nu. 215.

457 Vbi sic concludit. Ex hoc ergo, inquit, sequitur, quòd istud tempus est vtile in principio, quia nunquam incipit currere impedito, sed postea efficitur continuum, vt est text & ibi Bart. in dict. l 1. §. dies, quibus Specul. in tit. de appell. §. restat, versic. sed nunquid; tamen bonum est, vt protestetur appellans, quandò videt se impeditum, maximè quando fit per iudicem, secundùm Bar. in dicto §. dies. Hæc ille, quæ videntur prorsus admittenda.

458 Debet item intelligi dictus dierum terminus, nisi grauamen illatum habeat tractum successiuum; nam in hoc casu potest semper appellare, quandiù durat grauamẽ, etiam post dictos dies: sic defendũt Angel. in dict. authen. hodie, Bald. in l. 3. ver. 2. quæro, C. de Episcop. aud. Ioan. Andr. in cap. dilectus, el 2. de rescript. & Paris in tract. de syndic. verb. appell. qui in prædictis locis exemplificant in eo, qui detinetur in carcere, quia semper potest appellare, eo quod

459 semper grauetur. Sed benè limitant in hoc Phil. in cap super eodem, el 2. de appell. & Maranta vbi supra, num. 216. ex mente Bald in cap. de testibus, extra de testibus, quòd tantùm habeat locum, quando fuit carceratus de mandato absque sententia

460 interloquutoria; secus, si hanc iudex protulit, & non fuit exequutioni mandata per spatium decem dierum, nec condemnatus intra illos, cùm sciret ab initio de illius prolatione, appellare curauit, quia tunc post ipsos sententia transiuit in rem iudicatam, neque ampliùs est locus appellandi.

461 Dein, quando nullitas coniungitur cũ appellatione, vt dictum à nobis suprà, sicut intra decem dies, vel quatuor pro Ducatu Mediolani, iuxtà constitut. eius, est necessario appellandum, ita simul intra eosdem est de nullitate dicendum. Ita Rebuff. & alij adducti per textum, in cap. concertationi, cum glossa, ibi, verb sciuerit, in 6. Alias censetur grauatus sententiæ acquieuisse, secundum, l. fin. ff quan. app.

462 Ratificatio item appellationis intra spacium eorundem dierum debet fieri; l. bonorum, ff. rem rat. haber. & cap. anteriorum 2. q. 6. & affert cum Guid. Papa, Crau. Lancellot. & Magon. quos ipse citat,

463 Ruginellus dict. § 4. cap. 1. nu. 13. Quamquam statim num. 14. cum eodem Magon. limitat, dicens, quòd appellatio interposita per aliquam personam coniunctam

464 possit ratificari post ipsos decem dies. Ratificatur prætereà dupliciter appellatio, & vtroque modo cum æquali valore, nempè dictis, vel factis, l. Paulus, ff rem rat. haber. & afferũt Salic. in l. vnic. C. si maior fact rat. hab. & Paris. in cons. 14. num. 30. lib. 1. Hinc constituens procuratorem ad prosequendam appellationem, censetur hanc ratificasse, vt ait cum Crau. cons. 159. Ruginellus dict. §. 4. cap. 1. num. 16.

465 Occurrit hic graue dubium, & non nihil controuersum inter Doctores, an quando quis tertius, vel etiam appellatus, cuius interest, alterius appellationi adhæret, iuxta certam iuris dispositionem, de qua à nobis supra, ex l. ampliorem, C. de appell. & ex cap. vt circa, de elect. in 6. debeat talem adhæsionem præstare intra eosdem decem dies, quibus, vt dictum, interponenda est appellatio? Discutit copiosè hinc indè Ruginellus §. 6. glos. 1 à num. 3. nos aliqualiter tantum attingemus. Ad partem

466 affirmantem inclinant, glossa in cap. non solent 2. quæst. 6. cuius textus pro ea facere videtur, Alexan. ad Bart. in l. si perlusorio, §. sed & agere, ff. de appel. Curt. in consil. 123. num. 6. Gomez in reg. de trien. quæst. 21. Lancellot. de atten. appell pend. limit. 50. Ant. Grauat. ad Vestrium in praxi, cap. 3. lib. 7 num. 49. vbi dicit esse communem, & alij.

467 Nihilominus partem negatiuam, scilicet non requiri, vt intra illos decem dies adhereat, sed posse ipsis transactis adhuc adhæsionem fieri, tenent diuersi melioris notæ auctores, quibus assentior, cum appareat certa per textum expressum in dict. l.

468 ampliorem, ibi. *Sancimus itaque*, inquit, *si appellator semel in iudicium venerit, & causas appellationis suæ proposuerit, habere licentiam, & aduersarium eius, siquid iudicatis opponere maluerit*, si præsto fuerit hoc facere, & iudiciale mereri; sin autem absens fuerit, nihilominus iudicem per suum rigorem eius partes adimplere. Sic ibi; quẽ textum pro nostra parte negatiua intelligit

469 Bald. num. 5. vers. vnde si iudex. Atque per eundem textum affirmat Bart. in l. si quis libellos, num. 3, C de appell. appellationem vnius partis dicto modo prodesse alteri in eo, vt illa vti possit ad effectum rescindendi sententiam, si in aliquo eum grauauit, hacque via liber à grauamine maneat.

470 Multo clarius idem Bald. ad Specul. de appellat, vers. appellatio superuacua, allegans dict. l. ampliorem, sic figurat casum. Petij à te decem, inquit, & iudex in quinque condemnauit, & in quinque absoluit;

tu

tu appellasti ratione condemnationis, & ego appellaui ratione absolutionis; tandem ego non petij apostolos, & sic est deserta appellatio mea; possum nihilominus adhęrere appellationi tuæ, & petere suppleri 471 sententiam, ita ille: & quòd ipse teneat iam transactis decem diebus posse fieri hâc adhæsionem, innotescit clarè ex particula illa, ego non petij apostolos; cum isti intra multò plures dies petantur, vt statim videbimus. Refert pro eadem parte negatiua Abbatem, Decium, Surdum, & alios Ruginellus loco citato, num. 4. eosque sequens respondet egregie ad ea, quæ in contrarium adducuntur; vide apud ipsum.

472 Circa decem autem dies hoc superest aduertendum, ex vi iuris communis esse adeò requisitos ad interponendam, & ratificandam appellationem, vt neque per compromissum, nec per iudicem, etiam ex consensu partium, neque per ipsas partes in vim pacti prorogari possint. Ita glos. communitèr recepta in cap. cum sit Romana, de appell. ibi Franc num. 7. Alexan. cons. 87. num. 2. lib. 2. Lancellot. de atten. appell. pend. limit. 50. num. 71. Guid. Papa, Conser. Mendoz. & alij, quibus citatis adhæret Ruginellus, vbi supra, nu. 22. & 23.

473 Indè ostendo, quia terminus decem tantùm dierum rationabiliter à iure præfigitur, ne causæ, seù lites nimis in Tribunalibus protrahantur; ergo non erit licitum iudici, vel partibus, pro libito ipsum longiorem assignare.

474 Diuersi nihilominus sunt casus, in quibus secundum communem sententiam Doctorum interposita post dictos decem dies appellatio valida est, vt ratione paupertatis quæ intra dictum terminum appellare aliquandò excusat. Ita Cassiod. decision. 6. de appellation. Lancellot. de atten. appell. pend. limit. 5. num. 117. Gail. obseru. 142. 475 lib. 1. & alij. Item casu, quo iudex petitus, vt reuocet interloquutoriam, noluit, sed confirmauit, tunc ab ipsa interloquutoria etiam post dictos decem dies poterit appellari. Innoc. in cap. is cui, extra, de nou. oper. nunc. & cum eo Guid. Papa in tract. 476 de appellat. num. 73. Similiter quando iudex grauauit in omissione aliqua, vt si noluit interrogare testem iuxta formam interrogatorij; Bald. singulariter in cap. per tuos de testibus, & cap. 1. si de iniust. feud. inter domin. & vassall. fuet controuer ac Ruginellus §. 4. cap. 1. num. 51. apud quem reliquos huiusmodi casus inuenies.

477 Agendum sequitur de petitione, & receptione apostolorum, seu literarum dimissoriarum; circa vtrunque sunt expressæ decisiones iuris. Primo debent peti, ac etiam recipi intra spatium 30. dierum; secundum text. in l. iudicibus, C. de appell. & in cap. 478 ab eo, de appell. in 6 Item si intra dictũ tempus appellans non petat, aut non recipiat apostolos, censetur appellationi renũciasse, & manet appellatio deserta. In eodem cap. ab eo, & in Clemen. Quamuis, de appell. & cum Gloss. in l. 1. ff. de libell. dimissor. affert post alios Maranta in Specul. 6. par. num. 219.

479 Est tamen dubium, quandonam currere incipiant isti 30. dies; à die nè sententię latæ, an à die appellationis interpositæ? Hoc secundum tuentur Hostien. in cap. 1. de appell. in 6 & alij. Primum vero Card. in dict. Clemen. quamuis, vti omninò iuri consonum, in dict. l. iudicibus, imò ibi vi- 480 detur expressum. Vndè cum ipso Card. cum glos. in dict. cap ab eo, & ibi cum Gemin. & Ioan. Andr. ac cum alijs sic resoluimus, quod currere incipiat appellanti dictũ tempus à die sententiæ latæ, si tunc huius habuit notitiam, & cum hac conditione 481 intelligi debet dict. l. iudicibus. Si verò non habuit notitiam, quandò sententia fuit lata, tunc 30. dierum terminus currit ipsi à die scientiæ, quia ex eo die habuit facultatem appellandi, vt paulò ante diximus, ergò & apostolos petendi; neque contra hoc potest quidquam opponi.

482 Quamuis autem talis terminus 30. dierum sic de iure procedat, intelligitur tamẽ, nisi iudex à quo, breuiorem assignet appellanti ad petendos & recipiẽdos apostolos; quod posse facere patet ex textu in dict. Clemen. quamuis, de appell. & cum Card. ibi, & cum alijs DD. tradant Maranta dict. 483 par. 6. num. 223. Affirmans, quod remaneat deserta appellatio, si intra illum breuiorem terminum per iudicem à quo assignatum, appellans omittat apostolos petere, & recipere; secus, si non stat per ipsum, & de hoc iuridicè protestetur.

484 Diximus in Regula præcedenti, quòd in Ducatu Mediolani non sit vsus petendi, & recipiendi apostolos, sed id suppleatur porrectis precibus per appellantem Senatori deputato, qui nomine totius Senatus committit alicui, vt spatio decem dierum videat, & resoluat auditis partibus, an sit locus appellandi, & de nullitate dicendi; vti continetur in Decreto supra adducto: circa quod excitat dubium Ruginell. § 6. glos. 2. cap. 5. si intra dictos decem dies talis articulus non decidatur, an appellatio sit de- 485 serta, & cuius periculo. Diuersis rationibus adductis conatur primo ostendere vtramque partem, & contra appellantem, & pro ipso; concludit tandem nihilominus, nequaquam esse desertam appellationem ex hoc capite, quod talis articulus intra illos decem dies non fuerit decisus. Ratio est, quia in dicto Decreto per Senatorem deputatum facto, nulla fit mẽtio de appellationis desertione; ergo nõ est cur dicatur 486 ex eo capite deserta esse. Quid igitur tũc faciendum? Cum ex consensu partium tẽpus pro decisione dicti articuli prorogari non possit, vt benè ostendit idem Ruginellus, dict. § 6. toto cap. 7. petenda est prorogatio plurium dierum ab ipsòmet Senatore, qui priores decem assignauerat: atq;

hæc obiter cum citato Ruginello in dict. cap. 5. attigisse sit satis.

487 Habêdus iam à nobis sermo de temporibus prosequendi, & terminandi appellationem: pro quo supponendum, quòd appellans acceptis apostolis à iudice à quo, se præsentare debeat quam primum coram iudice, ad quem appellauit; qui siuè sit ordinarius, siuè delegatus ex commissione particulari, vbi certo cognoscit de sua iurisdictione, & causam ad se esse deuolutam, iuxta cap. super literis, de rescript. & cap. non solum, de appell. in 6. prouidere tenetur ex officio, l. cum satis, §. caueant, C. de agric. & censi nè quid noui in præiudicium 488 interpositæ appellationis fiat. Quæ prouisio exequi solet per inhibitionem, & hæc ille transmissurus iudici à quo, & parti, textus est in cap. Romana, §. si verò, in cap. 489 solum, §. illa verò, de appell. in 6. Quæ autem sint requisita ad legitime inhibendum, & quando, seu in quibus casibus inhibitio concedenda, moderanda, & tollenda, quosnam item effectus illa operetur, nõ exprimo, ne nimis diffundar: remitto Lectorem ad Cæsarem *Ruginellum* §. 6. glos. 2. cap. 8. per totum.

490 Tempus prosequendi appellationem, quod etiam fatale dicitur, vel instantia, ex mente omninm est annus, & ex causa legitima, biennium, vt habetur expresse in authen. ei qui, C. de temp. appell. vbi sic. *Ei, qui appellat, impertitur annus; intra quem, secundum se, communiterue cum aduersario litem exequatur; aut si iusta causa intercesserit, alius annus indulgeatur: quo transacto, lite non completa, rata maneat sententia*. Ita ibi: Habetur etiam manifeste in auth. ex ratione, & Clem. sicut, de app. atque in prædictis locis communiter 491 DD. Competit autem annus statim interposita appellatione, & tunc incipit currere; vt constat ex text. in dict. authen. Ei qui, & in dict. Clem. sicut.

492 Vt secundus annus appellanti concedatur, prout dicitur in proposito textu, duo simul requiruntur. Primum, quòd non potuerit ob causam iustam ipse appellationem prosequi, & finire intra annum, aut saltem intrà terminum à iure, vel ab homi- 493 ne assignatum. Alterum, quòd intra annum primum non concedatur secundus, sed eo iam elapso. ex dict. cap. cum sit Romana, & ex Guid. Papa per eum citato tradit Ru- 494 ginel. §. 10. glos. 1. num 9. Addens nu. 10. quòd prædicta causa debeat esse necessaria, & euidens. Nam si contingat apposuisse voluntariè impedimentum ex propria culpa, non est concedendum ei biennium, vt si procuratorem misit cum mandato non sufficienti; aut, si formauit libellum ineptum. Ita ille cum Alex. de Neuo in dict. cap. cum sit Romana, num. 4 de appell. & patet per tradit à Bart. in l. intra vtile, ff. de minor. & in l. 2. §. non solum, ff. ad Turpil.

495 Pari modo non cõceditur secundus annus, si fuit negligens in primo; vndè, vt cõcedatur, debet statim probare à se fuisse adhibitatam diligentia in prosequenda appellatione: nec prius fit ei talis concessio, quã probatio adhibitæ diligentia ostendatur. Facit pro hoc textus in eod. cap. cum sit Romana, & adducnut Cassiod. decis. 6. num. 8. de appel Guid. Papa, Ant. Grauat. & alij, quos citat, & sequitur Ruginell. num. 11. & 496 quamquam ipse addit num. 12. cum Bart. de temp. vtili, cap. 6. quòd de stylo Romanæ Curię, annus secuudus non detur, nisi appellans actum aliquem in primo anno fecerit; limitat tamen benè cum eodem Cassiod. citato, Vestr. Marsil. & Marches. per eundem relatis, non ita se habere in causis talium forensium, qui non possint in primo anno curiam petere, ac de longinquis partibus documenta, & scripturas authenticas transmittere.

497 Sed quid si in secundo etiam anno legitimum impedimentum existat? concedendus appellanti ad prosequendam, & finiendam appellationem tertius annus, per restitutionem integrum, officio iudicis, ex clausula, si qua mihi iusta causa. Ita glos. in dict. authen. ei qui, Deci consil. 436 Guid. Pap. & alij., quibus relatis adhæret Ruginell. vbi 498 supra, num 19. Cum hac tamen moderatione, quod non pro toto anno, sed solum pro tanto tempore, quo impedimentum interuenit in secundo. Ita ipse ex mente eius- 499 dem Guid. Pap. referens num. 21. assertum illud commune Bald. in cap. ex ea ratione, de appell. quod appellans debeat esse diligens in primo anno, diligentior in secundo, & diligentissimus in tertio.

500 En qualiter impedito legitimè prorogationes conceduntur: at non existente impedimento, si labatur primus annus, seu primum fatale, cuius initium, vt iam dictũ à nobis num 491. tam respectu appellati, quam appellantis sumitur à die, & hora interpositæ apud iudicem à quo, appellationis, hæc manet deserta, & omnino extin- 501 guitur. Sicuti fato, quod pro morte cõmuniter sumitur, omnia extinguuntur. l. meminimus, C. quando, & quib. quor. pars, 502 & tertia lib. 10. Ita lapsus primi, & cuiusque alterius fatalis, seu anni, appellationẽ tollit, seu desertam relinquit. Ita Bart. in l. petendæ, vers. vnum quæro, C. de temp. in integr. restit. Bald. in l. fin. vers. modò restat, C. de temp. app. Abb. in cap. ex ratione, de appell. Franc. ibi, & alij communiter.

503 Quod si appellans, etiam existente impedimento in primo anno non petat secundum, nec declaretur ei competere, deserta remanet appellatio, etiam si de consensu partium iudex appellationis hanc in secundo anno declaret validam, & in fauorẽ appellantis sententiam ferat; quia hæc non subsistit, ac proindè non est attendenda tanquam lata contra primam sententiam iudicis à quo, quæ iam in iudicatum in fine

ne primi anni transiuerat. Docent vti certum Guid. Papa, Osasch. Gallia, & alij, quibus relatis adhæret Ruginell. loc. cit. n. 15.

504 Secus tamen erit, si appellans facto aduersarij in primo anno impeditus fuerit petere secundum, nam tunc iste concedendus est ei, etiam transacto primo absque dicta petitione. Ita benè limitat idem Ruginell. num. 17. ex mente eiusdem Guid. Pap. & aliorum, quos adducit.

505 Quandò suprà bis dictum à nobis, ex iure esse certum dict. auth. ei qui, & dict. Clem. sicut, quod incipiat currere tempus, seu annus primus à die interpositæ appellationis ad eam prosequendam, & finiendã, omisimus aduertere non carentem probabilitate aliquorum Doctorum sententiam asserentium, quòd, si simus in appellatione in partibus interposita, currant fatalia solũ à die, quo verisimiliter potuit appellans committi facere causam appellationis in Curia. Ita Ruginell. ibid. num. 22. cum Mendoz. de commissi fatalium prorog. in verb. fatalia, versic. quæro quando, & cum Put. decis. 12. de appell. affirmantibus, ita intelligendam esse dictam Clem. sicut.

506 Atque indè ostendi potest, quia aliquod discrimen videtur collocandum, quoad hoc inter appellationem interpositam in partibus, & inter eam, quæ interponitur in ipsa Curia, aut in ipso loco, vbi committitur.

507 Nisi dicas ideò concedi secundũ, & quandoque tertium annum appellanti, vt vtraque pari modo comprehendatur, & pro vtraque à die interponendi ipsam, vbicunq; interpositio fiat, tempus, seu fatale currere incipiat.

508 Dicta hactenus intelligi debent attento iure communi; sed quid secundum ius municipale? Non est nostri instituti de dispositionibus, quoad rem præsentem ab ipso emanatis aliquo modo agere; quia cum sint penè innumera, & valdè diuersa iura municipalia, iuxtà ingentem diuersitatem innumerabilium penè Regnorum, Prouinciarum, ac Ciuitatum totius Orbis, præterquam quòd adinaton id præstare videtur, si de singulis vel vnum tantùm verbũ proferre vellemus, nimis equidem diffun-

509 deremur. Vndè remitto Lectorem ad Auctores, qui de fatalibus, seu temporibus appellationum pro vnoquoque regno, vel prouincia, aut ciuitate peculiariter iuxta vniuscuiusque constitutiones, seu statuta tractant, vt ad Robertum Marant. qui par. 6. sui Speculi aurei aliqua de hac re

510 pro suo Regno Neapolitano attingit. Similiter ad Iulium Cæsarem Ruginell. qui quamplurima discutit, ac resoluit de hoc eodem subiecto fatalium, seu temporum appellationis proseqnendæ, & terminandæ pro sua Mediolanen. prouincia; nec mirum, cum ipse totus sit in commentandis illius Constitutionibus de materia ista appellationum per 12. §§. vt supra in proœmiolo huius VIII. capitis adnotauimus; nè graueris istius doctissimi viri eruditos commentarios euoluere, atque attenta mente perlegere, vt ex tali euolutione, & lectione ingentes percipias fructus.

511 Nobis tantũ superest hoc loco aliquid breuissimè proferre de duplici tempore interponendi, & prosequendi appellationem vsque ad finem in causis S. Inquisitionis.

512 Quoad primum, supposita resolutione certa, quòd in dictis causis est locus appellandi ab interloquutoria sententia, maximè à Decreto torturæ inferendæ, prout suprà nu. 209. & 210. resolutũ à nobis cum Symanch.

513 Eymeric. Pegna, & alijs ibi citatis. Eadem certitudine affirmandum, talem appellationem debere interponi intrà decem dies, iuxtà auth. hodiè, C. de appellationibus, & cap cum dilecti, de elect. quia par est ratio de hac, atque de cæteris appella-

514 tionibus aliorum Tribunalium. Vndè si reus S. Officij per spatium decem dierum non appellet, sententia Inquisitoris transit in iudicatum, & venit executioni mandanda.

515 Quoad secũdum vero de tempore prosequendi appellationem per reum S. Inquisitionis, nè ipsa deserta maneat, quod diximus sub finem præcedentis Regulæ n. 436. de petitione apostolorum, nimirum nullum omninò esse vsum eos petendi, & recipiendi per appellantem in causis fidei, ne dum intra certos dies, neque inde sequi, quod sententia Inquisitoris transeat in iudicatũ,

516 aut appellatio sit deserta. Eodem prorsus modo affirmandum de prosequutione appellationis in eisdem causis fidei, quòd haud vllus sit vsus prosequendi eam, nec in-

517 tra tempus aliquod determinatum. Atque vtrumque indè prouenit, quòd Inquisitores inferiores, vt ibi num. 437. diximus, cum Pegna 3. par. Direct. commen. 31. iuxtà instructionem Madrilianã de ann. 1561. cap. 51. soleant in casu appellationis secretò scribere, inscio reo appellante, ad Sacrã Congregationem Vrbis, vel ad Supremum Inquisitorem, circa talem casum, & indè responsum expectare. Cum ergò non stet per reum appellantem, quin intrà tempus iuridicum appellationem prosequatur, nequaquam hæc erit deserta, nec sententia Inqui-

518 sitoris à quo, in iudicatum transibit. Atque his satisfactum præsenti puncto ad Sãctum Officium spectanti; & hactenus traditis in hac Regula, toti eius titulo, de quadruplici tempore, scilicet appellandi, introducendi appellationem, & eam prosequendi, ac terminandi.

Do-

519 Doctrinam materiæ appellationum, si non pro dignitate, & excellentia eius, saltèm pro tenuitate ingenioli nostri, perpensis quoquomodo sex communibus circumstantijs, quid, quis, vbi, cur, quomodo, & quando, perspicua diuisione, nouaque methodo vltimo præcedenti capite tradidimus; Ac per eam diuino fauente Numine, finem imposuimus Libro quarto nostri Operis de Materijs Tribunalium Fidei, seu de Regulis multiplicibus pro formando quouis eorum ministro, præsertim Consultore, quoad quæstionem, seù torturam, &c. Diuisimus ipsum congruè in octo capita, & 37. Regulas circa varietatē eorum, quæ ipsi tortu-
520 ræ antecedenter, vel consequenter annexa sunt. In elaboratione autem dicti Operis hùc nos peruenisse, est cur Deo omnium bonorum auctori grates iugiter rependentes feliciter plaudamus, ac spe non exigua indè erecti ad duos sequentes libros perficiendos auxilium ab ipso Deo, enixè imploremus.

Finis die 25. Martij 1646.

Laus Deo Opt. Max. Sanctissimæque Virgini Deiparæ MARIAE.





Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Sacri Palatij Apostolici Magistro.

A. Riualdus Vicesgerens.



Imprimatur,

Fr. Vincentius Fanus Magist. & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sacri Palatij Apost. Magist. Ord. Præd.





Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Sacri Palatij Apostolici Magistro.

A. Rinaldus Vicesgerens.



Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Magist. & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sacri Palatij Apost. Magist. Ord. Præd.



INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVAE IN SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

INDEX

non

INDEX

Ap-

I N D E X

Apocratistæ.

Apolinaristæ.

Apostata.

Apostolus.

Apo-

INDEX

Ba-

INDEX

B

INDEX

Ca-

INDEX

Ca-

Chri-

Cibus.

Circumcelliones

Circunstantia

Cirillus.

Cirus.

Ciuitas.

INDEX

Democritus.

Dæmon.

Demoliri.

Depositio

Deistæ.

Deus.

Diabolus.

Dicharistæ.

Dictum.

Dies.

INDEX

Do-

INDEX

INDEX

Epi-

rores

INDEX

INDEX

Her-

INDEX

Honor.

Honorius PP.

Hostia.

Hulricus

Humanitas

Hus, Hussitæ.

I

Iacere.

Iacobus.

Iactatio.

Iconoclastæ.

Iconomachi.

Idæa.

Idolatra. Idolatria.

Inqui-

INDEX

Ioan-

INDEX

Iudicium generale.

Iudicium.

Iulianus.

Iulius.

Iurare.

Iuramentum.

Iusiurandum.

Iustificati

Iustificatio.

Iustitia.

Iustus.

L

Laici.

INDEX

Mil-

cium

INDEX

Opus

INDEX

Pelagius.

Pœna.

Pœnitentia.

Pœnitentiarÿ.

Perfecto.

Periurare. Periurium.

Persona.

Perturbatio.

Peruani.

Petilianus.

Petrus.

Pon-

prin-

Rex Angliæ.

Richardus.

Ritus.

Reualitas.

Robertus.

Rogatiani.

Romana.

Roscelini.

Rosæ.

Rutinæ.

S

Sabbati.

Sauelli.

Sabellianus.

Sor-

Testes

INDEX

Thebutes.

Theocatognostæ

Theoda.

Theodosiani.

Theodiscus

Theodotio

Theo-

INDEX

INDEX

INDEX

Xenz-

INDEX


FINIS.



SEcundum, & Tertium Tomum, quatuor Libros, nempe Tertium, Quartum, Quintum, & Sextum, de Materijs Tribunalium Sanctæ Inquisitionis continentes à P. Sebastiano Salelles Societatis IESV S. T. P. & Sanctæ Inquisitionis Consultore elaboratos legi, & nihilque in eis inueni Catholicæ Fidei, Sacris Canonibus, aut bonis moribus repugnans, quapropter dignissimos censeo, qui prælo mandentur. Datum in Conuentu Sancti Saluatoris in Vndæ. Die 17. Augusti 1652.

Fr: Modestus Gauatius Procurator Generalis Sancti Francisci Min. Conuentualium, Sanctæ Romanæ Inquisitionis Consultor, & Qualificator.

FINIS.



En de hac re poesim metro Hispano ab Auctore totius operis in primaeua aetate compositam.



Ad Maiorem Gloriam Dei.



SONETTO.



AL Enemigo astuto, al inuincible,
Que aun sale vencedor quando es vencido,
Hauer tenido IGNACIO tan rendido,
Saberlo de su boca lo haze creible

La gloria digo vana, el monstruo horrible,
Que espanta alos mas fuertes, este ha sido,
El que de si dixo ser menos temido,
Por mas fiero que sea, y mas terrible.

La espada de dos cortes, que çeñia,
Le hizo triunfador de tal victoria,
El conozerse asi, y a Dios le hazia.

Desear que le tuuiesen por escoria,
Y en qualesquiera cosas noche, y dia
Buscar siempre de Dios la mayor Gloria.